BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
13
17 D
44

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13-17.e.18

21.3.3
21
3.
2 Φ 4

IN SELECTAS

SVMMORVM PONTIFICVM CONSTITVTIONES

Epitome, ac Theoremata.

Auctore P. Io. Baptista Scortia *Genuensi*,
Theologo Societatis Iesv.

Opus sanè non tantùm Confessariis, sed etiam peritis vtriusque Iuris, perutile.

Cum duplici Indice, altero scilicet Constitutionum, altero Rerum præcipuarum.

EDITIO PRIMA.



LVGDVNI,
Sumpt. Ludovici Prost, Hæredis Roville.
M. DC. XXV.
CVM PRIVILEGIO.

ADMODVM REVERENDO
IN CHRISTO PATRI NOSTRO,
P. MVTIO VITELLESCO
PRÆPOSITO GENERALI
SOCIETATIS IESV,

IO. BAPTISTA SCORTIA
felicitatem.

MErvi hoc quadriennio in Iuriſconſultorum caſtris, admodum Reuerende in Chriſto Pater, ſub optimis ſane belli Ducibus, Bartolo, Baldo, Innocentio, Hoſtiẽſi, Iaſone, Panormitano, Couarruuia, Felino, Menochio, aliiſque viris in huiuſmodi militia peritiſſimis; etſi ſæpe quoque, eorum bona cum venia, Theologos, veteres amicos meos, D. Thomam, Sotum, Franciſcum Suarium, Thomam Sanchez, Molinam, Valentiam, Leſſium, Azorium, & alios plures fortiſſimos anteſignanos, in proximis caſtris agentes, mihi fuerint in auxilium aduocandi. Fateor ingenuè hoſce exantlatos labores, & diuturniores, & grauiores ſæpe mihi viſos, quàm vt ſeptuagenaria prope ſenectus, & ægra, qua

perpetuò vtor, valetudo, & virium mearum imbecillitas ferre posſent: ſed Societatis noſtræ inſtitutum, commilitonum exemplum, deſiderium de Eccleſia Dei benemerendi, odium ocij, inertiæ fuga, labor improbus, Deo bene iuuante difficultates omnes peruicerunt. Quo verò prælij euentu, quáue felicitate pugnauerim, nõ meum, ſed tuum, vir ſapientiſſime, ac cæterorum illuſtrium virorum erit iudicium, cum nemo in propria cauſa ſit bonus iudex. Hoc autem quod conſecutus ſum caſtrenſe peculium, & qualiacumque ex bello, etſi nec ampla, nec opima, refero ſpolia, haud iuri meo peculiari adſcribi velim, ſed tibi Patri optimo, ac Societati dilectæ matri, defero, cum cæteris fratribus meis, æquo iure communicanda. Vale.

Genuæ, Idibus Septembris
anni 1622.

MVTIVS

MVTIVS VITELLESCVS
Societatis IESV *Præpoſitus Generalis.*

CVm Opus inſcriptum, *In Selectas ſummorum Pontificum Conſtitutiones Epitome ac Theoremata*, P. IOAN. BAPTISTÆ SCORTIA, Societatis noſtræ, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus commiſimus, recognouerint; ac in lucem edi poſſe probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita ijs ad quos pertinet, videbitur. In cuius rei fidem, has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 23. Octobris 1623.

MVTIVS VITELLESCVS.

Facultas R. P. Prouincialis in Prouincia Lugdunenſi.

EGO IOANNES FORERIVS Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi Præpoſitus Prouincialis iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis HENRICO III. 10. Maij, 1583. HENRICO IV. 20. Decembris, 1606. & LVDOVICO XIII. nunc regnante 14. Februarij, 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne Libros ab hominibus noſtræ Societatis compoſitos abſque Superiorum eius permiſſione imprimant, permitto LVDOVICO PROST, Hæredi ROVILLE, Lugdunenſi Bibliopolæ, vt Librum, qui inſcribitur, *In Selectas ſummorum Pontificum Conſtitutiones Epitome ac Theoremata*, P. IOAN. BAPTISTÆ SCORTIA, Societatis noſtræ, ad ſex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni 3. Ianuar. 1625.

FORERIVS.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE in ſacra Theologia Doctor, in S.Pauli Lugdunenſis Canonicus, & in hac Diœceſi à D.Dionyſio Simone de Marquemont Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo,in librorum cenſuram incumbere iuſſi: fidem facimus,nos *Epitomen ac Theoremata in Selectas ſummorum Pontificum Conſtitutiones, Auctore* P. IOANNE BAPTISTA SCORTIA *Societatis* IESV, vidiſſe,nec in eis aliquid contra Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ ſanam doctrinam aut bonos mores inueniſſe. Kal.Decembr.1624.

DE VILLE.

Conſenſus Procuratoris Regij.

OPus hoc inſcriptum, *In Selectas ſummorum Pontificum Conſtitutiones Epitome ac Theoremata* P. IOAN. BAPTISTÆ SCORTIA *Societatis* IESV, ego Conſiliarius & Procurator Regius typis mandari & in lucem exponi conſentio. Lugduni 6.Decembris 1624.

PVGET.

Permiſſio Locumtenentis Generalis.

OPus hoc R.P. IOANNIS BAPTISTÆ SCORTIA Societatis IESV in Selectas ſummorum Pontificum Conſtitutiones à LVDOVICO PROST Hærede ROVILLE Bibliopola Lugdun. in lucem dari permittimus, ac ne quis, citra factam ei poteſtatem, denuo excudat interdicimus. Datum Lugduni die 6. menſis Decembris anno 1624.

DE CHAPONAY.

SELE

SELECTARVM

SVMMORVM PONTIFICVM in hoc Opere comprehensarum Constitutionum Elenchus.

Tempus. Anno	Initium.	
		D. LEONIS I.
447	*Occasio.*	AGIT de non alienandis rebus Ecclesiæ. Epitome 1.
		LEONIS IX.
1051	*Quia auctore.*	Defunctorum Episcoporum bona non inuadenda. Epitome 2.
		HONORII II.
1130	*Charissimus.*	Non rapienda bona naufragorum, nec defunctorum coniugum. Epit. 3.
		INNOCENTII III.
....	*His quæ.*	De hæreticorum pœnis. Epit. 4.
....	*Ea est.*	Improbatur vulgaris Bibliorum versio. Epit. 5.
1212	*Ad nostram.*	Damnantur statuta contra libertatem Ecclesiasticam. Epitome 6.
		HONORII III.
1220	*Hæ leges.*	Pro libertate Ecclesiastica, Naufragis, Rusticis, Peregrinis. Epitome 7.
		GREGORII IX.
1234	*Rex.*	Non alienanda Ecclesiæ bona. Epit. 8.
1236	*Excommunicamus.*	Hæreticorum & sociorum pœnæ. Epit. 9.
		INNOCENTII IV.
1243	*Cū aduersus.*	Hæretici & complices puniendi. Epit. 10.
1244	*Impia.*	Thalmudi libri proscribuntur. Epit. 11.
1250	*Ad extirpanda.*	Defenduntur Officiales Inquisitionis, & abrogantur statuta, hæreticis, filiis, sociis, complicibus fauentia. Theoremate 171. 172.
1252	*Cum fratres.*	Hæretici & complices banno subiiciuntur, &c. Epitome 12.

1254 *Quia.* Inquiſitorum ius. Epit.13.

1254 *Nouerit.* Pœnæ in hæreticos & ſocios decretæ. Epit.14.

ALEXANDRI IV.

1257 *Implacida.* Damnantur ſtatuta directè vel indirectè retardantia vel impedientia Inquiſitores in officio ſuo. Theoremate 172.

1261 *Conſuluit nos.* In cauſa fidei, ſocio eſt adhibenda fides. Epit.15.

VRBANI IV.

1261 *Licet ex omnibus.* Inquiſitores iuxta leges editas puniant hæreticos & complices, ac non fauentes ſtudiosè fidei negotio. Theor.171.

GREGORII X.

1263 *Turbato.* Pœnæ à fide apoſtatantium, ac ſuadentium. Epit.16.

BONIFACII VIII.

1295 *Prouidè.* Non ſupponantur loca interdicto pro pecuniario negotio. Epit.17.

1295 *Excommunicamus.* Dantes, promittẽtes, & acceptãtes aliquid pro literis à Sede Apoſtolica impetrãdis puniuntur. Epit.18.

IOANNIS XXII.

1316 *Ex parte.* Hæretici & Apoſtatæ à fide non gaudent Eccleſiaſtica immunitate. Epit.19.

1321 *Inter cætera.* Alienationes locorum Eccleſiæ vt malè factæ reuocantur. Epitome 20.

1321 *Exigit Ordinis.* Inquiſitores quidem habeant familiares armatos, ſed probos, & ſolum pro ſecuritate inquiſitionis. Theoremate 172.

1321 *Ad hoc.* Armis non ſibi ius dicendum. Epit.21.

1325 *Ad noſtrum.* Religioſi non tranſeant ad infideles abſque literis patentibus. Epit.22.

1325 *Cum nonnulli.* Damnantur ineuntes fœdera, ligas, ſocietates cum hæreticis, eóſque receptantes, & ſibi inuicem præſtantes auxilia. Theor.52.num.9.

.... *Super illius.* Euocantes & cõſulentes dæmones puniẽdi. Epit.23.

.... *Perlectis.* Percuſſio clerici, quæ grauis ſit, quæ leuis. Epit.24.

BENEDICTI XII.

1335 *Regularem.* Mendicantes tranſire non poſſunt ad Monachos nigros, & Ciſtertienſes. Theor.79.

1336 *Benedictus Deus.* Sanctorum animas penitus purgatas ante reſurrectionem corporum Deum videre, & damnatorum animas cruciari. Theor.91.

1339 *Quoniam.* Subeuntes examen pro aliis, & alium pro ſe ſupponentes puniuntur. Epit.25.

CLEMENTIS VI.

1346 *Etſi.* Pœnæ occupantium terras Eccleſiæ. Epit.26.

GREGORII XI.

1372 *Admodum.* Baptizati à fide recedentes coërcendi. Epit.27.

VRBANI VI.

1383 *Quia.* Pœnæ bannientium Eccleſiaſticos. Epit.28.

BONIFACII IX.

1392 *Iuſtis.* Leges pro immunitate & libertate Eccleſiaſtica. Epit.29.

MARTINI V.

1417 *Multæ.* Contra Simoniacos. Theorem.84.85.
1418 *Viam.* Religioſi mendicantes nequeunt tranſire ad monachos. Epit.30.
1428 *Ad reprimendas.* Eccleſiaſtici non trahendi ad forum ſeculare. Epitome 31.

EVGENII IV.

1434 *Cũ deteſtabile.* Pœnæ Simoniacorum. Epit.32.
1439 *Lætentur.* Concordia Eccleſiæ Græcæ cum Latina. Epit.33.
1439 *Exultate.* Conciliatio Armenorum cum Latinis. Epit.34.
1440 *Fide.* Tempus communionis Paſchalis à dominica palmarum ad dominicam in Albis. Epit.35.

NICOLAI V.

1447 *Ad ſacram.* Concordatio ſuper collatione beneficiorum Sedis Apoſtolicæ cum Germanis. Theor.165.
1450 *Olim.* Arma Saracenis non miniſtranda. Epit.36.
1452 *Solicitudo.* Forma cenſus in Regno Siciliæ. Epit.37.

PII II.

1459 *Execrabilis.* Cenſuræ in appellantes à Papa ad futurum Concilium. Epit.38.
1461 *Cũ ex ſacrorũ.* Cenſuræ in malè ad ordines ad promotos. Epit.39.

PAVLI II.

1465 *Cũ in omnibus.* Vt ſe gerant Iudices Eccleſiaſtici in alienationibus bonorum Eccleſiæ. Epit.40.
1466 *Munera.* Gubernatores ſtatus Eccleſiaſtici non recipiant munera, nec vllus illis det. Epit.41.
1467 *Ambitioſa.* Bona Eccleſiæ non alienanda vltra triennium. Epitom.42.

SIXTI IV.

1470 *Cum prouidè.* Lapides & ornamenta Ecclesiarum Vrbis Rom. non tollenda, nec alio transferenda. Epit.43.

INNOCENTII VIII.

1484 *Apostolicæ.* Soluendæ sunt beneficiorum annatæ. Epit.44.

1487 *Cum sicut.* Se in Apostolicis litteris asserentes qui non sunt, puniendi. Epit.45.

1491 *Officij.* Impedientes litteras Apostolicas censuris coërcentur. Epit.46.

ALEXANDRI VI.

1493 *Inter.* Noui orbis partitio inter Hispanos & Lusitanos. Epit.47.

1497 *Cum ex.* Census & regalia soluenda Cameræ Apostolicæ. Epit.48.

1502 *In eminenti.* Pœnę offendentiũ litigantes in Romana Curia. Epit.49.

IVLII II.

1505 *Cum tam diuino.* Pœnæ simoniacæ electionis Papæ. Epit.50.

1505 *Romani.* Litteræ beneficiorum intra annum expediendæ. Epit.51.

.... *Percepimus.* Cameræ Rom. ministri non participent in contractibus Cameralib. Epit.52.

LEONIS X.

1513 *Apostolici.* Anima rationalis lumine naturæ immortalis, informans, multiplex, &c. Epit.53.

1515 *Regimini.* Vt coërcendi exempti. Itémque violantes libertatem Ecclesiasticam, &c. Epit.54.

1515 *Inter multiplices.* Pietatis montes liciti. Epit.55.

1515 *Inter solicitudines.* Libri non imprimendi absque licentia. Epit.56.

1516 *Temerariorum.* Cardinalium ædes non violandæ. Epit.57.

1521 *Honestis.* Subiiciuntur Inquisitionibus malefici, sortilegi, Apostatæ. Epit.58.

1517 *Inhærendo.* Contra asserentes in Apostolicis litteris se tales, quales non sunt, & officiales id fieri procurantes aut permittentes. Theor.124.

CLEMENTIS VII.

1530 *Ad Canonum.* Presbyterorum filij inhabiles ad parentum beneficia. Epit.59.

1533 *Romanus.* Impedientes executionem litterarum Apostolicarum coërcentur. Epit.60.

1534 *Admonet.* Collationes beneficiorum Germanorum contra concordata cũ Sede Apostolica nullę. Epit.61.

PAVLI III.

1545 *Accepimus.* Damnatur rapina bonorũ naufragantiũ. Epit.62.

IVLII

IVLII III.

1550 *Cum meditatio.* Libri prohibiti Inquiſitoribus conſignandi. Epit.63.

1550 *Cum ſicut.* Beneficiorum fructus inexacti ſunt ſucceſſorum, &c. Epit.64.

1550 *Dudum 1.* Quæ beneficiarij prædeceſſoris debita teneatur ſucceſſor ſoluere. Theor.170.

1551 *Dudum 2. aliàs Cum.* Limitatur præcedens conſtitutio quo ad loca in quibus collectores ſpoliorum reſidere non ſolent. Theor.170.

1551 *Licet.* Inquiſitores haud impediendi, &c. Epit.65.

1553 *Etſi ea.* Alumina non accipiẽda ab infidelibus. Epit.66.

1554 *Cum ſicut.* Thalmudi libros tenẽtes iudæi, aliósque in quibus ſunt blaſphemiæ contra Chriſtianam religionem plectendi meritis pœnis. Theor.41.

PAVLI IV.

1555 *Cum quorundam.* Negantes Trinitatem perſonarum diuinarum, vnitatem diuinæ ſubſtantiæ, &c. cenſentur relapſi. Epit.67.

1556 *Incumbentia.* Coërcentur occupantes terras, cenſus, & annatas Cametæ Apoſtolicæ. Epit.68.

1557 *Inter cæteras.* Nemo ſupponat ſe pro aliis examini beneficiorum. Epit.69.

1558 *Cum ſecundum.* Pœnæ ambientium Papatum. Epit.70.

1559 *Cũ ex Apoſtolatu.* Hæreticorum & Sociorum pœnæ. Epit.71.

1659 *In ſacra.* Regulares, Epiſcopi, &c. inhabiles ad religionis officia. Epit.72.

PII IV.

1560 *De ſalute.* Reſidentia prælatorum. Epit.73.

1560 *Cum ſicut accep.* Forma contractus ſocietatis officiorum. Epit.74.

1560 *Cupientes vnicuique.* Iudices eorúmque affines ac familiares nequeũt impetrare beneficia quando eſt lis de priuatione. Epit.75.

1560 *Decens.* Acquiſita ab Eccleſiaſticis contra canones, ſpectant tanquam ſpolia ad Apoſtolicam Cameram. Epit.76.

1561 *Cum ſicut.* Pœnæ ſollicitantium ad libidinem in confeſſione. Epit.77.

1561 *Cupientes malitijs.* Affectorum beneficiorum fructus cui debeantur. Epit.78.

1564 *Romanus Pontif.* Græci Magnæ Græciæ Italis Ordinariis ſubduntur. Epit.79.

1564 *Dominici gregis.* Approbatur Index librorũ prohibitorũ. Epit.80.

1564 *Rom. Pontif.* Damnatur beneficiorum Confidentia. Epit.81.

1564 *Sanctiſſim. in Chriſto.* Regulares electi ad dignitates non ſe ingerant adminiſtrationi niſi confirmati, & litteris expeditis intra ſex menſes. Epit.82.

1564	*In sacrosancta.*	Electi ad lecturas & gradus statuto tempore profiteantur fidem. Epit.83.
1564	*Iniunctum.*	Ad beneficia promoti intra duos menses profiteantur fidem. Epit.84.
1564	*Sanctissimus.*	Clerico non residenti ratione studij quid agendum. Epit.85.
1565	*In Principis.*	Reuocantur priuilegia contraria Concilio Tridentino. Epit.86.
1565	*Etsi Romanum.*	Nuncij Apostolici ne procurent fauores Principum. Epit.87.

PII V.

1566	*Supra gregem.*	Medici curent, vt æger intra triduum confiteatur. Epit.88.
1566	*Sanctissimus.*	Missæ quando celebrandæ. Epit.89.
1566	*Cum primum.*	Seruanda circa diuinum cultum. Epit.90.
1566	*Cum nobis nuper.*	Naufragi & nautæ vt habendi in statu Ecclesiæ. Epitom.91.
1566	*Circa pastoralis.*	Perpetua clausura Monialibus seruanda. Epitome 92.
1566	*Sanctissimus.*	Qui gradus exprimendus in matrimonialibus dispensationibus. Epit.94.
1566	*Regularium.*	Fœminæ virorũ monasteria nõ ingrediãtur. Epit.95.
1566	*Prouidentia.*	Sacerdotes Græci & Latini celebrent tantum iuxta suæ Ecclesiæ ritum. Theor.199.
1567	*In conferendis.*	Quomodo conferendæ Ecclesiæ Parochiales. Epitome 96.
1567	*Admonet nos.*	Ecclesiæ feuda deuoluta incorporentur Cameræ Apost. Epit.97.
1567	*Romani Pont.*	Cui debeantur ornamenta & paramenta Capellarum Prælatorum. Epit.98.
1567	*De salute.*	Ferarum agitationes prohibentur. Epit.99.
1567	*Sanctissimus.*	Reseruantur dispositioni Papæ beneficia vacantia vacante sede Episcopali. Epit.100.
1568	*Ad Romanũ.*	Impedimentum publicæ honestatis ex matr. rato extenditur vsque ad quartum gradum. Theor.233.
1568	*Quanta.*	Quæ resignationes beneficiorum sint admittendæ. Epit.101.
1568	*Cupientes.*	Præcipitur Parochorum residentia. Epit.102.
1568	*Cum de litteris.*	Habentes etiam legitimè Scripturas iurium Cameræ Apostolicæ reuelare tenentur. Theor.175.
1568	*Horrendum.*	Scelus Sodomiæ Ecclesiasticorum seuerè puniendum. Epit.103.
1568	*Cum onus.*	Forma contrahendi census. Epit.104.
1569	*Decori.*	Casus in quibus licet monialibus exire è monasterio. Epit.93.
1569	*Si de protegendis.*	Pœnæ offendentium, & offendere tentantium Inquisitores. Epit.106.

1569	*Ex debito.*	Cambia etiam cum recurſa licent. Epit. 107.
1569	*In omnibus.*	Officiales Pœnitentiariæ nihil etiam ſponte oblatum recipiant. Epit. 108.
1569	*Infelicis ſæculi.*	Pœnæ perſequentium Cardinales. Epit. 109.
1570	*Etſi*	Explicantur dubia circa cenſus. Epit. 105.
1570	*Durum.*	In prouiſionibus beneficiorum nihil accipiendum. Epit. 110.
1570	*Super ſpecula.*	Non diſputandum in popularibus concionibus de Conceptione B. Virginis. Epit. 111.
1571	*Quæ ordini.*	Eccleſiaſtici de quibus poſſint licitè teſtari. Epit. 112.
1571	*Ad Romanũ.*	De Cleticorum teſtamentis. Epit. 113.
1571	*In eam.*	Cambia ſicca illicita. Epit. 114.
1571	*Romani.*	Regulares ſeculatium Confeſſiones audituri ab Ordinariis approbentur. Epit. 115.
1571	*Ex proximo.*	Diuinum officium Eccleſiaſticis recitandũ. Epit. 116.
1571	*Expoſcit.*	Exemptorum Eccleſiæ viſitandæ ab Ordinariis, vt Sedis Apoſtolicæ delegatis. Epit. 117.
1571	*Licet omnibus.*	Chriſtiani Turcis ſubditi non ſunt à Chriſtianis violandi vel captiuandi. Epit. 120.
1571	*Etſi Rom.*	Pœnæ ambientium dignitates cum iuriſdictione. Epit. 118.
1572	*Cum nuper.*	De iiſdem. Epit. 119.
1572	*Romani.*	Libelli famoſi & Epiſtolæ vt vocant, d'auiſi, alienæ famæ læſionem continentes in ſtatu Eccleſiaſtico proſcribuntur. Epit. 121.

GREGORII XIII.

1572	*Omni certè.*	Agnos Dei non eſſe miniandos. Epit. 122.
1572	*Ea eſt.*	Contra Commentarios quos vocant d'auiſi. Theor. 326. in fine.
1572	*Illius qui.*	Conceduntur Indulgentiæ docentibus Doctrinam Chriſtianam. Epit. 123.
1574	*Officij noſtri.*	Contra fictos Sacerdotes celebrantes & confeſſiones audientes. Theor. 403.
1574	*Ad perpetuã.*	Approbat cenſum Nicolai V. pro regno Siciliæ non obſtante Conſtitut. Pij V. cum onus. Theor. 105.
1574	*Ab ipſo.*	Nihil promittendum aut dandum pro obtinenda iuſtitia aut gratia à Sede Apoſtolica. Epit. 125.
1575	*Vbi gratiæ.*	Feminæ non ingrediantur monaſteria virorum. Epit. 126.
1576	*Sanctiſſimus.*	Augentur Indulgentiæ docentibus Doctrinã Chriſtianam. Epit. 124.
1576	*Quæ.*	Quando intelligenda concordata Eccleſiæ Rom. cum Germanis circa beneficiorum collationes. Theor. 166.
1577	*Officij noſtri.*	Regulares extra clauſtrum degentes teſtari ne poſſint. Epit. 128.

1577	*Volentes.*	Non extrahenda annona è ſtatu Eccleſiaſt. Epit. 129.
1578	*Inter.*	Vetat Barones extrahere è ſtatu Eccleſiaſtico annonam abſque ſubſcripta licentia Papæ. Theor. 342.
1580	*In Eccleſiis.*	Collationes beneficiorum perſonis prohibitis ob hæreſim, &c. ſunt nullæ. Epit. 130.
1581	*Dubiis.*	Facultas ingrediendi monaſteria Monialiũ non niſi in neceſſariis vſurpanda. Epit. 127.
1581	*Aliàs.*	Chriſtiani infirmi nõ curandi ab infidelib. Epit. 131.
1581	*Antiqua.*	Iudæi errantes circa teſtamentum vetus puniendi. Epit. 132.
1582	*Ad tollendũ.*	Prohibetur fieri aut ſpectari duellum etiam priuatum. Epit. 155.
1582	*Inter.*	Aboletur vetus Kalendarium & publicatur nouum. Epit. 133.
1583	*Expoſcit.*	Abbatiſſæ officium in Italia triennale. Epit. 134.
1584	*Humano.*	Beneficiorum reſignationes & ceſſiones iurium quomodo faciendæ. Epit. 135.
1584	*Sancta mater.*	Iudæi interſint ſtatis diebus lectioni ſacræ habendæ. Epit. 136.
1584	*Inter Apoſtolicas.*	Illicita iurantes & iurare facientes puniuntur. Epit. 137.

SIXTI V.

1585	*Hoc noſtri.*	Proſcriptorum & fautorum pœnæ. Epit. 138.
1585	*Romanus.*	Apoſtolorum limina à Prælatis certis temporibus viſitanda. Epit. 139.
1585	*Cœli & terræ.*	Damnatur Aſtrologia iudiciaria. Epit. 140.
1586	*Cameræ.*	Non ſoluentes annatas incidũt in Cẽſuras. Epit. 141.
1586	*Pro ea.*	Superiores Capucinorum recipientes fratres de obſeruantia; & hi recepti abſque licentia Papæ excommunicãtur, priuantur dignitate, ſunt inhabiles ad quoſcunque actus legitimos, & receptio eſt nulla. Theor. 80.
1586	*Deteſtabilis.*	Societates ſaluo capitali illicitæ. Epit. 142.
1587	*Cũ frequenter.*	Matrimonium ſpadonum nullum. Epit. 143.
1587	*Cum de omnibus.*	Qui & quomodo recipiendi Nouitij in religione. Epit. 144.
1588	*Ad Romanũ.*	Declarantur difficultates de eadem Nouitiorum receptione. Epit. 145.
1588	*Effranatam.*	Scelus procurantium abortum vindicatur. Epit. 146.
1588	*Sanctum.*	Malè promotorum & promouentium ad Ordines pœnæ. Epit. 147.
1589	*Cũ ſacroſanct.*	Tonſura & habitus Eccleſiaſt. deferendus. Epit. 148.
1589	*Paſtoralis.*	Declaratoria eiuſdem. Epit. 149.
1590	*die 7. Maij.*	Decretum Congregationis Illuſtriſſimorum iuſſu Sixti V. ne Regulares accedant ad Monaſteria monialiũ, ibidemq; ne comedant, &c. Theor. 339.

1591 *Circunſpecta.* Moderatur receptionis Nouitiorũ modũ. Epit.150.

1591 *Cogit nos.* Sponſiones ſuper vita, & electione Papæ, & Cardinalium illicitæ. Epit.151.

1591 *Cum aliâs.* Qui rei, & quomodo extrahi poſſint è ſacris locis. Epit.152.

1591 *Sedes.* Moderatio pœnarũ abortum procurantiũ.Epit.153.

CLEMENTIS VIII.

1592 *Quæ ad.* Moderatur Cenſus Ciuitatum ſtatus Eccleſiaſtici. Epit.154.

1592 *Illius vices.* Duella, prouocationes, & chartulæ prohibitæ.Epit. 155.

1592 *Inter cætera.* Præcedentia inter regulares. Epit.156.

1593 *Cum Hebræorum.* Thalmudi, & Cabaliſtici libri proſcribuntur. Epit. 157.

1594 *Religioſæ.* Religioſis interdicuntur munera. Epit.158.

1595 *Æqua.* Sæculares Iudices in crimine Aſſaſſinij, vt ſe gerere debent, cum equitibus Ieroſymitanis. Epit.159.

1596 *Suſcepti.* Clauſtrales ſcandaloſi à quibus puniendi. Epit.160.

1596 *Romanum.* Moderatio Conſtitutionis 91. Sixti V. de malè promouentibus & promotis. Theor.378. 379.380.

1596 *Cum ſicut.* Itali vt ſe gerant in terris Hæreticorum. Epit.161.

1601 *Etſi aliâs.* Non presbyteri celebrantes, confeſſionéſve audientes puniendi vt relapſi. Epit.162.

1601 *Benche.* In Italia banniti & ſimiles, itemque decoctores non ſunt in locis Eccleſiaſticis retinendi. Theor.357.

1601 *die 9. Ianuar.* Editum eſt à Congregatione Illuſtriſſimorum iuſſu Clementis VIII. decretum, quo prohibiti ſunt Sacerdotes ſæculares & Regulares cuiuſcunque Ordinis, prætextu priuilegiorum hactenus conceſſorum in Italia, extra Vrbem, abſoluere à caſibus claris, aut dubiis, bullæ cœnæ, aut Sedi Apoſtol. quomodolibet reſeruatis, vel Ordinariis, nullo caſu etiam neceſſitatis aut impedimenti extra mortis articulum, ſub pœna ipſo facto excommunicationis, ptiuationis dignitatum, officiorum, beneficiorum & inhabilitatis ad illa, & confeſſiones audiendas Papæ reſeruatarum, abſque alia declaratione. Et abſolutio eſt nulla. Monet Ordinarios, vt ſolum paucos & graues caſus reſeruent.Theor.410. ſed alio decreto quod incipit, *edictum fuit.*

1602 *die 29. Nouembris.* Ita in poſterum temperatum eſt, vt prohibitio abſoluendi hos tantum caſus comprehendat.Primò, Caſus bullæ cœnæ. Secundò, violatio Eccleſiaſticæ immunitatis iuxta bullam. *Cum aliâs.* Greg.

XIV. Tertiò, violatio clauſuræ monialium ad malum finem. Quartò, prouocantium & pugnantium in duello iuxta Concil. Tridentinum & bullam, *ad tollendum.* Greg. XIII. Quintò, iniicientium violentas manus in clericum iuxta c. *ſi quis ſuadente.* 17. quæſt. 4. & iuris diſpoſitionem. Sextò, Simoniæ realis ſcienter contractæ, atque Confidentiæ beneficialis. Septimò, caſus Ordinariorum. In cætetis caſibus in hac declaratione, non expreſſis, qui ante decretum habebant priuilegia abſoluendi concedit, vt nunc etiam vti poſſint, ſublata etiam pœna inhabilitatis audiendarum confeſſionum. habetur in nouo Bullario to. 3. p. 135. Theor. 392.

1602 *Sanctiſſimus.* Non licet per litteras, aut internuncium ſacramentaliter confiteri. Epit. 163.

PAVLVS V.

1605 *Sanctiſſimus.* Numerus religioſorum definiendus in ſingulis locis. Epit. 164.

1609 *Accepimus.* Regulares ad Indos deſtinati rectà proficiſcantur. Epit. 165.

1610 *Paſtoralis.* Proceſſus Bullæ Cœnæ. Epit. 166.

1616 *Regis Pacifici.* Pœnæ diſputantium in publicis concionibus de Conceptione Beatiſſimæ V. Mariæ. Theor. 299.

1617 *Sanctiſſimus.* Eiuſdem decretum die 31. Auguſti de eadem Conceptione. Theor. 300.

GREGORII XV.

1622 die 21. Iun. *Sanctiſſimus.* Decretum quo prohibetur non tantum publica, ſed etiam priuata aſſertio voce & ſcripto partis affirmatiuæ B. Virginem conceptam fuiſſe in peccato originali, Feſtumque die illo ſtatuitur celebrandum, non alio nomine, quàm Conceptionis prædictæ B. Virginis. Theor. 300.

1622 die 30. Aug. *Vniuerſi.* Contra Confeſſores quaſcunque perſonas in confeſſione ſeu occaſione & prætextu confeſſionis, in confeſſionario, ſeu loco ad audiendam confeſſionem electo, &c. ad luxuriam ſollicitantes. Theor. 197.

IN

IN SELECTAS SVMMORVM

PONTIFICVM CONSTITVTIONES

Epitome, & Theoremata.

Auctore P. Io. BAPTISTA SCORTIA
Genuenſi, Societatis IESV.

PROPOSITVM AVCTORIS.

PERSIMILES omnino leges mihi eſſe videntur Pharis ad nauium curſum nocturno ac nubilo cœlo dirigendũ, in maris littore conſtitutis. Vt enim hi longè latéque ſplendore diffuſo errabundis nautis oſtendunt, quò ſe ſe ex alto ventis procelliſque agitato in tutam nauibus ſtationem, recipiant; ita illæ ex l. 1. & 2. ff. de leg. & l. 9. & 10. Cod. de leg. & Conſt. hominum vitam dirigunt, & præmio pœnaque propoſita, quomodo ſit vnicuique inſtituenda vita, quomodo cum cæteris ciuibus agendum, & ad quem finem actiones omnes dirigendæ, vt benè beatéque in ciuitate viuatur, ſuo quaſi ductu, nempè ex Modeſtini ſententia, l. legis virtus. ff. de leg. imperando, vetando, permittendo, puniendo probè demonſtrant. Id enim vnum ſpectant Ciuiles leges, vt Plato in Minoë libríſque de leg. & de repub. Ariſtoteles lib. 1. & 5. c. vlt. & M. Tullius lib. 1. de leg. teſtantur, vt ciues efficiant bonos, certóque ordine ac commodis medijs ad finem optimum (ciuilem tamẽ) perducant. Vnde meritò ſenſit S. Thom. 1. 2. quæſt. 90. nihil aliud legem eſſe, quàm rationis quandam ordinationem ad cõmune bonũ, ab eo, qui communitatis curam habet, promulgatam. Quæ ſi rectè de ciuilibus legibus diſputantur, veriſſima etiã erunt in Eccleſiaſticis, à ſummis Pontificibus ad communem fidelium vtilitatem perſcriptis. quippè quæ non tantum ad ciuile & temporale bonum, verum etiam ſpirituale ac ſempiternum conſequendum, tanquam certiſſimæ rectiſſimæque regulæ nos informẽt. Sed cum plures ex ijs extra Cano-

nici Iuris textus incognitæ habeãtur, etiam ijs, qui sunt à fidelium confessionibus, non sine magno animarum periculo, in Pontificijs Cõstitutionibus ac Motibus proprijs, operæpretiũ fum arbitratus, si iuxta seriem temporis, quo sancitæ & promulgatæ sunt à singulis, vtilissimas, ac penè semper grauibus pœnis ac censuris communitas, in Epitomen seligerem, eisque, vbi sese daret occasio, hisce meis Theorematibus, lucem aliquam afferrem. Eas verò tantum selegi (dimissis cæteris, quæ vel abierunt in dissuetudinem, vel per alias reuocatæ sunt, vel ad solum temporale regimen ſtatus Ecclesiastici pertinent) quæ ad confessariorum cognitionẽ visæ sunt pertinere, duabus omissis, septima scilicet Leonis X. quæ incipit, *Superne*. & octogesima nona Gregorij XIII. quæ incipit. *Ascendente*. quod in eos sit excõmunicatio lata, qui in prædictas scholia seu declarationes scribunt. Quod si plures eadẽ de re editæ inuenientur, potiorem vnam, aut alteram, deligam, ex quarum cognitione possint intelligi cæteræ, quæ opportuno quoque loco allegabuntur.

D. LEONIS I.

Constitutionis primæ editæ anno 447. quæ incipit. Occasio.

EPITOME 1.

De non alienandis rebus Ecclesiç. Ordinis & Communionis priuatio.

SINE *exceptione decernimus* (inquit D. Leo. §. 2.) *ne quis Episcopus de Ecclesiæ suæ rebus audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere, nisi fortè aliquid horum faciat vt meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum.* & §. 3. *Nam Presbyteri, vel Diaconi, vel cuiuscunque ordinis clerici, qui conniuentia in Ecclesiæ damna miscuerint, sciant se & ordine, & communione priuandos.*

THEOREMA 1.

AGitur in hac D. Leonis I. Cõstitutione, de non alienãdis ecclesiasticis rebus. qua de re sæpius, & in Iure Ciuili, vt Auth. 7. de non alien. aut permutand. rebus Eccl. Auth. 46. de Ecclesiasticarum rerum immob. alien. Auth. 120. de alien. & emphyt. & in Iure Canonico, tit. 10. quæst. 2. 12. q. 2. 17. quæst. 4. In decretal. l. 3. tit. 13. l. 6. tit. 9. Clem. 1. tit. eodem in extrauag. Ambitiosæ. In Concil. Trident. sess. 25. cap. 11. de refor. Quæ verò in præsenti constitutione D. Leonis habentur, referũtur etiam 12. quæstione 2. cap. sine exceptione. & tit. de ijs quæ fiunt à Prælatis. cap. cum Apostolica, & cap. tua nuper. Porro alienationis nomen in hac materia non solet accipi presse, scilicet vt solum significat omnem actum per quem transfertur directum rei dominium, sicut sumitur l. 1. Cod. de fund. dot. & l. 1. Cod. de iure emphyt. Sed latissimè (licet hic D. Leo posuerit tantum, commutare, vendere) ita vt sit etiam prohibitum, cap. nulli liceat. de reb. eccl. alien. & extrauag. Ambitiosæ. in eisdem Ecclesiæ rebus constitui vsumfructum, imponi seruitutem, dari pignori, subiici hypothecæ, in emphyteusim,

ſim, concedi, infeudari, locari ad longum tempus, & alia, quæ ſpectant ad dominium vtile. vnde dixit Baldus l.fin. Cod. de reb.alien. non alien. prohibita alienatione, ſimpliciter, videri prohibitũ omnem actum per quem alteri quæritur ius aliquod in re. Eodémque modo ſumitur l. ſancimus. Cod.de rebus alien. non alien. & Auth. 7. de non alien. aut perm. rebus eccl. cap.1. Sic etiam accepit Gloſſa, & Panorm. cap. nulli. & Innocentius cap. epiſcopi.de reb. eccl.non alien. Sylu.V. alienatio.1. Rebuffus in comp. de alien. rerum eccl. num.3. & 6. Redoanus eodem tit. quæſt.2. cap.24. Couarr.lib.2.var. reſol. cap. 16. Molina de contr. d. 468. Iulius Clarus §. emphyteu. quæſt. 6. Nau. com. de alien. rerum eccl. num. 1. & 2. Rodericus in qq. regul. quæſt. 27. Vazquez opuſc. de redditibus cap.2. dub.8. & ſeq. Quaranta V. alienatio. & Azor p.2.l.9. cap.1.

THEOREMA 2.

AD legitimã rerum Eccl.alienationem duo neceſſariò requiruntur, quæ etiam in hac conſtitutione.§.2. & de reb.Eccleſ.non alien.lib.6. & Clemẽtina 1.eodem tit.tanguntur,& explicãtur à Gloſſa.12. quæſt.2. initio. Panor. cap. nulli. & cap. ad noſtram de rebus Eccleſ. non alien. Nau. loco cit. n.5. & com. de ſpoliis cler. §.2. & 6.Sylu.V.alienatio, Azor. loco cit. & cæteris iuris canonici interpretibus.nempe cauſa iuſta, & ſolẽnitas legitima. Cauſæ iuſtæ ad quas omnes reuocari poſſunt, numerãtur quatuor, ex Gloſſa, Panor.Syl. Nau. Azor. locis cit. Rebuffo vbi ſuprà num.9.Redoano.q.19.& 20. Couar.cap.16.& 17.Molina d.465.

Prima eſt Neceſſitas, vt ſi vrgeant debita, nec aliunde ſit ſoluendo. 10.quæſt.2.§. hoc ius, & Clem.1. de reb. Eccleſ.non alien. Secunda Pietas, vt redemptio captiuorum, victus pauperum, fidelium ſepultura.cap.ſanctorum.cap.ſicut. cap. Apoſtolicos. cap. aurum.12. qu.2. Tertia Eccleſiæ vtilitas, & neceſſitas,vt notat Gloſſa in Clem.citata.Quid autẽ requiratur,vt alienatio dici poſſit facta in Eccleſię vtilitatem, explicat Menochius in addit. ad lib.2. de arbitr.caſu 172. num.22.Emanuel Rodericus tit.1. qq. regul. quæſt. 27. artic.8. Rota Rom.deciſ.65.Cardinalis Clem.1. de reb. Eccleſ.non alien. Caldericus conſil.5. de rerum permut. Iaſon.vol.1.conſil.54.num.20.Azor. tom.2.lib.9.cap.2.quæſt.8. Quarta Incommoditas, vt ſi res eſſet incommoda Eccleſ. aut etiam damnoſa, vt ſi tantumdem in ea colenda expenderetur,quantum percipereturex fructibus:vel nimium diſtarer. cap. terrulas.12. quæſt.2. cap. vt ſuper. de reb. Eccleſ. non alienandis.Panor.cap.nulli.eodem tit. Quid ſi Prælatus putauit cauſam legitimam eſſe ſed non fuit? alienatio valet quòd ea Eccleſiæ voluntas præſumatur.Gloſſ.cap.ad noſtram.de reb. Eccleſ. non alien. Molina d. 468. Vaſquez de redd. cap.2.§.2.dub.10.num.39. Couar. loc.cit.cap.17.num.20.

1 2 3 4

Solemnitas autem legitima,ſeu Iuris formula in his alienationibus ſeruanda, non eſt quam præſcribit caput. ea enim. §. hoc Ius.10. quæſt.2. vt putauit Turrecrem. vt notat Felinus cap.2. de reſcript. num.39. & Nau. com. de alien. rer. Eccleſ. num.5. cum illa Authentica ſit Ius Cæſareum, &

non Canonicum, nec approbetur ab auctore Iuris Canonici, licet à Gratiano translata sit in suum Decretum; sed ex Panormitano citato.cap.nulli.& cap.1.& c. tua. de his, quæ fiût à Prælatis,est,quæ traditur hoc loco à D.Leone, §.2. & cap.fine exceptione.12.quæst.2. & cap.1. de reb. Eccles. non alien. lib.6. Glossa, Io. And. Dominico
1 & Franco. vt scilicet, Primò præcedat saltem vnus tractatus,id est, tractetur, & consultetur super iu-
2 stitia causæ alienationis. Secundò, vt adsit Prælati seu Superioris auctoritas, qui in non exemptis est proprius Episcopus; in exemptis autem is, cui proximè pleno iure subiicitur illa; vt Abbas in Ecclesiis ei subiectis,Prepositus Prouincialis in Ordinibus Mendicantium, ex Cardinali,cap.statuimus. de translat.Syl.V.alienatio.num.3.
3 Tertiò, vt interueniat consensus Capituli, seu Collegij, si clerici faciunt collegium cui vnus præsit. cap. ea enim.§. hoc Ius. cap. si quis Episcoporum.cap. alienationes. cap. Abbatibus. cap. fine exceptione.12.quæst.2.nisi res essent minimi momenti, in quibus ex cap. terrulas.12.quæst.2. conceditur Episcopo facultas alienandi sine consensu fratrum. qua de re Panormit. cap.vlr. de Eccles. ædif. num.9. Num autem consensus, si singillatim, & non in communi habeatur, valeat nec ne disputat Syl. V. alienatio. num.5. Vasquez
4 loc.cit. dub.22. num.42. Quartò, ex cap.1.& c.tua.de his quæ fiunt à Prælatis.subscriptio singulorum saltē manu Notarij.Hoc tamē non requiritur, nisi in casibus expressis in Iure,ex Panorm.loco cit.Syl. V.alienatio. num.3. & 4. Rebuffo num.9. & seq. & num.74. & seq. quia regulariter in qualibet dispositione sufficit consensus, nec requiritur scriptura, nisi vbi lex vel canon eam deposcit. l.pacto.Cod. de pactis.

Sed iam iure nouo extrauag. Pauli 2. quæ incipit. Ambitiosæ, stylo Curiæ, & Glossa, cap.vt super. de reb. Eccles. non alien. & cap.fin. de Eccles.ædif. & cap.2.de feud. Nauar. com. de alien. rerum Eccles. num.12. Franco. cap.1. de de reb. eccl. non alien.l.6. Rebuffo loco cit, num. 88. Menochio vbi supra, & Molina. d.468. prohibetur omnis alienatio etiam in casu alioquin licito, & seruatis prædictis solemnitatibus, inconsulto Romano Pontifice. Et Prælati in promotionibus suis,vt constat ex Pontificali,fol. 81. & 120. iurant, etiam cum capituli consensu,se bona suarum ecclesiarum non alienaturos,summo Pontifice inconsulto.

Sed hic grauis est dubitatio, num scilicet sicut Ecclesię res non possunt à Prælato alienari absque prædictis solemnitatibus, ita nec possit ab eodem absque ijsdem repudiari legatum, aut delata hæreditas? Et quidem Lambertinus lib. 3. de iurepatr. quæst.9. art.1.num. 21.concl.5.Mincacha lib.3.de successs. prærog. §.27.num.23. Angel. V. alienatio. n.16. Molina d.466. & alij,requirunt easdem solemnitates etiam in repudiatione, ob l. magis puto.§. si pupillus.V.fundum. ff. de rebus eorum. vbi dicitur: Fundū aut legatum repudiare pupillus sine prætoris autoritate non potest, esse enim & hanc alienationem, cum res sit pupilli, nemo dubitet. Oppositum verius esse sentit Bartolus l.iubemus nullum.num. 14. Cod. de sacrosanct.

ecc.

eccl. Corneus conſ. 11. num. 2. l. 3. Phanutius de lucro dotis, Gloſſ. 8. num. 17. 18. Io. Lupus rubr. de donat. §. 47. num. 5. Seraphinus de priuileg. iuram. priuil. 71. n. 32. Feder. conſil. 9. Abbas, cap. tua. num. 9. de his quæ fiunt à prælat. & c. 1. num. 22. de dol. & contum. Iaſon l. legatum ſeruo. num. 10. ff. de leg. 1. Diaz, regula 219. Nau. cap. ſi quando. except. 6. num. 2. de reſcript. Antonius Gomez. t. 2. var. cap. 14. num. 14. Gloſſ. cap. fin. 16. quæſt. 6. & cap. 2. verbo. non debet. de donat. Roſella, Alienatio. num. 9. Sylu. eodē q. 19. Tab. q. 10. Sanchez lib. 6. de matr. d. 4. n. 8. & ſeqq. quia huiuſmodi repudiatio non ſit alienatio, nec donatio, ſed non acquiſitio, vt expreſsè habetur l. qui autem. ff. de his, quæ in fraudem credit. & ob id vna reuocari non poteſt, altera verò poteſt, & ius tales conditiones & ſolemnitates ſolum exigat in alienationibus; non ſunt igitur eædem requirendæ etiam in repudiatione. Et ad l. magis puto, reſpōdet Gomez loco citato ibi minori non ſolum prohiberi alienationem & dilapidationem bonorum, ſed etiam lucri omiſſionem, quaſi etiam bonorum alienatio, licet non ſit propriè alienatio. quod non fit in rebus non acquirendis Eccleſiæ, ob id talis Prælatus non incurret cenſuras impoſitas alienantibus. quamuis ſi abſque legitima cauſa repudiet, & non acquirat, poſſit peccare, & obligari ad reſtitutionem. Non requiri autem eaſdem conditiones & ſolemnitates in alienanda re patrimoniali, ad cuius titulum clericus ordinatus eſt, docet Panormitanus in cap. tuis quæſtionibus. num. 8. de præb. & Petrus Gregor. Syntagmatum lib. 24. cap. 9. quidquid alij ſenſerint. Attamen vt etiam dicetur Theor. 379. prohibetur à Concil. Tridentino ſeſſ. 21. cap. 2. ea alienari.

THEOREMA 3.

QVoad pœnas autem aliter alienantiū prædictas res Eccleſiaſticas, habemus in hac conſtitutione §. 3. eos eſſe ſuſpenſionis & excommunicationis pœna plectendos. Cui conſonat cap. quicumque. 17. quæſt. 4. vbi dicitur, vt alienator ſui honoris amiſſione mulctetur. & extra tit. de rebus eccleſ. non alienandis, cap. ſi quis presbyterorum, vt alienator anathemate feriatur, niſi alienator, & qui accepit, celeri reſtitutione ſibi proſpexerint. ſed in extrauag. Ambitioſæ, Pauli 2. id præſumentes incidunt ipſo facto in excommunicationem, & alias pœnas ab eo & prædeceſſoribus latas, & alienatio ipſa eſt nulla, cum ex l. non dubium. Cod. de leg. & conſtit. quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolum inutilia, ſed etiam pro infectis habeantur, licet legiſlator ſolum fieri prohibuerit. Videndus Nau. com. cit. num. 8. 9. 13. & ſeq. Azor tit. 2. l. 9. cap. 1. quæſt. 8. Petrus Gregor. ſyntagm. l. 24. cap. 8. Vazquez loco cit. dub. 14. Suarez l. 5. de leg. cap. 24. & tom. 5. d. 22. ſect. 6. Farinac. in deciſ. 205. 206. Rotæ. Sayrus l. 4. cap. 12. Quaranta, V. alienatio. n. 49. Séque pœnas prædictas velle, ſi contra fecerint, incurrere, confirmant in forma iuramenti fidelitatis Epiſcopi & Abbates, qui conſecrantur vigore litterarum Apoſtolicarū, de quibus in eadem Pauli 2. conſtitutione diſſeremus

infra epist. 42. Theorem. 115. & tribus seqq.

LEONIS IX.

Constitutionis editæ anno 1051. *incipientis.* Quia auctore.

EPITOME 2.

Non inuadenda defunctorum Episcoporum bona. Excommunicatio.

PONTIFEX aduersus Auximanos inuadentes defunctorum Episcoporum bona, sic. §. 3. statuit. *Deprimatur ergo ausus illicitus, & nefarius diabolicæ instigationis cohibeatur excessus; abstineat manus audax ab Ecclesiastico patrimonio, ne victus pauperũ pereat, ne quod ex oblatione fidelium iam Deo factum est sacrificium, præda raptorum fiat.* §. 4. *Si quis autẽ huius nostri decreti improbus temerator extiterit, ex parte Dei Omnipotentis, & auctoritate BB. Apostolor. Petri, & Pauli anathematizandum decernimus, & ac vera, vt putridum membrum, excommunicationis ferro à S. Ecclesiæ corpore detruncamus; sit igitur, nisi resipiscat, anathema.*

THEOREMA 4.

NEfarius excessus hic, & abusus sacrilegus non tantum in hac constitutione §. 3. damnatur, sed etiam 12. quæst. 2. cap. nulli. cap. de rebus. cap. de laicis. & cap. illud. extensa etiam censura ad inuadentes bona presbyterorum, & cæterorum clericorum. Appellantur autẽ in iure bona huiusmodi. Tum res Christi, & Ecclesiç patrimonium. cap. secundum Apostolum de præb. & dig. & cap. cum ex eo de elect. l. 6. Tum Christi pecunia 12. quæst. 2. cap. qui Christi. & cap. qui abstulerit. Tũ bona Dei, diuinique iuris, & non hominis alicuius, l. 1. ff. de rerum diuisione, eo quod peculiari iure in dominio Christi sponsi Ecclesiæ transierint, ex Maiore 4. sent. d. 24. quæst. 18. concl. 1. & 2. Nau. tract. de reddit. eccl. quæst. 1. monit. 15. 21. 22. 23. Azor. t. 2. l. 9. cap. 1. quæst. 4. Lessio l. 2. cap. 4. dub. 6. num. 47. 48. Glossa. cap. conuenior. 23. quæst. 8. Innoc. cap. cũ super eo. de cauſ. poſſ. & prop. Abbate. c. cũ esses. de testam. num. 29. Decio. cap. constitutus. de rescrip. num. 5. cum ob eius amorem, & animarum suarum salutem fideles Ecclesiæ ad diuinum cultum, & ad eius ministros, ac pauperes alendos, ea bona contulerint. Vnde, qui ea rapit, & furatur, sacrilegus efficitur. Ita enim scribit Pius I. epist. 2. & habetur cap. prædia. 12. quæst. 2. Prædia diuinis vsibus tradita, quidam humanis vsibus applicant, & Domino, cui tradita sunt, ea subtrahunt, vt sibi inseruiant. Quapropter ab omnibus illius vsurpationis contumelia depellenda est, ne prædia vsibus secretorum cælestium dicata à quibusdam irruentibus vexentur. quod si quisquã præsumpserit, vt sacrilegus habeatur. Videatur & Conc. Aquisgran. cap. 116. & epistola Nicolai Papæ scripta anno 866. ad Aquitanos, & incipit: *Dilectis omnibus nobilibus.* vbi petit vt propriæ saluti prouidentes solerter à tanta crudelitate cessent, &

& quæ violenter aut quoquo modo ſine lege tulerũt, reddẽtes, tantum ſcelus corrigere curent. & cõtumaces priuat perceptione corporis & ſanguine Chriſti. Potrò effectu paria ſunt dicere, illa eſſe Dei, vel Ieſu Chriſti, vel Eccleſiæ, vt notauit etiam Caietan. 2. 2. quæſt. 43. art. 8. & Nau. tr. de redd. eccleſ. quæſt. 1. monit. 21. quippe cum ſint Eccleſiæ donata, vt diuinis vſibus, iuxta Chriſtianam religionem & fidem, inſeruirent. Tum virtus pauperũ, ex præſenti conſtitut. §. 3. eo quòd ex his, quæ ſunt ſuperflua eccleſiaſticis, ſint alendi pauperes. cum vel
4
Act. 1. & 2. ipſis ſæcularibus perſcriptum ſit, *quod ſupereſt, date pauperibus.* & quæ deferebantur ad pedes Apoſtolorum, non tantum Eccleſiæ miniſtris, ſed etiam egentibus fidelibus ſeruirent. Quare S. Clemens l. 2. conſtit. cap. 29. ſcribit. Quæ ex decimis & primitiis ſecundum mandatum Dei dantur, rectè diſpenſet (Epiſcopus) orphanis, viduis, afflictis & peregrinis egentibus, vt qui habet Deum harum rerum rationem repoſcentem. Et iterum. Omnibus egentibus cũ iuſtitia diſtribuentes, ipſique his vtentes, ſed non abſumentes, comedentes de his, ſed non ſoli vorantes, egeníſque impertientes. Et D. Auguſtinus epiſt. 50. ad Bonifacium. Nõ ſunt illa noſtra, ſed pauperũ, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vſurpatione damnabili vendicamus. Et S. Thomas 2. 2. quæſt. 87. artic. 3. In noua lege decimæ dantur Clericis nõ ſolum ad ſuam ſuſtentationem, ſed vt ex eis ſubueniant pauperibus, & ita non ſuperfluunt.

Hanc ob cauſam olim factum eſt, vt ex redditibus Eccleſiæ quatuor partes fierent, quarum prima Epiſcopo, altera clericis, tertia pauperibus, quarta Eccleſiæ fabricæ deſeruiret. ita enim D. Gregorius, vt refertur 12. quæſt. 2. cap. mos. reſpondit Auguſtino Anglorũ Epiſcopo: Mos eſt Apoſtolicæ ſedis ordinatis Epiſcopis præceptum tradere, vt de omni ſtipendio quod accedit, quatuor fieri debeant portiones, vna videlicet Epiſcopo & familiæ eius propter hoſpitalitatem & ſuſceptionem, alia clero, tertia verò pauperibus, quarta Eccleſiis reparandis. Videatur etiã ibidem c. conceſſo. cap. quatuor. cap. de redditibus.

THOREMA 5.

STatuitur autem pœna delinquentium, §. 4. excommunicatio latæ ſententiæ, vt etiam factum eſt ab Innocent. II. & Concil. Lateran. cap. 4. verbis illis: Illud quod in ſacro Calcedonenſi Concilio conſtitutum eſt, irrefragabiliter conſeruari præcipimus, vt videlicet decedentium Epiſcoporum bona à nullo omnino hominum diripiantur, ſed ad opus Eccleſiæ & ſucceſſoris ſui in libera Oeconomi & clericorum permaneat poteſtate. Ceſſat igitur de cætero illa deteſtabilis & ſæua rapacitas. Si quis autem amodo hæc attẽtare præſumpſerit, excommunicationi ſubiaceat. qui verò morientium presbyterorum bona rapuerint, ſimili ſententiæ ſubiaceãt. Ab Vrbano quoque in Concilio Aluerniæ in eorumdem Epiſcoporum, & aliorum clericorum morientium, bonorum inuaſores, vt habetur 12. quæſt. 2. cap. de laicis.
V. Theorema 16.

com

cõmune totius Cõcilij anathema prolatũ eſt ipſo ſummo Pontifice ſic præeũte: Si quis poſt interdicti præſentis cognitionem Epiſcoporum ſeu presbyterorum & aliorum clericorum res inuaſerit, vſque ad ſatisfactionem excommunicetur.

Cæterum dictum eſt hoc loco (*ex parte Dei omnipotentis, & auctoritate BB.* &c.) eo quod huiuſmodi cenſurãrum & coërcitiuæ iuriſdictionis poteſtas ſit ſupernaturalis, à Chriſto Domino, B. Petro Apoſtoliſque conceſſa iuxta illud Matt. cap. 16. & 18. *Quodcumque ligaueris*, vel ligaueritis, *ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Vnde merito Chryſoſtomus hom. 4. in cap. 2. ad Hebr. Nemo (inquit) contemnat Eccleſiaſtica vincula, non enim homo eſt, qui ligat, ſed Chriſtus, qui nobis hanc poteſtatem dedit, & dominos tanti honoris fecit homines. Nam cum Chriſtus Io. cap. 21. Eccleſiam Petro capiti ſummóque Paſtori regendam dedit, ſubiecit: Paſce oues meas, quod non ſolum tradendi ſubiectis ouibus pabuli doctrinæ poteſtatem ſignificat, ſed oues quoque regendi & ſi fuerit neceſſe coërcendi ius demonſtrat. Vnde D. Paulus eadem de re agens 1. Cor. 4. Quid (inquit) vultis in virgaveniã ad vos, an in charitate & ſpiritu mãſuetudinis? & 2. ad Cor. 10. Nam & ſi amplius gloriatus fuero in poteſtate noſtra, quã dedit nobis Dominus in ædificationem & non in deſtructionem veſtram, *&c.* & cap. 13. Ideo abſens ſcribo, vt non præſens durius ãgã ſecundum poteſtatem quam Dominus dedit mihi. A D. autem Petro manauit ad alios Prælatos, vt docent ſcholaſtici 4. ſent. d. 18. cum non fuerit in D. Petro extinguenda. Omnis namque reſpublica bene inſtituta indiget poteſtate iuriſdictionis tam directiua quàm coërcitiua, vt regi conuenienter poſſit. nam l. vltima ff. de eo cui mand. eſt iuriſd. iuriſdictio ſine modica coërcitione nulla eſt. & Innoc. III. cap. paſtoralis. de off. deleg. Iuriſdictio (inquit) nullius momenti eſſe videretur, ſi coërcitionem aliquam nõ haberet. quod etiam repetitur ſeq. capite. Additáque eſt auctoritas D. Pauli, quod D. Petri exteriterit cooperator, & tandem Rom. Pontificis iuriſdictio, tamquam immediata cauſa, à qua excommunicationis ſententia procedit.

Vritur autem hoc loco Pontifex ſimilitudine membri à reliquo corpore reſecti, vt facit etiam D. Auguſtinus tract. 27. in Io. affirmans nihil adeo Chriſtianum debere reformidare, quàm ſeparari à corpore Chriſti, quia ſi ſeparatur à corpore Chriſti, nõ eſt membrum eius; ſi non eſt membrum eius, non vegetatur ſpiritu eius; quiſquis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic nõ eſt eius. & epiſt. 50. ad Bonifacium. Quemadmodum membrum ſi præcidatur ab hominis viui corpore, non poteſt tenere ſpiritum vitæ: ſic homo ſi præcidatur de Chriſti iuſti corpore, nullo modo poteſt tenere ſpiritum iuſtitiæ, etiã ſi figurã membri teneat, quam ſumpſit in corpore. D. Ambroſius dum in Pſalm. 118. ſcribit. Rectè, ait, ſacerdos vulnus ne latius ſerpat, à toto Eccleſiæ corpore, quaſi bonus medicus debet abſcindere: quod etiam repetit l. 2. de off. cap. 27. & denique D. Proſper l. 2. de vita contemp. cap. 7. Qui (inquit) diu portati,

tati, & salubriter obiurgati corrigi noluerint, tamquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abscindi, ne sicut caro morbis emortua, si abscissa non fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit; ita isti, qui emendari despiciunt, & in suo morbo persistũt, si moribus deprauatis in Sanctorum societate permanserint, eos exemplo suæ perditionis inficiunt. Videri etiam potest hac de re S. Cyprian. l. 1. epist. 11. & S. Hieronym. relatus 24. q. 3. c. resecandę. Aduertit autem Tertull. in Apol. c. 39 hanc diuinam censuram, cum quis ita deliquerit, vt à cõmunione orationis & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur, esse summũ futuri iudicij præiudiciũ.

Pontifex tandem adiecit, *Et nisi resipiscat, Anathema.* requiritur enim ad huiusmodi cẽsuram, contumacia ex communi sententia, Soti 4. d. 22. q. 1. art. 2. Henriquez l. 13. c. 17. Sayr. l. 1. c. 9. n. 25. Vgolin. tab. 1. cap. 9. §. 5. Suarez d. 4. sect. 5. num. 6. & cæterorum, cum sit ferenda in rebelles, qui Ecclesię parere nolunt, iuxta illud Christi Domini, Matth. c. 18. Si Ecclesiam non audierit, &c. & non in alios. Quare S. Clemens l. 2. Const. c. 41. Ne igitur (inquit) facilis sis & præproperus ad secandum, neque celeriter ad ferram dentatam prosilias, quin potius vtere prius scalpello ad curandum apostema, vt causa morbi, quæ intus resident edũcta, corpus seruetur à dolore incolume. Vbi verò quẽ à pœnitẽtia alienum videris, & obdurusse, hunc tu cum rore, vt insanabilẽ eiice ex Ecclesia. Videatur hac etiã de re Concil. Trid. sess. 25. cap. 3.

Scortia.

HONORII II.

Constitutionis edita anno 1130. *incipientis.* Chariſſimus.

EPITOME 3.

PONTIFEX primùm obseruari iubet, quæ ad Dei honorem & salutem populi fuerant in Nannatensi Concilio constituta, de incestis nuptiis, de spuriis sacerdotum filiis, & quasi hæreditaria successione in beneficiis Ecclesiasticis. Deinde §. 1. damnat duas impias consuetudines illis verbis. Quarum vna fuit, quod mortuis maritis, vel vxoribus decedentibus, bona eorum mobilia à Potestate sæculari diripiebãtur. Altera, qua illis qui naufragium euaserant, etiam quę in portu postmodum inuenta erant, auferebantur. *Damnamus, & ne quis ea futuris temporibus renouare præsumat, auctoritate Apostolica interdicimus.* Et §. 2. *Piorum namque Imperatorum manauit auctoritas, vt etiam earum rerum, quæ in potestate maris leuandæ nauis causa ejiciuntur, non amittatur dominium. Non enim aliquis eo animo abjicit, quod habere nolit, sed quo periculum effugere possit; & qui res ipsas lucrandi animo abstulerit, furtum committit.*

Prohibẽtur magistratus defunctorum coniugũ, & naufragantiũ bona diripere.

THOREMA 6.

MEritò dānat Honorius quosdam Gallicos magistratus, quod barbarè,& per summum scelus à superstite coniuge & filiis defuncti cōparis & parentibus bona mobilia raperent, quibus compatiendum fuerat, & pia solicitudo impendenda, non autem addenda afflictio afflictis, vt rectè monet Lex.diuus,ff.de offic.præsid. Gregorius lib.2.regist.epist.5. Glossa in cap. excommunicationi, de raptor. Paludanus 4.d.18.q.3.art.4. Tabiena excomm.5. casu 25. n. 4. Caietanus excomm.cap.23.in fin. & Nau. c.27. n.118. Vazquez c.5. de restit.§.4.Molin.d.55.Paritérq; naufragium passis æquali sæuitia, & crudelitate adimerent bona in mari,immò & portibus adinuenta. Quod etiam scelus fuit deinde in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. cap.24.& habetur tit. de raptor. c.excommunicationi.vindicandum,nisi redderentur ablata, excommunicatione latæ sententiæ.Sic enim,inquit,illi etiam,qui Christianos naufragium patiētes, quibus secundū regulam fidei,auxilio esse renentur, damnata cupiditate spoliant rebus suis, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se nouerint subiacere.

Matt.22.

Quæ sanè excommunicatio in duobus diuersa est ab ea,quæ postea lata fuit in bulla Cœnæ §. 4. vt obseruant etiam Suarez tom. 5. d.21.sect.2.num.26. & seq.& Sayrus l.3. c.8. n.6. nempe quod hæc non reseruetur, contra quam fiat in bulla Cœnæ,& quod sola iniusta acceptio non sufficit ad hanc excommunicationem incurrendā, vt sufficit ad contrahendam illam bullæ Cœnæ,sed requiratur etiam mora restitutionis,vnde solum incurritur cum primum accipiens scienș & volens omittit opportunitatem restitutionis faciendæ,rei acceptę.Damnat hoc idem Ius Ciuile,l.1.ff.de incend.ruin.& naufr. Vbi Prætor ait. In eum, qui ex incendio,ruina,naufragio,rate,naue expugnata quid rapuisse, recepisse dolo malo,damnive quid in his rebus dedisse dicetur: in quadruplū in anno, quo primum de ea re experiundi potestas fuerit: post annum in simplum iudicium dabo. Et l.4.§.1. rescripsit Antoninus Imperator. Contra bonorum inuasores naufragantiū, liberos quidem fustibus cæsos in triennium relegabis,aut si sordidiores erunt, in opus publicum eiusdem temporis,dabis; seruos flagellis cæsos in metallum damnabis. Si nō magnæ pecuniæ res fuerint, liberos fustibus, seruos flagellis cæsos dimittere poteris. Et Caius lib.5. si quis ex naufragio vel ex incendio ruináve seruatam rem,& alio loco positam subtraxerit aut rapuerit, furti scilicet,aut aliàs vi bonorum raptorum iudicio tenetur. Et l.1. C. de naufr. lib.11. sic decernitur. Si quando naufragio nauis expulsa fuerit ad littus, vel si quando terram attigerit ad dominos pertineat,Fiscus meus nō sese interponat. Quod enim ius habet Fiscus in aliena calamitate, vt de re tam luctuosa compendium sectetur? Videatur etiam l.in eum, & l. nauigia, Cod.de furtis,& Constitutio Federici II. Imper.§.9.post libros feudorum,vbi (sicut in bulla Cœnæ §.4.)abrogatur omnis contraria consuetudo, & delinquentes puniuntur publicatione bonorum.

Theor. 21. 167. 226.413.

rum. Sed hac de re erit iterum sermo in Honorij III. Constitutione, quæ incipit, *Has leges.* & Pauli III. Constitutione 42. quæ incipit, *Accepimus.* & in bullæ Cœnę Pauli V.

THEOREMA 7.

SOluit autem §. 2. tacitam obiectionem seu excusationem delinquentium, quòd in naufragio proiiciens merces eas habeat pro derelictis, ideoque nullius hominis sint, & consequenter iure naturali concedantur occupantibus. Docet enim Pontifex id falsum esse, & ratione ipsa, cum iactantes merces in mare leuandæ nauis causa id non faciant, quasi eas nolint habere in rebus suis, eo enim casu accipere non esset malum, Instit. de rerum diuisione, §. fin. sed vt possint effugere periculum; cum sit minus malum res quàm vitam rerum omnium charissimā amittere. Quare id non est simpliciter volitum, sed solum secundū quid. Et Imperatorum decretis, statuentium eo iactu rerum dominium non amitti. l. 2. ff. ad leg. Rodiam. de iactu, §. 8. vbi dicitur: Res autem iacta domini manet, nec fit apprehendentis, quia pro derelicto non habetur. & l. 8. qui leuandæ nauis gratia res aliquas proiiciunt, non hanc mentem habent, vt eas pro derelicto habeant, quippe si inuenerint, eas ablaturos, & si suspicati fuerint, in quē locum eiectæ sunt, requisituros, vt proinde sint, ac si quis onere pressus in viā rem abiecerit, mox cum aliis reuersurus, vt eamdem auferret. Et l. ne quid, ff. de incendio. Hadrianus edicto præcepit, vt hi qui iuxta littora maris possident, scirent, si quando nauis vel inficta, vel fracta intra fines agri cuiuscumque fuerit, ne naufragia diripiant, in ipsos iudicia Præsides his, qui res suas direptas querūtur, reddituros, vt quicquid probauerint ademptum sibi naufragio, id à possessoribus recipiant. De his autē quod diripuisse probatum sit, Præsidem, vt de latronibus grauem sententiam dicere. & l. vlt. ibid. licere cuique naufragium suum impune colligere, constat. Qui igitur huiusmodi res accipit, furtum committit, l. 1. ff. de furtis, cum eas inuito domino capiat. Neque excusantur Principes ipsi eas accipientes, nisi intentionem habeant, eas veris dominis conseruādi, quandocumque comparuerint. Quibus non comparentibus in pios vsus, vel portus defensionem, consilio Episcopi distribuent, ex Paludano l. 4. sentent. d. 18. q. 3. art. 4. Tabiena V. excommun. 5. casu 25. Io. Azor. 3. p. l. 1. c. 13. Leſſio l. 2. c. 14. dub. 7.

INNOCENTII III.

Constitutionis 1. incipientis. His quæ.

EPITOME 4.

APPROBAT Innocentius quod G. S. Mariæ in porticu Cardinalis Legatus in Lombardia contra hæreticos statueret. Nempe, vt de cætero hæretici nullatenus admitterentur ad consilia, & dignitates; nec eis conferretur arbitrium eligendi alios; nec in eligendis perso-

Hæretici vocē non habēt in electionibus ad Dignitates actiuam vel passiuā. Excommunicatio & interdictū.

nis ad eas vocẽ aliquam obtinere deberẽt. Consules autem & Communitates cogerentur in posterum iurare, illos in posterum non admissuros ad prædicta. Contumaces verò excommunicentur, & Ciuitates supponantur interdicto.

THEOREMA 8.

HÆresis, à qua nomen sortitur Hæreticus, ex D. Thom. 2.2. q.11.art.1.& 2. Sanchez lib.2. decal.c.17. Turrecrem. lib.4. sum. p.2. cap.1. Castro lib.1. de iusta hæret. pun. cap.1. Couarr. lib.3. var. resol. cap.1. num.2. Anton. 2.p.tit.12.c.5. Valent. 2.2. d.1. q.11. p.1. Tolet. lib.4.c.3. Azor. p.1.l.8.c.9. Syl. V. hæresis, num.4. Sayro lib.3.cap.4. n.9.& cæteris, *Est error intellectus in homine baptizato cum voluntaria pertinacia contra aliquam Catholicæ fidei veritatem.*

1 Et primò quidem dicitur *Error intellectus*, quia est assensus falsus, sicut è contra actus fidei, est eiusdem assensus verus & certus; & ideo cum hæresis sit species infidelitatis, erit etiam intellectu, sicut in eo est fides. Ex quo infertur regula generalis: Vbi non est error in intellectu, nulla est hæresis, quamuis dictum vel factum sit cõtra fidem. Et ideo propter hęc possit quis exterius præsumi hæreticus, ex Alensi p.2.tit.53.membr.2. Nauarr. cap.11.num.27. Tolet. in expl. bullæ Cœnæ.§.1. concluſ.2. Castro lib.1. aduersus hæreses, c.1. Tabiena V. Apostasia, Claro §. hæresis, num.3. Simanca tit.31. Canonistis in cap. dubius, & cap. firmissimè, de hæret. Sanchez, Turrecremata, Antonino & aliis.

Secundò, debet esse in baptizato, qui enim nondum per baptismum sunt professi fidem, vt Iudæi & Pagani circa fidem errantes, immo etiam Cathecumeni dissentiẽtes ab aliquo articulo antea ab eis credito, cum nondum subdantur Ecclesiæ, non dicuntur hæretici, sed solum infideles, ex S. Thom. 2. 2.q.10.art.5. & q.11.art.1. Suarez tom.5. d.43. lect.1. Simanca t.31. Turrecrem. Claro, Tolet. Syl. Sayr. locis citatis. 2

Tertiò, requiritur *voluntatis pertinacia*, quod est veluti formale hęresis, ex Innoc. in cap. fitmiter. de summ. Trin. & fid. Cath. D. Thom. 2.2.q.11. art.2. Soto 4. sent. d.22. q.2. Banne 2.2.q.11.art.1. Gabriele 3.d.23.q.2.art.3. Cano. l.19.cap.9. Caiet. 2.2. q.11. art.2. Claro n.2. Valentia 2.2 d.1.q.11.p.1. Simanca num.3. Nauar. cap.12. num.22. Azor, Turrecrem. Antonino, Sayro locis citatis. Quare dixit D. Augustinus epist.162.& refertur 24.q.3. c. dixit. *Qui sententiam suam quamuis falsam atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim cum non audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta solicitudine veritatem corrigi parati, cum inuenerint, nequamque sunt inter hæreticos deputãdi.* Idem docet lib 4. cõtra Donatistas cap.6. Quare ad hæresim plus facit voluntatis pertinacia, quàm error intellectus. Nõ requiritur verò ad pertinaciam certa mora, vel duratio tẽporis, quicquid senserit Syluester, verb. hæresis 1.n.5. cum vno temporis momento quis possit esse hæreticus. Sufficit enim assensus 3

rationis

rationis ex voluntatis electione profectus, contra id quod scit, credi & doceri ab Ecclesia ex Corduba lib.1.q.17. §.7. Vazquez 1.2.q. 76.art.3. disput.126.cap.3.num.7. Sanchez lib.2. decal.cap.7.num.7. Banne 2.2.q.11.art.4. Petro Lorca 2.2.q.11. art.2. disp.41. Caietano, Cano, Azore, Valentia locis citatis. Vt enim peccatum charitati contrarium, si adsit consensus, eam in vno instanti expellit, ita etiam peccatum contrarium fidei. Alioquin, vt argumẽtatur Gabriel, posset quis simul esse fidelis & infidelis, quod implicat. Quare, qui inuitus patitur turpes hæreticásque cogitationes, & blasphemias contra Deum & Sanctos, quamuis sibi videatur consentire, non peccat. Id enim est dæmonis opera ad trãquillitatem conscientiæ inquietãdam, vt egregiè docet S. Bonauentura opusc. de profectu religiosorum, cap.3. Gerson tract. de fœda tentatione Alphab. 62. litt. O. & Sanchez l.2. decal. cap.7. num.13. & 14.

4 Quartò dicitur, *circa res fidei*. Est enim necesse, vt dissensus sit circa res fidei, tamquam circa materiale ipsius hæresis. Nam error, v.g. in physicis aut metaphysicis, non est hæresis, vt docet S. Thomas, Anton. Canus, Syl. Caiet. Tol. Valentia vbi supra.

5 Quintò dicitur, *veritatem aliquam*, non circa omnes. aliàs esset Apostasia, & non tantum hæresis, ex auctoribus præcitatis. Vtrum autem infidelitates hæ differant inter se specie, an tantum secundum magis & minus, disputant S. Thom. Canus, Valentia, Bannes locis citatis. Caiet. 2.2.q.10.ar.15. & q.11.art.1. Turrecrem. l.4. sum. p.2.cap.13. Host. cap.1. de Apostatis. Syl. verb. Apostasia, num.1. & 2. Azor p.1.lib.8.cap.21.q.3. Castro lib.1.de iust.hær.pun.c.17. Simanca tit.7.n.5. & tit.31.n.13. Sanchez lib.2. cap.7. n.16. videtúrque probabilius differre tãtum secundum magis & minus, vt alibi dicetur.

Ex his colligemus, quis sit hæreticus. *Est* enim *is baptizatus, qui pertinaciter assentitur intellectu errori circa res fidei*. Illud tamen sciendum est ob solam hæresim mentalem non incurri excommunicationem aut alias pœnas in hæreticos statutas, (quicquid senserit Adrianus q.8. art.1. Alb. Peghius, Glossa in Clem.1.de hæret. verb. eo ipso incurrant) vt rectè docet Palud.4.d. 13.q.3. Anton.3.p.t.24.c.4. Castro lib.2.de iust.hær.pun. c.18. Ledesma 2.4.q.16.art.6.dub.4. Caietan. verb. hæresis. Driedo lib.3.de lib. Soto 4.d.22.q.2.art.3. Syl. excommun.7.num.4. Angel. hæresis. n.2. Valentia 2.2.d.1. q.11. Azor t.1. lib.5.c.10.l.8.c.10. tom.2.l.7.c.16. Nauarr.cap.11. num.17.c.27.n.56. Sayrus lib.3.c.4.num.21. Hostiens. cap. mulieres, de sentent. excomm. Simanca tit.42. tum quia actus purè interni nequeunt ab humana potestate cognosci, ergo neque iudicari. Videatur S. Thom.1.2.q.91. art.4. tum ex cap. cogitationis, de pœnit.d.1. vbi dicitur, cogitationis pœnam pati neminẽ. & cap. sicut tuis. & cap. tua nos, de simonia, habetur, Ecclesiam non iudicare de occultis. & cap. consuluisti, 2.q.5. occulta & incognita Deo remittuntur. Incurrerit tamen si quis verbo etiam nemine præsente vel audiente, scripto, nutu, signo internam hæresim expresserit, ex Panorm. & Felino c.vlt. de hæret.

Zabarella Clem. 1. de hæret. Gloss. 24. quæst. 1. initio, & Theologis citatis. Etsi enim occultum per se non iudicetur ab Ecclesia, quia nõ subest cognitioni sensitiuæ, ex qua incipit humana cognitio, secundum quam iudicat Ecclesia; occultum tamen per accidens, vt est in proposito casu, subiacet humanis sensibus, etiam si testibus probari nequeat. Ob id similia occulta iudicantur ab Ecclesia, non autem purè intellectualia.

THEOREMA 9.

STatuitur igitur in præsenti Constitutione, vt hæretici in Ecclesiasticis & profanis electionibus, passiua & actiua voce, siue soli, siue cum aliis careant: ita vt nec eligi, nec alios eligere possint ad dignitates, officia & publica consilia. Quod congruit cum C. vt commissi. §. priuandi. de hæret. l. 6. & cap. 2. ibidem, & regula iuris. Infamibus. eodem lib. 6. & colligitur etiam ex cap. si Papa, d. 40. & c. qui contra Ecclesiæ pacem, 24. q. 1. & argum. cap. nulla officia, d. 54. vbi statuitur, ne Iudæis publica iniungantur officia, ne possint fidelibus nocere. & Innoc. IV. bulla 1. & 18. confirmat leges latas Patauij à Federico II. Imper. in quibus §. 9. hæreticorum filij & nepotes priuantur officiis publicis & dignitatibus. ergo multo magis ipsimet hæretici.

Confirmatur, tum quia hæretici sunt excõmunicati, & extra Ecclesiam. cap. cum Christus, c. sicut ait, cap. ad abolendam, cap. excommunicamus, extra de hæret. & cap. nouerit, de sent. excom. Non possunt igitur cum aliis conuenire, cum ex c. pastoralis, iuncta Glossa, de appell. in fine, qui est extra Ecclesiam, nihil possit Ecclesiæ nomine possidere. & 11. q. 3. cap. sicut Apostoli, dicitur: Cum excommunicatis non est communicandum. Tum quia infames, ex lege 4. Federici II. Patauij edita, & confirmata ab Honorio III. de qua infra. Sunt igitur à publicis officiis & dignitatibus arcendi. Tum quia id non est conferendum ei, qui illius vsu caret, nec potest functiones exercere. cap. fin. de cler. excomm. ministr. prohibito enim aliquo, etiam omne id per quod ad illud peruenitur, censetur prohibitum, ex Panorm. eodem cap. fin. num. 3. & cap. postulasti, num. 1. ibidem. at hæreticus cum sit excommunicatus, caret vsu tam earum dignitatum, quæ sunt Ordinis, quàm quæ iurisdictionis, non igitur sunt ei concedendæ. Tum quia non potest erga homines esse fidelis, qui Deo infidelis est, vt dicitur in Cõcilio Toletano 4. & à Theodoreto lib. 2. tripar. cap. 2. Nicephoro l. 16. cap. 35. Videndus hac etiam de re Vgolinus tabula 2. cap. 13.

THEOREMA 10.

MAndat tandem Pontifex, vt Consules & Communitates iurent se in posterum ad prædictas electiones non admissuros hæreticos, & vt particulares domini & personæ contrafacientes excommunicentur. Ciuitates verò seu Communitates interdicantur. Eodem modo Federicus II. Imper. Lege 5. ex datis Patauij voluit Potestates, Consules & Rectores iurare publicè bona fide curaturos, vt pro viribus hæretici exturbentur

tur è terris iurisdictionis suæ. Vt etiam fit in c. excommunicamus, §. moueantur, de hær. & Innocentius IV. Constitutione 9. §. 2. magistratus, qui de obseruandis legibus latis contra hæreticos nó præstitetint iuramentum, aut à sibi succedentibus non exegerint, vult haberi pro periuris, perpetuo infamibus, suspectis de fide, hæreticorum fautoribus, spoliatis regimine, inhabilibus ad publica officia & dignitates, & eorum acta in magistratu esse nulla; eósque mulcta ducentarum marcharum plectendos.

Eiusdem INNOCENTII III.

Constitutionis quæ incipit.
Ea est.

EPITOME 5.

Improbatur Gallica Bibliorũ versio, temeraria prædicatio, & occulta conuenticula.

COERCERI mandat Pontifex quosdam, qui in Metensi diœcesi vernacula Gallicana lingua sacram Scripturam transtulerant, eáque vtebantur. Occulta conuenticula celebrabant; & à nemine missi temere sibi prædicationis officium vsurpabant.

THEOREMA 11.

HIs qui sacram Scripturam in Gallicanam linguam trãslatam legebant, & contumaces erãt Ecclesiæ Prælatis, similes omnino sunt hæretici nostri temporis, qui eodem dæmonis æstu perciti, idem in suis vernaculis faciendum pertinaciter affirmant. Quod etiam de liturgia sentite diximus. l. 2. de Missæ sacrificio, cap. 12. Cum tamen Innoc. III. hoc loco oppositum statuat, & sentiat Concilium Tridentinum in indice lib. prohibitorum regula 4. cauens, ne quis sine facultate sacra Biblia vernacula lingua conscripta habere aut legere possit, aut percipere peccatorũ absolutionem, eis non delatis Ordinario, & ne Bibliopolę ea vẽdere possint non habentibus facultatem legendi, aliàs amittant pretium librorum in pios vsus cõuertendum, aliisque pœnis plectantur. Sed Clemens VIII. in indice nouo sustulit Episcopis, Inquisitoribus & Superioribus regularium omnem facultatem concedendi huiusmodi licentias. Idem de bibliorũ partibus intelligitur. Subdit enim Clemens (aut alias sacræ Scripturæ tam noui, quàm veteris testamenti partes, quauis vulgari lingua editas.) Quin etiam prohibet quocumq; vulgari idiomate summaria & compendia, etiã historica, eorumdem librorum sacræ Scripturæ. Solent tamen concedi epistolæ & Euangelia, quæ inter Missarum solemnia per annum leguntur, non quidem seorsim ac separatim impressa, sed edita cum expositionibus vel concionibus, aut meditationibus Catholicorum ad fidelium pietatem excitandam. Vt etiam permittuntur vulgari lingua sententiæ in Catholicorum libris citatæ.

Sed inquies cur prohibentur sacræ Scripturę libri in vernaculis linguis? Respondeo ex citata regula 4. Indicis, quòd experimento compertum sit, si passim & sine discrimine permittantur, ob vulgi

temeritatē inde plus damni, quàm vtilitatis percipi. Multa enim occurrunt, quę indoctis videntur inter se contraria. Vt Gen. cap. 1. & 9. *Crescite & multiplicamini*, cum illo Matth. 19. *Sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cœlorū.* & Matth. 15. dicitur: *Quod intrat in os, non coinquinat hominem.* cum tamen dicat D. Paulus: *ebriosi regnum Dei nō possidebunt.* Psal. 1. dicitur: *Non resurgunt impij in iudicio.* & nihilominus D. Paulus ait: *Omnes quidem resurgemus.* Multa item ex quibus populus rudis occasionem acciperet delinquēdi, vt fornicatio Thamar, Mendacium Iudith, accessus Oseæ ad Gomer. putaret enim vt cumque littera percepta, se quoq; intelligere mysteria, & alia similia. Quare etiam Innocentius hoc loco factum ait, vt Metenses huius Gallicanę translationis occasione, occultis conuenticulis multa inter se eructare de fide præsumerent, aspernarentur, eamdem non recipientes, in peritia suæ translationis confidentes, irriderent Parochos, in faciem resisterent presbyteris, mandatis Apostolicis obedire recusarent. Soli Deo obediendum dicerent, prædicationis officium sibi temerè arrogarent. Habentur similia in cap. cum ex iniuncto, de hæreticis, in bulla 3. quę incipit, *excommunicamus*, Gregorij IX. & in Innocentij IV. bulla 9. quæ incipit, *Ad extirpanda.*

Obiicienti olim sacras litteras vernaculis linguis Latina, Græca, Hebraica fuisse conscriptas, ergo idē in vernaculis nostris esse præstandum: Respondeo id tunc rectè factum esse, quòd cœperint diuinæ litteræ promulgari Gentilibus, ideoque his tribus vniuersalibus linguis cuulgari debuerūt, vt omnibus nationibus innotescerent, non autem aliis particularibus cuiusque Prouinciæ. Quare neque nunc sunt vertendæ in nouis vernaculis pro cuiusque captu, sed tātum conseruandæ versiones vniuersales in titulo Crucis Christi dedicatæ. Videatur hac de re Sixtus Senensis l. 6. biblioth. cap. 263. Franciscus noster Turrianus lib. 1. pro Canon. Apost. cap. 24. Bellarminus l. 2. de Verbo Dei, c. 15. 16. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 26. q. 3. & 4. Alphonsus Salmeron tom. 9. tract. 32.

THEOREMA 12.

DAmnat etiam Innocentius, idque meritò, celebrātes occulta conuenticula, vt fecit etiam c. cum ex iniuncto, extra de hæret. vt etiam præstitit Nicolaus III. bulla 2. §. 20. & Gregorius IX. bulla 3. §. 7. vbi scientes has occultas coitiones, & non reuelātes plectit excōmunicatione. & extra de hæreticis, cap. excommunicamus, 1. §. adiicimus. Vult ab Ordinario ciues posse cogi in Parochiis ad iurandum, an nouerint in Parochia celebrantes huiusmodi conuenticula, vel à communi fidelium vita, conuersatione & moribus dissidentes, & eos qui noluerint iurare, vult eo ipso tamquam hæreticos habendos. Quod etiam innouauit Innocentius IV. citata Constitutione 9. §. 31. & Constitutione 18 §. 3. reuera enim huiusmodi conuenticula, hæreticæ prauitatis, vel certe conspirationum suspicionem generant, cap. si quis Papa, d. 79. & cap. conspirationum, 11. quæst. 1.

THEO

THEOREMA 13.

REprehendit denique illos, qui à Prælatis nõ missi, sibi temere assumebant officium, & munus prædicandi, quamuis essent laici, id est nullo Ecclesiastico ordine initiati. Quod etiam fit cap. ex iuncto, & cap. excommunicamus, 1. §. Quia, de hæret. in bulla 3. Gregorij IX. & cap. sicut in vno, de hæret. cap. quicumque, de hær. l. 6. necnon citatis bullis Nicolai III. & Innocentij IV. imposita contumacibus excommunicationis pœna, & l. nemo. Cod. de sum. Trinit. ne scilicet specie pietatis palliaretur impietas; optimóque iure, cum Apostolus ad Rom. 10. dicat: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Quare prædicatio dicitur officium priuilegiatum. cap. quod Dei timorem, de statu Monach. & Glossa ibidem, cum nullus prædicare debeat, qui non sit examinatus, & approbatus, c. oportet, 8. q. 1. & d. 43. c. 1. & Conc. Lateran. sub Leone X. sess. 11. videatur hac de re S. Anton. p. 2. tit. 12. c. 1. §. 2. Nauar. c. 11. num. 27. Caiet. 2. 2. q. 178. art. 7. & in summ. verb. disputatio, Angel. Syl. Armilla verb. disputatio. Azor t. 1. l. 8. c. 26. q. 1. Simancas tit 49. Pegna in direct. Inq. Sed recurret iterum sermo in Gregorio IX. Constit. 3. & in Innocentio IV. Constit. 18.

Eiusdem

INNOCENTII III.

Cõstitutionis 10. editæ anno 1212. incipientis. Ad nostram.

EPITOME 6.

Dãnatur statutum prohibẽs Scortia.

DAMNAT Innocentius Constitutionem latam ab Henrico Imperatore Cõstantinopolitano cõtra libertatem Ecclesiasticam, nempe, vt nullus in vita aut morte posset de possessionibus suis quicdquam Ecclesiæ largiri, sicque N.N.N. præcipit: *Cum igitur Constitutio huiusmodi tam diuinis quàm humanis sit legibus inimica, Discretioni vestræ per Apostolica scripta mãdamus, quatenus ipsam, auctoritate nostra, decernatis friuolam, & inanem, & nullo modo seruandam.*

Ecclesiæ possessiones relinqui.

THEOREMA 14.

SImile statutum fecerat etiam olim nempe anno 370. Valentinianus cum Valente & Gratiano Impp. l. 20. de Episc. & Cler. in Codice Theodosiano, & Nicephorus Imper. Constantinop. anno 964. Sed illud fuit à Marciano Nouella tit. 5. de test. cler. reuocatum, cum in pœnam iniquæ legis, vrbs fuisset à Vandalis capta. Hoc autem abrogatum à Basilio Imper. anno 987. tamquam Imperio damnosissimum, vt docet Theodorus Balsamon. *Ex quo enim* (inquit Basilius) *vigere cœpit, nihil penitus boni in illum vsque diem (nempe spatio annorum 23.) contigisse. sed è contra, nullum omnino calamitatis genus cessasse, morte etiam acerbissima ipsi promulgatori allata.* Fusius hac de re Curopalates, Cedrenus, Zonaras, Glicas. Meritò autem Innocẽtius impiũ decretum damnat, tum quod sit diuinæ legi inimicum, vt colligi potest ex Genesi, cap. 47. vbi legitur Sacerdotes possessiones proprias possedisse, liberalitate vtique

offerentium. & Leuit. cap. 27. vers. 28. Ios. 21. tum quod humanis legibus sancitum fuerit, vt quilibet possit Ecclesiæ & piis locis sua legare. l. 1. l. generali, l. iubemus, l. sancimus, 2. Cod. de sacrosanct. Eccles. & 23. q. 8. c. in qualibet. & cap. secundum. necnon Constitutione Caroli IV. edita anno 1377. §. 1. quæ confirmata est à Bonifacio IX. vt infra constabit: quinimò immobilia olim ablata ab Ecclesiis in persecutione Diocletiani & Maximiani, edicta Constantini, & Licinij Impp. eisdem restitui mandarũt. Vt constat ex Euseb. lib. 10. cap. 5. Eisdémque Ecclesiæ donationes inter viuos aliarum rerum fieri queunt, & absque insinuatione, licet fortè excedant quantitatem iure ciuili communiter taxatam, ex Hostiensi & Io. Andrea, cap. vlt. de solutio. Bartolo l. 1. C. de summ. Trinit. Panorm. cap. telatum, 1. de Castr. Syl. immunitas, 2. quæst. 7. Azor p. 2. l. 9. cap. 10. q. 1. Roderico t. 1. q. 66. art. 4. Ideo Can. futuram, 12. q. 1. dicitur, Cum præniderent Apostoli in Gentibus futuram Ecclesiã, non adeptos fuisse in Iudæa prædia, sed tantummodo pretia ad fouendos egentes. At dilatata inter Gentes Ecclesia Constantinum Imperatorem concessisse facultatem, vt subditi non tantum Christiani fierent, sed etiã extruerent Ecclesias, & eis prædia (scilicet pro dote ad alendos ministros iuxta cap. nemo, de consec. d. 1.) tribuerent; quin etiam Romam Imperialem sedem B. Petro, & Successoribus profuturam concessisse. Similia habet sequens Canon Vrbani Papæ. Tum quòd Imperatorum legibus res religionem ingrediẽtium, monasteriis debentur, vt dicetur Theor. 340. Tum deniq; quòd naturali lege quisque debeat posse rem suam offerre, & sine impedimento consecrare Deo bonorum omnium largitori. Meminit de huiusmodi etiam iniquis legibus Hieronymus epist. 2. ad Nepotianum, & Ambr. ep. 31. Videri potest hac de re Petr. Greg. Syntag. l. 2. cap. 28. & Baronius in an. 370.

HONORII III.

Constitutionis editæ anno 1220. incipientis. Has leges.

EPITOME 7.

Confirmantur 10. leges à Federico II. Imp. pro Catholica fide, libertate Ecclesiastica, naufragis, rusticis, peregrinis latæ.

CONFIRMAT Pontifex promulgatas à Federico II. Imp. Patauinas leges decem contra Hæreticos in fauorem Ecclesiasticæ libertatis, naufragantium, rusticorum, & peregrinorum. Quæ sunt hæ: Prima. *Ad decus & honorem Imperij, & laudem Romani Principis nihil omnino magis videtur accedere, quàm, vt expurgatis quibusdam erroribus, & iniquis quorumdam statutis penitus destitutis, de cætero Ecclesia Dei plena quiete vigeat, & secura gaudeat libertate. Sanè adeo infidelium quorumdam & iniustorum iniquitas abundauit, vt non dubitent contra Apostolicam disciplinam, & sacros Canones, statuta sua cõfingere contra Ecclesiasticas personas, & Ecclesia libertatẽ. Cum*

ergo

ergo diſpoſitione diuina fauente, nihil velit Eccleſia, quæ nihil debet præter bonum appetere, quod nobis eodem concurſu, & eadem non placeat voluntate. Nos Federicus Rom. Imp. & ſemper Auguſtus hac edictali lege irritamus & irrita nunciamus omnia ſtatuta & conſuetudines, quæ Ciuitates vel loca, Poteſtates, Conſules & quæcumque aliæ perſonæ contra libertatem Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticas perſonas edere vel ſeruare aduerſus canonicas vel imperiales ſanctiones præſumpſerint, & ea de capitularibus ſuis mandamus infra duos menſes, poſt huius publicationem edicti, penitus aboleri. Et ſi de cætero ſimilia attentauerint, iure ipſo decernimus eſſe nulla, & eos ſua iuriſdictione priuatos, ſuperiori protinus applicanda. Necnon locum, vbi deinceps talia præſumpta fuerint, banno mille marcarum præcipimus ſubiacere. Poteſtates verò, Conſules, Rectores, ſtatutarij & ſcriptores dictorum ſtatutorum, necnõ & Conſiliarij locorum ipſorum, qui ſecundum ſtatuta vel conſuetudines memoratas iudicauerint, ſunt ex tunc ipſo iure infames, quorum ſententiæ & actus ipſos illegitimos præcipimus non tenere. Quod ſi per annum huius noſtræ Conſtitutionis inuenti fuerint contemptores, bona eorum per totum noſtrum Imperium mandamus impune ab omnibus occupari. Saluis nihilominus alijs pœnis contra tales in generali Concilio promulgatis.

Secunda. *Item nulla Poteſtas vel perſona publica vel priuata collectas vel exactiones, angarias vel perangarias Eccleſiis, vel alijs pijs locis, aut Eccleſiaſticis perſonis imponere, vel inuadere bona Eccleſiaſtica præſumat. Quod ſi fecerint, & requiſiti ab Eccleſia vel ab Imperio emẽdare cõtempſerint, triplum refundant, & nihilominus banno Imperiali ſubiaceant, quod abſque ſatisfactione debita nullatenus remittatur. Item quæcumque Communitas vel perſona per annum in excommunicatione facta propter libertatem Eccleſiæ perſtiterit, ipſo iure Imperiali banno ſubiaceat, à quo non extrahatur, niſi prius ab Eccleſia abſolutus fuerit.* 2

Tertia. *Item ſtatuimus, vt nullus Eccleſiaſticam perſonam in criminali quæſtione vel ciuili trahere ad iudiciũ ſæculare præſumat contra Conſtitutiones Imperiales, & Canonicas ſanctiones. Quod ſi fecerit, Actor ipſo iure cadat, & iudicatum non teneat, & Iudex ſit ex tunc iudicandi poteſtate priuatus. Statuimus etiam, vt ſi quis clericis vel perſonis Eccleſiaſticis iuſtitiam denegare præſumpſerit, tertio requiſitus ſuam iuriſdictionem amittat.* 3

4 Quarta. *Hæreticos omnes vtriuſque ſexus perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus, præcipientes, vt bona talium confiſcentur, nec ad eos vlterius reuertantur: ita vt nec filij eorum ad ſucceſsiones poſsint peruenire. Cum multò grauius ſit æternam, quàm temporalem offendere Maieſtatem. Qui autem inuenti fuerint ſola ſuſpicione notabiles (niſi ad mandatum Eccleſiæ ſuam innocentiam congrua purgatione monſtrauerint) tamquam infames & banniti ab omnibus habeãtur: & ſi ita permanſerint, per annum ſicut hæreticos condemnamus.*

5 Quinta. *Statuimus etiã hoc edicto in perpetuum valituro, vt Poteſtates, Conſules ſiue Rectores, quibuſcumque fungantur officijs, pro defenſione fidei præſtent publicè iuramentum, bona fide curaturos, vt hæretici omnes ab Eccleſia denotati, pro viribus exturbentur ex iuriſdictionis ſuæ terris ſubiectis, & teneantur in prædictam poteſtatem aſſumpti hoc Capitulum confirmare iuramento: alioquin nec pro Poteſtatibus aut Conſulibus habeantur, eorumq; ſententiæ nullæ ſint, & inanes.*

6 Sexta. *Si verò Dominus temporalis requiſitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica prauitate, poſt annum à tempore admonitionis elapſum, terram illius Catholicis occupandam exponimus, qui eam exterminatis hæreticis abſq; vlla contradictione poſsideant, & in fidei pietate conſeruent. Saluo iure domini principalis, dummodo ſuper hæc nullum præſtet obſtaculum, nec aliud apponat impedimentum; eaq; nihilominus lege ſeruata contra eos, qui non habent dominos principales.*

Septima. *Credentes, receptatores, defenſores, & fautores hæreticorum bannimus, firmiter ſtatuentes, vt ſi poſtquam quilibet talium fuerit ab Eccleſia excommunicatione notatus, ſatisfacere intra annum contempſerit, ex tunc ipſo iure ſit infamis, nec ad publica officia & conſilia, vel ad eligendum aliquos ad huiuſmodi aut teſtimonium admittatur, ſit ineligibilis, & priuatus facultate teſtandi, & inhabilis ad hæreditatis ſucceſsiones; nullus ei ſuper quocumque negotio teneatur reſpondere, ipſe verò teneatur alijs. Si Iudex extiterit, ſententiæ eius nullam habeant firmitatem, nec ad illius audientiam perferantur cauſæ. Si Aduocatus, non admittatur eius patrocinium. Si Tabellio, inſtrumenta nullius ſint momenti.* 7

Octaua. *Nauigia quocumque peruenerint ad terram etiam caſu rupta, & nauigantium bona illis integrè reſtituantur, ad quos ſpectabant, antequam nauigium* 8

pericu-

periculum illud incurriſſet, ſublata omnium locorum penitus cõſuetudine, quæ huic ſanctioni aduerſatur, niſi talia nauigia ſint, quæ piraticam exerceant prauitatem, vel ſint nobis vel Chriſtiano nomini inimica. Tranſgreſſores verò huius noſtræ Conſtitutionis bonorum ſuorum publicatione mulctentur. Et ſi res exegerit, eorum audacia iuxta mandatum noſtrum alijs modis compeſcatur.

9 Nona. *Omnes peregrini & aduenæ liberè, vbi velint, hoſpitentur, & hoſpitati liberã habeãt facultatem teſtandi de ſuis rebus, eorumq; ordinatio inconcuſſa ſeruetur. Si qui verò inteſtati deceſſerint, ad hoſpitem nihil perueniat, ſed bona ipſorum per manus Epiſcopi loci tradantur hæredibus (ſi fieri poteſt) vel erogentur in pias cauſas. Hoſpes verò, ſi aliquid de bonis talium contra hãc noſtram Conſtitutionem habuerit, triplum Epiſcopo reſtituat, cui viſum fuerit aſſignandum non obſtante ſtatuto aliquo aut conſuetudine, vel priuilegijs, quæ hactenus contrarium inducebãt. Contrarium verò præſumentibus intordicimus facultatem teſtandi de rebus ſuis, alijs etiam pœnis pro qualitate culpæ puniendis.*

10 Decima. *Agricultores & ruſtici dum villis inſident, dum agros colunt, ſecuri ſint quacumque parte terrarum: ita vt nullus tam audax inueniatur, qui perſonas vel boues, agrorum inſtrumẽta, aut aliud ad operam ruſticalem pertinens, inuadere, capere, aut violenter auferre præſumat. Contrarium verò præſumẽs in quadruplum reſtituat ablata, ſit ipſo iure infamis, & Imperiali admonitione puniendus. Quas leges (ait Honorius) pro vtilitate omnium Chriſtianorum editas laudamus & approbamus, tamquam in æternum valituras. Si quis autem auſu temerario, &c.*

THEOREMA 15.

IMperator rectè hoc loco ſupponit, duas eſſe in Eccleſia Vniuerſali dignitates maximas, vti in cœlis sũt duo magna luminaria, quorum alterum diei præeſt, alterum nocti, Pontificiam ſcilicet auctoritatẽ, & Imperialẽ ſeu Regalem, quarum cum illa ſpiritualia gubernet, hæc temporalia; per illam animarum ſalus, cum ad æternam ſalutem dirigat, per hanc reipub. pax conſeruetur, Authent. vt non luxurientur. & Authent. de Quæſtore in principio. Authent. quomodo oporteat Epiſcopos, &c. initio. & Authent. de non alien. aut permut. cap. 2. illa tanto maior & excelſior erit, quanto ſol præeminet lunæ, anima corpori, & cœleſtia terrenis. Qua de re pluribus agitur cap. lege Imperatorum, c. certum, c. conſtitutiones, c. ſuſcipitis, c. quoniam, d. 10. & d. 96. c. duo, c. ſi Imperator, c. Conſtantinus, & extra. tit. de maiorit. & obed. c. ſolitæ, & extrauag. Viam, eod. tit.

Et conſtat, tum quia etiam Im- 1

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

peratores & Reges Christiani sunt oues Christi, pertinéntque ad ouile Petro commissum, Io. 21. ob id Innocentius I. excommunicauit Archadium Imper. quod consensisset eiectioni Io. Chrysostomi, & alij alios. Tum quia post Carolum, 2 ad quem à Græcis Pontifex Imperium transtulit, & ius eum eligendi Germanis concessit, Imperator auctoritate Pōtificis, creatur, examinatut cuius sit meriti, approbatur, consecratur, coronatur. c. venerabilem, extra tit. de electione, & Clementina de iureiurando, & si sit opus, eidem abrogat imperiū. Vt fecit Gregorius VII. Henrico IV. Alexandro III. Federico I. Innocentius III. Othoni III. Gregorius IX. & Innocentius IV. huic eidem Federico II. Clemens VI. Ludouico IV. Nam ad Sacerdo-
Ierem. 1. tem dictum est: *Ecce constitui te super Gentes, & regna, vt euellas & dissipes, & edifices, & plantes.* Vt notat Bonifacius VIII. in extrau. vnam; de maior. & obed. & Petto, *quodcumque ligaueris*, vt aduertit Innocentius c. ad Apostolicæ, de sent. & 3 re iud. l. 6. Tum ex fine, quia Imperator eligitur, vt sit Ecclesiæ minister, tutor & protector contra hæreticos, schismaticos, & paganos Christi hostes. cap. Principes, 23. q. 5. & constat ex eius iuramento. Nam auctore Vitichindo, Sigonio l. 7. de reg. Ital. & Azor t. 2. l. 10. c. 5. q. 4. ad Confessionem D. Petri deductus Imperator, Pontifice celebrante, Diaconi vice functus offerebatur ab Archiepiscopo Mediolan. perungebatur oleo sacro, donabatur annulo, nudo ense, aurea corona & sceptro, & tactis sacris Euangeliis sacramento se Pontifici obligabat perpetuum & constantem fututum Rom. Eccl. & totius reipubl. Christianæ defensorem, iuxta iuramenti formam in Clementina de iureiurādo. Quem etiam se professus est anno 801. in die Natiuitatis Domini Carolus Magnus à Leone III. Romano Pontifice constitutus Occidentis Imperator. Quare non mirum, si dixerit Abbas in cap. venerabilem, de electione. Aretinus consil. 59. Bartolus in l. 1. ff. de requir. reis. Cardin. in c. cum ad verum. d. 96. Felin. c nouit, de iudiciis. Anton. 3. p. t. 22. cap. 5. §. 15. Syl. verb. Papa, q. 10. Imperium à Rom. Pontifice esse & pendere.

Federicus igitur, cum nondum pessimus euasisset, irritauit, l. 1. statuta, & consuetudines editas à Magistratibus sæcularibus contra libertatem Ecclesiæ, & personas Ecclesiasticas, eásque mandat intra duos menses deleri de Capitularibus, & deinceps in indiciis non vsurpari. Vt etiam Honorius ipse. extra. de sent. excomm. c. nouerit, contra talia præsumentes, sic habet. Necnon (excommunicamus) qui de cætero seruari fecerint statuta edita, & consuetudines introductas contra Ecclesię libertatem, nisi ea de capitularibus suis infra duos menses post huiusmodi publicationem sententiæ, fecerint amoueri. Item excommunicamus statutarios & scriptores statutorum ipsorum, necnon Potestates, Consules, Rectores, & Consiliarios locorum, vbi de cærero huiusmodi statuta, & cōsuetudines editæ fuerint vel seruatæ: necnon & illos qui secundum ea præsumpserint iudicare, vel in publicam formam scribere iudicata. Et ex Syl. Suarez & aliis, Pontificis sensus videtur

videtur hic: excómunicamus eos, qui talia ſtatuta ſeruari fecerint; & eos qui de Capitularibus ſuis non amouerint: Itémque ſtatutarios, ſcriptores, &c. Similia habet idem Honorius ibidem, cap. grauem. videndum Theorema 424. 433. 434.

Notat autem Sylu. excomm. 9. num. 31. ex Panorm. eodem c. nouerit, & Bartolo in Authent. Caſſa. Cod. de ſacroſanct. Eccleſ. non vitare hanc ſententiam, qui non deletis ſtatutis ipſis contra Eccleſiaſticam libertatem, faceret ſtatutum, vt ſi quæ ſint ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam haberentur pro non ſcriptis. Quia per hoc non ſatisfit dictę Conſtitutioni præcipienti deleri ſtatuta de libris. Videatur etiam Suarez t. 5. d. 21. ſect. 2. n. 81. & ſeq. qui etiam n. 89. & ſeq. explicat quid ſit Eccleſiaſtica libertas. Qua de re dicetur Theor. 151. 424. 433.

THOREMA 16.

LEge ſecunda cauet, ne Eccleſiæ vel loca pia, aut etiam perſonæ Eccleſiaſticæ exactionibus grauentur, aut eorum bona inuadantur, vt etiam ſuis legibus ſtatuerat Conſtantius, Conſtãs, Gratianus, Valentinianus, Theodoſius, Juſtinianus. de quibus 23. q. 8. c. in quolibet. Ludouicus ibidem, c. ſecundum, & Carolus IV. anno 1377. leg. 6. & 10. vt dicetur in Bonifacio IX. habetúrque hac de re cap. non minus, & cap. aduerſus, extr. tit. de immun. Eccl. vbi tranſgreſſores excommunicantur, & finito etiam regiminis tempore adhuc legati manent, & ſucceſſor in officio tenetur intra menſem ad ſatisfaciendum exactioni, aliàs & ipſe in excommunicationem incidit, cum ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.

Porrò quantum Omnipotentis iram huiuſmodi exactionũ & direptionum rerum Eccleſiaſticarum prouocent, pluribus docent Patres Concilij Maldenſis, anno 846. cum huic vni pænè ſceleri acceptas clades in Gallia à Northmanis ſeu Danis, & Prouinciarum vaſtationes referunt, vt etiã Hincmarus, de tranſlatione ſancti Remigij. & Irodoardus lib. 3. hiſtoriæ Rhem. Quam multa autem ab Eccleſia fuiſſent ablata, coniici poteſt ex reſtitutione, facta à Carolo Francorum rege filio Ludouici Pij, Epiſcopatui Rhemenſi in gratiam Hincmari, quæ ſui aulici ſua permiſſione vſurpabant, cum diplomatibus à ſe conceſſis, ſub hac forma, reddidit. *In nomine, &c. Omnes igitur Dei ſerui, & noſtri ſciãt, quod hoc noſtro mandato, & auctoritatis noſtræ edicto, impræſentiarum omnia Epiſcopatus Rhemenſis bona in integrum reſtituimus, quæ magna quadam neceſſitate coacti, dum hic ſanctus Conuentus paſtore deſtituebatur, in commendam ad tempus noſtris ſubditis contulimus, vt nobis ſeruientes, aliquo ſubſidio temporali gauderent: nos inquam reſtituimus Hincmaro Spiritus ſancti gratia, diſpoſitione diuina, & noſtra electo & ordinato huius ſanctæ Sedis Archiepiſcopo, nimirum Eſperneũ, Iulium, Cormiacum, Capellam quam Rabanus presbyter poſſidebat, & omnia ſingula quæ, bona, quæ de hoc Epiſcopatu Richuinus Comes, Odo, Pardulus, Algarda Abbatiſſa, Robertus, Amalbertus clericus, Altmarus, Io. Medicus, Rabanus paruus nanus, Rathboldus, Goderanus, Hereboldus, Donatus & Giluinus tenuerunt & adhuc tenent.*

Tunc

Tunc demum omnia siue à Clericis siue à Laicis occupata, quæ ad tempus in nostra ditione, & à nobis dicto Hincmaro commendata fuerunt, & (vt paucis perstringam) S. Remigij testamento in præsentia nostrorum subditorum tam clericorum quam laicorum à nobis viso, hoc nostro mandato nunc reddimus & in integrũ restituimus Ecclesiæ S. Mariæ Matris Dei, &c.

Hoc eodem sacrilegio maximè factum est, teste Curopalata, vt vitam cum imperio & gloria, ob primordia immortalitate digna, infelicissimè amiserit Nicephorus Phoca Græcorũ Imperator, quippe qui consueta dona præberi sacris templis, vsurparet, malè asserens ab Episcopis pauperum pecuniam consumi, milites verò inopes esse. Et quod grauissimum est, legem etiam tulisset: cui etiã adulatores Episcopi subscripserãt, non esse eligendum Episcopum sine illius consilio & iussu. Mortuóque Episcopo regium hominem mitteret, qui in funere præfinitos sumptus faceret, ea verò quæ supererant, acciperet. Estque querela Episcopi Leucatensis, in relatione Luitprandi Cremonensis Episcopi, singulis annis Ecclesiam suam Nicephoro pro tributo pendere solitam supra centum aureos, aliàs plus, minúsve, secũdum vires suas. Videndum etiam Theorema 5. & 77. num. 6 & 427.

THEOREMA 17.

QVod etiam habetur lege tertia de non trahendis Ecclesiasticis ad forum sæculare, déque non neganda eis contra laicos agentibus, iustitia, consonant cum iis, quæ habentur in Cod. Theodosiano, tit. de Episc. aud. cap. vlt. vbi Valentin. Theod. & Arcadius sic statuerunt. Continua lege sancimus, vt nullus Episcoporum vel eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus seruiunt, ad iudicia ordinariorum siue extraordinariorum iudicum protrahatur. Habent illi suos iudices nec quidquam his publicis est commune cum legibus. Et in decreto Caij cap. nemo, 11. q. 1. & Concilij Agathẽsis cap. clericum, & Syluestri cap. nullus clericus, ibid. & cap. nullus iudicum, tit. de foro compet. vbi transgressores excommunicantur. & Vrbani V I. bulla 3. Bonifacij IX. bulla 4. Martini V. bulla 10. & in bulla Cœnæ, §. 15. vt dicetur Theoremate 424.

Si verò clericus clericum ad sæculare iudicium trahat, excommunicatur, priuatur, & causam perdit, etiamsi pro eo lata sit sententia. cap. si diligenti, tit. de foro compet. Ipsi tamen, si sunt actores contra laicos, sequuntur forum rei. cap. si clericus, & cap. cum sit, de foro compet. & iudices eis ius dicere tenentur, vt habetur in dicta lege Federici, alias incurrunt pœnam priuationis iurisdictionis. Vt etiam vicissim præcipitur Prælatis. cap. qualiter, de iudiciis. vt laicis conquerentibus de clericis, plenam faciant exhibere iustitiam, ne pro defectu iustitiæ, clerici trahantur à laicis ad sæculare iudicium, quod omnino prohibetur fieri. Videatur etiam Theorema 76. 83. 424. 428. S. Ambr. epist. 32.

THEOREMA 18.

HÆretici quoque lege quarta perpetua damnãtur infamia, vt pariter fit. 2. q. 7. cap. alieni, & 6. q. 1.

q.1.cap.infames', & Authent. Gazaros C.de hæret. Et meritò, tum quia læſæ Maieſtatis rei ſimili pœna damnati ſunt ab Honorio & Arcadio Impp.l.5. ad leg.Iul. Maieſt.& cap.ſi quis,6.q.1. ergo multo magis damnandi fuerunt hæretici, cum rei ſint læſæ Maieſtatis diuinæ, & non tantum humanæ. Tum quia illorum fautores, niſi intra annum ſatisfaciant, ſunt pariter infames. cap. excommunicamus, de hæret. ergo multo fortius ipſimet hæretici. Tum quia hæreſis eſt publicum maximúmque crimen. Inſtit.de publ.iud.& Conſtitutione eiuſdem Federici, quæ incipit, *Inconſutilem*, §.1.

Porrò vt notat Gloſſa 6. q. 1. c. omnes, Syl.verb.infamia, Vgolin. tabul.2.cap.24.§.1.infamia alia eſt facti, vt ſi deprehendatur mulier in adulterio,rectiúſque dicitur infamatio, & ſæpe aboleri poteſt purgatione. 15.q.5. cap. de crimine.Sæpe nulla,cap.presbyter,ibid. & 2.q.3.§.hinc colligitur,Vgolino loco citato. Panorm. cap. cum te, de ſentent.& re iudic.Bartolo in l. infamem, num.13.ff. de publ.iud. Alia iuris ciuilis, cuiuſmodi notantur,qui legibus ſæculi dicuntur infames.cap.omnes, 6.q.1.& ff.de his qui notantur infam. v.g.fures, & fugientes de publ.bellis. Quorum reſtitutio ad Principem pertinet. 2. q.3.§. hinc colligitur, & §. notandum. Panorm. citato c. cum te. Alia Iuris Canonici, quæ irrogatur ob quodlibet mortale peccatum,vt vult Gloſſa,Panor.& Vgolinus; vel certè ob peccatum dignum depoſitione,& ſuſpenſione. 6.q.1.cap.illi qui, & cap.infames. vnde hoc iure plures erunt infames, qui tales non erunt legibus ſæculi. Sicut nec omnes ſunt iure Canonico infames, qui ſunt legibus ſæculi.v.g.mulier, quæ nubit, intra tempus luctus. Quæ infamia per Rom. Pontificem poteſt aboleri.2.q.3.cap.Paulum.

Quærenti verò an pœnam infamiæ hæreticus contrahat ante iudicis ſententiam vel non? Reſpondeo Caſtrum l.2.de iuſt. hær. pun.cap.9. Peregrinum de iure fiſci, l.5.tit.1.num.172. Aragonam 2.2.q.11.art.3. affirmare, eo quod ſit ipſo iure irrogata. Eadémque ratio ſit de priuatione famæ,& pecuniarum. Cum igitur hæreticus ante vllam iudicis ſententiã amittat bonorum dominium, amittet pariter famam.Oppoſitum tenent Dynus in cap.infamibus,de regul. iur.l.6. Panorm.cap.teſtimonium, de teſtibus, cap. exceptionem, de except. Simancãs t.9.n.205. Azor t.1.l.8.c.13.q.7.Sanchez l.2.decal. cap.36.n.1.& omnes illi,qui etiam in bonorum confiſcatione tenent requiri declaratoriam ſententiam, iuxta regulam illam Alexandri in l.ſi quis maior. Cod. de tranſact. Omnia iure mundi, quæ dicunt pœnam imponi ipſo iure, vel facto, debent intelligi, modo ſit ſecuta ſententia declaratoria,qua ſit declaratum, id commiſſum fuiſſe, cui impoſita eſt pœna, alioquin pœnam effectu carere,& executione. Probant, quia vt colligitur ex l. 1. ff. de his qui not.infam. non contrahitur infamia iuris ante cõdemnationem criminis. Nec ob aliud dicitur infamia iuris, niſi quia ſtatim ac per iudicis ſententiam crimen eſt declaratum, reus eſt infamis,nec eſt opus, vt iudex condemnet reum, vt infamem,ſed tantum vt crimen declaret. Sicut

Scortia.

hæreticorum bona', ipso quidem iure sunt confiscata, sed requiritur ad apprehensionem ex cap. cum secundum, de hæret. l. 6. vt postea dicemus, iudicis sententia, qua declaretur crimen. Videatur Francus c. 1. de homicid. lib. 6.

Supponuntur hac eadé lege hæretici publico banno, vt factum est ab Innocentio IV. bulla 8. & 9. Idémque fit de suspectis, nisi ad mandatum Ecclesiæ se purgarint, ibidem. Eorúmque bona fisco adiudicantur, non amplius ad eos, aut eorum filios reuersura. iuxta cap. vergentis, & cap. excommunicamus, §. damnati, de hæret. & 6. q. 1. cap. si quis cum militibus, & cap. cum secundum, de hæret. l. 6. & Authent. Gazaros Cod. de hæret. l. vlt. Cod. de bonis proscript. Qua etiam de re dicetur in Constit. 8. Innocent. IV. ne scilicet sint fomenta malorum, & metu coërceatur improborum audacia.

Numerantur inter bona etiam serui l. vlt. Cod. ad leg. Iul. Maiest. Io. And. Gemin. Franco in cap. quicumque, §. vlt. de hæret. l. 6. Mariano Socin. in cap. vlt. de hæret. cum serui nominentur, & recensentur in bonis & patrimonio dominorum. l. rem in bonis, ff. de acquir. rerum domin. & l. vlt. §. Cod. de verb. signific. Si tamen Christiani serui essent dominorum impietatem detestati, fiunt sui iuris. l. Manichæos, §. vlt. Cod. de hæret. videatur Directorium Inquisitorum. 3. p. q. 119. Pegna comment. 168. Simancas t. 61. Sanchez l. 2. c. 24. nu. 9. & seqq. Azor t. 1. l. 8. cap. 12. quæst. 7.

Notat tamen Emericus 3. part. q. 109. & Pegna comment. 151. si hæretici resipiscant ante sententiam cõdemnationis, solere etiam ex misericordia eis bona condonari, ex citato cap. vergentis. Sed lis grauis est, an ipso iure ante vllam iudicis sententiam, hæreticus sit in foro conscientiæ priuatus suorum bonorum dominio?

Negat Soto l. 1. de iustitia, q. 6. art. 6. Victoria relect. de Iud. p. 1. n. 14. Archidiac. in cap. cum secundum leges. de hæret. l. 6. Bannes 2. 2. q. 61. art. 3. concluf. 5. Henriquez l. 13. cap. 56. Molina d. 95. §. dubium verò est. Emanuel Sà, verb. pœna, n. 1. Sanchez l. 2. c. 22. n. 3. Vazquez 1. 2. q. 96. art. 5. disp. 170. cap. 3. Steph. Auila de censuris, p. 1. dub. 7. eo quod delinquens, vi legis non aliter censeatur amisisse bona, eorum dominio delato ad fiscum, quàm in debito, & si feratur sententia; ideo non amisisse dominium, nisi secundum quid. Aliàs teneretur illa statim tradere fisco, cum inuito domino res retineri non possit. Quod nimis durum videtur, cum nullus teneatur exequi in se pœnam, sed solum pati spoliationem, &c. Et iuxta hanc opinionem docet Bannes loco citato. Sanchez n. 50. 59. Vazquez d. 171. & Molina, posse hæreticum sua bona vendere. Si tamen dicat posse confiscari, & titulo gratioso inter viuos, & in morte in alios sua bona transferre, donando, mutuando, permutando, dummodo non fiat in fraudem fisci ex Victoria, Molina, Couarr. aliàs Catholici in Germania, testamento, aut aliis contractibus aliquid recipientes ab hæreticis, grauiter peccarent.

Affirmant verò Io. And. Dominicus de S. Geminiano, Ancharanus, Philippus Francus in cap. cum

secun

ſecundum leges, de hæret. l. 6. Panorm. cap. excommunicamus, 1. de hæret. Bartolus in Authent. de inceſtis nuptiis, num. 11. Gloſſa ibid. verb. imminere, Caietan. 2. 2. q. 62. art. 3. Medina de teſtit. q. 1. §. poſt rerum dominium, Conradus de contract. q. 7. concluſ. 2. Corduba l. 1. q. 36. Caſtro l. 2. de leg. pen. cap. 10. 11. l. 2. de iuſt. hæret. pun. cap. 6. Azor t. 1. l. 5. c. 7. q. 2. l. 8. c. 12. Sylu. verb. hæreſis, 1. n. 12. 13. 14. Nauatr. in cap. accepta oppoſit. 7. 8. Valentia t. 2. d. 7. q. 5. punct. 6. & t. 3. d. 1. q. 9. punct. 3. Pegna 3. p. direct. Schol. 151. Salon 2. 2. q. 62. art. 3. Simancas t. 9. n. 126. Alciatus ibidem, Clarus §. hæreſis, n. 11. & in addit. Sayrus l. 3. cap. 9. n. 30. & alij plures apud Sanchez l. 2. c. 22. n. 2. tum ex cap. cum ſecundum leges, de hæret. l. 6. vbi eorum bona dicuntur ipſo iure confiſcata. Tum quia lata declaratoria ſententia in hæreticum, illa retrotrahitur vſque ad diem commiſſi criminis; ex Sylu. Valentia & aliis, ſicut in crimine læſæ Maieſtatis. l. ex iudiciorum, ff. de accuſat. & l. quiſquis, Cod. ad leg. Iul. Maieſt. Bartol. l. poſtea, ff. de donat. Sylu. verb. hæreſis, 1. q. 8. Soto loco citato, concluſ. 4. Victoria & Molina locis citatis. Et reſpondent ad argumentum non teneri illa ſtatim fiſco tradere licet ſint priuari dominio, quia leges quidem eos deiiciunt à dominio, ſed non adimunt poſſeſſionem & adminiſtrationem ex citato c. cum ſecundum leges, quod vetat illa fiſcum capere ante ſententiam iudicis Eccleſiaſtici. Qua de re Simancas tit. 9. n. 157. & ſeq. Couar. in epit. l. 4 p. 2. c. 6. §. 8. n. 10. vſúque receptum eſt, vt poſſit expectari ſententia iudicis, & executio, vt quis ipſo facto priuetur vſu & poſſeſſione bonorum ſuorum, licet ipſo iure eorum dominio priuatus eſſet.

Nec infetas, tunc non eſſet diſcrimen inter ipſas leges, quæ pœnam continent latam, & quæ ferendam: in illis enim iudex ſolum declarat reum commiſiſſe crimen contra legem, ideóque in pœnam ipſo iure latam eum incidiſſe: in his autem condemnat, & determinat pœnam. Itémque in illis declarato crimine, retrotrahitur ſententia iudicis, vt fiſcus bona nocentis à die commiſſi criminis, ſibi capiat, etiam ſi alienata in alios tranſierint, in iſtis autem minimè. Et tunc quoque valere alienationes factas ante ſententiam declaratoriam criminis, ſi nullum imminet periculum ei in quem fit alienatio, tenet Sanchez l. 2. c. 22. n. 50. 59. Azor t. 1. l. 5. c. 7. q. 7. Sylu. hæreſis 1. q. 8. n. 14. verſ. ſed limita. Angel. verb. pœna, q. 3. non enim id infert fiſco damnum, cum ei integrum ius remaneat reuocandi alienationes, ſequuta ſententia, ac ſi factæ non eſſent. Vnde hinc nulla conſurget culpa; ſicut neque propter fiſci dominium in ea bona abſque cuius conſenſu fiet alienatio. Eſto enim reus amittat dominium, non amittit tamen adminiſtrationem, quæ ſatis eſt ad liberandas alienationes à culpa.

An autem ſit eadé ratio in aliis bonis non propriis, v. g. collatis à republica, vel relictis ſub certis conditionibus, beneficiis Eccleſiaſticis, officiis publicis, &c. alibi pro occaſione dicetur. Hæreticorum autem bona olim eorum filiis Catholicis relinquebantur. l. Manichæos, l. cognouimus, Authent.

idem est, Cod. de hæret. & C. Iudæi, 1. q. 4. Sed nunc confiscantur. Authentica Gazaros, Cod. de hæret. & l. vlt. de bonis proscript. & cap. vergentis, de hæret. in odium scilicet criminis, sicut in crimine læsæ Maiestatis. Nec id crudele est, cū pater non minus habeat bonorum dominium, quàm si pater non esset, & ideo non minus puniendus, quàm si pater non esset. Accedit, quia illa ipsa bona pro libidine pater perdere potest, cósumere, obligurire, ludere, ita vt non perueniant ad filios: quidni igitur, ob maximum crimen eadem queant publicari, ita vt ad filios & successores hæreticorum non transeant?

THEOREMA 19.

QVæ dicuntur in lege 5. & 6. in hac constitutione habentur etiam recensita. Cod. de Episc. audientia, l. statuimus, & l. si vero, C. de hæret. & ab Innocentio III. in Concil. Lateran. cap. 2. & 3. & c. excommunicamus, 1. § moneantur, extra de hæret. & à Lucio III. cap. ad abolendam, ibidem. etiam sub pœna excommunicationis interdicti, inhabilitatis, &c. eodémque pertinet cap. vt officium, §. vlt. cap. vt inquisitionis initio, & §. prohibemus, de hæret. l. 6. Videndum repertorium Inquisitorum, verb. iuramentum, Emericus in directorio 3. p. q. 32. Pegna ibidem, & Simancas tit. 23. Rectè autem dictum est ab Isidoro l. 3. de summo bono, cap. 53. cognoscant Principes sæculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam quam à Christo tuendam suscipiunt: nam siue augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, siue soluatur; ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit. & ab Origene homil. 20. in Num. Principes non solum pro suis propriis arguuntur delictis, sed etiam pro peccatis populi coguntur rationem reddere. Ratio est quam attulit S. Leo epistol. 29. ad Pulcheriam. Quod humanæ res aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent, & regia, & sacerdotalis defendat auctoritas.

THEOREMA 20.

SAncita lege 7. leguntur etiam cap. excommunicamus, 1. §. credentes, extra de hæret. quia tamen hic nihil in specie definiri potuit ab Imperatore, contra clericos, Pontifex prædicto §. credentes, hæc addidit. Si verò clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur, vt in quo grauior est culpa, grauior exerceatur vindicta. déque omnibus subdidit: Si qui autem tales postquam ab Ecclesia fuerint denotati euitare contempserint, excommunicationis sententia vsque ad satisfactionē idoneam percellantur: sub eadem excommunicationis sententia prohibet illos tradi ecclesiasticæ sepulturæ. Plura verò de Credentibus, Receptatoribus, Defensoribus & Fautoribus hæreticorum disputant Archidiaconus, Io. Andr. Ancharanus, Geminianus, Francus & alij in cap. quicumque, de hæret. l. 6. Simancas tit. 15. Castro l. 2. de iust. hær. pun. cap. 17. Brunus l. 1. de hæret. cap. 4. Emericus p. 2. q. 50. 51. 52. Pegna ibid. cap. 75. & seqq. Sylu. verb. hæresis, q. 7. Palud. 4. d. 13. q. 3. Turrecrem. 2. p. summ. de

Eccl.

Eccl.l.4. cap.21. Azor t.1.l.8.c.15. Sed de his iterum agendum erit in Gregorio IX. in Constitutione quæ incipit, *Excommunicamus*, & in bulla Cœnæ Domini Pauli V.

THEOREMA 21.

QVod vtatur lege 8. prohibetur etiam (non obstante quacumque consuetudine, quæ vt ait Paulus III. Constitutione 42. corruptela dicenda est, quocumque tempore sit munita) in iure ciuili, ff. de incend. ruin. naufrag. l.1.3.5. 7. & ff. ad leg. Rhod. de iactu, l.1. & 8. & Cod. de furtis, l.18.19. & in iure canonico, cap. excommunicationi. de raptor. §. illi etiam. Honorij II. Constitutione quæ incipit, *Charissimus*, vt ibidem diximus, Iulij II. bulla 20. Pauli III. n.42. & 57. & in bulla Cœnæ Domini, adiecta reseruatione excommunicationis summo Pontifici. Repugnátque talis rapina etiam iuri diuino, & naturali, cum non sit alteri faciendum, quod nobis ipsis fieri nolumus, neque aliena res sit inuito domino vsurpanda. Hæc tamen locum non habent cum nauigia piraticam prauitatem exercét, vel inimica sunt nomini Christiano, vel Principi, vti erant, de quibus agit Ioannes Octauus 23.q.8. cap. præterea. idémque habetur in l. nauigia, Cod. de furtis.

Theor. 6.7.413.

THEOREMA 22.

IDem quod dicitur lege 9. de peregrinorum, & aduenarum decedentium ab intestato, bonis per Episcopū tradendis legitimis hæredibus, si reperiantur, vel distribuendis in pias causas, docet Authent. omnes peregrini, Cod. communia, de successionibus. etsi l. 1. & seq. Cod. de bonis vacantibus, antea acquirerentur fisco. Et ponitur inter causas pertinentes ad forum Ecclesiasticum ab Hostiensi & Glossa in cap. licet, 1. de foro compet. Et meritò ne videlicet pietas neglecta iaceat, sicut etiam fit cum peregrinis & aduenis res chariùs quàm ciuibus venduntur, cap. placuit, de empt. & vend. Glossa ibid. Innocentio & Baldo l. 1. de Episc. aud. possunt enim Episcopi id prohibere fieri etiam sub excommunicatione. d.42.c.1. Quod autem hospitibus accipientibus sibi aliquid ex prædictis interdicitur facultas testandi de rebus suis, accidit etiam in aliquibus aliis casibus grauibus vt damnatis ob libellum famosum. l. is cui, ff. de testam. ob crimen læsæ Maiestatis. l. quisquis, Cod. ad leg. Iul. Maiest. ob hæresim, in Constitutione Feder. II. Imper. quæ incipit, *Pataremorum*. ob præstitum auxilium & fauorem hæreticis in bulla 3. Gregorij IX. & 18. Innocentij IV. & extra de hæret. cap. excommunicamus, 1.§. credētes, & l. Manichęos, Cod. de hæret. ob vsuram. c. quemquam, de vsuris, l.6. de deportatis, l. eius cui, §.1. ff. de testam. & aliis, de quibus Cod. qui testam. facere non poss. Videndi circa huiusmodi legem etiam Azor. t.3. libr. 1. cap.13. Lessius lib.2. cap.14. dub.7. Molina tom.1. disp.53. Bannes 2.2.q.66. artic.5. Rebellus par.1. lib.1. quæst.15. sect.2. Vazquez de restitut. c.5.§.4.

THEOREMA 23.

QVoad legem 10. de Agricultoribus & Rusticis habetur etiam cap. 2. tit. de treuga & pace. Innouamus vt presbyteri, monachi, conuersi, peregrini, mercatores, rustici, euntes & redeuntes, & in agricultura existentes, & animalia quibus arant, & semina portant ad agrum congrua securitate lætentur. & lex Constantini Cod. de Agricolis & Censitis lib. 11. in hęc verba. Nunquam sationibus vel colligendis frugibus insistentes agricolæ ad extraordinaria onera trahantur: cum prouidentię sit opportuno tempore his necessitatibus satisfacere. & l. 2. si quis prædium vendere voluerit vel donare, retinere sibi transferendos ad alia loca colonos priuata pactione nō possit. Qui enim colonos vtiles credunt, aut cum prędiis eos tenere debent, aut profuturos aliis derelinquere, si ipsi prędium sibi prodesse desperant. Hæc enim & alia in hanc sententiā cauerunt Impp. ne agrorum cultura detrimentum caperet, & penuriam pateretur Prouincia. Videndus hac de re Pet. Greg. Syntag. l. 37. cap. 4.

GREGORII IX.

Constitutionis editæ anno 1234. *incipientis.* Rex.

EPITOME 8.

Prohibētur Eccl. loca absque Cardinalium consensu alienari.

GREGORIVS Symmacum imitatus prohibet absque consensu Cardinalium alienationem locorum Sedis Apostolicæ. Vnde §. 2. ait: *Nos autem super hoc illius vestigijs inhærentes vnanimi fratrum desiderio, ac petitione concordi, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, vt de patrimonialibus sine communi fratrum consilio & assensu alienatio nulla fiat, sitq; vni facultas, quod ex causa legitima obstaculum liberè contradictionis opponat. Quod si forte fuerit in alienatione processum, factum ipso iure non teneat per successorem, quatenus prædecessor de facto processerit, & eo ipso quod sic processum fuerit, reuocandum de alienantis vita cōsentientium numero, & solemnitate scripturæ nullum adminiculum tali suscipiente contractu.* Et in §. 3. numerantur in particulari loca quædam prohibita alienari.

THEOREMA 24.

CVm de modo quo faciendæ sunt alienationes bonorum Ecclesiæ ab inferioribus prælatis antea statuisset D. Leo, vt supra diximus, Gregorius IX. præscribit modum seruādum à summis Pontificibus in alienandis locis Sedis Apostolicæ, vt scilicet accedat etiam communis consensus Cardinalium, alioquin alienationem per futurum Pontificem reuocandam. Valde enim verendum fuit ne ab Ecclesia ad Pontificum consanguineos & affines loca transferrentur, magna cum diminutione auctoritatis dictæ Sedis Apostolicę, vt experientia ipsa persæpe docuit. Theor. 2.

docuit. Sed à Pio V. anno 1567. in Conſtitutione 35. ſancitum fuit, ne quouis modo id amplius fieri liceat, & Cardinales iurant ſe nunquam conſenſum præſtituros, & ſi eligantur in ſumm. Pontificem, id non facturos, quod etiam ſinguli Pontifices poſt aſſumptionem iuramento cõfirmant, & iterum poſt ſuam incoronationem, & tractantes publicè vel priuatim de nouis infeudationibus petendis à Papa, vel mittendis Oratoribus pro hac re ſunt excommunicati, reſeruata abſolutione Papæ, rei criminis læſæ Maieſtatis, proditores, rebelles, priuati bonis, beneficiis, infames, &c. de quibus agetur infra Theoremate 239. & ſeq.

Eiuſdem GREGORII IX.

Conſtitutionis 3. editæ anno 1236. incipientis. Excommunicamus.

EPITOME 9.

Hæretici & cõplices ſũt excõmunicati, infames, ad publica officia inhabiles, carent voce, nõ poſſũt teſtes eſſe nec teſtari, nec hæredes inſtitui, non eſſe iudices, aduocati, notarij; ſacramentis & Eccleſiaſtica ſepultura

EXCOMMVNICAMVS (inquit §. 1.) *hæreticos quoſcumque, quos etiam per Eccleſiam damnatos indicio ſæculari debitis pœnis puniendos relinquimus, Clericos tamen à ſuis ordinibus degradatos. Volentes verò ad pœnitentiam redire poſtquam fuerint iam deprehenſi, ſunt adiudicandi perpetuo carceri.* §. 2. *Item excommunicantur eorumdem fautores, credentes (qui & ipſi hæretici cẽſentur) receptatores, defenſores, & niſi ſic excommunicati reſipiſcant, ſint ipſo iure infames, inhabiles ad publica officia, ſeu conſilia, careãt actiua voce eligendi alios, non poſſint admitti ad dicendum teſtimonium, ſint inteſtabiles, & incapaces ad hæreditatum ſucceſſiones. eis nullus ſuper quouis negotio, ſed ipſi alijs reſpondere cogantur. Si fuerint iudices, illorum ſententiæ ſint nullæ, non deferantur ad eos cauſæ. Si aduocati, non admittatur eorum patrocinium. Si tabelliones, inſtrumenta nullius ſint momẽti. Idemq; in ſimilibus. Si verò clerici, ab officijs & beneficijs deponantur. Sic excommunicati vitentur ab omnibus, ſub pœna excommunicationis.* §. 3. *Suſpecti quoque niſi propriam oſtenderint innocentiam, ſunt excommunicati, & ſi in ea per annum ſteterint, ex tũc velut hæretici condemnẽtur.* §. 4. *Non admittantur talium appellationes.* §. 5. *Iudices, aduocati, notarij, ſuum officium nulli eorum impendant, alioquin ſint ipſi in perpetuo priuati officio proprio. Clerici eos ad ſacramenta non admittant, nec illorum eleemoſynas recipiant, ſicut nec alij religioſi, alioquin ſuo priuentur officio, nec eos in Eccleſijs ſepeliant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ à qua abſolui non poſſint, niſi eoſdem propryjs manibus extumulẽt publicè, & locus ille perpetua ſepultura careat.* §. 6. *Laici*

priuatur; filij eorũ vſque ad ſecundam generationẽ ſunt inhabiles ad officia & beneficia Eccleſiaſtica. Laici de fide non diſputent. Cognoſcoes hæreticos & celebrantes occulta conuẽticula reuelent, ſub excõmunicatione, &c.

ci de rebus fidei non diſputent, ſub pœna excommunicationis. §.7. *Qui hæreticos nouerint, vel celebrantes occulta conuenticula, eos teneantur ſub excõmunicationis pœna manifeſtare.* §.8. *Filij hæreticorum, receptatorum, & defenſorum eorum vſque ad ſecundam generationem ad nullum Eccleſiaſticum officium aut beneficium admittantur, irritumq; ſit quicquid in contrarium fuerit attentatum.*

THEOREMA 25.

FErtur eadem excommunicatio in quoſcumque hæreticos, cap. excommunicamus, 1. extra de hæret. ab Innocentio III. & cap. excommunicamus, 2. ab eodem Gregorio IX. Gelaſio. cap. Achatius, 24. q. 1. Alexandro II. cap. audiuimus. Lucio III. cap. ad abolendam. de hæret. & Honorio III. cap. nouerit, de ſentent. excomm. Indéque videtur fluxiſſe mos publicandi quotannis proceſſum bullæ Cœnę Domini. cum de eo meminerit titulo de crimine falſi, §. qualiter committatur, verb. porrò. Hoſtienſis, qui floruit ſub Innocentio IV. etſi tunc vocaretur proceſſus Curię, & non Cœnę Domini, eo quod non tantum in die Cœnę Domini, vt fit à tẽpore Martini V. ex S. Anton. 3. p. t. 25. cap. 72. ſed etiam in Aſcenſione Domini, & in die Dedicationis Baſilicæ D. Petri & Pauli die 18. Nouembris fieret, vt dicam Theoremate 408. pauciorẽſque caſus contineret. Quem deinde imitatus eſt Innoc. IV. bulla 18. nouerit. & Alexand. IV. bulla. Feliscis, & alij, qui ſucceſſerũt. Sed olim excommunicatio non erat ſummo Pontifici reſeruata, vt eſt hodie.

Eſt tamen lis inter Doctorẽs, an hæc excommunicatio ſit ſolius iuris humani, an etiam diuini. Quod eſt quærere, an hæretici ſint etiam iure diuino à nobis vitandi in rebus diuinis. Et quidem Almainus 4. d. 18. q. 1. Echius in Enchirid. locorum comm. & Latomus in Aſſertione Academiæ Louan. contra Lutherum affirmant, eo quod inſtante etiam mortis tempore, nemini liceat. cap. Arianos, 1. q. 1. & cap. ſi quem, cum duobus ſeqq. 24. q. 1. & S. Thoma 3. p. q. 82. art. 7. ad 2. Sacramenta ab hęretico ſuſcipere, vno excepto baptiſmo, quod eſt ſimpliciter ad ſalutem neceſſariũ. Negent verò (licet ſecundum omnes ius excommunicandi in Eccleſia ſit de iure diuino. Matth. 18.) Caſtro lib. 2. de iuſt. hæret. pun. c. 8. Sotus 4. d. 22. q. 1. art. 1. Azor t. 1. l. 8. cap. 10. q. 2. Sanchez l. 2. decal. cap. 9. num. 2. Valentia, & alij, volentes id tantum iure canonico prohiberi, poſſéque Pontificem concedere, vt non tantum baptiſmum, ſed alia quoque ſacramenta ſuſciperemus ab hæreticis intendentibus facere, quòd Eccleſia facit. Licet enim priuati ſint iuriſdictione Eccleſiaſtica quòd fuerint ab Eccleſia ſegregati, poteſt tamen Pontifex illam concedere. Quamuis etiam tunc iure diuino eſſent vitandi, ſi ex huiuſmodi communicatione, oriretur ſcandalũ aliorum vel ſi nobis immineret periculum ſpiritualis exitij, aut ſi communicandum eſſet in crimine & impietate ob quam excommunicati eſſent, necnon ſi adeſſet Catholicæ religionis contemptus.

THEO

THEOREMA 26.

EOdem §. 1. Gregorius meritò ſtatuit hæreticos per Eccleſiã damnatos relinquendos ſæculari iudicio pœnis debitis puniendos, cum & diuinæ leges Deut. 13. *Propheta qui dixerit*, &c. & cap. 18. *Propheta qui arrogantia*, &c. Num. 25. *Tolle cunctos Principes*, &c. & Eccleſiaſticæ, cap. ad abolendam, c. vergentis, cap. excommunicamus, 1. de hæret. & alibi ſæpe, & ciuiles. l. ſacrilegij, l. ſacrilegi, ff. ad leg. Iul. peculat. Authent. Gazaros, Cod. de hæret. & alibi, impios & ſacrilegos ſeuerè puniant; & ſic ſcripſerit Iul. Paulus l. 5. recept. ſent. tit. de vaticinat. Qui nouas & vſu & ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moueantur, honeſtiores deportantur, humiliores capite plectuntur. Quinimò Plato l. 10. de legg. Impios non vna morte ſed pluribus dignos eſſe cenſuit. & M. Tullius l. 2. de leg. In omni (inquit) religione impij non ſolum vita cruciati atque dedecore, verum etiam ſepultura & iuſtis exequiis caruerũt. Cui concinit Plutarchus ſcribens in l. de ſuperſtit. negantes diuinam prouidentiã fuiſſe impietatis damnatos & lapidibus obrutos. Eadem de cauſa Protagoram & alios ſupplicijs affectos docet idem Plutarchus in vita Niciæ, Laërtius, Ioſephus l. 2. contra Apionem, Chryſoſtomus homil. 4. in epiſt. 1. ad Cor. & Cyrill. l. 4. in Iulianum: quare multo magis id fieri debuit contra delinquentes in Chriſtianam religionem omnino ſanctiſſimam, à Dei Filio promulgatam, & infinitis miraculis, oraculis diuinis, ac ſuo pretioſo ſanguine confirmatã.

Porrò tribus de cauſis facinoroſi puniuntur. Primò, ne ipſi iterum peccent, ſed redeant ad meliorem frugem, ex Galeno. l. quod mores animi ſeq. temp. corp. Stat enim ſententia Ariſtotelis l. vlt. eth. in fine, multitudo neceſſitati potius quàm rationi, & pœnis quàm honeſtati paret. Ob id D. Auguſtinus ep. 48. & 50. Phræneticus (inquit) ligandus & corripiendus eſt, ne præcipitetur, & qui ſomno lethargico tenẽtur, excitandi ſunt etiam flagellis. Deus quoque nos omnes flagellis corrigit, & pater filios, & paſtor gregem. Propterea pro hæreticis ſunt leges iſtæ pœnales, quę illis videntur aduerſæ, quãdo multi per illas conuerſi ſunt, & quotidie corriguntur. Moleſtus eſt & Medicus furenti phrẽnetico, & pater indiſciplinato filio, ille ligando, iſte cẽdendo, ſed ambo diligendo. Si autem illos negligant, & perire permittant, iſta manſuetudo falſa, crudelitas eſt. Multus eſt idẽ Auguſtinus in hac re ep. 266. & in lib. contra Parmenianum, contra Gaudentium, & contra epiſtolas Petiliani, & l. 2. retract. cap. 6. vbi ſe retractat, quod aliquando oppoſitum ſenſiſſet. Idémque exemplis probat D. Hieronymus cap. legi, 23. quæſt. 8. 1

Secundò, vt exemplo cæteri à ſimilibus patrandis deterreantur, iuxta illud Deut. 13. *Vt omnis Iſraël audiens timeat.* & cap. 21. *Et vniuerſus Iſraël*, &c. & Prouerb. 19. *Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit.* & l. 1. Cod. ad leg. Iul. repetund. Vt vnius pœna metus poſſit eſſe multorum. & Platonis l. 12. de legg. pœnis maligni vexantur vt & ipſi, & qui puniri iniquitates viderint, iniuſtitiam oderint, aut ſaltem mi- 2

nus in ſimili vitio peccent. Et in Gorgia. Conuenit omnem qui ab aliquo rectè punitur, vel ipſum fieri meliorem vtilitatémque percipere, vel cæteris exempla dare, vt alij pœnas eius conſpicientes meliores ob timorem efficiantur. Denique Cyprianus ſerm. de Lapſis. Exempla ſunt omnium, tormenta paucorum. Videatur idem in exhort. ad Martyr. cap. 5. Origenes homil. 9. in Num. & Galenus loco citato.

3 Tertiò, vt ſecuriores cæteri viuant, tutáque ſit inter improbos innocentia ex D. Auguſtino ep. 54. Lactantio libr. de ira Dei. Iſid. l. 5. etym. cap. 20. & refertur d. 4. c. factæ ſunt. & cap. non fruſtra, 23. q. 5. Ob id M. Tullius Philipp. 8. Clem. Alex. l. 1. ſtrom. & Galenus vbi ſupra, docent Medicorum exemplo perditos tanquam partē aliquam corporis immedicabilem à reliquo corpore ciuitatis reſecandos, ne totum corpus intereat. Quare rectè Seneca lib. de moribus. Bonis (inquit) nocet, qui malis parcit. Cui ſimile habetur apud Origenem homil. 7. in Ioſue, & refertur d. 45. cap. ſed illud. Has omnes punitionis cauſas paucis complexus eſt idem Seneca l. de Clementia. In iudicando (ait) ſiue corrigendo hanc legem Princeps quoque ſequi debet, vt aut eum, quem punit, emendet, aut pœna eius, cæteros meliores reddat, aut ſublatis malis ſecuriores cæteri viuant.

His igitur de cauſis meritò ſtatuit Innoc. III. cap. excommunicamus, 1. §. damnati, Gregorius IX. hic, §. 5. & cap. excommunicamus, 2. de hæret. & Innoc. IV. bulla 1. & 18. obſtinatos hæreticos omniū hominum perditiſſimos, etſi fuerint Eccleſiaſtici, prius degradatos pœnis debitis puniendos, vltimo ſcilicet ſupplicio. Ita enim intulit Philo l. 1. de Monarchia exemplis diuinæ Scripturæ. Qui à pietate deficiunt plectendi ſunt pœna vltima, quòd tenebras præponant luci clariſſimæ, & data opera mentem excæcent, cum potuerint verum cernere. Videatur hac etiam de re l. Ariani, Cod. de hæret. & l. Manichæos, & l quicumque, ibid. & in Cod. Theodoſiano l. 1. de Iudæis, & Leuit. cap. 20. 24. & Num. 25. vbi hęretici declinantes ad magos & blaſphemi vltimo plectuntur ſupplicio. Et pœnam iuſtiſſimam eſſe cenſuit D. Auguſtinus lib. 3. contra epiſtolam Parmeniani cap. 2. & ſi prius optaſſet cum aliis Patribus, quoad fieri poſſet, etiam circa indignos ſeruare manſuetudinem Chriſtianam.

Porrò in Flandria & locis inferioris Germaniæ huius criminis rei capite obtruncantur, in Geldria & Venetiis manibus ac pedibus ligatis in aquis ſubmerguntur, ſed conuenientiſſima pœna videtur combuſtio ignis, vt cenſuit Federicus II. Imp. in Conſtitutione, Inconſutilem, §. 2. Chaſſaneus ſuper Conſuetud. Burgund. Aretinus in l. cunctos populos, Cod. de ſum. Trin. num. 11. Grillandus lib. 1. de crim. quæſt. 3. num 3. Carerius in pract. n. 132. Simancas t. 46. n. 45. Sylu. verb. hæreſis, nu. 14. verſ. 12. Caſtro l. 2. de iuſt. hær. pun. cap. 12. Alciatus in l. 1. Cod. de ſum. Trinit. Clarus §. hæreſis, num. 7. Brunus l. 5. de hæret. cap. 3. Hoſtienſis, Ancharanus, Abbas, Io. Andr. in cap. ad abolendam, de hær. Ioan. Roias p. 2. aſſert. 45. Couarr. l. 2. var. reſol. c. 10. Pegna in direct. Inq. com. 65.

Ignis

Ignis enim egreſſus à Domino interfecit impios, qui receſſerunt à Moyſe, Num. 16. idque factitatum eſt in Eccleſia, vt colligere licet ex Synodo Chalcedon. act. 1. Nicephoro l. 18. cap. 4. Gregorio l. 1. dialog. cap. 4. Anton. 3. p. tit. 21. c. 8. Blondo lib. 9. decad. 2. Platina in Clem. verb. Gaguino in Philippo Pulchro, Zonara in Alexio Comneno, Paulo Æmilio l. 6. Petro Crinito l. 1. de honeſta diſcipl. cap. 13. eámque in legibus primus omniũ ſtatuiſſe videtur Federicus II. Imp. in Conſtitutione quæ habetur in fine directorij Inquiſitorum. Argumenta autem Lutheranorum negantium ſummo ſupplicio afficiendos hæreticos ſoluit Azor t. 1. l. 8. cap. 13. §. vltima pœna, Petrus Lorca 2. 2. quæſt. 11. artic. 4. d. 43. & alij.

THEOREMA 27.

IN ſecundo autem Conſtitutionis huius §. ſicut, in cap. excommunicamus, 1. de hæret. & cap. nouerit, de ſent. excomm. vbi eadem excommunicatio fertur, nomine Credentium hæreticorum intelliguntur, teſte Palud. 4. d. 13. quæſt. 3. art. 1. Nauarr. cap. 27. num. 55. Suarez tom. 1. diſput. 21. ſect. 2. n. 6. & ſeq. Azor t. 1. l 8. cap. 15. quæſt. 1. Simanca tit. 15. Caſtro l. 2. de iuſt. hæret. pun. cap. 17. Vincentio Lerinenſi l. aduerſus hæreſes. Tolet. l. 1. in expl. bullæ Cœnæ. Sayro l. 3. c. 5. Anton. 3. p. t. 25. cap. 4. Sanchez l. 2. cap. 10. num. 1. & 2. Sylu. verb. hæreſis, 1. quæſt. 7. Archidiac. & aliis Doctoribus in cap. quicumque, de hæret. l. 6. director. Inquiſit. part. 2. quæſt. 50. & ſeq. Pegna ibid. comm. 75. 76. Bruno l. 1. de hæret. cap. 4. illi qui implicitè credunt, quæ credunt diſtinctè ipſi hæretici, non autem explicitè, alioquin iam & ipſi hæretici dicerẽtur. Vt qui verbo vel facto (eſt enim neceſſe vt aliquo ſigno errorem manifeſtent, ad hoc vt incurrant excommunicationem) v. g: declarat Lutheranos eſſe viros bonos, nihil contra veritatem docere, vel qui vtitur communione rituum eorum ex Concilio Narbonenſi cap. 29. Director. Inquiſit. p. 2. quæſt. 50. Turrecremata l. 4. ſum. p. 2. cap. 12. Simanca tit. 15. Petro Lorca 2. 2. q. 11. art. 4. diſput. 48. num. 2. vt qui dicit ſe eorum opinioni credere, velle in eorum fide mori, eos conſulit, in infirmitate eos accerſit, ex cap 3. de hæret. l. 6.

Fautores verò ex Emerico loco citato quæſt. 53. & Pegna com. 78. Zanchino de hæret. cap. 5. Turrecremata cap. 21. Sanchez cap. 10. citato num. 11. & auctoribus ſupra citatis, duplices ſunt, Omiſſione ſcilicet, & Commiſſione. Omiſſione dicũtur hæreticorum fautores, qui publica adminiſtratione fungentes negligunt damnatos ab Eccleſia lata ſententia hæreticos exterminare, capere, punire, iuxta c. ad abolendam, & cap. excommunicamus, de hæret. & 23. quæſt. 3. cap. qui poteſt, & quæſt. 5. cap. qui vitiis, & quæſt. 8. cap. præterea. & de ſent. excomm. cap. quantæ, Bartolo in l. quæ dotis, ff. ſolut. matr. Quare ſicut Saul regno priuatus eſt, quia Regi Agag pepercit. l. 1. reg. c. 15. ſic puniuntur, qui omittunt hæreticorum punitionem. c. vt Inquiſitionis, de hæret l. 6. Nauarr. l. 5. de hæret. conſil. 11. Commiſſione verò omnes ſiue ſint magiſtratus, ſiue perſonæ priuatæ, qui

ſcienter ſiue verbis ſiue factis hæreticos laudant, occultant, excuſant, liberant, ſæpius audiunt, inuiſunt, obſeruant, illiſque opem ferunt, alimenta, pecuniam, equos & ſimilia ſubminiſtrant, ex cap. 8. de hæret. lib. 6. Simplices ad eorum deuotionē inducunt, vt tales ſunt, vel talem profitentur doctrinam, & docent aut defendunt, vel quid ſimile. Qua de re Caiet. excomm. t. Nauarr. cap. 27. num. 55. & l. 5. de hæret. conſil. 16. Azor t. 1. l. 8. c. 15. quæſt. 2. & 7. Simancas t. 15. Graſſius p. 1. l. 4. cap. 18. num. 23. Sanchez l. 2. cap. 10. num. 4. Aragon. 2. 2. quæſt. 11. art. 3. Manuel in bulla Cruciatæ §. 3. num. 75. Palud. loco citato, concluſ. 3. & omnium optimè Suarez t. 5. d. 21. ſect. 2. num. 6. & 8. Illi enim homini, qui hæreticus eſt, alimenta vel quid ſimile præbere ad vitam ſuſtentandam, non videtur per ſe malum nec vllo canone vetitum, vt canit Gloſſa in cap. accuſatus, §. illi, de hæret. l. 6.

Receptatores quoq; in hoc eodem §. 1. & in cap. ſicut ait, & cap. excommunicamus, 1. de hæret. & cap. nouerit, de ſentent. excomm. & cap. quicumque, §. hæretici, de hæret. lib. 6. & l. 1. ff. de receptat. & l. congruit, ff. de off. Præſid. dicuntur non ſolum qui frequenter, verum etiam qui ſemel (ſcienter tamen recipiunt ex Gloſſa cap. accuſatus, §. ille, de hæret. l. 6.) recipiunt vel celant hæreticos, ex Palud. Anton. Sylueſtro, Azor, Sayro, Graſſio, Sanchez locis citatis. Emerico quæſt. 51. Pegna comm. 76. Archid. & Doctoribus in cap. quicumque, de hæret. Iiſdémque ſubiiciuntur pœnis quibus defenſores hæreticorum, prædicti receptatores, hic & cap. excommunicamus. 1. de hæret. & in cap. 2. 5. 6. 8. 11. 12. de hæret. l. 6. & alibi ſæpe. eo quòd qui receptat, faueat etiam & defendat. & ex l. 44. de his qui ſuper relig. contendunt. in Cod. Theodoſiano incurrunt confiſcationem bonorum & pœnas hæreticis impoſitas, & Plato ipſe l. 12. de legg. ſic de receptatoribus conſtituit. Qui exulem ſeu quemuis huiuſcemodi fugientē ſuſceperit, moriatur. Quippe quem ciuitas amicum ſibi vel hoſtem decreuerit, eundem ſibi quiſq; ſimiliter exiſtimare debeat. Et ſanè meritò, vt enim notat Gloſſa in cap. excōmunicamus, de hæret. ſine receptatoribus hæretici diu manere non poſſunt. vt etiam latronum receptatores. eadem plectuntur pœna, ex Iul. Paulo lib. 5. recept. ſent. tit. 3. dummodo tamen id non faciant ex ignorantia, vel vi, vel metu mortis coacti. l. 1. Cod. de deſert. & occult. Bald. in l. in delictis, ff. de nox. Bartol. l. 1. §. vlt. ff. de receptator. Aretin. conſil. 122. Bartol. Socin. to. 2. conſil. 126. Azor t. 1. l. 1. cap. 11. q. 1. l. 5. cap. 6. q. 6. l. 8. cap. 15. q. 6. Sot. l. 1. de iuſt. q. 6. art. 4. & l. 4. ſent. d. 22. q. 1. art. 4. Gabr. 4. d. 18. q. 3. art. 3. Maiore 4. d. 14. q. 4. Mario Alterio l. 5. cap. 4. fine. Durando l. 2. can. 1. q. 29. num. 7. tunc enim non id faciunt, vt hæreticum recipiant, ſed vt propriam vitam tueantur. Leges autem humanæ non obligant cum certo vel probabili vitæ periculo. Sed quid in foro exteriori ſi pater filium hæreticum, aut frater fratrem, aut vxor maritum ſcienter recipiat? Gloſſa c. excommunicamus, §. credentes, de hæret. vult eum iuris pœnas incurrere. Simancas tit. 15. n. 21. Azor p. 1. l. 8. cap. 15. quæſt. 4. exiſtimant vel

vel non puniendum, vel certè ſolum pœna leuiſſima. Quia iura naturæ non ſint hæreticis deneganda, nec facile exuere poſſimus affectum erga tales conſanguineos. Et fauet lex 2. ff. de receptator. vbi dicitur, eos apud quos affinis vel cognatus latro conſeruatus eſt, neque abſoluendus, neque ſeuerè admodum puniendus: non enim par eſt eorum delictum, & eorum qui nihil ad ſe pertinentes latrones recipiunt. In foro autem interiori Caiet. excommunicatio, 1. Nauarr. cap. 23. num. 55. Azor loco citato, quæſt. 2. & 3. Graff. nu. 34. 35. Sanchez l. 2. decal. cap. 10. num. 5. Sayrus l. 3. cap. 5. num. 3. Petrus Lorca 2. 2. q. 11. art. 4. diſp. 41. n. 6. Duardus l. 2. can. 1. q. 29. & alij exiſtimant, idem dicendum quod diximus de fautoribus ſi recipiant ob ſolam conſanguinitatem, amicitiámve, & neceſſitudinem magnã, eos ſcilicet non eſſe habendos pro receptatoribus, cum illos non recipiant, vt hæreticos, ſeu amore, & motiuo hæreſis, ſeu in fidei contemptum, cum apud doctos termini ſint intelligendi formaliter, & iura ex intentione & propoſito maleficia diſtinguant: ideoque non incurrere excommunicationem. Notat tamen Toletus l. 1. cap. 19. & Sayrus aliquem tali tempore & circumſtantia recipere poſſe, vt vix vnquam poſſit excuſari à crimine & excommunicatione.

Defenſores denique in iure dicuntur, vt etiã dicetur Theor. 410. qui quacumque ratione curant, vel ſtudent ſiue verbis, ſiue factis, vi, armis aut alio modo, ne hæretici, vt tales denuncientur, accuſentur, capiantur, iudicentur, puniantur, aut de manibus miniſtrorum iuſtitiæ fugiant, vel tutò viuant, vel qui ſcientes eos eſſe hæreticos pro eis aduocant, ſuſcipiunt patrocinium, inſtrumenta in cauſa & defenſione eorum conficiunt ex Paludano 4. d. 13. q. 3. art. 1. Viualdo in expoſit. bullæ Cœnæ, Sayro, Azor locis citatis. Simanca t. 15. nu. 9. & ſeqq. Zanchino cap. 5. Caſtro l. 2. de iuſt. hæret. pun. cap. 17. Sanchez l. 2. cap. 10. num. 18. Emerico p. 2. q. 52. Pegna com. 77. & cap. qui, 24. q. 3. defenſores dicuntur multo damnabiliores, iis, qui errant. Et cap. qui conſentit, 11. quæſt. 3. dicitur, *qui conſentit peccantibus, & defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum & homines, & corripietur correptione ſeueriſſima.* Et S. Baſilius ibidem, & apud Smeraldum in regula, cap. 69. *ſi quis peccantem defendit, acrius coërceatur, quàm qui peccauit.* Iiſdem conuenit quod habetur l. 2. Paralip. cap. 19. *impio præbes auxilium, & ijs qui oderunt Dominum, amicitia coniungeris, idcirco iram Domini mereris.* & præter excommunicationem quam hoc loco incurrunt, & in cap. ad abolendam, & cap. excommunicamus, de hæret. & cap. nouerit, de ſent. excomm. & in bulla 1. §. 9. & bulla 18. §. 3. Innocentij IV. & in bulla Cœnæ, ſunt deuitandi, infames, digni depoſitione ab officiis & beneficiis, priuati voce actiua & paſſiua, inhabiles ad omnes actus legitimos, inteſtabiles, incapaces ſucceſſionum, nec poſſunt iudicare, aduocare, conficere inſtrumenta ex citatis iuribus, & l. Manichæos, & bulla Honorij III. Has leges, num. 7. Atque hæc irregularitatis pœna eſt vna ex præcipuis ip hæreticos & eorum fautores & filios ſtatutis. de qua etiam cap. 2. de hæret. l. 6.

Innoc. l. epiſt. 22. cap. 1. Concil. Nicænum 2. act. 1. Chalced. actione 8. Num autem hęc irregularitas contrahatur etiam ſi crimen ſit occultum (licet non purè mentale) diſſentiunt auctores, affirmant Sylu. verb. crimen, num. 3. & verb. enorme, num. 2. Azor t. 1. l. 8. cap. 21. q. 8. & alij. Negant Henriquez l. 14. c. 4. §. 6. Corduba l. 1. q. 35. & c. 41. Sayrus l. 7. cap. 12. num. 14. & ſeq. Vgolinus de irregul. cap. 36. & alij. Sed dicetur hac de re in bulla 18. Innocentij IV. Theor. 52. num. 17.

THEOREMA 28.

QVę in 3. §. habentur, inueniũtur etiã ſtatuta ab Innoc. III. cap. excommunicamus, 1. §. qui autem, & §. adiicimus, extra de hæret. Honorio III. in bulla, Has leges, §. 7. Innocentio IV. bulla 18. §. 3. Lucio III. cap. ad abolendam, §. qui verò, de hæret. & Alexandro IV. cap. cum contumacia, de hæret. l. 6. Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. de reform. §. in cauſis quoque, Authent. Gazaros, Cod. de hæret. Eáque ex profeſſo tractant Archid. Io. Andr. Geminianus citato cap. cum contumacia, Panorm. & Felin. in citato cap. excommunicamus, Emericus 2. p. quæſt. 47. Pegna ibid. cap. 72. Zanchinus cap. 9. Locatus in opere iudiciali, verb. excommunicati. Repertorium Inquiſ. verb. excommunicare, §. ſi ſuſpectus. Vgolinus tab. 1. cap. 14. §. 3. num. 3. & ſeq. rectè enim dixit Ruffinus l. 1. inuect. eſſe quidem glorioſum iniurias, Chriſti exemplo patienter tolerare, at vnam hæreſcos notam, qui ferat, vel diſſimulat, Chriſtianum non eſſe. Ob id qui intra annum hæreſis ſuſpicione non ſe purgant, debitã animaduerſione plectũtur. Vt fit etiam in clerico de fornicatione ſuſpecto, renuente ſe purgare, cap. tua, de cohabitat. cler. & mulier.

Eſt autem canonica purgatio, oſtenſio. innocẽtiæ de crimine obiecto, ex 2. q. 5. per totam, & extra tit. de purgatione canonica. Alenſi 3. p. q. 45. m. 3. Sylu. verb. purgatio, Simanca tit. 56. num. 3. Locato in iudiciali Inq. verb. purgatio, Claro §. fin. q. 63. Et aliquando fit per iuramentum infamati rei, coram ſuo iudice. Aliquando etiam per iuramentum teſtium compurgatorum, quorum numerus & dignitas in iure. 2. q. 5. cap. omnibus. & de purgat. canon. cap. inter, & cap. cum dilectus. eſt multiplex. Dicitur autem purgatio canonica ad differẽtiã purgationis vulgaris, ferri candentis, monomachiæ, & ſimilium, prohibitarum quaſi in eis tentetur Deus. extra. de purgatione vulgari. Videatur Theorema 52. num. 10.

THOREMA 29.

REiiciuntur §. 4. hæreticorum & complicum appellationes iuxta etiam ſtatuta in l. 8. Patauina Feder. II. Imper. approbata ab Innoc. IV. bulla 1. §. 8. & cap. inquiſitionis, de hær. l. 6. & l. 2. Cod. quorum appellatio non recip. cum cõfeſſi vel teſtibus fuerint conuicti. Nequeunt enim appellare à pœna legis impoſita, alias de legis iniuſtitia, non de iniquitate iudicis cõquererentur. vt notat Simancas tit. 6. Abbas cap. paſtoralis, de appellat. id enim fieri ſolet cauſa interponendæ moræ. ob id 2. queſt. 6. cap. quicumque dicitur. Quicumque non confidentiam iuſtæ cauſę, ſed

ſed cauſa afferendæ moræ,ne contra eum ſententia proferatur, appellauerit, vel ſi de facto ſuo confeſſus ne addicatur, appellare voluerit, huiuſmodi appellationes non recipiantur.Qua de re ſcripſit Conrad.Brunus l.4.de hæret.c.vlt. Simancas t.6. & in Enchiridio tit. 105. Iacobus Eſprenus in malleo Maleficarum 3.p. q.35. Clarus l.5. q.94. Io. Andr. Archidiac. Geminianus Francus in cap. vt inquiſitionis, de hæret.l.6. Io. Roias ſingul.19. Zanchinus de hæret. c.29. Inquiſitorum enim definitiuæ ſententiæ nullam appellationem habent,cap.cum ſpeciali,de appellat. & cap. ad noſtram, ibidem. Si tamen res eſſet dubia, appellationi deferendum eſſet, cap.vt debitus, § cum autem, iuncta Gloſſa,de appell. & l.defenſionis, de iure fiſci, Simanca tit. 6. num.6. Ab ſententiis tamen interlocutoriis Inquiſitorum,ſi quis ſe grauari ſentiat,appellare licet, ex eodem Simanca num.3. Zanchino cap. 29. num.2. Emerico 3.p. cap.117. quod tunc non appelletur à lege,ſed à iudicibus, qui arbitrio ſuo pronunciarunt, cum tamen non liqueat eum eſſe hæreticum. ex Archidiacono in cap.cum non ita,2.q.6.

THEOREMA 30.

1 DE Iudicibus, Notariis,Aduocatiſque hæreticorum, Credentium & Complicum definita hic, §.5. habentur pariter in Conſtitutione 18.Innocentij IV. §.3.& cap.ſi aduerſus, de hæretic.vbi eis delinquentibus imponitur pœna ſuſpenſionis ab officio & perpetuę infamiæ, (qua de re Simancas tit. 15. num.12. & Carerius de hæret. num.114.)Cum enim hæretici excommunicati ſint, eis non eſt fauor, auxilium vel conſilium præſtandum,ſicut nec litiganribus ſub eis,eodem cap. ſi aduerſus, de hæret. facit ad hoc etiam cap. ſicut, eodem tit.vbi ſub anathemate prohibetur, ne quis eos in domo vel terra ſua tenere, vel fouere, aut cum eis negotiationem exercere præſumat, & ſi deceſſerit in hoc peccato, careat oblatione, & Eccleſiaſtica ſepultura. Neganti verò ſe hæreticum,quomodo illi patrocinandum ſit, ſi illi ab Inquiſitore aduocatus concedatur, ſcribit Simancas tit.5.reo enim fatente crimen non eſt opus aduocato.

Quæ etiam de ſacramentis & 2
ſepultura Eccleſiaſtica hoc eodem §.habentur, repetuntur etiam cap. excommunicamus, 1.§.credentes, de hæret. vbi Pontifex talium reſtitutionem ad officia reſeruat Apoſtolicæ Sedi.& cap.quicumque, de hæret.l.6.& bulla 18.Innoc.IV. vt dicetur Theor.52.num.14.quibus locis dicitur,vt, qui ſepelierũt propriis manibus publicè extumulent, & proiiciant, ſi videlicet diſcerni poſſunt, ex Gloſſa ibidem, Simanca t.10.num.7. Azor t.1.l.8. cap.13. q.6. & exprimitur etiam cap.ſacris,extra de ſepulturis,& in Conc.Conſtantienſi ſeſſ.8.in condemnatione VVeclefi, vt fecit etiã Ioſias corporibus ſacerdotum Idolorum l.4. reg.c.23.num.16. & l.2. Paralip. c.34. num.5. & Irene Auguſta oſſibus ſoceri ſui hæretici ex Nicephoro l.17. cap.27. & de impiis ſtatuit Plato l.10. de legg. videri poteſt Bartolus l.2. ff. de cadau.punit.& Alphonſus de Caſtro l.2.de iuſt.hæret.pun.cap.18.Ratio eſt,tum quia non communicamus

poſt

poſt mortem, quibus non communicamus in vita. Ex D. Leone ep. 90. cap. 7. & refertur 24. q. 2. cap. 1. & 3. & extra. de ſepult. cap. ex parte, & cap. ſacris. Tum quia defuncti in ſacris locis ſunt ſepeliendi, vt fideles ingredientes pro eis orent, at qui orationis & ſuffragij capaces non ſunt, non eſt quod ibi tumulentur, cum ſacra loca non liberent eos, quos grauiora peccata deprimunt. ex D. Gregor. l. 4. dial. cap. 50. 51. 53. Auguſt. l. de cura pro mortuis, cap. 2. & vlt. Nicolao ad conſulta Bulgarorum, c. 99. Conc. Triburienſi, cap. 17. ex quibus colligere potes, in Eccleſia ſemper ſeruatum, vt non admittatur. excommunicatus ad Eccleſiaſticam ſepulturam. Vide hac de re acta Concilij Lemouicenſis anni 1034. act. 2. apud Baronium tom. 11.

3 Oblationes (quæ ſcilicet ex S. Thom. 2. 2. q. 85. art. 3. in Miſſa ad Offertorium cum pacis precatione, vel ſuper altare offeruntur) recipiendas ab eis non eſſe, vt neque ab aliis excommunicatis, non tantum habemus in §. præſenti, ſed etiam præcitato, §. credentes, de hæret. & bulla 18. Innoc. IV. & cap. ſacris, de ſent. excomm. eáque de re differit Abbas, Innoc. & Felinus in cap. cum voluntate, de ſent. excomm. Anchar. in cap. peccatum, num. 25. de regul. iur. l. 6. Vgolinus tab. 2. cap. 9. §. 4. Sylu. verb. decimæ, num. 8. & excommunicatio 3. n. 1. verſ. 20. Tabiena verb. oblatio, n. 4. Idémque fit inuaſori bonorum Eccleſiaſticorum, cap. de viro, t 2. q. 2. diſſidentibus fidelibus, & pauperum oppreſſoribus. d. 90. cap. oblationes. Vſurario, Meretrici, & nonnullis aliis grauioribus vitiis contaminatis, de quibus Sylu. loco citato. Idem dicendum eſt etiam de eleemoſynis, (quicquid Innoc. citato c. cum voluntate, de ſent. excomm. & Mar. Socinus ſenior in cap. ſacris, nu. 150. de ſent. excom. ſenſerint) vt patet ex citatis locis in quibus ponentur expreſsè etiam eleemoſynæ, vt rectè ſentit etiam Vgolinus loco citato, num. 3. Excipitur tamen caſus neceſſitatis ex citato cap. cum voluntate, §. Prædicatores, & cap. quoniam multos, 11. q. 3.

THEOREMA 31.

NOn diſputandum laicis de rebus fidei, quod hic §. 6. vetatur, fuit conſtitutum etiam ab Innocentio III. cap. cum ex iniuncto, & cap. excommunicamus, §. quia verò, de hæret. Nicolao III. bulla 2. §. 20. Alexandro IV. cap. quicumque, §. inhibemus, de hær. l. 6. Concil. Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 11. Concil. Trid. ſeſſ. 5. c. 2. de reform. & ſeſſ. 24. cap. 4. de reform. Tertulliano l. de præſ. hæret. & l. nemo, 4. de ſumm. Trinit. Cod. Theod. quæ tantum initiatis, &c. Lactantio l. 2. de origin. erroris, cap. 7. vt ſcribit Galen. l. 2. de differentiis pulſuum. Sicut neque Auguſtus ex Suetonio cap. 95. voluit religionis cauſas ſecretiores aperto foro diſputari, déque hoc pluribus diſputat S. Anton. 2. p. tit. 12. cap. 2. §. 2. Nauarr. cap. 11. num. 26. Sylu. Armil. Ang. verb. diſputatio, Conrad. l. 5. de hæret. cap. 4. Caiet. verb. diſputatio, & 2. 2. q. 10. art. 7. Valentia ibid. p. 4. Azor t. 1. l. 8. cap. 26. Emanuel Sà, verb. fides, Farinacius q. 178. n. 108. Emeticus & Pegna in director. Inquiſit. pœna tamen excommunicationis hic impoſita, non eſt lata, ſed

ſed ferenda, vt patet ex verbis, & monet etiam Gloſſa in citato cap. quicumque. Archidiac. in cap. excommunicamus, 1. de hæret. Sanchez l.2.cap.1.num.8.& cap.6.Valentia,Azor,Emanuel Sà. Nomine autem laici non intelliguntur propriè illiterati, vt exiſtimat Gloſſa loco cit. ſed ex Valentia, Azore, Sanchez, Nauarr. Sylu. qui neque prima tonſura ſunt inſigniti. Leges enim humanæ feruntur de his quę frequenter fiunt, non de his quæ rarò. Frequenter autem accidit, vt laici ſint indocti, ob id etſi aliqui ſint docti,& è contra aliqui clerici indocti, ad omnes laicos extenditur lex, ne laici etiam rudes accipiant anſam diſputandi de fide.

Quid ſi honoris, vel exercitij gratia in circulis diſputet laicus? Reſpond. Caiet. Sylu. Ang. Bannes, Aragona, Ledeſma, Valent. Caſtro, Sanchez: canonem intelligendum formaliter, ita vt intendat veritatem ſuadere, alio autem modo diſputare eſt tantum materialiter diſputare. Quid ſi formaliter diſputet, peccabitne mortaliter? affirmat, ſi id ſibi vetitum ſciat, Caiet. Armilla, Sà, Sanchez l.2.cap.6.n.3. Albertinus de agnoſc.propoſ.q.13. num.2. Caſtro l.2.de iuſt.hær.pun. c.19.Aragona 2.2.q.10.art 7.Gloſſa,Dominicus Francus,in cap.quicumque l. 6. de hæret. Nauarr.l.5. de hęret.conſil.17.quia id grauiter & ſub interminatione excommunicationis interdicitur, (quicquid Bannes 2.2.quæſt.10.art.7.& Petr. Ledeſma tom.2.ſum.tract.1.cap.5. ſentiant) excipiendus eſt caſus neceſſitatis, ſi non eſſet Eccleſiaſticus doctus, qui hæretico populos ſubuertente reſiſteret, ex Valentia, Aragona, Sanchez num.7.

THEOREMA 32.

SAncita §. 7. ſunt etiam conſtituta ab Innocentio III.cap.excommunicamus, 1. §. adiicimus, de hæret. Innocentio IV. bulla 9. §.31.& bulla 18.§.3. Nicolao III. bulla 2. num.20. & ſæpius in edictis Inquiſitorum, ad quorum ſimilitudinem in extrauag.1.de ſent. excom. excommunicantur ſcientes & non reuelãtes qui dant, promittunt, acceptant, recipiunt aliquid pro iuſtitia vel gratia obtinenda à Sede Apoſtol.& cap.2.de rebus Eccleſ. non alienandis, l. 6. Clericus non denuncians Prælatum in eo delinquentem. Multo rectius igitur id fiet in præſenti materia, de hæreſi, tum ex diuinis literis. Deut.c.13.n.6. *Si tibi voluerit perſuadere frater tuus*,&c.quo loco iubet Deus, ne ſimiles ſubuerſores occultentur, ſed indicentur iudicibus, qui eos lapidibus interfici iubeant. Sic etiam c.17.n.3, & 4. Tum ex Patribus S.Ambroſio l.2.off.c.4.aſſerente non eſſe leue peccatum in hac Dei cauſa diſſimulare. S.Leone, qui ſerm.4.de collectis, ait: *Manichæos vbicumque latentes veſtris presbyteris publicate. Magna eſt enim pietas prodere latebras impiorum, & ipſum in eis cui ſeruiunt diabolum debellare.* Et ſerm.5 de Ieiunio decimi menſis. *Illud quoque dilectiſſimi obſecrans moneo, vt ſi cui veſtrum innotuerit vbi habitent hæretici, vbi doceant, quos frequentent, & in quorum ſocietate requieſcant, noſtræ ſollicitudini indicetis, quia parum prodeſt vnicuique, quod protegente Spiritu ſancto ab iſtis ipſe non capitur, ſi cum alios capi intelligit, non monetur. contra communes hoſtes, pro ſalute communi, vna communis debet eſſe vigilantia.* Tum ex

1

2

3

ex Theologis & Iuris canonici peritis id monentibus. S.Thom. 2.2. q.33.art.7.Caiet.ibid.Soto l.de ratione tegendi secreti, m.2. q.4. & de iust.l.5.q.1. art.1. Palud.4.d.19. Castro l.2. de iust.hæret.pun.c.25. Petro Lorca 2.2, q.33. disput.47. Lessio l.2.cap.30.dub.2. Alber.Pighio, l.1.c.4. Simanca tit.19.n.10. Sylu.verb.denunciatio, Nau.c.24. num.14. Hostiensi in summ.tit.de hæret. Io.Roias singul.5. vbi scribit, non reuelantem esse valde suspectum de hæresi. Tum ratione, quia hic etiam *in mora* est cómune periculum, non secus ac in proditione reipubl. & peste, si velimus tales corripere fraternè, cum hæresis vt cancer serpat. 1. ad Tim.2. *& non sit emendationis spes.* Si enim Ecclesiæ ipsi non credunt ob deliberatam contumaciam, nec tibi priuato monéti credent, licet metu pœnæ se facile correctos simulent, cum vafri sint & subdoli. Denique non indicarent complices, ideoque cum summo reipub. periculo perfidiæ venenũ diffundetur.

THEOREMA 33.

TAndem quæ dicuntur §. 8. de inhabilitate ad beneficia & officia publica filiorum hæreticorum, receptatorũ & defensorum, sunt etiam decreta in bulla 1. Innocentij IV. quæ incipit, *Cum aduersus*, §.9. & bulla 15. quæ incipit, *Cum negotium*, §.2 & 3. & bulla 18. §.3. in bulla 13. Clementis 4. §.31. & cap. quicumque, §. hæretici, de hæret.l.6. Eáque valent in omnibus filiis, siue legitimis, siue naturalibus tantum, siue spuriis, siue ex adultetio, incestu, aut sacrilegio natis. Ex Glossa, Ancharano, Archidiacono, Io.Andrea, Franco, in c.statutum, 2.de hæret.l.6. Simanca t.29.num.16. Couarr.l.2.var.resol.c.8. Azor t.1.l.8.c.13.q.8.to.2. l.6.c.4. Sanchez l.2.c.27. Menoch. de præsumpt.l.5.c.33. Suarez to.5. disput.43. sect.3.num.2. ne videlicet plus habeat luxuria, quàm castitas.

Sed controuersum est, an solum illos, qui nati sunt post delictum parentis, comprehendat hæc pœna, an etiam eos, qui antea. Io.And. Dominicus Francus in c. vt commissi, de hæret. l.6. Castro l.2. de iust.hæret.pun. c.vlt. & l.1.de pot. leg. pœnal.c.7. Couarr. l.2.var.resol.c.8.num.5. Menochius loco citato, Suarez d 43. sect.3.n.2. Azor vbi supra, Gigas l.3. de crim.læsæ Maiest.q 5. Salycetus in l.quisquis, ff.ad leg.Iul.Maiest. Glossa in cap.si quis cum militibus, 6.q.2. Pegna in direct.Inq.3.p.q.114.comment. 163. vbi plures citat, sentiunt comprehendere omnes. tum ex praxi, de qua Simancas tit. 29. num.22. & fusè Sanchez l.2. c.27. arg.9. & 10. tum quia cap.filij; & c.1.statutum 2.de hæret.l.6.non distinguũt. ob id cum ratio infligendi pœnas filiis sit, quod in eis timeatur parentum imitatio, & vt in eis quasi parte aliqua progenitorum puniãtur ipsi parentes, & vtraque hæc ratio militet in filiis siue ante siue post genitis, comprehendentur vtrique. Oppositum sentiunt Sanchez loco citato, num.14. vbi plures refert pro hac sententia, Clarus §. hæresis, num.15. & §. læsæ Maiest.num.12. Cynus & Angelus in l.quisquis, Cod.ad leg.Iul.Maiest. Tiraquel.de iure primog.q.31. n.4. Alciatus consil.467. Calderin. tit. de hæret. cons.3. Glossa c. iam itaque,

itaque,1.q.4.& in l.D.Marco,Cod. de quæſt. Simancas t.29. num.23. eo quòd ſit mitior opinio, parentum delicta non nocere filiis primonatis, ſed ſolum à linea iam rubigine infecta, naſcituris. Sicut nec filius genitus ante dignitatem patris conſequitur prærogatiuas & honores patris, ſed ij tantum qui naſcuntur poſtea,cit.l.D.Marco, & l.ſi quis Decurio, 3.& l.vlt. Cod. de Decurionibus, & fauet Conſtantinus l.2. Cod. de libertis & eorum liberis,teſte Bartol.ibid. ſtatuens, vt crimen patris noceat filiis,non illis, qui tempore commiſſi criminis nati aut concepti fuerant. Et in Concilio Toletano 13. cap.1. Illi ſoli reſtitutione in priſtinam dignitatem egebant,qui nati erant poſt parentum lapſum in infidelitatem,& non qui ante.

3 Quærenti verò an ſicut filij prædictorum redduntur in futuro inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica, & officia publica, ſic priuentur quoque iam obtentis? Reſpond. Simancas t.29.num.20. Couar.loco cit.n.14. Menochius conſ.805. 808.Sanchez fusè l.2.cap.28.n.28. Pegna, Azor, Suarez locis citatis, non priuari, quicquid Io.Andr. & alij ſenſerint:quia c.2.de hæret.l.6. §.hæretici, dicuntur inhabiles ad beneficia & officia publica obtinenda, non igitur priuantur obtentis,ex Gloſſa Clem.1. verb obtinenda,de pœnis. Cardinali ibid. Victo.ipſius nu.3.q.2.Imola n.18. & idem textus §.hæretici, & Gregorius IX.hoc loco dicit,Non admittãtur.quod eſt futuri temporis.

4 Extenditur autem prædicta lex ex eodem cap ſtatutum, 2.de hæret.l. 6. & Gloſſa ibidem, ad primum & ſecundum gradum per lineam paternam,per maternam verò ad primum ſolummodo gradum,ſeu generationem. Iura enim præſumunt, vt dicetur inferiùs, Theor. fore vt filij parentum mores imi- 162. tentur. l. quiſquis, §.filij, Cod.ad leg.Iul.Maieſt.& d.56.cap.ſi gens. eſt tamen frequentiſſimum ex Tiraquell.de nobilit.c.18 num.20 & l.7. connub.p.7. gloſſ.1. Niceta in orat.42.Nazianz.Chaſſaneo in catal. glor. mundi p.11.conſider.25. & Chryſoſtomo homil.45. in cap. 25.Matth.vt filij potius imitentur patres quàm matres. Ideoque meritò extenditur per paternam lineam vſque ad ſecundum gradum, & ad vnicum per maternam.Verbi gratia, Titius hæreticus vel Credens aut Receptor hæretici habet filium & filiam,vterque eſt inhabilis ad publica officia, & ſi filius filium ſuſcipiat, ipſe quoque nepos ex filio erit inhabilis. quod ſi filia filium genuerit, nepos ex filia non eſt inhabilis. Et pari modo.Si quæ fœmina incidat in hæreſim,& filios gignat,ipſa & filij ſunt inhabiles, ſed non ex filiis ſuſcepti nepotes,nam hi beneficia & publica officia habere poterunt.

Porrò hac legis pœna non ligantur niſi deſcendentes illorum hæreticorum, credentium, fautorum,&c.qui pertinaces non redierunt in gratiam Eccleſiæ, non autem illorum quos conſtat fuiſſe ante obitum reconciliatos Eccleſiæ, ex eodem cap. ſtatutum, 2.de hæret.l.6. Suarez d.43. ſect.3.n.1. Et in hoc lex differentiam poſuit inter patrem, qui crimen commiſit & eius filios; nam ille poſt reconciliationem, niſi diſpenſetur, remanet irregularis,filius poſt cõuerſionem patris non manet.

Sed numquid ſaltem hæreticorum filij promoueri poſſint ad Ordines Eccleſiaſticos, cum hi non videantur officia, & beneficia? Reſpond. Azor t.2.l.6.cap.4.quæſt.3. §.ſi quæras, Nauarr.cap.27.n.205. Simancas tit.29.num.14. Sanchez loco citato, num.7. Ledeſma 2.4. q.26.art.2. Henriquez l.5.de itreg: cap.5.num.4. Valent.t.4.d.7.q.19. p.3. Suarez loco cit.num.1. Salcedo in pract. Diaz. cap.22.num.22. non poſſe, ſed eſſe irregulares & notari infamia. 6.q.1. cap. penult. & cap.2. de hæret.l.6. nec admitti ad honores etiam inferiores ex c. felicis, §.nulli, de pœn.l.6. & d.21. cap. clericos, & l. qui indignus, ff. de ſenatoribus. & declaratione Inquiſitorum in tertia inſtructione Hiſpalenſi. & quia ordines ſunt publica officia Eccleſiaſtica. Sed hac de re dicetur in bulla 18. Innocentij IV. Theoremate 52.n.17.

INNOCENTII IV.

Cõſtitutionis 1. edita anno 1243. incipientis. Cum aduerſus.

EPITOME 10.

Hæretici & cõplices vltimo ſupplicio puniũtur, nõ admittẽda eorũ appellatio, eorum poſteri vſque ad ſecundã generationẽ inhabiles ad officia publica, beneficia & honoſes. non poteſt pro eis iotercedi, crimen grauius læſæ Maieſtatis, &c.

APPROBAT & ipſe ſtatuta edita à Federico II. contra hæreticos, & ait: *Nos volentes ad robur fidei, & ſalutem fidelium obſeruari, vniuerſitati veſtri per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eas* (ordinationes ſeu leges) *quarum tenores vobis mittimus inſertos præſentibus, faciatis ſinguli in veſtris capitularibus annotari, contra hæreticos ſectæ cuiuſlibet, ſecundum eas exacta diligentia proceſſuri, alioquin dilectis filijs Priori Prouinciali & fratribus Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis Ordinis Prædicatorũ in Lombardia, Marchia Taruiſina, & Romandiola litteris noſtris iniungemus, vt vos ad id per excommunicationem in perſonas, & interdictum in terram appellatione remota compellant.*

Federici autem leges datæ Patauij 22. Febr. ſunt hæ, §.2. *Vt quicumque hæretici ab Eccleſia damnati, & ſæculari Curiæ aſſignati, debita animaduerſione puniantur.* §.3 *Si quis illorum redire voluerit ad fidem iuxta canonicas ſanctiones detrudatur in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam.* §.4. *Vt reperti ab habentibus ibidem iuriſdictionem capiantur, & Inquiſitoribus conſignentur, donec ab Eccleſia damnati, vltimo afficiantur ſupplicio.* §.5. *Vt eadem pœna plectantur, illorũ fautores.* §.6. *Itemq; Transfugæ.* §.7. *Relapſi morti adiudicentur.* §.8. *Remoueatur ab hæreticis, eorum receptatoribus & fautoribus appellationis beneficium.* §.9. *Hæreticorum receptatorum, fautorum, aduocatorum, illorum hæredes, & poſteri vſque ad ſecundam progeniem cunctis beneficijs temporalibus, publicis officijs & honoribus auctoritate Imperiali priuentur.* §.10 *Niſi*

ſuorum

ſuorum patrum perfidiam reuelaſſent. §. 11. *Vbique fauendum eſt Inquiſitoribus.* §. 12. *Capti hæretici diligenter cuſtodiantur, donec poſt Eccleſiaſticam damnationem pœnam ſubeant.*

Et in eiuſdē Federici Conſtitutione, quæ incipit: *Inconſutilem.* §. 1. *Vt hæreſis crimen numeretur inter publica crimina, iudicetuŕq́ horribilius crimine læſæ Maieſtatis.* §. 2. *Quicumque damnati hæretici morti adiudicentur.* §. 3. *Nemo pro talibus interuenire præſumat apud nos, alioquin in ipſum noſtræ indignationis aculeos non immeritò conuertemus.*

Et in altera illius incipiente, *Patarenorum*, eorumdem receptatores & complices, & quocumque nomine fautores publicatis bonis omnibus ſtatuit in perpetuum relegādos, priuat filios honoribus: ſi quis tamen detexerit fautorem aliquem Patarenorum in fidei præmium quā agnouit, priſtinæ famæ Imperiali clementia reſtitutionis in integrum beneficium conſequatur. Hæreticus poſſit per hæreticum conuinci. Domus Patarenorum receptatorum, defenſorum, & fautorum, vbi docuerint, vel manus aliis impoſuerint, deſtruātur, nullo vnquam tempore reædificandæ. Apoſtatæ à fide ſunt puniendi, ſpoliandíq; bonis; eíſq; ſucceſſiones & omne ius legitimū adimit Imperator.

THEOREMA 34.

Dicuntur §. 2. & 12. hęretici ab Eccleſia damnati, puniendi à Curia ſæculari, quod hæreſis ſit crimen merè Eccleſiaſticum, id eſt tale, vt non niſi à iudicibus Eccleſiaſticis inquiri, cognoſci, & iudicari queat, vt docet Simancas tit. 36. num. 1. & 2. Clarus §. hæreſis, num. 4. ſ. 6. & §. fin. q. 96. n. 7. Azor t. 1. l. 8. c. 18. q. 2. & tom. 2. l. 3. c. 43. q. 2. Petrus Lorca 2. 2. q. 11. art. 4. diſp. 49. Alciatus cap. 1. num. 73. de offic. ordin. Lupus de donat. inter virum & vxorem, num. 22. Bellarminus tom. 1. l. 3. de membr. Eccl. cap. 17. & ſeq. Abb. cap. cum ſit generale. de foro compet. Zanchinus cap. 8. & cæteri communiter. Tum quia hoc crimen non poſſit diiudicari, niſi ex ſacris litteris, & canonibus Eccleſiaſticis. Tum quia eſt aduerſus fidem & religionem Catholicā, cuius cura Petro commiſſa eſt. Quippe cum ei dictum ſit, *Tibi dabo claues*, &c. *Paſce oues meas. Quodcumq; ligaueris ſuper terram*, &c. Tum quia id ſtatutum ſit iure canonico ſub pœna excommunicationis. c. vt inquiſitionis, de hæret. l. 6. & iure ciuili, l. 1. in Cod. Theodoſiano, tit. de relig. 1 2 3

Quod ſi Principes Catholici promulgarunt ciuiles leges contra hæreticos, id fecerunt poſtquam cognouerunt hæreſim eſſe ab Eccleſia damnatam, & tanquam Protectores Eccleſiæ, iuxta illud D. Leonis epiſt. 75. ad Leonem Auguſtum. Debet Imperator incunctanter aduertere regiam poteſta-

tem non ſibi ſolum ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam, vt auſus temerarios comprimendo, & quæ bene ſtatuta ſunt defendat, & veram pacem his, quæ ſunt turbata reſtituat. Spectat igitur cognitio huius criminis, vt etiam dicemus Theoremate 171. & 387. ad iudicem Eccleſiaſticum, qui de communi iure canonico ordinarius iudex eſt Epiſcopus, cuius eſt lupos à ſuarum ouium caulis arcere, vt videre eſt in Concilio Mileuitano, cap. 25. in Toler. 11. cap. 2. in Lateran. ſub Innoc. 3. cap. 3. de regulis iuris, cap. 10. & cap. ad abolendam, de hæret. Simanca tit. 29. Claro §. hæteſis, num. 5. Azor t. 1. l. 8. cap. 18. q. 2. vt etiam nunc fit in Gallia, Germania, Polonia, ſed in Italia & Hiſpania ſiue ob multiplices Epiſcoporum curas, ſiue abſentiam à ſuis reſidentiis, ſiue negligentiam, circa annum 1216. delegati iudices ſpeciali auctoritate Papæ conſtituti ſunt ſacri Inquiſitores, non abrogata tamen Epiſcopis auctoritate, ita vt vtrique poſſint ſimul vel ſeiunctim de hæreſi cognoſcere. c. per hoc, de hæret. & Clement. 1. §. propter quod, de hæret. Sed cum ſeorſim inquirunt, obſeruare debent præſcriptas à Sede Apoſtolica ordinationes, acta ſibi inuicem communicare, vt per vtroſque proferatur ſententia. citato cap. per hoc, & cap. vt commiſſi, de hæretic. l. 6. & extrauag. comm. de hæret. cap. 1. quod ſi inter ſe non conſentiant, negotium defertur ad Sedem Apoſt. ex citato cap. per hoc, de hæret. & Simanca tit. 25. num 4.

Eccleſiaſticus tamen iudex non punit per ſe hæreticum, ſed poſt eius criminis declarationem, tradit vltimo ſupplicio puniendum iudici ſæculari, ex hoc §. 2. & 4. & bulla 18. eiuſdem & Gregor. IX. bulla 3. §. 1. & cap. ad abolendam, cap. excommunicamus, 1. §. damnati, cap. excommunicamus, 2. de hæret. cap. vt inquiſitionis, de hæret. lib. 6. vnde D. Bernardus l. 4. de conſiderat. cap. 24. agens de gladio D. Petri ait: Tuus ergo & ipſe tuus, tuo nutu, & ſi non tua manu euaginandus. alioquin ſi nullo modo ad te pertineret, dicentibus Apoſtolis ecce duo gladij hic, non reſpondiſſet Dominus, ſatis eſt, ſed nimis eſt. Vterque ergo Eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis. Sed is quidem pro Eccleſia, ille verò & ab Eccleſia exercendus eſt, ille ſacerdotis, is militis manu, ſed nutu ſacerdotis, & iuſſu Imperatoris.

Quare iudex ſecularis ex citato c. vt inquiſitionis, abſque mora & reuiſione proceſſus, vt alibi dicemus, hæreticum punire debet, ex communi ſententia, Baldi in Authent. clericus, Cod. de Epiſc. & clet. Salyceti in l. ea quidem, Cod. qui accuſ nō poreſt. Iaſonis & Decij in l. magiſtratibus, ff. de iuriſd. omn. iud. Imolæ & Alciati in c. 1. de offic. ordin. Abbatis & Ancharani cap. at ſi clerici, de iud. Bruni l. 4. de hæret. cap. 15. Albertini l. de agnoſc. aſſert. q. 25. num. 44. Clari §. hæreſis, & §. fin. quæſt. 96. num. 7. (quicquid Bartolus in citata l. magiſtratibus, ſenſerit) & congruit cum diuina Scriptura Deuter. 13. *qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, ex ſententia iudicis moriatur.* Et ne periculum incurrendæ irregularitatis miniſtri ſacræ Inquiſitionis ab officio re-

tarden

tardẽtur, Paulus 4.die 29.Apr. anni 1557. & Pius V. ex Direct.Inq. p.2.cap.2.Maiolo l.2.c.9. & Sayro l.6.cap.18.num.15, ſtatuerunt, vt Inquiſitores, Conſultores, & alij Inquiſitionis miniſtri, eſſent immunes ab omni irregularitate quantumcumque & quomodocumque ad hæreticorum condemnationem concurrant. Videatur etiam Simancas tit.34. num.47. vbi docet nulla proteſtatione opus eſſe in conſignandis hęreticis brachio ſæculari.

THEOREMA 35.

QVod ſpectat ad 3.§.Cum deprehenſis in hæreſi,volentibus redire ad Catholicam fidem mitius agitur. Facile enim ignoſcitur iis, qui ſe reuocare & corrigere volunt,iuxta illud Ouidij,

Sæpe leuant pœnas,ereptaq; lumina reddunt,

Cum bene peccati pœnituiſſe vident.

& ſic ſumma medicina peccati, peccatum confiteri, & pœnitentiam profiteri ex Ariano l.7.de rebus geſtis ab Alexandro Magno. Itaque pœnitentes condonata vita perpetuo carceri (quòd ex Hoſtienſi l.5.t. de hæret. §. qua pœna feriatur, timeatur ſi liberum exitum habeant, ne alios corrumpãt) includuntur, ex præſenti §.3.& in eiuſdem bulla 18.§.1. & c.excommunicamus, 2.§.ſi qui, de hæret. cum videlicet conuicti ſunt, cum ſcilicet publicatis teſtimoniis cõfitentur errores. Nam antequam quis deprehendatur, id eſt, priuſquam teſtibus publicatis conuincatur, ſi duos fateatur errores, multo leuius punitur. Præſcribitur enim tempus arbitrio iudicis, cap. ad abolendam, de hæret. cap. tempore, cap. his qui, cap.pœnitentibus,cap.pro qualitate, c. hoc ſit, 26. quæſt.7. & de pœnit. d. 1. cap.menſuram. Et ex miſericordia relinquuntur etiam bona,cap.vergentis, de hæret. Simanca tit.47. Claro §.hæreſis, nu.7. Felino conſil. 10. Bruno l.5. de hæret. cap.6. Pegna 3.p.direct.comm.46.

Quin etiam, qui publicè hæreticus fuit, ſed aduerſum quem nondum quis dixit teſtimonium, ſi ad fidem redeat,& veniam ab Inquiſitoribus poſtulet, imponitur ſalutaris pœnitentia, & publicè abiurat, & non mancipatur carceri. Quod ſi omnino erat occultus, & à nemine indicatus, & ad Inquiſitores accedat, & errores plenè confiteatur, non imponitur ei pœnitentia publica, & ſecretò abſoluitur, vt docet Simancas tit. 16.num.17.& tit.47.num.28.

Porrò apud laicos magiſtratus vix eſt in vſu pœna perpetui carceris, vt notat Clarus §.fin. q.70. num.4.ex Baldo conſil.443. in fin. lib.3. & Simancas tit.16. num.14. ex l.aut damnum,§.ſolet,& l.mandatis,de pœnis,l.incredibile,Cod. eodem tit.& l.1.de cuſtod.reorum. Solent enim iudices ſæculares pro criminibus grauioribus morti adiicere: Eccleſia verò mitius agens ſæpe eam imponit, vt cap.tuæ, de pœnis,& cap.quamuis, de pœnis, l.6. & cap. penult. de hæret. Dixi vix, quia etiam in pœnam perpetuus carcer ſtatutus repetitur apud Ciceronem Catilin.3. & 4. Valer. Maximũ lib.6.c.3.& 8.Halicarnaſſeum l.1. vt notat Petr.Greg.Syntag.l.31.cap.10.vt nunc etiam Venetiis aliqui perpetuo carceri mãcipantur, vt notat Mantua,obſeruatione

uatione 96. Illud denique aduertit Simancas consueuisse sacros Inquisitores ex sola benignitate post septem vel octo annos, & aliquibus etiam post trienium remittere pœnam perpetui carceris, si eo tempore humiles & verè pœnitentes fuerint. Ferè iuxta Platonis sensum, qui lib. 10. de legg. impios ad meliorem frugem reuersos post quinque annorum carcerem, cum cæteris habitare iussit.

THEOREMA 36.

EÆndem mortis pœnam in hereticos impœnitentes in Gregor. IX. bulla 3. & in hac eadem Innoc. IV. §. 5. & seq. inflictam extendit ad hæreticorum fautores, trãsfugas & relapsos: censentur enim isti quoque pertinaces & impœnitentes. Et quod pertinet ad fautores diximus Theoremate 27. nu. 2.

1 Quoad transfugas autem intelligi possunt, tum qui è carcere fugiunt: nam pro confessis & impœnitentibus habentur l. 1. ff. de effract. l. in eos, ff. de custod. reorum, & capitis etiam pœna puniuntur, ex Simanca tit. 16. nu. 23. & tit. 57. num. 8. Felino in cap. nullus, de præsumpt. Claro §. fin. q. 21. n. 16. Zanchino c. 10. Boërio decis. 215. num. 9. Immò Archid. Io. And. Dominicus, & Ancharanus in cap. vt commissi, §. necnon, de hæret. l. 6. habent eos pro relapsis. Tum qui à Christianis se ad hostes Ethnicos, scilicet Iudæos & Saracenos conferunt, & sunt impij desertores Catholicæ fidei, & magis digni sunt morte, cum ex toto, & non tantum ex parte, à fide deficiant. De quibus infra Theoremate 40.

2 De relapsis quoque §. 7. intelliguntur illi, qui post abiurationem ante iudicem, de quibus solis sermo est §. 7. in hæresim denuo recidunt) constitutum est, vt sine spe venię iudici sæculari relinquantur vltimo supplicio plectendi, cap. ad abolendam, §. illos, de hæret. & cap. accusatus, & cap. super eo, de hęreticis, l. 6. cademque de re Zanchinus c. 16. Simancas t. 57. n. 10. Castro l. 2. de iust. hæret. pun. c. 2. Emericus in direct. p. 2. q. 40. 55. Carerius de hæret. num. 54. Azor t. 1. l. 8. c. 14. Glossa in cap. super eo. citato, vt etiam Plato l. 10. de legg. statuit, vt impij pro priori lapsu damnarentur ad carcerem, quod si iterum impietatis damnarentur, sine venia morte plecterentur. Non negatur tamen eis pœnitentiæ & Ecclesiæ sacramentum, si denuo pœniteant, & cum eis mitius in eo agitur, quàm cum pertinacibus, quòd non exuruntur viui, vt illi, sed prius strangulantur. Ex Simanca ibid. num. 17. Azor q. 2.

Relapsi autem nomen sumi potest primò, pro eo qui conuictus 1
in iudicio abiurauit, & iterum incidit. Secundò, pro eo, qui vt ve- 2
hementer suspectus in eodem iudicio abiurauit, & denuò labitur.
Tertiò, pro eo, qui vna infectus 3
hæresi coram iudice simpliciter & generaliter abiurat omnem hæresim, & deinde incidit in aliam longè diuersam. Quartò, qui damna- 4
tus eam abiurat coram iudice, & deinde hæreticos alloquitur, inuisit, venerarur, cũ eis exercet commercia, &c. cap. accusatus, de hæret. l. 6. Emerico p. 2. q. 40. Pegna comment. 65. Sylu. verb. hæresis, n. 15. Simanca, Azor locis citatis.

Sed cur, inquies, Ecclesia semel tantum indulget, cum Christus Domi

Dominus Matth.18.dixerit dimittendũ eſſe petenti veniam ſeptuagies ſepties? Reſpond. S.Thom.2. 2.quæſt.11.art.4. quia iure præſumunt priorem conuerſionem fuiſſe falſam,& iterum reuerſurum ad vomitum; ob id vt incorrigibiles tales damnantur vltimo ſupplicio. Eſt enim plus periculi in expectãdo nouam conuerſionem, quàm exequendo pœnam. Dictum verò Domini pertinet ad indulgentiam in foro animæ,& dimiſſionẽ iniuriarum, non ad executionem pœnæ in foro externo,maximè in crimine læſæ maieſtatis Diuinæ,quale eſt hæreſis. Quin etiam Paulus IV.Conſtitutione 4.voluit pro relapſo etiam haberi eum,qui tantum ſemel negat vnitatem diuinitatis, diuinarum perſonarum Trinitatem,Chriſti diuinitatem,conceptionem de Spiritu ſancto,mortem in Cruce & perpetuam B.Virginis Mariæ virginitatem.

V.Theo. 174.

THEOREMA 37.

IAm quæ ad §.9.& 10.afferri poſſent, præmiſimus Theorem.33. videnda tamen, quæ de publicis officiis & dignitatibus diſputat Pegna 3.p.direct. comment.8.excipiuntur autem ab inhabilitate ad officia & beneficia, hac Imperiali & Pontificia lege, filij, qui non conniuentes delictis parentum,eos iudicibus detegũt. Quod etiam de infamia & aliis pœnis ſtatutis in hæreticorum filios, faciendum ſentit Alphonſus de Caſtro l.2.de iuſt.hær.pun.cap.vlt. & Simancas tit.29. nu.47. Tum quia honore & præmio dignus eſt, qui ob religionis zelum, ne parenti quidem parcit, & non infamia & *Scortia*

pœna. Tum quod in eo ceſſat ratio legis, quippe cum in eo non ſint metuenda paterni criminis exempla,quare etiam lex iam ceſſare debet.Tum quia Federicus II. in Conſtitutione quæ incipit, *Patarenorum*,famæ reſtituit,qui Patarenum aliquem detexerit. Diſſenſio tamen eſt inter auctores, num ad hoc idem faciendum teneatur filius,ſi pater ſit occultus? Alenſis enim 3.p.præcepto 4.q.33. Caſtro loco cit. Caiet.in Deut.cap.3. Nauar.cap.14.num.12.verſ.7.& c.25. num.50.& cap.inter verba,11.q.3. concluſ.6. affirmant, eo quod teneatur eumdem proditorem patriæ,indicare ex M.Tullio l.3.officiorum, vel tentantem occidere Principem. Negat autem Abulenſis Deut.cap.13.q.3.quod id nimis videatur durum, & occulta Patris hæreſis non poſſit momento tantum damnum reipubl. importare, quantum proditio reip.aut Principis interitus.

THEOREMA 38.

PRæceptum §.11. habetur pariter in eiuſdem Innocentij IV. bulla 9.quæ incipit. *Ad extirpanda*, §.20.& bulla 16.quę incipit, *Quia*, vbi etiã plura Inquiſitoribus priuilegia concedit.Sic etiam in bulla 15.cuius initium, *Cum negotium*, volens non fauentes Inquiſitorum officio per eoſdem coërcendos,at fauentibus & illorum conciones de fide audientibus indulgentias largiendas. Fidei enim negotium à quibuſcumque fidelibus quam diligentiſſimè eſt promouẽdum, quod ſit Chriſtianæ religionis fundamentũ.Peruigilant enim ſacri fidei Cenſores tanquam in

specula, ne animorum contagia in reipubl. perniciem serpant. Quorum veluti exemplum præcessisse videmus in Arcadio, Honorio, & Theodosio, qui l.6.de his, qui super relig. contend. in Cod. Theodosiano, sanxerunt, vt fidelissimi quique quasi in specula constituerentur, qui hæreticos inuestigarent, & deprehensos traderent seueriſſimè puniendos. Et in Carolo Magno, qui teste Paulo Æmilio l.3. sanctum arcanúmque delectissimorum virorum concilium sine prouocatione instituit, qui cæteris ignaris regnum circuirent, notarentque perditæ religionis homines: tum re in concilio agitata & stabilita, nihil suffragantibus dignitatibus, comprehensos imperabat eos vltimo supplicio plecti, adeo vt sæpe prius necati conspicerētur, quàm intelligerentur rei.

Theor. 47. Sed de Inquisitoribus inferius recurret sermo.

THEOREMA 39.

IN eiusdem Federici II. Constitutione, *Inconsutilem*. Hæresis inter publica crimina ponitur. Delictorum enim quædam dicuntur priuata, quædam publica. Priuata sunt ex Antonio Gomez c.1. delictorum, num.9. & Claro §.1. & §. fin. quæst.17.n.1. ea quorum accusatio vel prosequutio non permittitur regulariter, nisi parti læsæ, vt furtiua cæsio arborum, furtum, rapina, contumelia, permissio: dictúmque est regulariter, quia aliquando ratione publicæ vtilitatis lex permittit, vt etiam pro delicto priuato quilibet accusare possit, vt in tutore suspecto, §. consequēs, Instit. de suspecto tutore. Quamquam in iure canonico etiam quædam delicta pro publicis habeantur, quæ in ciuili sunt priuata, & & delicta diuidantur in priuata, publica & exempta, vt simoniæ, hæresis, læsæ Maiestatis. qua de re Glossa in cap.10. de accusat. & Syl. verb. crimina.

Publica verò sunt ea, quorum accusatio & prosequutio cuilibet permissa est, ne maneāt impunita, quòd publicam vtilitatem lædant, vt homicidij, parricidij, falsi testamenti, annonæ, repetundarum, læsæ Maiestatis, & omne delictum, quod principaliter est in Dei offensam. Pertinet enim ad omnium offensam, cum ipse sit dominus omnium, & sæpe propter illa, populi flagellis corripiantur, vt blasphemia, deturpatio Ecclesiarum, vel imaginum, &c. l. Manichæos, Cod. de hæret. & communi opinione Antonij Gomez loco citato num.1. & 4. &c. & condemnatus de huiusmodi criminibus efficitur infamis. l. infamem, ff. de publ. iud. Inter publica igitur crimina ex hoc Federici II. decreto connumeratur hæresis, ipso etiam læsæ Maiestatis humanæ facinore grauius & horribilius. Quare Mercurius Trismegistus in Pimandro cap.12. dixit impietatem esse grauissimū animæ morbum. Et S. Augustinus tract.18. in Ioan. hæreses Orthodoxis esse dogmata peruersitatis, illaqueantia animas, & præcipitantia in profundum. & l.6. contra Donatistas cap.41. Hęreticum hominem quouis Ethnico, quantumlibet malo, peiorem esse. Et Hieronymus in cap.16. Ezechielis, cunctis peccatis & fornicationibus peiorem esse doctrinam hęreticorum; cum Dei filios faciant filios dæmo

dæmonum. Denique Vincentius Lerinenſis, l.aduerſus hæreſes,deſcribens hæreſis virus. Denita(inquit) prophanas vocum nouitates & hęreſes,quaſi ſcorpionem,quaſi baſiliſcum,ne te, non ſolum tactu, ſed etiam viſu afflatúq; percutiant.

THEOREMA 40.

ATverò in illius Conſtitutione cuius initium eſt, *Patarenorum*, primò imponitur pœna cõfiſcationis bonorum,& relegationis fautoribus : appellabantur autem Patareni, quod eſſent parati mortẽ pro ſua hæreſi pati,vt idem Federicus inſinuat in Conſtitutione,*Inconſutilem*.§.2. qui etiam cum Credẽtibus & fautoribus excommunicantur. cap.ſicut, & cap. excommunicamus, 2. de hæreticis. Cæteríque ſub anathemate & priuatione ſepulturæ inter Chriſtianos,& oblationis pro eis, ſi in eo peccato deceſſerint; prohibentur in ſua domo aut terra,illos tenere, fouere, & cum eis negotiationem exercere. qua de re Caſtro l. 2. de iuſta hæret.pun.cap.18.

2 Secundò, illorum filios priuat honoribus, vt etiam Alexander 4. cap.2.de hæret.l.6. Si tamen indicarent fautorem aliquem Patarenorum,reſtituit in integrum,iuxta definita Theoremate 33.& 37. videri poteſt Caſtro l.2. de iuſta hæret.pun. cap.vlt. Simancas tit.29. num. 46. 50. Tiraquell. de pœn. cauſa 18.

3 Tertiò,ſtatuit hæreticum in teſtem admittendum contra hæreticos, vt etiam fecit Alexander 4. cap.in fidei fauorem, de hæret.l 6. & bulla 10.& 24.in bullario veteri, qui etiam cap.præſidentes, de hæret. l.6. vniuerſaliter conſtituit contra hæreticos, credentes, fautores, receptatores, & defenſores eorum, vt Præſidentes locorum, eorúmque officiales, licet excommunicati ſint, licitè poſſint exercere officium ſuũ, ſi requiſiti fuerint ab Epiſcopis, Inquiſitoribus, vel eorum delegatis,& licitè ab illis inuocari, contra prædictos hæreticos,& complices eorum, non tamen in cæteris caſibus.

1 Quartò,præcipit domos in quibus hæretici & complices ad docendum,& ritus ſuos celebrandos conueniebant, æquari ſolo, nullo vnquam tempore reędificandas,vt habetur etiam in bulla 9. §.21.27. & 32. Innocentij I V. & bulla 2. Alexandri I V. vr etiam coniunctę habitationes, ſi fuerint eiuſdem domini. Idémque de Turribus faciendum,docet idem Innoc.I V.in Conſtitutione quę incipit,*Cum in*. Alexander IV.& Clemẽs IV.Conſtitutione 13. & bona ibidem inuenta,publicantur,& fiunt capientium,niſi auferentes fuerint in officio conſtituti, vt dicitur in bulla 9.§.3.eiuſdem Innocentij IV.& ligna, lapides, tegulæ earum diuidendæ ſunt, vt cæteræ res ibidem adinuentæ. Dominus autem domus, ſi eo ſciente & permittente hæretici in eam conueniebant, eſt perpetuo infamis,& mulctatur 50. libris Imper.ex bulla 9.Innoc.I V. §.27. Si verò ignorante,deſtruitur quidem domus vel turris ad populi terrorem, iuxta Deut.13. Ioſue 7.Num.16. & 7.q.1. cap.denique, §. turribula, pretio tamen ei ſoluto. Sin verò erat hæreticorum ipſorum publicata adiudicatur Eccleſiæ.l.33.42.44.47.56.de his qui ſuper relig.conſtd. in Cod.Theo-

dosiano,& l. Ariani, & l. quicumque, Cod.de hæreticis. Videndus Zanchinus cap.39.40.

Quintò denique à Catholica fide recedentes,& Apostatantes adiudicat morti, vt supra §.6. bona eorum publicat,hæreditatum successiones & omne ius legitimum eis tollit. Et contra eos, illorúmque fautores, defensores & receptatores,sicut contra hæreticos & complices procedendum est, ex cap.contra Christianos, de hæret. l.6.sunt infames.2.q.7. cap.23.24. 25.excommunicati & obnoxij cæteris pœnis, ex Sanchez l.2.cap.7. num.18. Azor t.1.l.8.c.21.Simanca t.7.num.6. Caiet. verb. Apostasia. Valentia 2.2.d.1.q.12.p.1. Abbate,Io.And.& Hostiensi,cap.1.de Apostatis. Et meritò, cum vtrique recedãt à fide,quam professi sunt. Hi tamen sunt illis notabiliter peiores, cum & à tota fide recedant, & Christianitatis nomen abiiciãt, ad Iudaismum, Paganismum, aut Saracenismum accedentes, quod notabiliter auget criminis deformitatem, etsi species non mutetur ex Azor t.1.l.8.cap.21. Sanchez l. 2.cap.7. num.16.17. Valent.2.2.q. 11.p.1. diffic.1.& q.12.p.1. not.1. Petr.Ledesma tom.2.sum. tract.1. cap.7. Aragona 2.2.q.1. art.1. Castro l. 1. aduersus hæres. cap.1. & l.1.de iust.hær.pun.cap.17. Suarez t.5.d.21.sect.2. num.3. Banne 2.2. q.11. art.1. Pegna in direct. quicquid senserit Turrecrem. l.4. sum. p.2.cap.13. Canus l.12. cap.9. Simancas tit.7.cap.5.& Petrus Lorca 2.2.q.12.disp.50. Quare Theodosius, Valentinianus & Arcadius l.si qui sectam, Cod.de Apostatis, statuerunt. Ne vnquam Apostatæ reuertentes, in statum pristinum reuertantur, aut eorum flagitium pœnitentia obliteretur: sed capite plectantur, & si lapsis hæreticis pœnitentibus subueniatur, Ecclesia tamen iis quoque pœnitentibus subuenit.vt constat ex Concilio Elibentino cap.46. & Aurelianensi 1.cap.23. Confirmauit hanc eamdem Innocentij Constitutionem Clemens IV. Constitutione 13.anno 1265. in Appendice bullarij noui tom.3.pag.7.

Eiusdem

INNOCENTII IV.

Cõstitutionis 2.editæ anno 1244. incipientis. Impia.

EPITOME 11.

HORTATVR Innocentius §.4. Regem Franciæ;vt sicut iam cœpit,præcipiat per totum regnum vbicumque reperiri potuerint, igne cõburi volumina Thalmudi, quòd plena sint blasphemiis in Deum,in Christũ, in B.Virginem, & inexplicabilibus fabulis,quas Iudæi filios docent, alienósque reddunt à lege & Prophetis. & §.5. inhibet ne de cætero Iudæi Christianos seruientes, vel nutrices habeant, ne filij liberæ, ancillæ filiis famulentur.

Thalmudi volumina cõburenda.

Nutrices Christianíve alij Iudæis non seruiant.

THEOREMA 41.

QVod Innocentius hoc loco statuit de Thalmudi libris combu

comburendis ob blaſphemias & impietates contra Chriſtianam religionem in eis contentas, decretum etiam fuit à Gregorio IX. & executioni mandatum à Pariſienſi Cancellario. Vt etiam anno 1553. auctoritate Iulij III. illuſtriſſimi Cardinales ſanctę Inquiſitionis prohibuerunt, ne quis tales libros, aut eorum partem retineret, aut in poſterum tranſcribi vel imprimi, aut ex infidelium terris ad Chriſtianorum Prouincias ferri curaret, ſub pœna publicationis bonorũ. Et Iulius ipſe anno 1554. in Conſtitutione 24. quæ incipit, *Cum ſicut*, iuſſit eoſdem Thalmudi libros, alióſque ſimiles in quibus Saluatoris noſtri Ieſu nomen cum cum blaſphemia vel ignominia nominatur, in Synagogis & domibus Iudæorum, perquirendos & comburendos, eos verò retinẽtes, pœnis pecuniariis & confiſcatione bonorũ puniendos: qnin etiam contumaces vltimo ſupplicio. Extat etiam contra eoſdem bulla 3. Pauli IV. & Gregor. XIII. bulla 70. quæ incipit, *Antiqua*, in qua præcipitur Inquiſitoribus, vt procedant contra Iudæos, ſi Thalmudi aut alios Iudaicos, vel hæreticos libros tenuerint, cuſtodierint, diuulgauerint, aut in alia loca detulerint, vel ad eam rem ſuam operam accommodauerint. Quos pro culpæ grauitate puniri iubet, flagellis, remigio etiam perpetuo, publicatione bonorum, exiliis, aliiſque atrocibus pœnis. Quæ etiam approbauit Clemens VIII. bulla 20. quę incipit, *Cum Hebræorum*. vide atur etiam Directorium Inquiſ. p. 2. q. 46. & Pegna comment. 71. Ex quibus videas quam grauiter errarit Petrus Galatinus l. 1. cap. 7. qui cenſuit Thalmudi libros in Chriſtianorum ſcholis explicandos.

THOREMA 42.

DEcretum §. 5. conditũ etiam fuit ab Innocentio III. c. etſi Iudæos. & Alexandro III. c. ad hęc, extra. de Iudæis. Tum ne Chriſtiana religio ſubdita Iudæis polluatur, vt timet D Gregorius l. 2. epiſtol. 37. & S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 9. Tum ne filius liberæ ſeruiat, tamquam inferior, ancillæ filio, ex hoc eodem §. & ex citato cap. etſi Iudæos. Tum ne contrahatur aſſidua aut frequens familiaritas cum Iudæis. citato cap. ad hæc. Tum quod inaudita contra fidem noſtram committerent. Faciebant enim ſuorum filiorum nutrices Chriſtianas, poſtquam cõmunicaſſent, per triduum lac in latrinas effundere, antequam eos lactarent, & alia plura in confuſionem noſtræ fidei, ex citato cap. etſi Iudæos. Quod ſi in nutricibus & famulis Chriſtianis dimittend s eſſent cõtumaces, ibidem vetuit Innocentius III. ſub excommunicationis pœna fidelibus, ne vllum cum eis mercimonium exerceant, cenſuitque præſumentes cum eis habitare, eſſe excommunicandos. cap. Iudæi, 2. extra. de Iudæis.

1 2 3 4

Num verò liceat Chriſtianis extra illorum domos nutricis officium illorum filiis exhibere, authores diſſentiunt. Affirmat Zabarella citato cap. ad hęc, quòd dicit, *in eorum domibus*. Negant Io. Andr. Antonius de Butrio, Abbas, Hoſtienſis, ibidem Sanchez l. 2. c. 31. num. 19. Azor t. 1. l. 8. cap. 22. q. 9. Ang. Syl. Armil. Tabiena, verb. Iudæus. Tum ad cauendam eorum

familiaritatem, tum ne ſerui à Domino reprobati videantur ſuperiores iis, quos mors Chriſti liberos fecit. Idémque dicendum de famulis fidelibus, ex Gloſſa ibid. verb. aſſiduè. Abbate num. 1. Sanchez num. 20. Roſella, Angel. Sylu. Tab. loco citato, eiſdem de cauſis, etſi Hoſtienſis & Io. Andr. putauerint id licere, quod in d. cap. Iudæi, 2. dicatur: *neque ſub alendorum filiorum ſuorum obtentu, nec pro ſeruitio aut alia qualibet cauſa Chriſtiana mancipia in domibus ſuis permittantur habere.* Chriſtianus autem colonus abſente domino Iudæo poſſit illius agrum colere, ex cap. multorũ, de Iudæis, aut domum fabricare ſi Iudæus communiter non aſſiſtat, ex Abbate loco citato, Sanchez nu. 21. Roſella. Non autem Chriſtianus ſeruus ſeu mancipium eius, cum Iudæus eum habere non poſſit. cap. præſenti. ibidem, & d. 54. cap. mancipia Chriſtiana. Concilio Aurelian. 3. c. 10. & Aurelian. 4. cap. 18. & Toletano 4. cap. 64. & in Cod. Theodoſiano tit. ne Chriſtiana mancip. Iud. hab. vbi Honorius & Theodoſius legem his verbis ſanxerunt: *Chriſtiana mancipia nemo audeat comparare, nephas enim exiſtimamus religioſiſſimos famulos impuriſſimorum emptorum inquinari dominio.*

Quæras, quis poſſit diſpenſare in caſu ſpeciali, vt Chriſtiana fœmina in domo Iudæi filiũ nutriat? Reſpondet Abbas citato c. ad hæc, Cardinalis, & Anania ibidem. Roſella, Iudæus 1. num. 6. Angel. n. 5. Sylu. q. 2. dicto 4. Armilla num. 8. Tab. quæſt. 5. num. 5. Sanchez l. 2. cap. 31. num. 27. ſolum ſum. Pontificem, cum ea prohibitio à iure Pontificio deſcendat, nullique eius diſpenſatio commiſſa reperiatur. Agemus etiam de Iudæis, Theoremate 54.

Eiuſdem
INNOCENTII IV.

Cõſtitutionis 8. editæ anno 1252. incipientis. Cum fratres.

EPITOME 12.

PRÆCIPIT Innocẽtius Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Rectoribus, Conſulibus, &c. conſtitutis in Lombardia, Marchia Tarui ſina, & Romandiola, vt cõfiſcatis bonis, publico banno ſupponant hæreticos, illorúmque fautores, defenſores, & receptatores, alioquin appellatione remota ad id compellantur per Eccleſiaſticas cenſuras.

Magiſtratus, confiſcatis bonis, hæreticos, & cõplices ſupponãt bãno publico.

THEOREMA 43.

QVæ hoc loco ſtatuit Innocentius de bonorum confiſcatione & banno hæreticorum & complicum, iam definita fuerant à Federico II. lege 4. & ab Honorio III. approbata, vt iam diximus, & repetuntur ab eodem Innocentio, bulla 9. incipiente, *Ad extirpanda*, §. 3. & confirmantur à Clemente IV. bulla 13. & ſunt ex grauioribus pœnis, quæ hæreticis & complicibus imponantur. Illorum enim bona omnia ipſo iure adiudicantur fiſco, vt etiam habetur cap. vergentis, & cap. excommunicamus,

camus, 2. de hæreticis,& cap.cum ſecundum leges, de hæret. l.6. Et quamuis non ſit textus, qui explicet,à quo tempore bona illa publicentur, omnium tamen conſenſus eſt, à die commiſſi criminis, ſicut in crimine læſæ Maieſtatis. ex l.fi. Cod. ad leg.Iul. Maieſt. Videndus Burſatus, qui plures citat conſ.43. vol.1.& conſ.289.vol.3.Et ſub publicatione bonorum hæreticorum includuntur bona mobilia,immobilia,& ſe mouentia,iura & actiones.quia cap.cum ſecundum leges. cit. fit abſoluta publicatio bonorum hæreticorum,vt etiam in præſenti Conſtitutione 8. & 9. Innocentij IV. at omnia hæc ſunt bona eorum, quare omnia comprehendentur ex Sanchez,l.2.cap.14.n.2. & 3. Vazquez 1.2. quæſt.96.art.5. diſp.169.num.3.Azor t.1.l.5.cap.7. q. 8. Simanca tit.9. num.7. Porrò condemnati bona,quæ ad hæredes extraneos non tranſeunt,neque in fiſcum tranſire poſſunt,ex Bartolo in l.eum qui,ff.de interd. & releg. Peregrino de iure fiſci,l.5.t.1.n.68. Simanca t.9. n.95.96. Claro §.fin. quæſt.78. n.8. Azor t.1.l.8.cap.12. q.11. Sanchez loco citato,num.4. & 5.& cap.19.num.20.25.vbi plures citat; vt neque perſonalia iura condemnati,v.g.ius eligendi & ſimilia in fiſcum tranſire poſſunt,ex Sanchez n.6.& aliis ibid.relatis.

THEOREMA 44.

HIuſmodi autem confiſcatio bonorum,comprehendit ſolum bona præſentia, non autem etiam acquirenda in poſterum, ex Claro loco citato quæſt.78. n.23. Sanchez vbi ſupra, num.7. & cæteris communiter, ob cap.felicis, verſ.de poſtmodum acquiſitis, de pœnis,l.6.Num autem talis confiſcatio intelligatur ſolum de bonis habitis, dum perſeuerabat delictum,an eriam vſque ad commiſſi criminis declaratoriã ſententiam latam per iudicem,diſſentiunt auctores apud eundem Sanchez,n.9. 10. 20. Etenim publicari omnia vſque ad latam per iudicem ſententiam etiamſi iam pœnituerit, tenet Boſſius in ſua practica 11it.de publicatione bonorum, num. 80. Clarus quæſt.78.num.84. Curſius ſenior conſil.59 num.13. Simancas tit.9.nu.61. Azor t. 1.l. 8.c.12. quæſt.11. Vazquez 1. 2. quæſt.96. art.5.diſput.169.cap.1. num.8. At verò ſolum publicari, quæ habuit tempore delicti,& dum in eo permanſit, & non, quæ poſt reditum ad fidem acquiſiuit, tenet Sanchez num.10. Burſatus vol.3.conſ.289. & vol.1.conſil.14.num.28.& conſil.23.num.4.Angelus in l.quoties, 14.fin.ff. de nouat. qui ex l.1.ff.de pœn.verſ.ſed eam cauſam ſuſtinere, bona eo puncto publicantur, quo committitur delictum. Iudex enim ſententiam pronuncians ſolum declarat delinquentem incurriſſe pœnam legis, ſola igitur bona poſſeſſa tempore delicti,lex publicat, & tunc fert condemnationis ſententiam, & ſi publicatio non ſortiatur effectum, niſi poſt declarationem iudicis, ob id huiuſmodi declaratoria,non inducit, ſed declarat iam inductam confiſcationem à lege, quando delinquens factus eſt criminis reus.

THEOREMA 45.

QVoad clericorum bona publicanda vel non publicãda. Bona

Bona clericorum ſunt quadruplicia, vt docet Sanchez l. 2. cap. 20. nu. 1. Primò, ſunt bona ipſius Eccleſiæ, vt v.g. domus & prædia ex quibus beneficij fructus ſolent percipi. Secundò, ſunt quæ acquiruntur intuitu Eccleſiæ vt fructus beneficiorum, & quæ donantur intuitu Eccleſiæ. Tertiò, patrimonialia, ſcilicet ex patrimonio, vel propria induſtria, aut intuitu ſuæ perſonæ comparata. Quartò, habita ratione alicuius miniſterij Eccleſiaſtici, vt concionis, adminiſtrationis ſacramentorum, exequiarum, &c. quæ dicuntur quaſi patrimonialia.

Bona primi ordinis non poſſunt confiſcari ob clerici crimen à ſæculari aut Eccleſiaſtico fiſco, ſed relinquuntur Eccleſiæ cuius erant, ex Clementina 2. de hæret. verſic. Inquiſitoribus, & tam ipſorum, quàm Epiſcoporum, Gloſſa ibid. verb. Eccleſiarum, Imola ibidem num. 7. Cardinali verb. Inquiſitoribus, num 2. q. 3. Suarez t. 5. d. 23. ſect. 5. num. 26. Sanchez num. 12. Anton. 3. p. t. 24. cap. 8. Syl. excommunicatio 9. caſu 42. Azor t. 1. l. 8. cap. 12. q. 14. Pegna p. 3. quæſt. 112. com. 161. *& tranſgreſſores excommunicantur.*

Hinc deducitur cum bona à religioſis acquiſita, vt libri, veſtes, &c. ſint Eccleſiæ ſeu monaſterio acquiſita, non poſſe ob crimen publicari. ita Simancas tit. 9. num. 88. Azor loco citato, Sanchez cap. 20. num. 14. etſi Azor exiſtimet excipienda bona fratrum Minorum. Cum enim hi incapaces ſint proprij, etiam in communi, bona illa non ſint Eccleſiæ vel monaſterij, ideoque ad fiſcum illa tranſire. Quod non placet Sanchez, quia cum illa bona non ſint fratrum Minorum ob incapacitatem, non ſit cur ob fratris crimen ſint publicanda.

Bona ſecundi ordinis de iure communi non publicantur. ex cap. excommunicamus, 1. §. damnati verò, de hæret. Gloſſa ibidem, verſ. ſtipendia, & Doctores, cap. relatum, 2. & cap. quia nos, & cap. requiſiti, de teſtam. vbi interdictum eſt clericis de his bonis teſtari, ſed ea cedere Eccleſiæ poſt mortem illorum (Epiſcoporum tamen & dignitatem habentium bona ſpectant ad Sedem Apoſt. tamquam ſpolia, quicquid alij ſenſerint.) Quare iuxta regulã datam Theor. 43. quæ ad extraneos non transferuntur, neque ad fiſcum tranſire, hęc publicari non poterunt. Idémque docet Sanchez num. 24. Couarr. l. 2. var. reſol. cap. 9. num. 11. fin. & cap. cum officiis, num. 6. de teſtam. vbi plures citat. Peregrinus l. 5. de iure fiſc. t. 1. num. 97. Quod ſi alicubi ſit conſuetudo legitimè præſcripta, vt dicitur eſſe in regno Caſtellæ, vt de his valeant clerici legitimè teſtari, & ſuccedant in ea quicumque hæredes, poterunt etiã à fiſco publicari, ex Simanca tit. 9. num. 90. Vazquez 1. 2. q. 96. art. 5. diſput. 169. cap. 2. num. 19. Azor loco citato. Sanchez num. 25. Couarr. in cap. cum in officiis, num. 9. de teſtam.

Tertij generis bona clericorum delinquentium confiſcantur ex Simanca num. 92. Sanchez num. 22. Couarr. ni. 12. Pegna p. 3. com. 161. tum quod hęc nullibi excipiantur, textus enim qui habent clericorum bona applicari Eccleſiis: non de his tertiis, ſed de ſecundis bonis loquuntur. Tum quod de his clerici

clerici testari permittantur, c.quia nos,de testament. & transeunt ad quoscumque successores clericorum ex Couarr. & citatis, quare etiam ad fiscum.

Denique bona quarti generis publicari etiã possunt, quia etiam de his clerici testari possunt,& ad quoscumque successores transeũt ex Couar.cap.1.de testam.num.11. & Sanchez num.23.

THEOREMA 46.

SEd cuinam fisco hęc hæreticorum bona sunt applicãda? Consuetum fuit, vt hæretici sæcularis bona fisco Principum sæcularium (extra loca ciuili iurisdictione subiecta Romanæ Ecclesiæ) deferrentur, vt ex hac eadem Constitutione,& cap. cum secundum, de hæret.l.6. cap.excommunicamus,1.§. damnati,& cap.vergentis,extra de hæret. In terris verò iurisdictioni temporali Ecclesiæ subiectis, deuoluerentur filio Ecclesiastico, ex citatis capp.Ecclesiasticorum verò bona prædicta publicata, de iure deferrentur Ecclesiæ fisco, vt contra alios probat Couarr.l.2.var.resolut. cap.9. num.12. Azor t.1.l.8. cap.12.quæst.14. & Sanchez n.26. præterquam in Castella,vbi sæculari fisco applicantur ex citatis.

Innocẽtius verò 4.bulla 9.§.34. hæreticorum bona in tres partes diuidi iussit, quarum vnam Communi loci illius,alteram Officialibus Inquisitionis,tertiam in fauorem fidei, & extirpationem hæreticorum conferri voluit. Sed iam mutatam fuisse praxim ob nouas Pontificias Constitutiones scribit Nauarr. consil.30. de hæret. Zanchinus cap.26. Burfatus consil.43. quæ si vsu sunt receptæ,obseruandæ sunt.Reliqua,quæ de bonorum confiscatione dici possent, videnda sunt apud Simancam tit.9.Clarum q.78. Peregrinum l.5. de iure fisci, Prosperum Farinacium to.1. tit.de delictis, & pœnis, q.25.Pegnam p.3. direct. Castrum l.2. de iusta hæret.pun.Sanchez omnium optimè l.2. à cap.14. ad 24. Vazquez 1.2.q.96. Azor to.1.l.8.c.12. Molinam de iustitia, Bossium, & alios antiquiores.

Eiusdem

INNOCENTII IV.

Cõstitutionis 16.editæ anno 1254. incipientis. Quia.

EPITOME 13.

Inquisitorũ potestas in fauorem fidei,cõtra hæreticos & eorum fautores.

CONCEDIT Pontifex Inquisitoribus facultatem procedendi contra hæreticos, suspectos, receptatores, defensores & fautores illorum : & auctoritatem absoluendi, volentes redire ad fidem. Itémque coërcendi non fauentes Inquisitionis officio. Necnon concedendi indulgentias fauentibus dictis Inquisitoribus,& audientibus eorum conciones.

THEOREMA 47.

CVm antea iure ordinario Episcopi ipsi,vt supra dictum est, inquirerent in hęreticos, ideoque vsque ad annum 681. bis, deinde semel tantum quotannis fierent

Concilia Prouíncialia in quibus habebantur huiuſmodi inquiſitiones, vt conſtat ex cap. quoniam, d. 18. cap. ad abolendam, cap. cum ex iniuncto, de hæret. cap. vt commiſſi, de hæret. l. 6. Et Epiſcoporum negligentia, aut multitudine negotiorum, belliſve & rerumpubl. perturbationibus in dies hæreſes ſerperent, vt Albigenſium, Pataренorum, Catharorum & ſimilium, de quibus Guido Carmelita, Bernardus de Lucemburgo, Volateranus l. 21. & alij, ſdque maximè in Vaſconiæ partibus, ex bulla Innocent. III. edita anno 1198. quæ incipit, *Inter.* factum tandem eſt, vt celebrato anno 1215. Concil. Later. ſub Innoc. III. ſit hoc fidei negotium piis doctiſque viris particularibus, tamquam Sedis Apoſt. delegatis demandatum, abſque tamen Ordinariorum derogatione. cap. per hoc, de hæret. l. 6. & Clem. 1. §. propter, de hæret. & Alexandri IV. bulla 13. quæ incipit, *Exortis.* Et licet Hieronymus Romanus l. 5. hiſt. id factum velit anno 1243. ab Innoc. IV. quando approbauit leges Federici II. Imp. de quibus egimus, veriſimilius tamen eſt id accidiſſe ſub Innocentio III. habito Concilio Later. ſiue id contigerit anno 1216. vt aliqui colligunt ex litteris hac de re datis ad S. Dominicum, de quibus lib. 1. hiſtor. Ordinis PP. Prædicatorum, cap. 17. ſiue vt vult Ignatius Lopez in practic. crim. cap. 114. non multo poſt. vnde Innocentius III. datis litteris quæ incipiunt *His quæ*, ad Archidiaconum Mediolanenſem ei auctoritatem delatam ab Apoſtolico legato confirmat, ita vt perſonas excommunicare & ciuitates Longobardiæ interdicere poſſit, niſi iurent ſe de cætero non admiſſuros hæreticos ad dignitates, electiones, concilia, &c. Etſi negandum non ſit Innocentium IV. plurimum prouexiſſe officium Inquiſitionis, vt cõſtat ex eius Conſtitutione 1. 9. 10. 15. 16. 18. delectis ad hoc munus viris doctis ex Ordine S. Dominici, & Minorum, quem Alexander IV. Vrbanus IV. & ſubſequentes Pontifices ſunt imitati.

Vid. epit. 4.

THEOREMA 48.

IN fauorem eiuſdem officij Inquiſitionis ſunt plures indulgẽtiæ à ſummis Pontificibus per ſacros Inquiſitores conceſſæ, vt docet Emericus p. 3. q. 127. 129. & Pegna 176. 178. Et primò quidem 20. vel etiam 40. dierum omnibus cõfeſſis, qui concionibus Inquiſitorum adeſſent, vt patet ex Gregorij IX. Conſtitutione, *Ille*, edita anno 1238. & Innocentij IV. bulla edita anno 1252. quæ incipit, *Tunc potiſſimè*, & altera quæ incipit, *Malitia*, ab eodem edita anno 1254.

Secundò deinde annorum trium Inquiſitorũ ſociis, notariis & aliis collaborantibus Inquiſitoribus in negotio fidei, & cæteris perſonaliter aſſiſtentibus, vel auxilium, conſilium & fauorem Inquiſitoribus præſtantibus in expugnandis hæreticis, ex bulla IV. incipiente, *Firmiſſimè*, edita ab Alexandro IV. anno 1259. & alia cuius initium, *Præ cunctis*, edita ab Vrbano IV. anno 1261. item alia ſimiliter incipiente, *Præ cunctis*, edita à Clemẽte IV. anno 1265. Idque intelligitur toties quoties in quolibet actu perfecto, & ab alio diſtincto, ex Pegna com. 179. & Repertorio Inquiſit. verb.

verb. indulgentia. Itémque reuelantibus hæreticos diffamatos, ſeu ſuſpectos de hæreſi, ipſis Inquiſitoribus, aut ferentibus de hoc teſtimonium, vt ex citatis conſtitutionibus colligunt idem Emericus & Pegna.

Tertiò denique plenariam peccatorum omnium morientibus in proſequutione officij ſeu negotij contra hæreticos, contritis & confeſſis, vt habetur in citata bulla. *Firmiſſimè.* Alexandri IV. & bulla, *Licet.* Vrbani IV. & citatis Clementis IV. & Gregorij IX. quas etiam confirmauit Clemens VII. bulla, *Cum ſicut*, edita anno 1530. & Pius V. bulla, quæ incipit, *Sacroſanctæ*, edita anno 1570.

Sed eſt aduertendum hoc loco, 1
primò, à ſummis Pontificibus hic non ſumi nomen *Indulgentiæ* pro permiſſione agendi aliquid contra ius impune, ſicut accepit Quintilianus cum dixit l. 1. mollem educationem & indulgentiam frangere mentis & corporis neruos, & ſicut ſolemus accipere cum dicimus aliquẽ indulgere genio, gulæ, &c. Neque pro priuilegio, vt fit cap. 1. de reſcript. & cap. fin. de lite pend. vt notant Nauarr. comm. de Iubilæo not. 20. Tolet. l. 6 cap. 22. Suarez t. 4. d. 49. initio; ſed ſumi pro relaxatione pœnæ debitæ peccatis, iam quoad culpam remiſſis factæ extra ſacramenta ab Eccleſiæ paſtore habente ad hoc iuriſdictionis poteſtatem ex bonis ſpiritualis Eccleſiæ theſauri, vt ſumit Clemens VI. in extrauag. *Vnigenitus.* de pœn. & rem. Leo X. in bulla cõfutationis articulorum Lutheri, & in decreto miſſo ad Caietanum legatum in Germania ab eo relato 3. p. q. 48. art. 5. Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 9. & ſeſſ. 25. in decreto de indulgent. S. Thom. 4. d. 20. q. 1. art. 3. Sotus 4. d. 21. Nauarr. loc. cit. Bellarm. l. 1. de indulg. cap. 5. Tolet. vbi ſupra. Valent. tom. 4. d. 7. q. 20. Azor t. 2. l. 3. cap. vlt. & l. 5. cap. 27. q. 4. Suarez t. 4. d. 49. 50. & alij.

Et Pontifex Romanus ex Leone X. in decreto ad Caiet. poteſt huiuſmodi indulgentias, non ſolum viuis concedere eos directè à pœnis abſoluẽdo cum eius iuriſdictioni ſubſint, ſed etiam mortuis exiſtentibus in purgatorio. non quidem directè eos ſoluẽdo à pœnis purgatorij, cum non ſint amplius de eius foro, ſed per modum ſuffragij, eis extra Pontificis ditionem ad forum Dei deductis, ex bonis ipſius Eccleſiæ aliquid impertiendo, tamquam eleemoſynæ ſubſidium, quod pro pœnis debitis ſoluatur, ac proinde redimantur; ſicut ſi princeps aliquid ſolueret pro reo in alterius Principis poteſtate conſtituto, quo debitum ipſius rei redimeret ex Azor t. 2. l. 4. cap. 18. q. 5. & l. 5. cap. 27. q. 4. Auton. 3. p. tit. 22. c. 5. §. 6. Syluest. verb. Papa, q 6. Bellarm. l. 1. de indulgent. cap. 5. Suarez d. 49. ſect. 3. & 4. d. 53. ſect. 2. num. 4. & aliis. 2

Et proſunt huiuſmodi indulgentiæ per modum ſuffragij defunctis ex probabiliori ſententia ex certa & firma lege, ex Soto 4. d. 21. q. 1. art. 3. Azorio loco cit. l. 5. cap. 27. Suarez d. 53. ſect. 3. num. 3. 4. Valent. p. 5. Coninchus de pœn. d. 10. dub. 7. num. 58. ſi fiat opus iniunctum & cętera requiſita. Tum quia indulgentia pro defunctis verè eſt actus clauium, & applicatur theſaurus per modum ſuffragij poteſtate clauium, atque auctoritate Apoſtolica ex Leone X. loco cit. 3

& non per modum deprecationis aut alicuius impetrationis, vt propter Christi merita & Sanctorum libercntur, cum id alij etiam fideles possint hoc modo impetrare. Tum quia nihil est quod impediar, cum animæ illæ sint in Dei gratia & charitate, vt etiam Ecclesia quæ offerr, & satisfactiones Christi & Sanctorum, quæ applicantur in compensationem pœnarum purgatorij, sint pretium superabundans, alias nec etiam viuis remitteretur Purgatorij pœna, quare effectus suffragij erit omnino infallibilis.

Aduertendum secundò, falsam & impiam esse opinionem VViclesi, Io. Hus, Hieronymi de Praga, ex Conc. Constantiensi, sess. 8. 15. 19. & Lutheri in hæresim prolapsi quod non fuisset ei demandata indulgẽtiarum promulgatio, ex qua plurimum sperauerat vtilitatis, teste Roffensi art. 17. Echio loco 24. Hossio in instit. cap. 48. Lindano l. 4. Panopl. cap. 73. & aliis, asserentium indulgentias esse nouum inuentum, Ecclesiæ fraudes, & falsa præmia ad aliquid persuadendum proposita, sicut cum mater prouocat filiolum ad ambulandum promisso pomo, quod nequit tribuere. Mentiuntur enim, cum indulgentiarum vsus sit in Dei Ecclesia antiquus, & ab Apostolis à Christo instructis ad nos deuenerit per traditionem vt constat, tum ex hac eadem 16. bulla & aliis Innocent. IV. Greg. IX. Alexand. IV. Clementis IV. hic citatis, tum ex Bonifacij VIII. Extrauag. Antiquorum, de pœn. & rem. confirmantis indulgentias à Prædecessoribus concessas visitantibus SS. Apost. limina, & concedentis in anno Iubilæi, 1300. & in quolibet alio sequuturo quolibet centesimo, pœnitentibus & confessis adeuntibus eadem limina plenissimam peccatorum omnium indulgentiam. Quod etiam fieri solitum à prædecessoribus testatur, qui tunc Cardinalis florebat Ioannes Monachus in prædictam Extrauag. Glos. 9. Sicut etiam de precedenti Iubilæi anno 1200. docet apud Nauarrum loc. cit. not. 1. & 7. Iacobus S. Georgij in Velabro Cardinalis in lib. de Iubilæo. Vt etiam eodem sæculo nempe 1215. Innoc. III. in Concil. Later. decreto vlt. Indulgentias indulsit Catholicis, qui Cruce signati sc ad bellum accingerent contra hæreticos. Et Honorius III. confirmauit B. Francisco indulgentias à Christo impetratas, ex Medin. de indulg. d. 4. cap. 13. Tum quod anno 1095. Vrbanus II. in Concil. Claramontano indulgentias reperiatur largitus iis, qui super dexteram scapulam in vestibus assumpto signo Crucis in bellum pro recuperanda terra Sancta proficiscerentur, ex Barônio & Pet. Diacono in Chron. Cassinensi l. 4. cap. 11. Vt etiam indulgentias concessisse Gregor. VII. qui anno 1080. vixit, docet eiusdem epist. ad Episcopos Britanniæ. Similiter anno 1071. Alexandrum II. cum profectus Cassinum Ecclesiam B. Benedicto dedicauit concessa omnibus qui adcrant indulgentia remissionis peccatorum, docet Leo Ostiẽsis l. 3. cap. 28. & Baronius. Sergium quoque II. multo ante nempe anno 847. concessisse indulgentiam trium annorum & totidem Quadragenarum visitantibus Ecclesiam SS. Syluestri & Martini restaura

1

2

3

ſtauratam & in eam tranſlatis pluribus reliquiis, præter Anaſtaſium docet marmorea tabula, quæ adhuc extat. Eoſdem cœleſtes theſauros conceſſiſſe Leonem III. anno 804. teſtatur epiſtola S. Ludgeri Monaſterienſis Epiſcopi apud Surium die 5. Martij poſt vitam S. Suuiberti, cap. 9. & Baronius. Et duobus ante ſęculis D. Gregorium Magnum electum anno 590. largitum fuiſſe indulgentias euntibus ad ſtationes vrbis ſcribunt, S. Thom. 4. d. 20. q. 5. ar. 3. Altiſiod. l. 4. ſum. tract. 6. cap. 9. Archidiac. tract. de indulg. & Platina in eius vita. In magno quoque Concilio Nicæno anno 325. cap. 11. 12. ſtatutum reperimus, vt pro animi ardore quo quis cœpiſſet peragere iniunctam pœnitentiam, poſſet Epiſcopus præſtare indulgentiam.

4 Tum denique, quia cum vſus indulgentiarum inualuerit in vniuerſa Eccleſia, nec poſſit poſt Apoſtolos certus ac determinatus auctor vllus aſſignari, fateri neceſſe eſt iuxta regulam D. Auguſt. l. contra Donat. cap. 24. deſcendere ab Apoſtolis à Chriſto facultate accepta, & edoctis. Quod factũ fuiſſe Matth. 16. cum Chriſtus dixit: *quodcumque ligaueris*, &c. docent Theologi communi conſenſu. Soluendi enim poteſtas ibi Vicario Chriſti collata extenditur ad quodcumque impedimentum regni cælorum, & non fuit ad ſacramenta limitata. Temporalis autem pœna debita peccatis, vnum ex his vinculis remorantibus ab ingreſſu regni cælorum, cenſetur; quare etiam poteſtas hæc indulgentiarum eſt cenſenda, tunc Petro & Apoſtolis conceſſa. Eáque vſus videtur D. Paulus 2. Cor. 2. cum illo inceſtuoſo, iuxta illud: *ſi quid donaui vobis*, &c. cum partem pœnæ debitæ peccato extra ſacramenta remiſerit, iuxta explicationẽ Theodoreti, Oecumenij, Theophylacti, Ambr. Hieronymi, Lirani, Baronij in annum 57. num. 9. Meritò itaque definiuit Concil. Trident. ſeſſ. 25. poteſtatem concedendi indulgentias à Chriſto fuiſſe Apoſtolis conceſſam. Quare falſa eſt hæreticorum opinio, indulgentias eſſe nouum inuentum. Quin etiam eſt impia, cum repugnet perpetuę Eccleſiæ traditioni, doctrinæ Conciliorum & canonum eas in ſuis definitionibus ſupponentium, vel etiam docentium, vt Concilij Viennẽnſis, Clementinæ vnicæ, de reliqu. & ven. Sanct. Extrauagg. *Antiquorum. Vnigenitus. Quemadmodum.* de pœn. & rem. cap. cum ex eo, cap. noſtro, de pœn. & remiſ. cap. indulgentiæ, eodem tit. l. 6. Conc. Trid. anathemate damnantis dicentes indulgentias eſſe inutiles, aut non eſſe in Eccleſia poteſtatem eas concedendi. Quod etiam fecerat Leo X. locis citatis, & aliis pluribus ſummorum Pontif. bullis.

Aduertendũ tertiò circa indulgentiarũ quantitatem, indulgẽtias habere veluti analogiam ac proportionem ad canones pœnitentiales. de quibus Burchardus lib. 6. & Gratianus d. 50. & in fine decreti. Olim enim pro grauiori peccato mortali imponebantur ſeptem, decem & plurium annorum pœnitentiæ, prout exigebat ædificatio Eccleſiæ. Qua de re Suarez t. 4. d. 38. ſect. 4. quare dicitur cap. hoc ipſum, 33. q. 2. Eccleſiaſtica conſuetudine vſurpatum eſt vt maiorum etiminum pœnitentia ſeptem

annorum ſpatio concludatur. Ob id in Concilio Eliberitano pro homicidio caſuali imponitur pœnitentia 5. annorum, pro voluntario vtpote mortali, ſeptem. & cap. 64. pro adulterio annorum decem. Sacerdoti fornicario d. 82. cap. preſbyter, annorum etiam decem. Sacerdoti habenti rem cum filia ſpirituali 32. q. 2. cap. ſi quis ſacerdos. peregrinatio 12. annorum, & poſt eam perpetua clauſura in monaſterio. Præſcribebantur etiã pœnitẽti opera pœnalia grauiora aut leuiora pro qualitate criminũ prudentis confeſſarij arbitrio. v.g. ieiunium ſingulis ſextis feriis, aut etiam frequentius, ſuſcipiendum toto pœnitentiæ tempore, peregrinatio, Pſalmorum recitatio, flagellum, eleemoſyna, præceptum
2 ne veheretur equo, & ſimilia. Verumtamen initio per dies quadraginta vel per duos aut tres menſes ſeuerior erat pœnitentia quàm reliquo tempore, vnde prædicto fornicario ſacerdoti cap. presbyter, d. 82. impoſita pœnitentia 10. annorum ſtatuitur, vt tribus prioribus menſibus à conuerſatione remotus ieiunet in pane & aqua, ei tamen conceſſis diebus feſtis leguminibus, piſciculis, & pauculo vino. Et cap. accuſaſti, de accuſat. dicitur, *ſi hoc fecerit, quadraginta dies in pane & aqua* (quod *Carena* vocatur) *cum ſeptem ſequentibus annis pœniteat.* Similia habentur cap. 2. de ſponſa duorum. vbi notat Gloſſa dici Carenam per ſyncopen, quaſi Quarantenam, (alludendo ſcilicet ad Quadrageſimale ieiunium ante Paſch.) ſeu potius à carendis eſcis, & hominum conſortio. Ideo Carena ſeu Quarantena erat illa rigidior pœnitentia impoſita in principio temporis definiti ad pœnitendum, vtputa ſeptenæ ſi ſeptem annis pœnitendum erat, ex Suarez d. 50. ſect. 5. n. 14. Corduba l. 5. q. 9. Valentia tom. 4. d. 7. q. 20. Bellarm. l. 1. de indulg. etiamſi Henriquez l. 7. cap. 15. putet ſeptenam eſſe ſolum pœnitentiam vnius ſeptimanæ. Pontifices itaque aliquando 3
concedunt indulgentiam plenariam tam de iniũctis, quàm iniungendis, qua rectè ſumpta fit remiſſio totius pœnę temporalis relictæ in foro Dei ex quibuſcumque peccatis, iam quoad culpam remiſſis (indulgentia enim vt ex dictis colgi poteſt, ſupponit hominem amicum Dei, & non facit, ex Nauarr. not. 10. n. 3. & not. 22. & 31. Suarez d. 49. ſect. 4. num. 13. & d. 50. ſect. 4. n. 17. Graſſis p. 1. l. 4. cap. 15. n. 51. & cæteris, quia quamdiu manet culpa, tamdiu manet homo dignus pœna) ita vt pro eis neque in hoc mundo, neque in purgatorio remaneat vlla pœna ſoluẽda ex Tolet. l. 6. cap. 24. Suarez loc. cit. n. 3. Henriquez l. 7. c. 15. Soto 4. d. 21. q. 1. art. 3. Ledeſma q. 27. ar. 2. Corduba l. 5. q. 11. Graſſis n. 55. quicquid Palud. d. 20. q. 4. Supplem. Gabr. 4. d. 45. q. 3. & Nau. not. 9. ſibi velint, de plena & pleniſſima indulgentia cum ſolum tunc verè debitum dicatur plenè remitti, quãdo totum remittitur. Intelligitur autem indulgentia concedi plenaria quãdo aut clarè exprimitur, vt ſi dicatur concedimus indulgentiam plenariam omnium peccatorũ, aut ſaltẽ indefinitè concedimus indulgentiam peccatorũ, quia in his formis indefinita æquiualet vniuerſali, ex Suarez n. 10. ſi prælatus habet plenam poteſtatem concedendi. Aliàs ſolum dant partialẽ, cum videlicet

non

non absolutè, sed eum additione determinante remissionem ad partem tantum pœnæ, iuxta limitationem in indulgentia præscripta, largiuntur. Potest enim pœna per partes remitti, & prælatus pro sua voluntate remittere limitatè. Porrò indulgentia partialis dupliciter concedi solet. Primò limitando eã v. g. ad tertiam aut quartã partem pœnæ debitæ peccatis, quanta in concessione limitatur à concedẽte ex Tolet. c. 24. Suarez n. 22. Secundò dando illam limitati temporis, cum conceditur indulgentia mille annorum, aut tot quadragenarum vel septenarum, &c. quo casu non est id accipiendum de mille annis purgatorij, &c. vt putauit Viguerius c. 18. §. 6. ver. 22. cum ordinariè non videatur verisimile fideles tãdiu pati purgatoriũ, nec in forma indulgentiarum dicatur *remittimus* seu *relaxamus* tot annos pœnę purgatorij, sed pœnitentiæ. Verum id esse intelligendũ de tot annis vel diebus & Quarantenis pœnitentriç Ecclesiasticæ iunctæ vel iungendæ secundum rectam rationẽ, iuxta Canones pœnitentiales, si in hac vita tandiu prædicto antiquorũ modo oporteret pœnitere. Cui sanè satisfactioni mille annorum huius vitæ, correspõdebit remissio tantæ pœnæ in purgatorio quanta secundum Dei iustitiã computatis computandis, illi proportionata fuerit v. g. 20. annorum, vt monet Suar. d. 50. sect. 5. n. 12. 13. 14. Sot. Tolet. Cord. Graff. Bellarm. loc. cit. Henriquez l. 7. c. 15. n. 4. Innoc. in cap. quod autem, de pœn. & rem. Nauar. not. 11. n. 8. Graff. lib. de indulg. cap. 7. Cætera quæ de indulg. possent disputari, nunc non videntur facere ad rem nostram.

Eiusdem
INNOCENTII IV.

Cõstitutionis 18. editæ anno 1254. incipientis. Nouerit.

EPITOME 14.

IMITATVS Gregorium IX. excomunicatione ferit hæreticos omnes, eorúmq; complices & fautores, & per Ecclesiã damnatos relinquit sæculari Iudicio debita animaduersione puniẽdos. Quare sic ait, §. 1. *Si quis ex deprehensis redire ad pœnitentiam voluerit, perpetuo carceri mancipetur.* §. 2 *Credẽtes omnibus hæreticorum, & ipsi hæretici censentur.* §. 3. *Receptatores, defensores & fautores hæreticorum pariter excommunicantur, & nisi destiterint ipso iure sunt infames, inhabiles ad publica officia & consilia, ad dicendum testimonium, ad testandum, ad successiones hæreditatum. Nullus ei in quocumque negotio respondere in iudicio tenetur; ipsi tamen tenentur cæteris. Si fuerint Iudices, eorum sententiæ sunt nullæ. Causæ non sunt ad eos deferendæ. Si aduocati, patrocinium eorum non admittatur. Si tabelliones, instrumenta nullius sint momenti. Si clerici, ab omni officio & beneficio deponuntur, & qui tales non vitant,*

Hæretici & complices sũt excommunicati, infames, inhabiles ad officia publica, & quoscumque actus legitimos, sacramẽta & Ecclesiasticam sepulturã. Laici non disputent de fide, Hæretici & complices reuelandi, filij incapaces vsque ad secundam generationem, officiorũ, dignitatũ. Emancipationes nullæ. Et damnati hęretici & complices puniendi.

excom

excommunicantur & puniuntur. Sola suspicione notabiles inuenti, nisi suam innocentiam congrua purgatione ostenderint, feriantur anathemate, & si in ea per annum steterint, condemnentur vt hæretici. Non audiantur appellationes eorum. Nec Iudices, Aduocati, Notarij suum illis impendant officium, aliàs sint eo in perpetuum priuati. Clerici non ministrent eis sacramenta non recipiant sicut nec hospitalarij, templarij aut regulares, eorum oblationes & eleemosynas, aliàs suo priuantur officio. Si quis eos tradiderit ecclesiasticæ sepulturæ, excommunicatus est, nec absoluendus nisi propriis manibus publicè extumulet, & proiciat, & locus ille careat perpetua sepultura. Laici sub pœna excommunicationis publicè & priuatim de fide non disputent. Et sub eadem excõmunicationis pœna, qui norunt hæreticos & celebrantes occulta conuenticula reuelent saltem mediatè. Inquisitoribus. Hæretici, receptatores, defensores & fautores eorum, ipsorúmque filij vsque ad secundam generationem ad nullum ecclesiasticum beneficium vel officium admittantur. Sit irritum quicquid in contrarium factum fuerit. Ecclesiastici verò, qui ad preces huiusmodi pestilentium personarum, dignitates, personatus, & ecclesiastica beneficia adepti sunt, priuantur acquisitis, & non admittuntur in posterum ad alia vel similia. Filiorum emãcipationes post quas constiterit, ante ipsas parentes à via veritatis declinasse, nullæ sunt.

THEOREMA 49.

QVæ initio huius Constitutionis habentur, decreta etiã fuerunt, extra de hær. cap. excommunicamus, & in bulla 3. Gregorij IX. de qua Theoremate 26. Illud hic quæri potest circa hæreticorum & sociorum animaduersionem, cur in crimine hæresis eadem pœna sit omnibus constituta, cum tamen in cæteris criminibus alia pœna plectantur plebei & alia nobiles, vt pluribus docet Tiraquell. l. de nobilit. cap. 20. & l. de pœnis, causa 31. & constat ex l. moris, ff. de pœnis, §. 2. & Bartol. in l. capitalium, ibidem. An quòd in nobilitate metienda maximè spectandi sint animi morésque singulorum ex D. Hieronymo epist. ad Celantiam, & D. Gregor. l. 6. epist. 29. & non hæc quæ tanti facit ambitio humana? An ex Honorij & Theodosij lege in Cod. Theodosiano, l. 49. t. 4. l. 16. vt qui cæteris pares sunt in dogmatis peruersitate, sint etiam pares in pœnis, & quos par facinus inquinat, & æquat, vtrosque similis pœna comitetur? An quod maiori reatu delinquat, qui potiori honore perfruitur, & grauiora vitia peccatorum sublimitas peccantium faciat? 25. q. 1. cap. nulli, & 11. q. 3. cap. præcipit, & cap. cum quidam, extra. de iureiurand. & ff. de re milit. l. omne delictum, §. 2. Glossa in cit. cap. cum quidam.

Brunus

Brunus l.5.de ſeditioſis,cap.4. Tiraquellus loc.cit. Simancas tit.46. num.67.68.Ideoque cęteris adhuc grauiùs eſſent puniendi.

THEOREMA 50.

CIrca deprehenſos redeuntes ad pœnitentiam,de quibus in §.1.& in cap.excommunicamus,2. §.ſi qui,de hæret. & c.vt officium, de hæret. l. 6. & citata bulla Gregorij IX. Inquiſitores vna cum Prælatis quorum iuriſdictioni ſubſunt,poſſunt pœnam hanc perpetui carceris mitigare,& mutare,ex decreto Bonifacij VIII. c.vt commiſſi, de hæret.l.6. vt etiam notat Carerius num. 62. & 133. Clarus § hæreſis,num.7.& q.96.num.7.& Azor r.1.l.8.c.14. num.7. niſi quis tamen eſſet relapſus,cap.ſuper eo. & cap.accuſatus,de hæret.l.6.tunc enim punitur vltimo ſupplicio.

Sed quęres quouſque admittendus ſit rediens ad pœnitentiam. Sunt qui putent nõ admittendum niſi continuò ac confeſtim & ſpõte ad Catholicam fidem recurrat, vt teſtatur Grillandus tract.de hæret. q. 5. affirmans eſſe ſententiam omnium Canoniſtarum, propter cap.ad abolendam,extra.de hæret. vbi Lucius Papa exigit, vt continuò,cõfeſtim,ſponte redeat, quos refutat Simancas tit. 47. num.30. Clarus §.hæreſis,num.7.dicens eſſe ſententiam falſam & crudelem, cum numquam Eccleſia quid tale decreuerit: nam quod quis altero etiam impellente facit, ſponte & ſuo iudicio & voluntate facit, vt etiam ex Cicer. in Oratore conſtat, cum non omnis coactio excludat voluntatem:maximè ſi reus fleuerit,ingemuerit,humilitatis & pœnitẽtię ſigna dederit.Continuò autem & confeſtim,cum temperamento ſumendæ ſunt pœnæ. Nec ſolet eſſe longum tempus à deprehẽſione,cum ſcilicet teſtibus conuictus eſt,vſque ad ſententiã. Qua de re Simancas num. 35. & ſeq. & Emericus 3.p.q.98. Alij in quibus Simancas n. 40. & Gerſon tract.2. de ſchiſmate, tenent non eſſe admittendum niſi vſque ad ſententiam definitiuam, eo quod iudex poſtquam ſemel ſententiam dixit, deſiit eſſe iudex,functúſque eſt ſuo officio; ideoque non ſit amplius veniæ & clementiæ locus, cap.ad abolendam, de hæret.& in Hiſpania ira ſeruari ſcribit Simancas.At Io. And. & Abbas in c. excommunicamus, 1. de hæret. & c.accuſatus,de hęret.in 6.Archidiac.in c.vt commiſſi,de hæret.in 6. Cardinalis & Hoſtienſis in cap.ad abolendam, de hærer. Iulius Clarus loco cit. Boërius deciſ. 343. Carerius num.159. Burſatus conſil.90. Boſſius tract.de hæret.nu.20. Ocham apud Gerſon. loc.cit. Decius conſil.137.Albertinus in cap.1.de hæret.l.6.q.12. Sylu. verb. hæreſis,1. q.12.Gloſſ.cap.excommunicamus, 2.de hærer.Azor tom.1.l.8.cap.14. q.8.Sentiunt hæreticum pœnitentem poſſe etiam iure recipi Eccleſiæ gremio poſt ſententiam definitiuam,donec tradatur Curiæ ſæculari. Tum quod poſteriora iura noua.cap.vt officium,de hæret.l.6. indiſtinctè dicant parcendum eſſe redeuntibus,& ſpem denegandam ſolum relapſis. Tum quia conſuetudo, quæ ius interpretatur, ſit in contrarium ex Cardinali in d.c.ad abolendam.Tum quod caput illud loquatur de deprehenſione manifeſta,quæ non eſt niſi poſt plenam

1

2

3

probationem, inter quam & ſententiam nullus eſt actus medius. Vnde quoad indulgentiam non eſt minor ratio ſi redire velit, poſtquam eſt condemnatus, quàm ſolum conuictus, cum in eodem actu poſſit fieri probatio & ſententia. 4 Tum quod hæc ſententia ſit benignior ideoque cæteris præferenda, cum in pœnalibus conſtitutionibus fieri debeat in dubio benignior interpretatio. præſertim cum ratio indulgendi hæretico militet etiam poſt ſententiam, ſicut ante, nempe conuerſionis veritas, cum ſpe non relabendi.

THEOREMA 51.

QVæ habétur in §. 2. conſtitutionis huius, ponũtur etiam cap. penult. de hæret. §. ſi qui, & in Gregorij IX. Conſtitutione 3. vt vidimus Theoremate 27. Credentes enim hæreticis, ex quo in ſua mala credulitate habuerint pertinaciam, ita vt admoniti, illos eſſe hæreticos, in ſua nihilominus opinione perſiſtant, efficiuntur hæretici. Vt enim Catholicus eſt, qui Catholicam fidem vniuersè credit, & fatetur: ſic ſatis eſt vt quis ſit hæreticus, ſi è contra generaliter & implicitè teneat, eſſe vera quæ hæreticus explicitè & in particulari credit, ex Simanca tit. 15. num. 3. Sanchez l. 2. cap. 10. Emanuele Sà, verb. hæreſis, num. 11. & aliis allatis Theoremate 27. Vnde ſi id ſigno aliquo manifeſtent, pœnas hæreticorum incurrunt, vt docet Suarez t. 5. d. 4. ſect. 2. num. 10. Azor t. 1. l. 8. cap. 9. q. 10. ex cap. excommunicamus, 1. de hæret. §. credentes, & cap. excommunicamus, 2. §. qui, ibidem. ob id credentes hæreticorum accipiuntur formaliter pro iis, qui illis, quatenus hæreticis, credunt.

THEOREMA 52.

COntenta etiam in 3. §. ſtatuta quoque ſunt in cap. excommunicamus, 1. de hæret. & in bulla 3. Gregorij IX. vt ibidem vidimus, in l. 4. 5. 6. 7. Federici II. Imp. Patauij datis, & Cod. de hæret. l. Manichæos, & in confirmatione Honorij III. & Nicolai III. bulla 2. habentúrque ſimilia contra lædentes officiales in extrau. Io. 22. de pœn. Sunt autem 19. quæ in hæreticorum odium hoc §. 3. ſtatuuntur.

Prima. Excommunicatio latæ ſententiæ in hæreticorum ſocios, vt habetur etiam in cap. excommunicamus, 1. de hæret. & cap. nouerit. de ſententia excommunicationis, & bulla Cœnæ Domini.

Secunda. Eorumdem infamia ipſo iure, ſicut etiam hæreticorum ex Theoremate 18. vnde non afficiuntur niſi poſt declaratoriam iudicis ſententiam, ex Azor t. 1. l. 8. cap. 13. Sanchez l. 2. cap. 26. ſicut euenit in publicatione bonorum. Quod autem hic dicitur, niſi deſtiterint, in cap. excommunicamus, 1. & Conſtitutione Honorij lege 7. dicitur ſi intra annum ſatisfacere contempſerint.

Tertia. Inhabilitatio ad publica officia & conſilia, vt etiam in d. l. Federici, & cap. vt commiſſi, de hæret. l. 6. & bulla 2. Nicolai III. vt etiam de ipſis hæreticis ſtatuit Innoc. III. vt præmiſſum eſt Theoremate 9. & 27. fuítque ſimilis penè in vſu etiam antiquis, vt patet, ff. de pœnis, l. moris eſt, §. 8.

Quarta. Inualiditas teſtimonij, cum

cum in teſtes admitti non poſſint. Vt enim auctoritas legalis ad teſtificandum, vt colligitur ex 4.q.2. & 3.& l.2.3.4.& ſeq.ff.de teſtibus, eſt quædam dignitas perſonæ, cui aliquid affirmanti meritò adhibetur fides, tamquam à mendacij ſuſpicione alieniſſimæ; ita è contra inhabilitas eſt dignitatis defectus in perſona, propter quem ei, aliquid dicenti, non adhibetur fides. In admittendis autem aut repellendis perſonis in teſtes leges humanæ ex Alenſi 3.p. q.43. m.1. & Simanca tit. 64. quinque conſiderarunt, ad quæ reducuntur, quę afferuntur à Sylu. verb. teſtis, num. 1. Mores, naturam, fortunam, animum & ſtatum. Hæretici autem & ſocij de quibus agimus à ferendo teſtimonio repelluntur, ob mores. Tum quia ſunt infideles, tum quia ob malitiam ſunt excommunicati & infames, vt colligitur 3. q 4. ferè tota. & cap. decernimus, de ſent. excom. l.6. videatur Theorema 53

Quinta. Incapacitas teſtandi iure canonico. cap. excommunicamus, 1. § credentes, bulla 3. Gregorij IX. & alibi, vt initio huius Theorematis dixi. Etſi antea iure ciuili hæretici & ſocij teſtari poſſent, inſtituendo tamen hæredes Catholicos Authent. coll. 8. tit. 16. vt cum de appell. cognoſc. cap. 3. § 14. Sed eſt difficultas, an hæc incapacitas ſit ſolum ſequuta declaratoria ſententia criminis, an etiam non ſequuta. Sunt qui etiam ante ſententiam incapaces eſſe dicant, ideoq; conditum teſtamentum etiã tunc eſſe irritum, vt Peregrinus l. 5. de iure fiſci tit. 1. n. 172. Gregorius Lopez l. 4. fin. t. 26. opin. 7. Pegna in direct. 3. par. com. 165. verſ. rurſus, Aragona 2.2.q.11. art. 3. coroll. 4. eo quòd tale teſtamentum fieret de bonis, iam pertinentibus ad fiſcum. Quod etiã diceret Couarr. in Clement. ſi furioſus, p. 1. § 2. num. 2. cum idem dicat, de Sodomita. Alij verò tenent ante declaratoriam ſententiam criminis licitè poſſe teſtari; cum nondum bonis priuati ſint, ſed ea ſequuta reuocari teſtamentum: ſicut reuocantur aliæ alienationes, vt Salicetus in pract. Bern. Diaz cap. 86. verſ. punitur etiam. Molina t. 1. de iuſtit. d. 95. verſ. ſecũdum eſt. Vazquez 1.2.q 96. art. 5. d. 171. cap. 1. num. 11. Sanchez l. 2. cap. 24. nu. 3. tum ob cit. §. credentes. vbi dicitur, *ſit inteſtabilis*: verbum autem futuri temporis importet ſententiam ferendam ex Tiraquello l. ſi vnquam, Cod. de reuocatione donationis. verb. reuertantur, n. 182. 183. vbi plures citat. Tum quia etiam alienationes aliæ ab hæretico fieri prohibentur, & nihilominus factæ ante ſententiam declaratoriam criminis defenduntur, ita vt accipiens ſit in conſcientia tutus vſque ad illam, ex Sanchez l. 2. cap. 22. num. 50. Vazquez 1.2. q. 96. art. 5. diſput. 171. cap. 2. Banne 2.2.q.12. art. 2. ad 4. Azor t. 1. l. 5. c. 7. q 7. fine. Molina t. 1. de iuſt. d. 95. verſ. licet autem hæreticus. Vnde cum dicitur non valere, intelligitur quatenus cedunt in præiudicium fiſci. Perinde enim poteſt eas retrotrahere, ac ſi factæ non fuiſſent. Cur igitur non dicamus idem in teſtamentis? Quin etiam teſtari poterunt poſt ſententiam de bonis non publicatis, cum prohibitio intelligatur de bonis quæ publicantur ex Sanchez n. 4.

Sexta. Non datur eis acceſſus ad

hæreditates, quod non solum hic, sed etiam l. fin. Cod. de hæret. & l. hi qui sanctam, Cod. de Apost. & Authent. credentes, Cod. de hæret. & l. 7. ex Patauinis Federici Imp. II. & Greg. I X. bulla 3. §. 2. & cap. excommunicamus, 1. §. credentes, de hæret. habetur. Et est regula, vt *quicumque ob crimen est intestabilis actiuè, sit etiam intestabilis passiuè*, id est, vt non possit capere ex testamento. vt docet Glossa in l. is cui, ff. qui testam. quam approbāt DD. vt docet Clarus q. 34. de testam. num. 2. & Lessius l. 2. cap. 19. dub. 5. num. 53. Ideo si credentes & socij hæreticorum testari non possunt, ex num. 5. nec accessum habere poterunt ad hæreditates. quare si hæreditatem adeant, tenentur in cōscientia ante omnem sententiam restituere hæredibus aliis succedentibus ab intestato. cum ipsi habeantur pro non scriptis. Ideo lex, quæ eos incapaces reddit, transmittit hæreditatem ad alios succedentes ab intestato: non secus ac si hi non essent nominati. Eámque fiscus capere non potest, vt sanè faceret, si essent capaces: tūc enim hæreditas illis acquireretur, & ob id sequuta sententia in pœnam delicti transiret ad fiscum. Constant hæc ex l. 3. ff. de his quæ pro non scriptis habentur. & l. 1. Cod. de hæred. instituend. cum dicitur, *sed hæreditas est in ea causa, ac si hæredes scripti non fuissent.* Ratio est, quia incapax habetur pro mortuo. l. 1. §. sed si patronus, ff. de coniung. cum emancip. Bartolo l. hæreditas, num. 3. Cod. de his, quibus vt indig. & ibidem Baldo num. 6. Couarr. l. 4. decret. p. 2. cap. 8. §. 5. num. 9. fin. Menochio vol. 1. consil. 101. num. 36. & vol. 2. consil. 186. num. 1. Farinacio in sua practica in edit. nona, t. 1. p. 1. tit. de delict. & pœnis q. 25. num. 139. & aliis pluribus apud Sanchez l. 2. cap. 14. num. 32. Ideo cum hæreticorum credentes & socij de quibus agimus, sint incapaces, habentur pro mortuis, & ob id hæreditas transit in alios succedētes ab intestato aut euocatos, & non in fiscum. Maior difficultas est, an hæretici ipsi sint hæreditatum incapaces, cum non extat de his textus manifestus. Vt probat Sanchez loco citato n. 31. si enim hæreticus sit incapax ad delatam hæreditatem, vt sentit Faber §. legari, num. 2. instit. de legat. Menochius consil. 185. num. 14. & consil. 186. vol. 2. Simancas tit 9. num. 124. Vazquez 1. 2. q 96. art. 5. d. 169. cap. 3. num. 32. Azor t. 1. l. 5. cap. 8. q. 1. & l. 8. cap. 12 q. 8. & alij, institutio occulti hæretici habebitur pro non scripta, nihilque ex testamento aut ab intestato, ab eo accipi poterit, quare neque post declarationem criminis eam fiscus adire poterit, sed ad substitutos aut proximiores consanguineos hæreditas illa perueniet. Idémque de legato, donatione, fideicommisso. Sin verò sit capax, vt tenet Imola cap. 2. num. 44. de testam. Lessius l. 2. cap. 19. dub. 5. num. 52. Molina tom. 3. d. 658. n. 19. & tom. 1. d. 154. Sanchez l. 2. cap 14. num. 34. & alij, quicquid obtinuerit antequam de hæresi condemnaretur, aut ius habuerit ad illud, id totum à puncto commissi criminis, sequuta sentētia in pœnam delicti, deuoluitur ad fiscum, qui ei succedit.

Septima, non respondetur eis super vllo negotio, ipsi tamen coguntur respondere aliis, vt etiam dicitur in 7. lege Patauina Federici

rici II.Imp. bulla Honorij III.bulla 3. Gregorij IX. & Innoc.III.§. credentes,c.13. de hæret. & l.credentes, Cod.de hæret. Qua etiam de re Simancas t.46.num.57. Non admittuntur eorum patrocinia, si sint aduocati, sicut nec sententiæ si fuerint iudices,nec instrumenta per eos confecta si sint tabelliones,omnia enim irritantur,eadem l.credentes, Cod.de hæret.& citatis Pontificiis iuribus. & Glossa §. credentes, extra de hæret.cap.13. Panorm.& Felino ibidem, Bruno l.5.cap.9. ratio est,quia sunt infames, ideoque nullum legitimum officium gerere possunt.Habentur similes leges apud antiquos, ff. de pœnis,l.moris est,§.3.4.5.7.

Octaua. Ecclesiastici deponuntur ab omni officio & beneficio ab Innoc.IV.hoc loco.Innoc.III.citato cap. excommunicamus, §. credentes,de hæret. bulla 3 §.2. Gregorij IX. vt in quo maior est culpa, grauior exerceatur vindicta, iuxta cap.quia tua, d.50.cum crimen augeatur dignitate. l. omne delictum, §.1.ff. de re militari, & d.40.cap.homo. Glossa ibidem. & in extrauag.de sententia excomm. c. 1. qua de re Diaz in pract. crim. cap.107. Porrò depositio est pœna,qua clericus,non ad tempus,vt in suspensione, sed in perpetuum repellitur ab officio & beneficio, quam antiqui canones facilè peccantibus clericis irrogabant, teste Abbate in cap.etsi clerici,de iudic. nunc verò rariùs ex Hostiensi, Io. Andr. Anton. de Butrio,Ancharano, idque deducunt ex cap.tuæ,de pœnis,& cap.iniunctum,16.q.7.& solum ob crimen valde graue. Videndus Azor t.2.l.6.c.7.q.12.

Nona.Quoad vitandos aut credentes & socios hæreticorum excommunicatos, olim oportebat deuitare omnes excommunicatos, publicos quidem tum publicè,tum occultè; occultos verò secretè,sed non publicè.Postea verò in Conc. Constantiensi decretum est, vt solum teneremur vitare nominatim excommunicatos & publicos percussores clericorum ex S. Antonino 3.p.t.25. cap.3. Angel. excommunicatio 8.num.3. Sylu. excommunicatio 5.quæst.3. Caiet. verb. Absolutionis impedimenta.Maiore 4.d.13.q.3.Soto 4.d.22.q.1.ar.1. Ledesma 4. d.23. arric.1. Victoria sum.de sacram. tract. de excomm. Sanchez l.2. cap.9. num.3.4. Suarez t.3.in 3.p. S. Thom.disput.18. sect.1.not.3. Azor t.1.l.8.c.13.q.7. Vnde in Anglia,Gallia,Germania, etiamsi hæretici & credentes eorum ac socij notorij sint, sed non denunciati,possunt Catholici cum illis conuersari.ex Nauarro de hæret.consil.15.num.2.primæ edit.& cons.16.Azor cap.11.q.1. Sanchez n.5.Porrò damnat etiam Io.XXII. in Constitutione *Cum nonnulli*,eos qui cùm damnatis hæreticis faciũt confœderationes,ligas,ac societates,sibíque præstant auxilia,consilia & fauores; & iubet,vt Inquisitores procedant contra tales,tamquam contrà suspectos de hæresi.

Decima. Vt suspecti de hæresi probent congrua purgatione suam innocentiam, statutum etiam est, cap.ad abolendam, §. qui verò,& cap.excommunicamus,1.§ qui autem,extra.de hæret.& à Greg.IX. bulla 3.& alibi,vt dixi, Theor.28. Suspicio autem seu præsumptio debet esse probabilis,aliàs non inducetur purgatio, vt notat Glossa in d.§. qui autem. & pro qualitate

infamiæ, & personæ debet indici purgatio d.c.ad abolendam, quod ni faciant, sunt excommunicati & insordescentes per annum condemnandi vt hæretici, ex citatis iuribus, & cap. cum contumacia, de hæret.l.6. quia vt ibidem notat Glossa,& Io.Andr.& Sylvest.verb. hæresis,1.num.11.specificè vocati respōsuri de fide, & se de tali suspicione purgaturi, sua contumacia,suspicionem iam per informationes vehementem, quæ ex se ad condemnandum non sufficit ex Glossa,cap.accusatus,de hæret.l.6. faciunt transire in præsumptionem violentam, sufficientem ad condemnandum de crimine. Qua de re Archidiac.cap.accusatus, de hæret.l.6. Emericus in direct.p.2. q.55.56.Bern.Diaz in pract.c.141. Quare D.Leo ep.10.ad Aquileiensem Episcopum ait: *Qui corruptos se videri volunt, ab omni suspicione se purgent, & obediendo nobis probent se esse nostros, quorum si quisquam salubribus præceptis satisfacere detrectauerit,ab Ecclesiæ societate pellatur:ne proditor animæ suæ salutis insidietur alienæ.* Similia habet epist 84. Habetur etiam 11.q.3.c.rursus ex Concil.Carthag.5.cap.12. & cap. quicumque ex Gelasio etiam ob alia crimina excommunicatum,si intra annum respōsurus de crimine, non venit, sed stat per annum in excommunicatione, habetur pro conuicto,nec amplius auditur.qua de re Grillandus de hæret q.8.n.4. lib.1.& Menochius l.1. consil.94. num.44.Vgolinus de censuris tab. c.14.§.3.num.2.

1 Vndecima. Non audiuntur appellantes,ex hoc loco, & bulla 1. eiusdem Innocent.IV.§.8. bulla 3. Gregor.IX.§ 4. & Bonif.VIII.c.vt Inquisitionis,vbi etiam citatur lex Federici 1 I. Imper. vt dictum est Theoremate 29.neque id nouum, vt patet ex tit.quorum appellationes non recipiuntur.lib.7.Cod.& ff.de appell.recip.vel non recip.& ff. a quibus appellari non licet. Nec patrocinio fouendi sunt, a Notariis,Aduocatis,Iudicibus subpœna priuationis officiorum suorum,& infamię.ex cap.si aduersus, de hæret.& Gregor.l X. bulla 3.§. 5.Simanca tit.15. Claro §.hæresis, n.17. Afflicto super 1.p. constitutionum Regni.rubr.1.n.43. Carerio & aliis. quod non est nouum, cum constet fieri etiam aliis de causis ex l.moris,ff.de pœnis. 2

Duodecima. Non sunt eis ab Ecclesiasticis ministranda sacramenta, vt repetitur ab Innoc. I I I. cap. excommunicamus, 1.§. credentes,versu, sanè clerici, & Gregor.I X. bulla 3.num.5.iuxta dicta Theoremate 30. Ratio est, quia cum sint excommunicati, absque peccato ea participare non possunt. & quamuis Maiolus l. 5. de irregularitate, cap. 46. num. 7. & speculator ibidem citatus tit. de dispensatione,§.iuxta, versi.7. existiment eis sacramenta ministrantes fieri irregulares, verè tamen nulla ibi imponitur irregularitas, nec alibi, sed solum priuatio officiorum & priuilegiorum, eáque non lata sed ferenda, vt obseruat Suarez tom.5.d.43. sect.2.nu.6. & Sanchez l.2.cap.25.n.9. Videntur tamen fieri suspecti de hæresi, quando ministrāt sacramenta hæretico non conuerso, sed perseuerante adhuc in errore suo, immo videntur fauere illi tamquam hæretico, & non tantum vt excommunicato, quare ex citatis incurrent

rent irregularitatem fautorum hæretici. de qua infra num. 17.

Decimatertia. Reiiciendæ ſunt eorum oblationes & eleemoſynæ, non tantum ex hoc, §. ſed etiam ex cap. 14. §. credentes, extra de hæreticis, & Gregor. IX. bulla 3. §. 5. vt vidimus Theoremate 30. num. 3. & cap. ſacris, & cap. à nobis, de ſent. excomm.

Decimaquarta. Priuantur Eccleſiaſtica ſepultura non tantum hic, ſed etiam in citata bulla 3. §. 5. Gregor. IX. & cap. quicumque, de hæret. l. 6. cap. ſacris, de ſepult. Clement. 1. de ſepult. & c. conſuluiſti, de conſecr. Eccleſiæ vel altaris. vbi idem de omnibus excommunicatis habetur, iis ſcilicet quos tenemur vitare viuos. qua de re Sayrus l. 3. cap. 35. n. 6. Ledeſma 2. 4. q. 26. art. 2. Antoninus 3. p. t. 25. c. 5. Nauarr. cap. 27. n. 134. §. 28. Alberius diſp. 10. de nat. excomm. l. 1. cap. 6. Verum hoc tempore ob Extrauag. Martini V. apud Nauarr. cap. 27. num. 35. quæ incipit, *Ad euitanda.* intelligendum eſt de fautoribus denunciatis, quibus neque viuentibus communicare poſſumus, ex Victoria in ſum. q. 90. de Euchariſtia. Suarez t. 5. d. 12. ſect. 4. Vgolino tab. 2. cap. 9. §. 6. num. 2. Nauarr. cap. 27. num. 137. verſ. 3. & conſtat ex citato cap. quicumque de hær. l. 6. vbi dicitur, & proiicient huiuſmodi corpora damnatorum, & qui ſcienter tales ſepelit, excommunicatur, & non abſoluitur, niſi illos propriis manibus publicè extumulet, & procul abiiciat. Vt etiam Theoremate 30. docuimus.

Porrò Eccleſiaſtica ſepultura ex 23. q. 2. cap. qui diuina, & cap. quæſitum, & q. 5. cap. placuit. duo includit, locum ſcilicet & ſacras cæremonias. Et quidem nomine loci venit tum templum conſecratum aut benedictum, tum etiam cæmeterium, quod pariter benedici ſolet, vel ſaltem auctoritate Epiſcopi eſt deputatum ad ſepeliendos fideles, ſiue ſit contiguum Eccleſiæ, ſiue non, ex cap. vnico, de conſecr. Eccleſ. vel altaris, lib. 6.

Quod autem addit Abbas d. c. ſacris, num. 3. nempe neque poſſe huiuſmodi corpora ſepeliri in locis prophanis vicinis templo aut cæmeterio, ſed ſolum in loco adeo diſtanti, vt ſacerdotes in templo cantantes aut ſacrificantes, nec videri, nec audiri poſſint, argum. cap. quod in te, de pœn. & remiſſ. cum dicatur in cap. ſacris, procul abiiciendum. non omnino conuincit, & oppoſitum docet Ancharanus in Clementina 1. de ſepult. num. 4. Gloſſa ibidem, verb. cæmeteriis. Sayrus l. 3. cap. 35. num. 11. Aſtenſis p. 2. l. 7. tit. 2. caſu 76. Anton. 3. p. t. 25. cap. 33. Nauarr. cap. 27. nu. 37. §. 34. Ledeſma 2. 4. q. 26. 2. Caietan. verb. excommunicatio, cap. 46. & Suarez loco cit. eo quod *procul* hîc ſignificet idem quod extra ſacrum locum, ſiue multum ſiue parum diſtet. & quod cap. quod in te, nihil probet, cùm ibi ſit ſermo de excommunicato viuente, qui prohiberur diuinis intereſſe, etiam extra Eccleſiam in loco vicino, vnde illa videre aut audire poſſit. Locus autem in quo tale corpus damnatum ſepultum fuerit, perpetua ſepultura caret, ita vt non poſſit amplius reconciliari, ex citatis teſtibus initio huius n. 14. quod Suarez negat extendendum ad totum templum vel cæmeterium, ſed ſolum ad peculiare illud ſepulchrũ. Carent ſimiliter ſacris cęremoniis

funebribus, fidelium pompa & honore ordinato ad ſepulturam Eccleſiaſticam, hymnis, luminibus, ſacrificiis, de quibus cap. placuit, 23.q.5. & cap. ſuper eo, de raptoribus. Tum quia ob excommunicationē in qua ille deceſſit, priuatur etiam poſt mortem communione fidelium, vt habetur 11.q.3.c.quicumque, & 24 q.2.cap.1. Tum quia hoc ſit conſequens ad illud: ideo eſſet valde indecens, vt cadauer illud ad ſepulturam cum beſtijs cōmunem deferretur, cum funebri pompa fidelium. Quod ſi quis id faciat, S. Anton. 3.p.t.24.c.5. Angel. excomm. 7.cap.28. & verb. hæreticus, n.19. Sylu. excom. 9.n.58. putant comprehendi hac eadem excommunicatione. cap.2. de hæret. l.6. quod tamen negat Ledeſma 2.4.q.26.art.2. excommun.27. & Suarez d.12.ſect.4. nu.13. Tum quod pœnæ non ſint extendendæ. Tum quod ille textus non loquatur de ſepultura in loco prophano, ſed de deputato ad ſepulturam fidelium.

Cur autem fidelium defunctorum corpora ſint in Eccleſiis & eçmeteriis ſepelienda, docet Gloſſa in c.cum grauia, t 3.q.2. & Concil. Moguntinum 1.cap.52. ſed non leuis eſt difficultas, quinam ſint dicendi ſepelire aliquem, cum ad hanc actionem concurrunt plures, vt fodientes terram, condentes tumulo, cruces & cereos ferentes, decantantes pſalmos, campanas pulſantes, defunctum baiulantes, funus comitantes: & quidem Io. Andr. & Gloſſa in Clement. 1. de ſepult. dubitant an comprehendātur omnes prædicti, & dicunt rem egere declaratione Pontificis. Calderinus tract. de Eccleſiaſtico interdicto, vult comprehendi omnes, quia in eo caſu ſunt omnes participes criminis, & quia conſtitutio ludibrio eſſet, ſi vnus tantum excommunicaretur, & cæteri eſſent immunes. Sayrus l.3.cap.35. num.12.13. & Vgolinus tab.2.c.9. §.6.n.3. ligari tantum volunt illos ſine quibus defunctus ſepultus nō fuiſſet, quod ab iis propriè aliquē ſepultum eſſe dicimus, ſine quorum opera ſepultus non eſſet: vel qui eas præſtant operas, quibus non præſtitis, non potuiſſet ſepeliri: excuſari verò ab excommunicatione cæteros, qui non præſtant neceſſaria ad ſepeliendum, vt cantantes pſalmos, ferentes crucē, &c. Video tamen adhuc rem non conſtare, quod non ſit ſermo tantum de ſepultura ſimpliciter, ſed de ſepultura Eccleſiaſtica, vnde etiam crucem ferentes, cantantes pſalmos, aſpergentes aqua benedicta, &c. maximè videntur concurrere ad Eccleſiaſticam ſepulturam. Et video etiam ad horrorem additum *vt publicè ſuis manibus extumulent, & proijciant*, quaſi velint canones honoratiores comprehendere, & non tantum veſpillones, quorum eſt peculiare munus.

Decimaquinta. Repetitur prohibitio ne laici de fide diſputent, vt ſtatuerat etiam Innocentius III. cap.cum ex iniuncto, extra de hæret. & Gregorius IX. cap.ſicut, ibidem, & bulla 3. & alij, quos retulimus Theoremate 31.

Decimaſexta. Item iubet propalari Inquiſitoribus, hæreticos & ſuſpectos, vt etiā fecerat Innoc.III. cap. excommunicamus, §. adiicimus, extra de hæret. Gregorius IX. bulla 3.§.7. Innoc.ipſe IV. bulla 9. §.3. & alij, addncti Theorem.32.

Deci

Decimaseptima. Prohibet quoque hæreticos, fautores & socios, necnon & filios eorum vsque ad secundam generationem admitti ad Ecclesiastica officia & beneficia, vt fecerat etiam bulla 1. §.9. bulla 9.§.30.bulla 15.§.2. & 3. sed hac de re egimus Theor.33. Et satiè Sanchez l.2.cap.28.num 35.36. extendit huiusmodi prohibitionem vsque ad pensiones, ita vt ad eas quoque obtinendas sint hæreticorum & fautorum filij inhabiles.quod etiam sentit Nauarr.consil. 11. num.2. edit.2. de hæret. & Gygas tract. de pensionibus,q.94. num. 7. eo quod cap. quicunque, §.hæretici, & cap. vt commissi,de hæret. l. 6. generalissimè dicatur, *quibuscunque*, & *ad nullum beneficiũ*, quo casu semper continentur etiã pensiones, ex sententia Glossæ Clementina 2. de vita & honest. cler. verb. quodcumque. Felino c. postulasti,num.8. de rescriptis, & Rebuffo de pacificis possessoribus, num.114.

Illud quoque hic quæri potest, an occultæ quoque hæresi(non tamen mentali)sit per se annexa irregularitas? Et quidem Perez l.8.ordin. tit.4.l.3. Cordub.l.1. q.35. & casu 41.Henriquez l.14.cap.4.n.6. & cap. 5. nu.2. Vgolin. de irregul. cap.36. Emanuel Sà,irregularitas, n.32.Sayrus l.7.cap.12.n.16. Auila de censuris p.7.disp.4.d.2. negant, sentientes hæreticum vel Apostatam, tunc solum incurrere irregularitatem,quando sunt notorij,vel accidentia facti, vel propria confessione in iudicio, vel sententia iudicis.quæ irregularitas est communis ratione infamiæ omnibus criminibus enormibus notoriis. quod ex eo probant, eo quod non sit inducenda noua irregularitas, quæ nullibi exprimitur in iure. At peculiarem irregularitatem prouenientem ex defectu animæ annexam esse affirmat Antoninus 3. p.t.28.cap.6.initio. Sylu. verb crimen,n.3. Azor tom.1.l.8.c.21.q.8. Suarez tom.5.d.43. sect.1. num.4. Sanchez l.2. cap.25. n.2. Maiolus l.5.cap.46.n.1.Tolctus l.1.cap.28. n.1.Pegna in direct.3.p.c.162.Valentia tom.4.d.7.q.t 9.p.3.in tertia specie irregularitatis. Ledesma 2. 4.q.26.ar.2. Nauarr.cap.27.n.205. vers.3. & alij. Tum quia cap.saluberrimum,& cap.conuenientibus, 1.q.7.& c.nos consuetudine,d.12. clerici ab hæresi redeuntes non permittuntur vlterius ascendere: etsi ex dispensatione permittantur in susceptis ordinibus ministrare. quod neque poterant absque dispensatione, eo quod essent suspẽsi. Cúmque hæc promotio ad superiores ordines non interdicatur clericis, eo quod sint clerici, sed ratione criminis, comprehendentur etiam laici, etsi ibi non nominentur, eiusdem criminis participes ex citatis auctoribus. Tum quia Clemens VII.in bulla *Cum sicut*, quam refert Pegna in Direct. in fine,concedit Inquisitoribus facultatem dispensandi in irregularitate contracta ob hæresim occultam. Supponit igitur ex ipso delicto irregularitatem contrahi.Tum quia irregularitas orta ex infamia ob notorium crimen, tollitur per publicam vitæ emendationem: at ex testibus citatis post emendam hæretici adhuc remanet irregularitas, cum non possint ascendere. Eadem irregularitas extenditur etiam ad receptatores, & socios hæreticorum, non solum quando

1

2

3

ſunt notorij, aut per ſententiam damnati, vt volunt auctores primę ſententiæ ob infamiam, ſed peculiarem etiamſi occulti ſint, vt de hæreticis dictum eſt, contractam ex defectu animi, vt probat Suarez ſect. 2. num. 5. Sanchez num. 7. Valentia, Marolus, Ledeſma, Nauarr. locis cit. ex c. 2. §. hæretici, de hær. l. 6. vbi, ſicut etiam hoc loco æquè hæretici, & eorum receptatores, fautores, defenſores redduntur inhabiles ad omne beneficium, & officium publicum: quo loco non tantum ſæcularia intelliguntur, ſed etiam Eccleſiaſtica, inter quæ officia, ſine dubio ordines computantur: nec refert quod addatur particula *publicum*, quippe cum etiam ordinum officium ſit publicũ, vt obſeruat Sanchez & Suarez.

Itémque extenditur ad filios & nepotes eorumdem cap. 2. §. hæretici, de hæret. l. 6. vt declaratur cap. ſtatutum, eod. tit. in bulla 3. Gregor. IX. in bulla 1. Innoc. IV. §. 9. & 10. & in confirmatione Conſtitutionis Federici II. incipientis, *Patarenorum*, videndum Theor. 33. Tandem extenditur irregularitas ad ſuſpectos de hæreſi, ex Maiolo l. 3. cap. 17. nu. 12. Suarez t. 5. d. 43. ſect. 2. n. 8. 9. 10. Sanchez l. 2. c. 25. n. 10. & ſeq. ex d. 30. cap. vlt. & cap. inter ſolicitudines, de purg. can. Sed purgata ſuſpicione auferetur irregularitas, quæ non imponebatur per modum pœnæ, ſed per modum indecentiæ ortæ ex infamia: ideo hac per purgationem ſublata, tollitur & illa. qua de re Pegna 3. p. direct. com. 24. num. 109. Hinc fit, vt qui de hæreſi ſuſpecti, coacti ſunt ab Inquiſitoribus abiurare, de vehementi, ratione huius ſuſpicionis, & quidem notoriè nõ cenſeantur irregulares nec inhabiles ad officia & beneficia, ex Nauarr. l. 5. conſil. tit. de hæret. 1. edit. conſil. 5. 6. 18. 19. Emanuele Sa 8. hæreſis, num. 5. Sanchez num. 12. quia non ſunt hæretici, etſi oppoſitum teneat Azor tom. 1. l. 8 cap. 21. q. 8. Qui verò compulſi ſunt abiurare tanquam veri hæretici, quod hæreſis fuerit probata, ſunt irregulares, & inhabiles ad officia & beneficia ex citatis. Solus autem Papa diſpenſat quoad promotionem in irregularitate hæretici & fautorum ex Valentia, Nauar. Ledeſma, Sanchez nu. 13. & ſeq. Angel. verb. irregularitas, num. 28. Sylu. eod. q. 5. n. 7. Suarez d. 43. ſect. 1. num. 6. Azor loco cit. Quin etiam Pegna 3. p. direct. com. 175. refert Pium V. anno 1567. inhibuiſſe etiam Generali Inquiſitori Hiſpaniæ ne hæreticos presbyteros habiles redderet poſſet ad ipſum celebrationis exercitium. Num autem cum occulto hæretico Epiſcopus poſſit virtute Cõcilij Tridentini ſeſſ. 24. cap. 6. diſpenſare, non ita conſtat. affirmat Sanchez num. 15. negat Suarez cum aliis citata ſect. 7. n 7.

Decimaoctaua. Priuantur quoque Eccleſiaſtici, qui prædictorum opera adepti ſunt beneficia & officia, habitis, & ſi id factũ eſt ipſis ſcientibus, inhabilitantur ad alia. Quod etiam ſtatutum legitur c. 2. §. ad hæc, de hæret. l. 6. quod ſpeciale eſſe dicit Gloſſ. eo quòd aliàs non referat per quem preces offerantur. l. vniuerſis, Cod. de precib. Imper. offer. Idémque Innocentius IV. bulla 15. quæ incipit, *Cum negotium*, fecit Inquiſitoribus poteſtatem puniendi filios & nepotes hæreticorum, credentium, fautorum & ſociorum quibuſcumque

digni

dignitatibus, honoribus, beneficiis Eccleſiaſticis & officiis publicis. Itémque eos, qui illorum gratia, intuitu & opera ea ſunt aſſequuti. Videnda etiam bulla 12. Alex.4.§.12.

Decimanona. Quod tandē hoc loco Innocentius IV.ſtatuit de inualiditate emācipationis filiorum poſt lapſum patrū, habetur etiam cap.2.§.illorum, de hær.l.6.idque meritò,quia per paternum crimen hæreſis à die commiſſi criminis liberantur filij à parria poteſtate, & ſui iuris efficiūtur. Qui enim ſunt in patria poreſtate, ſui iuris non ſunt, ſed patris ex inſtit. l.1.tit.de patria poteſtate, & ff. lib.1. rit.de his qui ſui vel alieni iuris, l.3. & lib.8.Cod. tit.47. & Ariſtot. lib.1. pol.cap.8.

Sunt autem ſeptem effectus patriæ poteſtatis, ex Gloſſa inſtit.de patr. poteſt.§. ius autem, & Azor
1 t.2.l.2.cap.19. Primò, quicquid filius acquirit præter caſtrenſe vel quaſi caſtrenſe peculium, pleno iure patri acquiritur, ſeu numeratur in bonis patris,in cuius eſt po-
2 teſtate. Secundò,olim pater filium in ſua poreſtate conſtitutum vendere poterat. Tertiò, parer in fi-
3 lium ius & poreſtatem vitæ & necis habebat. Quartò,vt in iudicio
4 pater cum filio non poſſit agere, niſi ex peculio caſtrenſi vel quaſi
5 caſtrenſi. Quintò,vt filius ſine cōſenſu patris contra alium in iudicio agere non poſſit, nec reſpondere aut reſtari, niſi moueretur lis ſuper bonis caſtrenſibus aut quaſi
6 caſtrenſibus filij. Sextò, vt pater inuiro quoque filiofamiliâs habeat adminiſtrationem, & vſumfructū in peculio aduentitio ipſius filij, inſtit. §.1. per quas perſonas nobis acquiratur, &c. Septimò,vt 7
inter patrem & filium ciuilis obligatio eſſe non poſſit.inſtir.de inutilib.ſtipul.§.eriam inutilis. A die igitur commiſſi criminis hæreſis, pater amittit ius in filium,& filius ſui iuris efficitur,ex §.illorum,cap. quicumque, de hæreticis,l.6. Sanchez l.2.cap.24.num.6. Caſtro l.2. de iuſt.hær.pun.cap.7.Pegna com. 165.Molina t.1.de iuſt.d.9.& 229. Rebello p.1.l.2.q.7.ſect.2.num.23. Leſſio l.2.cap.3.dub.5.num.23. & cap.4.dub.3.num.11.& c.12.d.13. num.80. Vnde,vt notat Simancas t. 46. nūm. 74. priuatur hæreticus etiam occultus tum dominio na- 1
turali, quod habebat in filios, ob id ſi publicantur patris bona & transferuntur in fiſcum, vſusfructus quem in aduentitiis bonis filij habebat, ad filium pertinet ex Simanca rit.9.nu.81. Ruino lib.5. conſil.24.Boërio deciſ.7.Azor t.2. l.2.c.20. & 22.q.6. Leſſio loco cit. cum enim filius ſui iuris efficiatur, vſusfructus cum proprietate ad eumdem pertinebit. Num autem vxor marito hæretico teneatur reddere debitum fusè diſputat Sanchez l. 10. de matrim. diſp.15. 16. quem potes conſulere. Tum 2
ciuili, quod habebat in ſeruos, eo enim ipſo ſerui liberantur. Tum 3
politico, quod habent rerum domini in ſubiectos, cum illo quoque iure fidelitatis,ac omnis obſequij ac promiſſionis hærerici priuentur. cap. vlt. extra de hæret. & cap.2.§.vlt.& cap.cum ſecundum, eod.tit.l.6.ad quod eriam facit 15. q.6.cap. nos ſanctorum cum ſeqq. Menochio l.2. de arbitr. caſu 546. Hoc quod dictum eſt de patriæ poteſtaris,obligationis,fidelitatis, & obſequij omnis debitæ hæreti-

co liberatione, etiam ad filios receptatorum, defensorum & fautorum hæreticorum extendi putauit Emericus 3.par. direct. q.116. sed Sanchez l.2.cap.24.nu.6. & Pegna com. 165. oppositum docent, eo, quod in citatis locis nulla de eis fiat mentio.

ALEXANDRI IV.

Constitutionis 24. in bullario veteri, quæ incipit, Consuluit nos, *editæ anno 1262.*

EPITOME 15.

Fides adhibeatur in causa fidei excõmunicato & criminis socio.

STATVIT Pontifex, vt in fauorẽ fidei excommunicati & socij criminis, possint contra hæreticos, eorúmq; receptatores & defensores testificari quoties ex verisimilibus cõiecturis præsumitur tales non dicere falsa, in defectu aliarum probationum.

THEOREMA 53.

EST apud Iurisperitos regula, Hæreticos, Iudæos, Paganos testes esse non posse, vt colligitur l.credentes, l.quoniam, Cod.de hæret.l.quæ incipit, *Catharos,* in legg. Patauinis Federici II. in litteris Apost. post direct.Inquis. & c.decernimus, de senten.excomm.l.6. cap. excommunicamus, 1. §. credentes, extra de hæret. & bulla 3. Gregor.IX.§.2.bulla 18.Innoc.IV. & cap.non potest, cap.Pagani, cap. si hæreticus, 2.q.7.cap.ipsa pietas, 23. q.4. eò quod sint suspecti de falsitate. Ex quo enim sunt Deo infideles, non præsumuntur esse fideles hominibus, aliisque de causis, de quibus Abbas cap. Iudæi, de testib. & c.1. de hæret. Matquard. tract.de Iudæis, cap.51.n.9. & seq. Farinacius tract. de oppos. test. q.56.art.7. num.205.206. Alexander tamen IV. hoc loco, & bulla 10.quæ incipit, *Quod super,* & c.in fidei, de hær.l.6. voluit vt in fauorem fidei ad inquirendam hæreticam prauitatem, ipsi etiam hæretici, socij criminis, excommunicati & infames reciperentur, etsi in cęteris criminibus repellantur. Id enim fit ad inquisitionem, & indicium & aliqualem tantum probationem, non quod credantur esse testes legitimi; idque solum quando ex verisimilibus coniecturis, ex numero testium, ex qualitate personatum & rerum aliisq; circumstantiis non præsumuntur dicere falsa. Videatur Farinacius loco cit. num.206.217.218. Menochius l.2. de arbitr. casu 474. Mascardns de probat.concl.944. Simãcas tit.51. Frãcus & Atetinus, c.vlt. de testib. Conradus Brunus l.4.de hær.c.9.

GREGORII X. *ET* CLEMENTIS IV.

Constitutionis, quæ incipit, Turbato, *editæ annis 1263. & 1267.*

EPITOME 16.

A fide recedentes vel alios auertẽtes hæreticorũ pœnis puniendi.

CHRISTIANOS ad ritum Iudæorum transeuntes, & Iudæos iam conuersos ad eumdẽ redeuntes, aut

aut ad illum trahentes Christianos, tamquam hæreticos, receptatores & fautores eorumdem, debitis pœnis puniri iubet.

THEOREMA 54.

CONstitutionem hanc Emericus in direct. p.2. q.4. tribuit Nicolao IV. sed eam esse Gregorij X. sentit Io. Andr. in cap. contra Christianos, de hæret. l. 6. Campeggius apud Zanchinum cap. 36. & Serephinus; totidémque verbis euulgauit anno 1267. Clemens IV. vt videre est in Appendice bullarij pag. 116. eadémque statuta habentur à Bonifacio VIII. in c. contra Christianos, de hæret. l. 6. vbi etiam Iudæi ad hoc crimen probandum in testes admittuntur. & à Gregor. XIII. bulla 70. §. 6. qui casum extendit, ad opem, consilium, auxilium & fauorem quomodocumque præstantes. Quare vti Christiani ad Iudaismum transeuntes, vel si ante baptismum Iudæi fuerunt, reuertentes, vt hæretici puniuntur; sic talium fautores, receptatores & defensores puniēdi sunt, vt puniuntur fautores, receptatores & defensores hæreticorum. Idque meritò, cum enim negent iam Christum aduenisse, qui mittēdus erat expectatio Gentium, à fidei professione discedūt, & in hæresim incidunt, & in eamdem inducunt alios, cum eos in Iudaicam superstitionem impellunt. Quin etiam errant contra vetus testamentum: quippe cum dictum sit Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est.* cum euidentia facti constet, iam à mille & sexcētis annis & amplius defecisse sceptrum de Iuda, vt docet S. Augustinus l. 12. contra Faustum, & Danielis cap. 9. dictum ei fuerit à Gabriele Angelo: *Scito ergo & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem, vsque ad Christum ducem, hebdomade septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum; & post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus & non erit populus eius, qui eum negaturus est, & Ciuitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio.* Loquitur enim Angelus de tempore aduentus Messiæ, & ait ab edicto restaurationis Hierusalem, quod factum est anno 20. Artaxerxis Longimani ex l. 2. Esdræ c. 2. qui fuit annus quartus Olympiadis 83. (cum cœperit regnare initio Olymp. 79. ex Diodoro Siculo l. 11. Eusebio in Chronico, Hieronymo, Pererio, Sigonio in Sulpitium) vsque ad Olympiadem 202. anno 4. quando mortuus est Christus, imperij Tiberij anno 18. futuras hebdomades 70. vt certè sunt. intersunt enim anni solares 475. qui efficiunt annos lunares constantes diebus 355. de quibus prophetia loquitur, cum dicat (abbreuiatas) 490. qui sunt hebdomades annorum 70. Cum igitur iam agatur decimumseptimum sæculum, post septuaginta hebdomadas Danielis, necesse omnino est, iampridem Messiam aduenisse, & non amplius expectandum, nisi ad vniuersale iudicium. Et Aggæus cap. 2. *adhuc* (ait) *vnum modicum est, & veniet desideratus Gentibus, & implebo domum istam gloria.*

magna erit gloria domus iſtius nouiſſima, pluſquam prima. Et Michæas c. 5. *& tu Bethleem Ephrata, &c. ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, &c.*

Cum itaque & templum illud nouiſſimum fuerit deſtructum in quod dicitur venturus Meſſias, itémq; funditus delera Bethleem, in qua idem erat naſciturus, oportet iam dici veniſſe prænunciatum Meſſiam vti Chriſti fideles docēt. Rectè igitur à cognita veritate retrocedentes, & alios in eundem errorem inducentes cum fautoribus, receptatoribus & defenſoribus vti hæretici & eis fauentes ab Eccleſia puniuntur. Videndus Albertinus de agnoſc. aſſert. q. 23. num. 59. & q. 25. num. 14. Franciſc. Burſatus conſil. 90. & Simancas tit. 35.

Ne igitur occaſionem haberent peruertendi à fide alios Iudæi prędicti, factum eſt primò, vt ſeruum Chriſtianum habere non poſſint. cap. multorum, de Iudæis, l. Deo nobis, § his ita, Cod. de Epiſcop. & cler. Et ſi circumcidant Chriſtianum etiam mancipium vel cogant circumcidi, perpetuo exilio vel etiam pœna capitis plectuntur. l. 1. Cod. *Ne Chriſtianū mancipium*, &c. & proſcriptione bonorum l. Iudęi, 2. Cod. de Iudæis. quare l. eum qui, Cod. de Apoſtatis, ſic præcipit: *Eum qui ſeruum, ſiue ingenuum inuitum, ſeu ſuaſione plectenda ex cultu Chriſtianæ religionis in nefandam ſectam ritúmve traduxerit, cum diſpendio fortunarum, capite puniendum cenſemus.* Secundò, vt ob periculum ſubuerſionis ſit eorum familiaritas Chriſtianis interdicta. c. nullus. & c. omnes, 28. q. 1. vide Pet. Greg. l. 12. ſyntag. c. 4. Tertiò, vt cap. in nonnullis, extra de Iudæis, ſtatutū ſit ab Innoc. III. vt tales vtriuſque ſexus in omni Chriſtianorum prouincia, & omni tempore (ſcilicet die & nocte) & publicè (non tantum occultè & ſub plica) diſtincto veſtimenti genere & ſigno ab aliis populis, vtantur: ne ſcilicet ſimulent ſe Chriſtianos & familiaritatem cum eis contrahant aut ſe illis adiungant. Porrò quibus ſignis & coniecturis colligi poſſit baptizatos ad Iudaiſmum defeciſſe ſcribit Menochius l. 2. de arbitr. caſu 547. De Chriſtianis autem tranſeuntibus ad Saracenos dicetur in bulla 2. Gregorij XI. Theorem. 74. 75.

BONIFACII VIII.

Conſtitutionis 1. edita anno 1295. incipientis. Prouidè.

EPITOME 17.

Nō ſupponātur loca interdicto Eccleſiaſtico pro negotio pecuniario.

STATVIT Pontifex ne auctoritate ordinariâ aut delegatâ, prouincia, ciuitas, caſtrum, villa, locus, territorium, diſtrictus, ſine ſpeciali licentia Papæ in ſcripris ſupponatur Eccleſiaſtico interdicto pro debito pecuniario, vel eo quod Incolæ, vel Officiales non ſoluerint: & ſi fiat, ſit nullum, non obſtantibus quibuſcumque pactis & obligationibus.

THEOREMA 55.

HÆc Conſtitutio quę habetur in bullario veteri, omiſſa eſt

in

in nouo,eo quod ſit redacta in corpore iuris canonici, nempe in extrauag.com. tit. de ſent. excomm. cap.2. ibique à Gloſſa & Doctoribus explicata,ſicut etiam à Nauar. cap.27.num.168.Couarr.cap.alma mater,p.2.§.1.Panorm.cap.cum in partibus , de verb.ſignific. Geminiano , Io.Andr. cap. præſenti , de ſent.excomm.l.6. Felino cap.ſanè, de off. deleg. Vgolino tab.5.cap.1. §.1.num.2.Palud.4.d.18.q.8.art.4. Anton.3.p.tit.27.cap.3.§. & ſi pro pecuniario. Soto 4.d.22.q.3.art.1. Henriquez l.13.cap.50. Tolet.l.1. cap.19.Suarez t.5.d.36.ſect.3.Sayro l.3.cap.11.num.17.Sylu.Ang.& aliis Summiſtis,verb.interdictum. Eámque confirmauit anno 1539. Clemens VII. in Conſtitutione quæ incipit, *Licet ea,quæ.*

Interdicti autem vox aliquando ſignificat decretum inter duos à iudice dictum, vt in Cod.& inſtit. de interdictis, & cap.paſtoralis,de cauſa poſſ. & propr. Aliquando prohibitionem, ſiue fiat à iudice ſæculari,vt inſtit.de interd.§.exhibitoria,ſiue eccleſiaſtico , c.miror, 17.q.4. cap.ſignificaſti , de off.Archidiac. cap.cum illorum,de ſent. excomm. Aliquando tandem , vt hic & alibi ſæpè , ſignificat Eccleſiaſticam cenſuram iuris aut prælati prohibentis alicui diuina officia, aliqua ſacramenta,& ſepulturam Eccleſiaſticam in pœnam delicti, vel contumaciæ , éſtque vna ex tribus Eccleſiæ cenſuris, vt patet ex c.quærenti,de verb.ſignific. ita enim definitur interdictum à Nauarr.cap.27.num.164.Ledeſma 2.4. q.26. art.2. Couarr. cap. alma mater , p.2. §.1. num.2. Tolet. l.1. cap.18. Henriquez l.13. c.41. Alij paulo aliter,ſed omnes in idem recidunt. Videndus Suarez d. 32. ſect.1.Sayrus l.5.cap.1.

Diuiditur autem interdictum in locale & perſonale,cap.præſenti,cap.ſi ſententia,cap.ſi ciuitas,de ſent.excomm.l.6. ſic Sotus 4.d.22. q.3.art.1.concl.1.Couarr. loco cit. num.6.Maiolus de irreg.l.3.cap.1. Henriquez §.3. Vgolin. tab.5.c.5. Suarez loco cit.ſect.2.Sayrus n.10. & ſeq. & patet, quia hæc tria (alicubi)fieri prohiberi poſſunt:& hoc pertinet ad interdictum locale. Et ſuſcipi vel miniſtrari (ab aliquo) quod pertinet ad interdictum perſonale , ram actiuè , quàm paſſiuè. Vtrumque deinde ſubdiuiditur in generale , & ſpeciale , ex Palud. 4. d.18.q.8. §. circa quartum. Alenſi 2.p.l.7.t.16. art.1. Nauarr.cap.27. num.166. Couarr.n.9. Sayro n.13. Suarez ſect. 2. num.4. Henriquez & Ledeſma locis cit.& ſumitur ex cit.cap.præſenti, de ſent.excomm. l.6.& c. cum in partibus , de verb. ſignif. & differunt ſecundum magis & minus , illud enim amplius eſt,hoc reſtrictius, ſiue locum ſiue perſonas ſpectes.

Agitur igitur in hac Conſtitutione tantum de interdicto locali generali,& non de ſpeciali:ecenim ad huiuſmodi interdictum imponendum grauior cauſa requiritur, quàm ad particulare alicuius Eccleſiæ,licet huius etiam grauis eſſe debeat,ex Couarr.Nauarr. Henriquez,Suarez,Toleto & aliis ; cum ſit pœna ex ſuo genere grauiſſima. vnde ferri non debet niſi ob proportionatam culpam ; peccatum ſcilicet mortale , & aliquo modo publicum ex Sylu. interdictum 3. q.5.Angel. num.5. Nauarr.cap.27. num.168.Couarr.cap.alma mater, p.2.§.1.n.4. & 5. Soto 4.d.22.q.3. art.1.

art.1. Suarez d.36. sect.3. num.6. Sayro l.5.cap.9. vt peccatum regis aut domini, cap. non est nobis, de sponsal. cap. si sententia, de sent. excom. l.6. cum delictum sit quodammodo commune, aut si delictum à communitate procedat, vt Capitulo, Collegio, Senatu, quãuis non omnes particulares personæ talis congregationis consentiant, dummodo totum corpus operetur. Est enim pœna quæ redundat in totam communitatem quam priuat publico diuino cultu, vt etiam in hac Constitutione, *Prouidè*, & cap. alma mater, de sent. excomm. l.6. recenset Bonifacius. Crescit enim indeuotio populi, pullulant hæreses, subtrahuntur obsequia ab Ecclesiis, diuinæ laudes suspenduntur, sacramenta non administrantur, priuantur mortui suffragiis, multiplicantur pericula animarum, séque pœna extendit ad infantes, qui nullam dederunt interdicto causam. Quare non est visum Summo Pontifici debitum pecuniariũ cuinscumque sit quantitatis, quo teneantur locorum Domini, Incolæ aut particulares personæ, legitima interdicti causa, ideoque vetuit imponi ab ordinaria vel delegata potestate, nisi de speciali & expressa, & patentibus litteris apparente licentia Sedis Apostolicæ: aliàs sit irritum & inane.

Appellatur autem interdictum hoc generale locale, eo quod in aliquem locum quasi generalem & plura veluti particularia loca complectentem, vt regnum, prouinciam, diœcesim, ciuitatem, castrum, aut villam: ex cap. cum in partibus, de verb. significe & Glossa ibidem, dirigatur. Et si enim vnum horum comparatione alterius sit minus generale: omnia tamen sunt generalia, quia seruant eamdem proportionem ad loca, ad quæ referuntur, & quæ respectu eorum dicuntur specialia. v.g. hæc vel illa Ecclesia respectu huius ciuitatis aut castri, in quo sunt etiam aliæ.

Ob id necesse non erat, vt Angelus interdictum 1. n.1. & 11. & interdictum 2. initio, Antoninus 3.p.t.27.cap.2. Philiarchus p.1.l.4. cap. 3. diuiderent interdictum in tria membra. In generale v.g. regni aut prouinciæ. Speciale v.g. huius ciuitatis aut castri: & singulare seu particulare v. g. huius Ecclesiæ: nam duo priora comprehenduntur sub generali ex d. cap. cum in partibus, de verb. significe. & præsenti Extrauag. *Prouidè*. Bonifacij VIII. Parum enim refert ex Panorm. d.c. cum in partibus, Glossa ibidem, Silu. eod q.3. Nicolao de Plouio tract. de interdicto, num.2. Soto 4.d.22.q.3.art.1. Tab. interdictum 1. nu.4. vers.3. Sayro l.5.c.2. num.9. Suarez d.32. sect.2. num.5. ad hoc vt interdictum dicatur generale, quod locus paruus sit vel magnus. Si enim nulla pars loci excluditur, quæ non sit interdicta, interdictum generale est, non speciale.

Sed poteritne particulare interdictum imponi in aliqua Ecclesia ob huiusmodi pecuniariã causam absque licentia Papæ? Negat Couar. loco cit. eo quod sint vbique iudices sæculares qui quosuis possunt cogere ad soluendum debitum, absque tanto damno & periculo innocentium. Sed oppositum docet Panorm. cit. cap cum in partibus, Nauarr. num.168. Sylu. interdictum 3.num.5. Suarez d.36. sect.3.

fect. 3. num. 8. Sayrus l. 5. cap. 11. num. 19. Archidiac. & Calderinus, eo quod Bonifacius ſolum loquatur de interdicto generali locali. Quare neque textus eſt extendendus ad interdictum generale perſonale, vt conſtat ex textu, & docet Suarez & Sayrus n. 21. licet de mente legiſlatoris oppoſitum ſenſerit Calderinus tr. de interd. m. 1. n. 22. Verum nobis non conſtat de huiuſmodi mente Pontificis, & pœnæ ſunt potius reſtringendæ quàm ampliandæ.

Eiuſdem
BONIFACII VIII.

Conſtitutionis 1. editæ anno 1295. incipientis. Excommunicamus.

EPITOME 18.

Dantes, promittentes, acceptãtes aliquid pro conſequẽdis à Sede Apoſt. literis iuſtitiæ vel gratiæ excommunicantur, vt etiam ſcientes & non reuelãtes intra triduũ; & etiã vtentes prædictis literis; abſoluẽdi à Papa, poſtquam tantundem erogauerint in pauperes. Et iuſtitia & gratia nulla eſt.

EXCOMMVNICAT §. 1. omnes religioſos, clericos, & laicos vtriuſque ſexus ſiue ſint familiares Curiæ, ſiue non, qui pacti fuerint, vel promiſerint magnũ aliquid vel paruum, vel acceptauerint promiſſionem, aut ex pacto ſiue promiſſione occultè vel manifeſtè, facta etiam generalibus, & non plenariè expreſſis apertè verbis quicquã dederint, vel receperint, vel promiſſionẽ de quacumque re vel vtilitate propter hoc conſequenda fecerint vel receperint, pro aliqua iuſtitia vel gratia, pro ſe vel alio, in cauſis vel iudiciis ſeu aliàs per litteras Apoſtolicas, & quibuſuis modis obtinenda apud Sedem Apoſtolicam. §. 2. Scientes verò aliquem in hoc culpabilem per ſe vel alium intra triduum non reuelantes & ipſi in eamdem incurrunt excommunicationem. §. 3. à Papa abſoluendi, ídque poſtquam integrè tantumdem erogauerint in pauperes, quantum dederint vel receperint. §. 4. Et iuſtitia vel gratia ſic obtenta nullius valoris eſt, roboris vel effectus. §. 5. Iiſque litteris vtentes ſcienter, incurrunt pariter excommunicationem Papæ reſeruatam.

Scortia.

THEOREMA 56.

CONſtitutio hæc habetur pariter in extrauag. com. de ſent. excom. cap. 1. & quamuis Paludanus 4. d. 18. q. 3. Angel. excommunicatio 7. num. 35. Sylu. ibid. n 82. Caiet. poſt caſum 81. Nauarr. c. 27. num. 106. verſ. 23. & Calderinus, dicant fuiſſe reuocatam à Clemẽte VII. (contra quos tamen ſentit Io. And. & Antonius de Butrio apud Sylueſtrum) nunc tamen res difficultatem non habet, cum fuerit vna cum pœnis omnibus & cenſuris approbata & aucta anno 1574. à Gregorio XIII. bulla 24. aliàs 28. & peculiari commentario de datis & promiſſis explicata à Nauarro tom. 2.

Et quidem circa §. 1. aduertendum eſt, quoad quantitatem dati

vel promissi, vetari etiam res paruas ne dum magnas. ita tamen vt paruitas non sit tanta, vt excuset à mortali, ex Nau. in d. comment. nu. 20. cum excommunicatio supponat peccatum mortale, vt etiam sensit Azor tom. 3. l. 12. c. 23. q. 3. Vbi etiam hanc Constitutionem explicat. Ea tamen non ligantur aduocati, procuratores & tabelliones sua salaria petentes, vt docet Glossa in extrauag. citata, eo quòd ex cap. non licet, 11. q. 3. etsi non liceat iudici vendere iustum iudicium, liceat tamen aduocato vendere iustum patrocinium, & Iurisconsulto rectum consilium. Circa modum verò promissionis nullum excludi, siue id occultè fiat, siue manifestè, verbis aut factis, & exprimatur plenariè aut solum ex parte, & in confuso, vt si teste Glossa ibidem dicatur v. g. non intendo esse tibi ingratus. vel decens est vt laborans pro alio, recognoscatur. vel facta sequentur, &c. Circa censuram denique dicitur, excommunicamus, & anathematizamus. Vocatur autē huiusmodi censura excommunicatio quod extra Ecclesiæ communionem expellat, quæ sacramentorum & Christi fidelium communio est cap. penult. de sentent. excomm. & cap. Engeltrudam, 3. q. 4. Etsi olim acciperetur etiam pro quadā prohibitione accipiendi sacram Eucharistiam, vel ingrediendi Ecclesiam, aut stando simul cum aliis ad orandum, & similium, vt patet ex cap. cum nō secundum hominem, de iudic. & cit. cap. Engeltrudam, & cap. 41. 11. q. 3. habentur plures huiusmodi separationes monachorū in regula S. Benedicti c. 23. 24. 25. & docet Victoria in summ. tract. de excomm. num. 1. & Suarez tom. 5. d. 24. sect. 1. Sed hoc loco sermo est, de vera & propria excōmunicatione, eáque maiore, quæ solum fertur ob peccatum mortale, eadémque dicitur Anathema, vt ex præsenti Constitutione patet.

Est autem Anathema vox Græca non Hebræa ex probabiliori sentētia D. Augustini super Num. cap. 40. 41. & in Psal. 138. S. Thom. in cap. 1. epist. ad Galat. & cap. 9. ad Rom. Couarr. cap. fin. p. 1. §. 8. n. 6. Vgolino tab. 2. cap. vlt. §. vlt. facta ab ἀνά, & θέσις, quasi sursum positio, seu seorsum positio. Ob id cum Num. 21. dictum esset: *vocauit nomen eius Horma*, quod est Hebræū, additum est pro Græca interpretatione, *id est Anathema*. Etsi Alciatus in cap. cum non ab homine, n. 106. Sotus 4. d. 22. q. 1. art. 1. & alij eruditi, Hebraicam esse senserint.

Eius autem significatio varia est. Iustinus enim Martyr q. 121. & Io. Chrysostomus tom. 5. homil. de Anathemate, in bonam & in malam partem accipi posse scribunt: & sit id quod ad communem vsum iam non sumitur, sed quod secretum & reconditum est Deo. & in bonam partem sumunt Septuaginta Num. 18. nam vbi vulgata lectio habet: *omne quod ex voto reddiderint filij Israel, tuum erit*: legunt ipsi *omne anathematismenō*. & Iudith 16. cum Domino obtulisset, & dedicasset quæ fuerant Holofernis, ne tantum Dei beneficium ex hominum memoria excideret, dicitur, *obtulit in Anathema oblionionis*: ea enim suspendit monumentum sempiternum accepti à Domino beneficij.

In malam autem partem sumitur

tur Num. cap. 21. vbi vulgata habet: *delebo vrbes eius.* Septuaginta legunt, *Anathematizabo ipsum, & ciuitates eius,* id est delebo illos tanquam Deo abominabiles, & execrabiles. Et Deut. 7. *Propterea quia abominatio est Domini Dei tui: nec inferas quippiam ex Idolo in domũ tuam, ne fias anathema.* Sicut & illud est, *quasi spurcitiam detestaberis, & veluti inquinamentum & sordes abominationi habebis, quia anathema est.* Et Iosue cap. 6. *Sitq; ciuitas hæc anathema,* quam paulò post succenderunt. & cap. 7. *quia pollutus est anathemate.* Quare Richardus de media villa d. 18. art. 5. q. 8. in respons. ad 1. air anathema significare detestationem, maledictionem, & execrationem. Et Budæus in comment. linguæ Latinæ scribit anathema dici hominem, cuius caput sacratum dicatúmque erat inferorum Diis.

Nec sanè mirum sumi in bonam & malam partẽ: tes enim aliquando separatur in honorem, aliquando in execrationem. Ex hac igitur sepositione, vt ait S. Thomas ad Galat. cap. 1. inoleuit in Ecclesia, vt qui excluduntur à communi societate Ecclesiæ & sacramentorum participatione, dicantur anathematizati. Atque ita peccantes in hanc Constitutionem excludũtur ab Ecclesia, maledicuntur, & addicuntur damnationi æternæ.

THEOREMA 57.

EXtenditur autem §. 2. censura hæc ad scientes & intra triduũ non reuelantes, vt etiam factũ videmus cap. 2. de reb. Eccles. non alien. l. 6. & cap. sicut, & cap. quapropter, 2. q. 7 & in Const. 3. Gregor. IX. & XVIII. Innocent. IV. & extrauag. 2. de simonia. quanquam Nauarr. t. 2. consil. 8. et. 52. de sent. excom. existimet Constitutionem hanc, quoad non denunciantes, non fuisse vsu receptam. Is autem aliquid dicitur scire, cap. hoc videtur, 22. q. 5. qui fuit testis, aut vidit, aut conscius fuit, id est aliquo modo cognouit, aut oculis suis conspexit, aut qui fecit illi indicauit. Iudici tamẽ denunciare nõ debet, qui probare non potest, c. plerumque, 2. q. 7. c. qualiter & quando, 1. de accus. verb. exceptis occultis, Glossa ibid. Suarez t. 5. d. 20. sect. 3. num. 11. Menoch. de arbitr. cap. 355. n. 10. 12. Angel. verb. denunciatio, & verb. familia, §. 7. Syluest. excom. q. 8 S. Thom. q. 1. ar. 16. & q. 14. art. 12. & l. 4. sent. d. 14. Cagnolus in l. culpa caret, de reg. iur. Alciatus l. 4 de verb. oblig. Vide Theor. 134.

Quis autem in hoc & similibus casibus excusetur à denunciatione explicat Suarez loco cit. Huiusque censuræ absolutionem extra mortis articulum Pontifex sibi reseruat, ad quam non admittatur delinquens, nisi prius quantum dedit aut recepit, plenè & integrè pauperibus largiatur. Vnde si id faciat tantum ex parte absoluendus non erit ex doctrina Glossę in cap. quia sæpe, de elect. l. 6. Archidiac. ibid. Vgolino tab. 3. c. 4. §. 2. n. 7. Sayro l. 4. c. 17. n 6. Cum loquitur de suspensione.

Nec nouum est in iure, cum v. g. fiat etiam in bulla Nicolai V. quæ incipit, *Olim.* & Clement. 2. de hæret. & Concil. Trid. sess. 25. cap. 12. de reform. & bulla 28. Clementis VIII. quæ est de largitione munerum. Id tamen intelligi debet, nisi excuset imporentia commodę restitutionis, ex doctrina Glossæ

Clementinæ 2. de hæret. verb. satisfecerint, Imolæ ibidem, num. 7. Cardinalis in 1. oppos. num. 5. Anton. 3. p. t. 24. c. 8. Sylu. excõmm. 9. cap. 42. num. 81. Nauarr. cap. 17. num. 56. 59. & cap. 27. num. 142. & in commentario in hanc eandem Cõstitutionem de datis & promis. num. 38. Molinæ t. 1. de iust. d. 92. col. 3. vers. pœnæ. & tom. 3. d. 756. fine. Henriquez l. 13. c. 28. num. 1. litt. R. & 4. Sozæ in explicatione bullæ Clementis VIII. de largit. mun. Emanuelis Roderici tom. 1. summ. edit. nonç, c. 87. num. 8. Sanchez l. 2. decal. cap. 20. n. 19. Sayri l. 2. cap. 18. nu. 10. 11. ratio est, quia nemo tenetur ad impossibile, l. impossibilium, ff. de reg. iur. ad quod etiam facit cap. Odoardus, de solut. facienti enim quod in se est, pia mater Ecclesia non intendit negare absolutionis beneficium.

Et §. 4. Pontifex irritat obtentam gratiam vel iustitiam, vt fit etiã extra de rescript. cum adeo, & de ætat. & qualit. cap cum bonç, & cap. 1. de rescript. l. 6. Sicut neque notum est quod §. 5. extendat excommunicationem reseruatam ad vtentes illis litteris, & cæteras pœnas, cum & malè faciens, & scienter vtens malefactis ex Glossa consimili pœna irretiti mereãtur, vt fit etiam extra de immunit. Ecclesiæ, cap. aduersus, & de crimine falsi, cap ad falsariorum.

Quid sit autem intelligendum nomine iustitiæ & gratiæ, explicat Nauarr. comment. de datis & promissis, num. 19. 26. 29. & Azor 3. p. lib. 12. cap. 23. quæst. 6. Vt etiam quid intelligatur nomine Sedis Apostolicæ, quæ in hac Constitutione ponitur, scribit Nauarr. ibid. num. 29. & Azor quæst. 7. de quibus etiam agemus nos inferiùs alia occasione.

IOANNIS XXII.

Constitutionis 1. editæ anno 1316. incipientis. Ex parte.

EPITOME 19.

HÆRETICI, déque hæresi accusati, vel valde suspecti, & Iudæi iam ad fidem conuersi & ab ea postea apostatantes, confugientes ad templa, Ecclesiastica immunitate non gaudent. Ideoque Inquisitores liberè debent exequi proprium officium, ac si ad ea non confugissent. Hæretici & Apostatæ nõ gaudent Ecclesiæ immunitate.

THEOREMA 58.

CVm inter malefactores confugientes ad Ecclesiam, tanquam ad asylum, iuxta immunitatem ei concessam à Constantino Imper. & confirmatam anno 431. à Theodosio iuniore, & anno 466. à Leone Imp. & aliis, & probatam in antiquis canonibus Ecclesiasticis, vt Concil. Arausicano 1. c. 5. Toler. 12. c. 10. Aurelianensi 1. c. 3. 4. 5. & 17. q. 4. cap. sicut antiquitus, cap. reum, cap. frater, & extra. tit. de immunit. Eccles. & alibi, vt pluribus ostendimus l. 2. de sacrificio Missç, cap. 13. num. 14. ita vt primò inde vi abstrahi iure non possint. Secundò, si ab Episcopo vel Abbate laicis iudicibus tradãtur, non possint amplius ex eo delicto cõdemnari ad mortem, vel ad aliam pœnam

nam corporis afflictiuam, vnde iudici petenti non conceduntur, nisi dato sacramento de indemnitate personæ (in his enim duobus consistit immunitas Ecclesiastica ex Abbate de immunitate, cap. inter alia, Claro §. fin. q. 30. & Angelo verb. immunitas, num. 16.) vt constitutum est 17. q. 4. c. metuentes, cap. reum, cap. definiuit, c. id constituimus, & extra. de immun. Eccles. cap. inter alia, & l. præsenti, Cod. de his qui ad Eccles. confug. Alij verò ob criminum atrocitatem quibus sunt obstricti, minimè gaudeant tali immunitate, seu ab Ecclesia non defendantur, quare inde abripi & morte puniri queũt, qui excipiuntur. 17. q. 4. cap. sicut antiquitus, & d. c. inter alia, de immun. Eccles. nempe publici latrones, id est qui palam & publicè prædantur, vel publicas vias obsident, vel castra tenent & transeuntes spoliant.

Item nocturni depopulatores agrorum, id est, secundum Innoc. qui noctu seu occultè agros populantur, & segetes vastant, vel secundum Panor. qui noctutnis insidiis in agris & viis publicis prædantur. Et pariter qui excipiuntur. cap. immunitatem, extra. de immunit. Eccles. id est, qui in cœmeterio vel Ecclesia enorme delictum spe immunitatis Ecclesiasticæ cõmittunt. Quæ sanè spes semper adesse creditur ex Hostiensi, si non probetur contrarium, vt homicidium ex proposito, mutilationes membrorum, &c. cum delinquentes in Ecclesia, contra Ecclesiam delinquant ex Couarr. l. 2. var. resolut. cap. 20. num. 15. Claro §. fin. q. 30. num. 13. de quibus etiam cap. 1. de homicid. volunt. & cap. frater, 17. q. 4. Panorm. cap. fin. de immunit. Eccles. Nauart. cap. 25. num. 20. & seq. Sylvest. immunitas, 3. n. 2. Azor t. 2. l. 9. cap. 9. q. 9. Couarr. loco cit. Plaza l. 1. delict. c. 21. & alij Summistæ, verb. immunitas. In eo enim quilibet puniri debet, in quo peccauit: vnde frustra legis implorat auxilium, qui contra legem deliquit, nec debeat quis eum offendere, à quo sperat auxiliũ, ex Glossa cap. fin. de immunit.

Alij etiam nonnulli, vt homicidæ, debitores æris publici, adulteri, raptores virginum excepti fuerant. Authent. de mandatis Principum, §. quod si delinquentes, verb. neque, quam tamen corrigit ius canonicum, & comprobat. l. præsenti, C. de his qui ad Eccles. confug. § sanè. qua de re Azor t. 2. l. 9. c. 9. q. 9. §. item dubiq. Inter eos igitur, qui non sunt defendendi ab Ecclesia, quòd se eius auxilio faciant indignos, Pontifex in hac Constitutione numerat hæreticos, déque hæresi accusatos & valde suspectos (de quibus etiam Gregor. XIV. bulla 7. §. 3. Simancas t. 46. n. 65. Couarr. l. 2. var. resolut. cap. vlt. Boërius decis. 110. Remig. Gogni. de immunit. Eccles. fallentia 18.) necnon à fide apostatantes Iudæos, vtrique enim contra Ecclesiam delinquunt, & non minus per insidias occidunt animas multorũ, quàm assassini & grassatores corpora. Et ob id statuit esse Inquisitoribus contra tales etiam ad Ecclesiã cõfugientes procedendũ, non secus ac si non confugissent.

THEOREMA 59.

EX hac eadem Constitutione videtur colligi solutio difficultatis

cultatis an Iudæus vel Paganus ad Ecclesiam cõfugiens, gaudeat immunitate? Etsi enim Glossa in l.2. Cod.de his qui conf.ad Eccles.Panorm.cap.inter alia,extra.de imm. Eccles. Nauarr.c.25.n.20. Boërius decis. 100. Clarus §.fin.q.30.n.16. Petr. Greg.l.33.c.22. n.1. negent, nisi venerit amore fidei,& religionis; Innocentius tamen, Hostiensis, & Glossa, prædicto cap. inter alia, Syl.immunitas,3.q.3 & communior opinio teste Couarr. l. 2. var.resol.cap.20.n.11.vers.13.affirmant,quia in d.cap.inter alia vniuersè statuitur,vt confugientes ad Ecclesiam defendantur.Vbi igitur ius non distinguit, nec nos distinguere debemus.Et in hac Io.XXII. Constitutione ex confugientibus ad Ecclesiam excipiuntur tantum hæretici & Iudæi apostatantes à fide,quam susceperant, qui præsidio sanctitatis loci,non defenduntur. qua de re recurret iterum sermo in Constit.7. Gregor. XIV.

Eiusdem
IOANNIS XXII.

Constitutionis 8. olim 1. editæ anno 1321.incipientis.
Inter.

EPITOME 20.

Alienationes de terris Ecclesiæ factæ ab Officialibus nullæ.

REVOCAT Pontifex quascumque, & quomodocumque factas ab Officialibus & Baronibus alienationes de castris & terris Ecclesiæ,cum super hoc nullam habuerint ab Ecclesia auctoritatem.

THEOREMA 60.

ROmana Ecclesia multis terris, castris, ciuitatibus, prouinciis & regnis in honorẽ B. Petri Christi Domini Vicarij donata est à Christianis Principibus, vt Constantino Imper. vt legimus cap.Constantinus,2.d.96.& c.fundamenta, de elect. l. 6. & in actis B. Syluestri, de quibus meminit Leo IX. ep.1. cap.13. contra præsumptiones Michaëlis. Gelasius dist.15.cap.sancta. Adrianus ep.ad Constantinum Imper. & Irenem matrem in 7.Synodo act.2.Theodorus Balsamon in Photij Monocanonem tit. 9. & exrant exarata vetustissimis litteris in bibliotheca Vaticana,& Abbatia Nonantulæ in agro Mutinensi, vbi scriptor dicit se ea transtulisse ex Græco Codice Eusebij Cæsareæ Palestinę Episcopi, qui ea in Ecclesiastica historia omisit, quòd meminisset se ea retulisse in aliis operibus, vt habemus in notis ad d.c.Constantinus, 2.d.96. editionis Gregorianæ: atque donationem authenticam se vidisse in arca S. Angeli Romæ testatur Pierius Valerianus l.34. Hieroglyf.vbi agitur de Vmbilio. Itémque à Pepino,qui Exarchatum & Pentapolim ex Sigonio l.3.de regno Italiæ concessit;à Carolo magno, qui dictam donationem confirmauit die 4.post eius in vrbem aduentum, pluribus aliis adiectis,vt regno Siciliæ,Corsicæ, Sardiniæ,ex Sigonio loco cit.Platina & Blundo,& non multis aliis ciuitatibus Italiæ; quas etiam donationes confirmauit Ludouicus Pius eorum successor, vt constat ex cap.ego Ludouicus, d 63.& ex Cõstitutione eiusdem, quæ adhuc

asser

asseruatur in monumentis Vaticanis. Ab Hentico II. qui Beneuentanum ducatum dedit ex Ditmaro, Platina & Baronio; à Comitissa Matilde anno 1115. quæ eandem instituit hæredem, & aliis, vnde ab aliquibus dictum est, solam immensitatem esse mensuram rerum donatarum Ecclesiæ. Hinc itaque factum est, vt Officiales, Rectores & Gubernatores ab Ecclesia constituti, variis occasionibus contra ius & fas multa ex illis abalienauerint insciis summis Pontificibus.

Cui malo volens Ioānes XXII. occurrere, præsenti Constitutione dictas alienationes irritas & nullas declarat, vtpotè factas à non non habentibus auctoritatem. Eadémque de re habetur alia Constitutio eiusdem in bulla 3. Clementis VI. quæ eandem confirmat, additis pluribus censuris, vt etiam postea in eadem materia fecerunt Innocent. V I. num. 1. Innoc. V I I. num. 1. Alexander V I. num. 1. Iulius I I. num. 6. Paulus III. num. 17. Paulus I V. num. 11. Pius V. n. 35. Gregorius X I I I. num. 62. & Concil. Trident. sess. 22. cap. 11. & nunc Cardinales & Pōtifices post creationem bis iurent, se de prædictis terris posthac nihil alienaturos. qua de re dicetur epitome 97. decuit enim maiestatem Sedis Apostolicæ, iurisdictio etiam temporalis, ne vilesceret Pontificalis apex, vt refertur cap. Constantinus, 2. d. 96.

Eiusdem

IOANNIS XXII.

Cōstitutionis 10 editæ anno 1321. incipientis. Ad hoc.

EPITOME 21.

PRÆCIPIT §. 2. Vniuersis & singulis tam laicis, quàm clericis, cuiuscumque status & dignitatis existant; necnon Baronibus, Potestatibus, Capitaneis, Ciuitatibus, &c. in Marchia Anconitana, ne quis contra alium ius sibi dicere, aut bellum vel exercitum seu caualcatam, nisi de licentia Rectoris Prouinciæ, per se vel alios facere vel mouere, aut per hostiles incursus & violentiam inuadere, occupare aut retinere, seu de domo propria, castro, ciuitate vel loco aliquem expellere, capere, aut tenere, siue ad vindictam & vltionem prosilire quauis causa præsumat.

Ius sibi cū armis dicentes excōmunicātur, & ptiuātur priuilegiis, feudis, beneficiis Eccles. &c.

§ 3. Delinquentes in hoc, postquam ad eorū notitiam hæc peruenerint, vel per eos steterit ne peruenirent, ipso facto excommunicantur, & si fuerint clerici etiam suspenduntur: illorúmque castra, terræ, loca, communitates, & vniuersitates; & Ecclesiæ, si clerici fuerint, subiiciuntur interdicto. Omnésque & singuli

guli prædicti priuantur omnibus priuilegiis, gratiis, libertatibus, bonis, iuribus, honoribus realibus, personalibus, feudis, locationibus, officiis, & quibuscumque concessionibus, quæ à Rom. Ecclesia ac cæteris obtinent.

Insuper singulos Barones, Comites, Nobiles, Capitaneos, Officiales, & Communitates prædictas contrafacientes mulctat mille marchis argenti & vnamquamque personarum ipsarum, quę contra horum inhibitionem facere præsumpserit, pœna 200. florenorum auri punit; clericos verò prædictos priuat omnibus beneficiis Ecclesiasticis, dignitatibus, personatibus, officiis cum cura vel sine cura, & reddit indignos & inhabiles ad illa & alia in posterum obtinenda.

THEOREMA 61.

COnstitutio hæc extenditur tantum ad statutum Ecclesiasticum, sed ad totum ex declaratione Pauli III. bulla 17. quæ incipit, *Officij*. videriq; potest de eadem materia Alexander VI. n. 1. in bullario nouo, vbi absolutionē reseruat Papæ, Iulius II. num. 6. & Sixtus V. num. 75. & facientes huiusmodi armatorum hominum vniones seu congregationes tenentur iure ciuili, lege Iulia, de vi publica, §. Item lex Iulia, Instit. de publ. iud. l. 3. §. eadem lege, l. qui ædes, ad legem Iul. maiest. l. vnica, Cod. vt armorum vsus, & ibidem Glossa lib. 11.

Porrò Caualcatæ nomine non tantùm equitum turmæ, verùm etiam peditum militantium manus intelligitur. Ferebant enim infelicissima tempora quibus Italia in Guelfas & Gibellinas factiones erat diuisa, vt sublato legum timore, quisque ius sibi dicere præsumeret: cum tamen nemo in propria causa sit bonus iudex, & sit cōtra naturalem legem, vt in propria causa quis de alio sumat pœnas, l. 1. Cod. ne quis in sua causa iudicet. & l. si quis in tantam, Cod. vnde vi, & l. extat, ff. quod metus causa. Et ciues vnius factionis, alterius factionis ciues patria eiicerent, omniáque hostilitatis signa inuicem ederēt. Vt videre est apud Neuizanū in sylua nupt. l. 4. n. 134. Alciatum l. 1. parerg. cap. 12. Decianum tom. 2. crimin. l. 7. c. 7. n. 11. Baldum in l. 2. num. 14. ff. de orig. iuris. Boërium in tract. de seditios. in princip. num. 10. Caccialup. in l. omnes populi, num. 13. ff. de iust. & iure. Ad horum igitur temeritatem & audaciam refrænandam, sunt hæc prudenter à Pontifice sancita.

Marchæ verò nomen de quo §. 2. recens & Germanicum est, ex Couarr. de collat. Numismatū c. 2. num. 4. Budæo l. 2. de asse. Gregor. Agricola l. 1. de restit. ponderib. & Sigismundo Scauia tract. de commerciis, §. 2. glos. 3. num. 28. & est ambiguum, aliquando enim ditionis nomen est, significans regionem, seu regionis fines & limites, vt cum dicimus Marcham Anconitanam, vt hic §. 2. vel Taruisinam, vt in bulla 8. Innocentij I V.

qua

qua de re Ioan. Garzias tract. de expensis & melioramentis, c. 12. n.37. aliquando notam, & signum in re aliqua impressum, siue sculptum sit. v.g. in metallo, siue inustum igne, siue intextum, siue colore pictum, aut alio modo impressum in re quapiam, tamquam distinctiua nota quædam. vnde dixit ille de Funesto & infausto cõdemnationis signo:

Pers. Sat. 4. *Et potis es vitio nigrum præfigere Theta.*

Aliquando denique sumitur pro auri vel argenti massa, certi ponderis, bonitatis, valoris. erat enim vnciarum octo libræ Romanæ ex Iasone, §. omnes autem, num. 7. instit. de act. & in l. 2. §. ex his, n. 16. ff. de verb. oblig. Albertino tract. de hæret. q. 5. num. 6. Sarnensi in reg. Cancellar. de valore exprim. q. 9. & citatis. ita appellata à peculiari nota in ea impressa iuxta superiorem acceptionem, vt constat ex materia de Cambiis apud Nauarr. cap. 17. nu. 296. Molina d. 400. 410. Hieronymum de Luca tr. de cambiis, vt dicetur Theoremate 292. & in hac significatione fit mentio eius in hac Constitutione §. 3. & in Constitutione Honorij III. de qua supra epitome 7. §. 1. & cap. constitutus, de procur. & cap. 2. de arbitr. c. 4. de pactis, & c. 16. de censibus.

THEOREMA 62.

EOdem §. 2. & 3. dicitur domo, castro, ciuitate, &c. qua in re, ex sententia Glossæ in cap. statutum, de rescript. & cap. si ciuitas, castrum aut villa. de sent. excomm. l. 6 & aliorum, ea censetur *Domus* alicuius propria, quam quis particulariter cum sua familia inhabitat. *Villa* autem dupliciter sumitur. Primò, pro casa & habitatione ruri ædificata, ad fructus & instrumenta ad colendum agrum reponenda, seu etiam ad animum relaxandum. Secundò, pro congregatione hominum habitantium in loco non vallato murorum ambitu, vti degere Agricolæ solent, de qua cap. non debet, d. 80. *Castrum* verò denotat casam arctam, & munitam, quę belli tempore non eget magna hominum custodia nec victualibus ad sese tuendum ab hostium incursibus. *Oppidum* aut *Terra* magnum est & amplum Castrũ seu Castellum. cap. Episcopi, d. 80. *Vrbs*, sunt ędificia ipsa, & murorum structura in quibus ciues habitant, ex Isidoro l. 15. etym. Archidiac. & Glossa. *Ciuitas* denique dicitur ciuium vnitas, seu ipsa ciuium congregatio vrbem inhabitantium, quam M. Tullius in som. Scip. Cõcilium cætúmque hominum iure sociatos, dixit. quem sequutus Isidorus l. 15. etym. scripsit. *Ciuitas* est hominũ multitudo societatis vinculo adunata, dicta à ciuibus, id est ab ipsis incolis vrbis, quia plurimorum consistat, & contineat vnitatem. Nec est de ratione ciuitatis, vt habeat Episcopum proprium, cum etiam ante Episcoporũ creationem, essent ciuitates. etsi in eis solis Episcopi statuendi sint. d. 80. cap. 1. 2. 3. 4. 5.

THEOREMA 63.

CEnsuræ §. 3. in delinquentes sunt latæ sententiæ, & non ferendæ, cum dicatur, *ipso facto excommunicantur, suspenduntur, subijciuntur interdicto*, &c. qua de re fusè V. golinus inter cæteros, Tab. 1. c. 9.

§ 6. & Azor t. 1. l. 5. cap 9. ca autem cenſura dicitur latæ ſententiæ, cum lex à iure vel ab homine conſulẽs in poſterum cenſuræ ſententiam iam tulit in eum, qui delinquet in legem: ita vt ſtatim ac quis legem tranſgreditur, abſque alia iudicis opera, aut re alia expectata, cenſura ligatus ſit. & ſolet cenſura ſententiæ latæ exprimi per *ipſo iure:* quia ipſum ius fert ſub illa conditione, ſi ei non obediatur. *Ipſo facto*, quia poſito facto ſeu inobedientia legis, incurritur, nulla alia expectata ſententia. Eo ipſo, quod idem valet, ac ipſo facto, & ſimilibus quibus indicatur, nil aliud requiri. ex Bartolo in l. 1. n. 4. ff. de his qui not. infam. Vgolino loco cit. Suarez tom. 5. d. 25. ſect. 3. Azor loc. cit. ſæpe etiam fertur per, ex tunc, vel ſtatim, aut confeſtim, ſeu illicò, mox, protinus, vt cap. quam ſit, de elect. l. 6. etſi non ſemper, vt notat Suarez. ideo de eis iudicandũ erit, prout exigent verba quibus adiungentur. vt ſi dicatur *ſtatim* vel *ex tunc excommunicetur*, non erit latæ ſententiæ: ſi ſtatim, aut ex tunc ſit excommunicatus, erit ſententiæ latæ.

Solent quoque huiuſmodi cenſuræ latæ ſentẽtiæ ferri in præſenti, modi indicatiui, vt *excommunicamus, interdicimus, ſuſpendimus*: & in paſſiuo, *excommunicatur, ſuſpenditur*, &c. vel per præteritum perfectum modi ſubiunctiui, ſit *excommunicatus, interdictus*, aut *ſubiaceat excommunicationi, interdicto, ſuſpenſioni.* qua de re Azor tom. 1. l. 5. cap. 9. §. quarta regula. Vel in infinito hoc modo, *decernimus*, vel *noueris te eſſe excommunicatum, interdictum*, &c. Secus eſt in cenſura ferenda in futuro, & nondum lata, in qua ſolet adhiberi tempus præſens modi imperatiui v. g. *excommunicetur, ſuſpendatur.* Id enim intelligitur faciendum per ſententiam ferendam ex Gloſſa de regul. iur. in 6. cap. in pœnis. Azor loco cit. § porrò, & Doctoribus in cap. dolentes, de celebr. Miſſ. & meritò. Nam quod imperatur faciendum, nondum fit. neque ſi dicatur ſolum *ſub pœna*, aut *interminatione excommunicationis, ſuſpenſionis*, &c. vt conſtat ex cap. clericus, extra. ne cler. vel monach & cap. relatum, §. ad hoc, tit. de iurepatr. Gloſſa, Suarez, Azor, Vgolin. locis cit. Quod ſi videatur oppoſitum haberi, cap. 1. de eo qui fur. ord. ſuſcep. & cap. Salonitanæ, d. 63. reſp. Gloſſa loco cit. & cap. ſicut tuis, de ſimonia, & Suarez vbi ſupra, adiectũ aliquid fuiſſe comminationi vel interminationi anathematis v. g. ſtatim incurrendæ, vel cui mox ſubiaceat. aut vt contrafaciendo eſſet anathema aut excommunicatus.

Denique notat cum Gloſſa, Abbate, Felino, Azor loco cit. quoties de aliqua dictione poſita in lege pœnali prudenter ambigitur, num ſignificet cenſuram aut pœnam latam ipſo iure aut ferendam, iudicandum ſolum ferendam, ex regula iuris. Odia ſunt reſtringenda. Et. In pœnis mitiorẽ & benigniorem interpretationem faciendam eſſe.

Tandem quod ſpectat ad præſentem conſtitutionẽ licet in eam delinquẽtes abſolui poſſent, quod Ioan. XXII. excommunicationem & cenſuram non reſeruauerit, Alexander tamen V I. bulla 5. §. 3. eam approbans eius abſolutionem reſeruauit ſummo Pontifici, vt antea monuimus. Immo videtur comprehenſa,

prehensa, §. 20. bullæ cœnę Domini ex Caiet. excommunicatio, c. 17. Nauarr. cap. 27. num. 73. Suarez tom. 5. d. 21. sect. 2. num. 105. quia simpliciter hostiliter inuadunt Papæ ciuitates, quamuis eas nolint à summo Pontifice alienare, vt etiam dicemus Theoremate 429. bullam cœnæ Domini explicãtes.

Eiusdem
IOANNIS XXII.

Constitutionis editæ anno 1325. quæ incipit. Ad nostrum.

EPITOME 22.

Religiosi non eant ad infideles siue licentia & patentibus. *Excõmunicatio reseruata.*

RELIGIOSI sub pœna excõmunicationis Papæ reseruatæ, prohibentur sine superiorum suorum licentia & patentibus litteris se transferre ad partes infidelium: & sine illis reperti, sunt tamquam Apostatæ capiendi. Neque illic à Prælatis sunt admittendi ad prædicationem & diuinorum Officiorum celebrationem.

THEOREMA 64.

MVlti religionis habitum gestantes, moribus corrupti & deprauati, sermonibus & secretis collocutionibus suis, contra Ecclesiæ Romanæ constitutiones in infidelium partibus in simplicium Christianorum cordibus scandala generabant, suspectique erant de hæresi quare Pontifex in præsenti Constitutione, quę in bullario nouo est omissa, eo quod iam habeatur in extrauag. comm. de regular. & transeunt. ad relig. cap. 2. obuiare volens periculis, vetat sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Pontifici reseruatæ, religiosos transmigrare in partes transmarinas, sine suorum superiorum licentia in patentibus litteris.

Superioribus autem (quippe qui subditorum mores perspectos habent, vnde eis renuentibus, subditi ad ordines non promouentur, cap. ad aures, de temp. ordin.) iniungit, vt eàm duntaxat viris litteratis, prouidis & expertis impertiant. Sequutus in hoc Pontifex Clementem III. qui, extra. de Iudæis & Saracenis, c. quam sit laudabile, licentia concessa Episcopo N. prædicaturo Euangelium Paganis in partibus vltramarinis, vt socios etiam haberet quemcũque religiosum & clericum idoneum ad fidem prædicandam, qui ei adhærere vellent, apposuit clausulam. (requisita tamen & habita licentia prælatorum suorum.) vt etiam de consecratione d. 5. can. 11. dicitur, non oportere ministros altaris vel quoslibet clericos præter iussionem Episcopi (petitam scilicet & obtentam ex Glossa) ad peregrinandum proficisci aut sine canonicis, id est formatis litteris Episcopi, de quibus est etiam sermo in Authent. de sanctis Episcop. §. interdicimus.

Extat nunc quoque bulla 56. Pauli V. de missis ad prædicandam fidem ad Indos, vt recta eò se trãsferant, nec morentur in itinere absque superiorum licentia, sub pœna excõmunicationis latæ sententiæ de qua in epit. 165.

Porrò transgressores primò in-

currunt excommunicationem reseruatam. Secundò, habentur pro Apostatis à suis Ordinibus, & sunt ab Ordinariis mancipandi carceri, donec constet de habita licentia illorum superiorum, vt etiam de omnibus religiosis sine superiorũ patentibus litteris iter agentibus, statuit Sixtus V. bulla 73. §. 7. quæ incipit, *Cum de omnibus*. Tertiò, si illic de Sede Apost. obloquantur, sunt ab Ordinariis compescendi, non secus ac si essent illorum subditi. Quartò, non admittantur ad officiũ prædicationis, quippe cum nemo absque licentia, sibi possit assumere munus prędicandi, ex decreto Innocentij III. extra. de hæret. cap. 13. §. Quia. Concil. Lateranensi sub Leone X. sess. 11. & Concil. Trid. sess. 5. c. 2. de reform. & sess. 24. cap. 4. Quintò, non permittantur celebrare, cum nõ constet de ordinatione, aut vitæ moribus, iuxta constituta à Syluestro Papa d. 98. cap. nullus. Alexand. III. extra. tit. de cler. peregrin. cap. tua, & Innocent. III. ibid. cap. inter, & cap. tuæ, & Concil. Trid. sess. 22. cap. de vitand. & seru. in celebr. & sess. 23. cap. 16.

Eiusdem

IOANNIS XXII.

Constitutionis 13. quæ incipit.

Super.

EPITOME 23.

Euocantes, adorantes, alligantésque in annulis & similibus dæmones & tenentes vel legentes de his scripturas & dicentes & docentes similia, excommunicãtur, &c.

TEMPIE dæmonibus Christiani aliqui immolabant, adorationem exhibebant, imagines, annulos, speculum, phialam ad eos ibi alligandos fabricabant, vt ad sua praua desideria adimplẽda ab illis responsa & auxilia acciperent. Præcipit igitur Pontifex, §. 1. sub interminatione anathematis, vt nemo baptizatus audeat aliquod de prædictis, docere vel addiscere, aut quouis modo vti. §. 2. In his delinquentes ipso facto excommunicantur, & admoniti, nisi intra octo dies se correxerint, per competentes iudices aliis pœnis plectantur. §. 3. Nullúsque libellos & scripturas aliquid de prædictis erroribus continentes, habere, aut tenere, vel studere præsumat, sed intra octo dies, abolere & comburere teneatur, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & aliis, cum constiterit, grauioribus infligendis, contemptoribus.

THEOREMA 65.

QVæ à Pontifice hoc loco cõtra sortilegos, & diuinos, & vtentes eorum opera constituuntur, iam damnata fuerant, tum iure diuino Deuter. cap. 18. Leuit. 20. vbi diuini interfici iubentur. Exod. cap. 22. Num. cap. 25. Esaiæ 8. Eccles. 34. Tum lege ciuili, l. cuicumque, vbi statuitur, vt liceat cuicũque maleficum apprehendere, & illico ad iudices deferre, vt communis salutis hostem, & l. multi, vt magicis artibus deditos feralis pestis, seu sententia absumat, l. nullus, 1 2

lus, Cod. de maleficis, in qua Conſtantinus, vt diuinantes, qui ad alienam domum accedunt, comburantur, & qui eos deuocarint, publicatis eorum bonis, deportentur. Et Platonis legg. l. 11. ſtatuentis. *Quando quis nodis, inductionibus, cantibus, ſimilibuſq; veneficijs ad nocendum paratus deprehenſus eſt, ſi Aruſpex aut prodigiorum interpres ſit, occidatur: ſin verò non fuerit, index de ipſo quid dare patiue debeat, ſtatuat.*

3 Tum iure canonico: nam 26 q. 1. cap. illos, prohibentur. & q. 5. cap. ſi quis dicitur, *ſi quis ariolos, aruſpices, incantatores obſeruarit, aut phylacteriis eorum vſus fuerit, anathema ſit.* cap. non oportet, definitur: *vt clerici his ſuperſtitioſis artibus vtentes, de Eccleſia proijciantur.* cap. ſi quis Epiſcopus, *vt ſi Epiſcopus, presbyter, Diaconus, vel clericus magos, aruſpices, incantatores conſuluerit, deprehenſus deponatur ab honore dignitatis ſuæ.* cap. aliquanti, *vt ſiue clerici ſiue laici, qui diuinationis ſcientiam profeſſi fuerint, docuerint, conſuluerint, ab Eccleſia habeantur extranei.* cap. ſortes, ſub anathemate diuinationes fieri prohibetur. cap. ſi quis clericus, & c. auguriis, his incãtationibus ſeruientes iubentur ab Eccleſia ſeparari. & q. 7. cap. admoneant. huiuſmodi artes & incantationes dicuntur inſidiæ & laquei diaboli, quibus nititur decipere humanum genus. & ſi clericus hæc exercuerit, vt degradetur; ſi laicus, excommunicetur.

Sed dubium graue eſt an in aliquo horum canonum excommunicatio ſit latæ ſententiæ, ita vt, qui diuinationes exercent, vel diuinos conſulunt, ſint excommunicati: præſertim in cap. ſi quis ariolos, vbi dicitur, *anathema ſit.* quæ ſolet eſſe formula latæ ſententiæ, ex Vgolino, Suarez & aliis, vt diximus Theoremate 64. Et quidem P. Martinus del Rio l. 4. diſp. mag. cap. 2. quæſt. 7. ſect. 4. affirmat. quod etiam non improbabile putat Suarez tom. 1. de relig. l. 2. de ſuperſtitione, cap. 19 num. 5. eo quòd huiuſmodi verba, *excommunicatus ſit,* aut *anathema ſit.* in Conciliis contineant ſententiam latam, & non ferendam.

Oppoſitum tamen docet Suarez ibidem num. 5. & 6. Sanchez l. 2. decal. cap. 38. num. 91. Azor t. 1. l. 9. cap. 26. q. 3. Leſſius l. 2. cap. 34. dub. 5. nu. 29. Nauarr. cap. 27. n. 12. Sylu. verb. ſuperſtitio, q. vlt. Alenſ. 2. p. q. 164. num. 5. (niſi fortè huic facto ſit etiam coniuncta hæreſis, quo caſu excommunicatio eſſet lata) ſidque aliqui ſentiunt, eo quod ambigi poſſit an verbum, *ſit,* futuri temporis ſit modi optatiui, an verò præſentis ſubiunctiui, atque ob id in dubio iuris facienda ſit interpretatio in mitiorem partem, nempe in futuro, vt faciat ſenſum *anathemate feriatur,* ſicut cum de aliquo dicimus: *ſit exul, ſit extorris:* pro *ejiciatur in exilium.* Ratio huius explicationis eſt, quia in reliquis citatis canonibus ſemper eſt ſermo de excommunicatione ferenda, & non de lata. Alij quod hoc nomen non ſemper ſignificet excommunicationem propriè dictã, vt diximus Theor. 56. & poſſit generatim accipi pro valde execrabili, ſeu exitio deuoto. iuxta illud 1. Corinth. 16. *Si quis non amat Dominum Ieſum Chriſtum, ſit anathema.* Videatur etiam Theorema 158.

THEOREMA 66.

CÆterum in huiuſmodi delictis grauiſſimum ſcelus committitur. Tum quod frequenter intercedat idololatria, vt ex §. 1. huius conſtitutionis patet, cum diuinũ honorem trãsferat in creaturam, vt notauit S. Thom. 2.2.q. 94.art.3. Caiet. ibid.q.93. Directorium Emerici, 2 p.quæſt.43. Pegna com.68. Valentia 2.2.d.6.q.11. & 12. Suarez tom.1. de relig.l.2.c.6. Leſſius l.2.cap.43.dub.2. Bannes 2. 2 q.11. art.4. Aragona 2. 2. q.12. Sanchez l.2.cap.37. Mart. del Rio l.4.diſp.mag.cap.2. Sayrus l.4.c.5. Vnde vniuerſaliter dixit Ioannes Gerſon tract.de erroribus circa artem magicam, dicto 3. Quod dare vel offerre vel promittere dæmonibus qualemcumque rem, vt adimpleant hominis deſiderium, aut in honorem eorum aliquid oſculari, vel portare, non ſit idololatria, error. Tum quòd omne pactum ſiue expreſſum ſiue tacitum cum dæmone ſit prohibitum, vt optimè explicat Caietanus 2. 2. q.90, art.1. quia continet ſocietatem cum eo, ſicut in republica ſocietas & commercium cum hoſte eſt crimen læſæ Maieſtatis. quippe cum initio mundi Geneſ. 3. Deus inter homines & dæmones inimicitias indixerit, & prohibeatur huiuſmodi ſocietas Leuit. 19. Deuter. 18. Eccleſ. 34. Tum quòd homo ſe exponat periculo Apoſtaſiæ & dãnationis æternæ Facile enim diabolus hominem qui ipſius ſocietatem expoſcit, adeo ſibi ſuis artibus abſtringit, vt vix elabi poſſit. ideo dixit Caietanus 2.2.q 95. art 4. ſicut conſuetudo cum Angelis in hac vita eſt inchoatio quædam æternæ beatitudinis; ita commercium cum dæmonibus eſſe initium quoddam æternæ damnationis. Tum quia ſolent etiam admiſceri alia grauiſſima crimina, vt abnegatio fidei, baptiſmi, Chriſti, blaſphemia in Deum & B. Virginem, hæreſis, Apoſtaſia, cùm malefici diabolo perpetuò fidem ſpondeant, eíque ſe totos dedant. Quare ſcripſit S. Cyprian. l.1. de dupl. martyr. *qui magicis artibus viuntur, tacitè Chriſtum abnegant, dum cum dæmonibus habent fœdus.* Videndus Simancas tit.30. Clarus §. hæreſis, num 33. Suarez t.1. de relig.l.2. de ſuperſtitione, cap. 8. à num.22. ad finem. Sanchez l.2.cap.48.num.26. Quapropter Clemens VIII. in decreto anni 1593. die 26. Maij inter caſus quorum abſolutionem ſuperiores religionum ſibi reſeruare poſſunt, vipotè grauiſſimos, poſuit primo loco veneficia, incantationes, & ſortilegia.

THEOREMA 67.

NVlla vis hominibus ineſt ad alligandos dæmones in annulis, ſpeculis aut phyalis, aut etiã fugandos, quicquid ſcripſerit Ioſephus Iudæus l.8. de antiquit.c.2. de Eleazaro, cum nec homines, quippe natura & poteſtate lõgè inferiores, nec ſigna, verba, aut characteres naturaliter eam vim habeant in ſpiritus. Si enim dæmones ab homine cogi poſſent, non docerent eum modos, quia ob nullum lucrum eligerent ſubdi homini, & eſſe ei inferiores. Sed vt ab hominibus illiciantur, ipſi eos ſua calliditate ſeducũt, vt docet S. Auguſtinus l.21. de Ciuit.cap.6. inſpirando, vel docendo quibus rebus

aut

aut modis velint euocari ad aliquid efficiendum, cum certa verba, incantationes & veneficia intellexerint: quare fingunt se alligari & includi ac homini subdi, vt is magis ad veneficia afficiatur, & peccatorum vinculis alligatum perrahat ad barathrum. qua de re Ludouicus Carerius tract. de hæret. nu. 3. & Bartholomæus Sybilla in qq. pereg. decad. 3. cap. 8. q. 1.

Itaque dæmon ad hominem decipiendum vel sua sponte se alligat, vel includit pacto tacito vel expresso inito cum homine, vt docet Abulensis cap. 19. in Matth. quæst. 90. Victoria relect. de Magia n. 26. Simancas tit. 65. n. 30. 31. Pegna com. 68. Valent. 2. 2. d. 6. q. 13. Delrius l. 2. disp. mag. q. 30. sect. 3. Azor t. 1. l. 9. cap. 26. q. 1. Sanchez l. 2. decal. cap. 42. n. 11. Vel imperio & vi superioris dæmonis per pactum initum à Mago cum dæmone superiori. ex D. Augustino, loco cit. S. Thom. lib. 4. contra Gentes cap. 90. Victoria nu. 27. 30. Tolet. l. 4. cap. 14. Azor loco cit. Quod si Dauid à Saule Cythara, & pisces iecur carbonibus impositum Tobiæ 6. compescuit dæmonem, id potestate & virtute Dei volentis per Dauid seruum suum, & per iecur quasi sacratum & exorcizatū, ex Azore, factum est, non quod hæc sua natura id facere valeant.

THEOREMA 68.

SVb interminatione autem excommunicationis §. 1. & 2. vetatur ne quis baptizatus prædicta docere aut discere, aut vti eis quomodocumque audeat. quod etiam in l. culpa, Cod. de Maleficis. Valentinianus prohibuerat, & præsumentes quicquam horum facere, incidunt ipso facto in excommunicationem, puniendi aliis pœnis (nisi admoniti, intra octo dies se correxerint) per iudices competentes. Porrò licet sortilegis, diuinatoribus & maleficis de iure cōmuni. l. 3. Cod. de Malefic. imposita sit pœna mortis, & confiscationis bonorum, de consuetudine tamen mitius puniuntur, vt fustigatione, exilio, &c. ex Claro verb. hæresis, num. vlt.

Sunt autē qui dubitent, an hæc constitutio liget? Nam Sanchez l. 2. decal. cap. 38. n. 91. Suarez to. 1. de relig. l. 2. de superst. cap. 19. n. 6. & alij apud Aragonam 2. 2. q. 12. ar. 1. concl. 2. tenent non fuisse vsu receptam, quod non videatur sufficienter promulgata. Obligare tamen sentit Tabiena excom. 5. cāsu 4. n. 1. Azor to. 1. l. 9. cap. 26 q. 3. & 5. Direct. Inq. p. 2. q. 43. n. 9. Et sanè si ex eo quod non fuerit in corpore iuris inserta, dicitur non sufficienter promulgata, idem de multis aliis erit dicendum.

Sub eadem pœna excommunicationis latæ sententiæ, §. 3. prohibentur fideles tenere aut legere scripturas continentes huiusmodi errores: quas etiam mandat Ponrifex intra octo dies comburendas: qua de re extat etiam decretum in Indice lib. prohib. Concil. Tridentini approbato à Pio IV. bulla 77. regula 9. & Sixti V. n. 17. aliàs 21. qui pœnas iudicis renouauit, & iussit, transgressores ab Inquisitoribus puniri. idque confirmauit Clemens VIII. in nouissimo Indice librorum prohibitorum circa 9. regulam. Et casus olim erat in bulla Cœnæ Pij V. reservatus, ex Sanchez l. 2. cap. 10. nu. 32.

&

& Candelabro p.2. in 1. excomm. Cœnæ, num.13. Videndus etiam Azor loco cit.quæst.5.

Eiusdem

IOANNIS XXII.

Ex quorumdam opinione Constitutionis, quæ incipit.

Perlectis.

EPITOME 24.

Quæ offenda fit clerici percussio grauis, quæ leuis.

RESPONDEMVS (inquit Pontifex) *illam violentiam* (esse) *modicam percussionem aut impulsionem pugni, palmæ, manus, pedis, digiti aut baculi, vel lapidis, quæ ad liuorem, mutilationem membri, fractionem dentis, depilationem capillorum non modicam, vel effusionem sanguinis non peruenit. nec si tam leuissimi ictus aut pugni percussione sanguis exiret, transire in atrocem iniuriam profitemur, vt propter hoc sit ab absolutione talium abstinendum. Volumus tamen, vt non solum ipsum factum, verum etiam facti qualitas percutiendiq; modus, aut iniuriandi circa hoc diligentius attendatur, cum omnibus suis circumstantijs, loci videlicet, personæ & alijs, vt quæ sit leuis vel modica, grauis aut enormis iniuria, manifestius cognoscatur; loci quidem vtrum in theatro vel in foro, coram rege, prælato, vel iudice, in Ecclesia coram multis, vel alio loco publico, alicui iniuria inferatur. Personæ, veluti si magister, aut iudex, aut & Magistratus, aut Prælatus, Pater, aut Patruus vel aliquis in dignitate vel personatu constitutus ab inferiori vel humili contra naturam iuris patiatur. Per hæc quidem graues videantur iniuriæ, & quæ sint tales, aut modicæ ex opposito cognoscantur. Sanè quia negotij natura non patitur, vt ad plenum omnia differantur, iudicium talis enormis iniuriæ vestro duximus arbitrio committendum: admonentes vt potestatem vestram cum ad hæc processeritis, ita temperetis, vt citra metas huiusmodi potius, quàm vltra eas, circa absolutionem talium procedatis; ne iniuriantes de vicina absolutione confisi, de facili in actiones prorumpant, percussiones vel iniurias, & sententias Canonis iam periculosius contemnentes in excommunicationis sententias procliuius prolabantur. Tolerabilius est enim aliquos, qui per vos etiam possunt absolui, nobis vel superiori absoluendos relinquere, quàm contra statuta canonum imagine absolutionis (quod non fit nisi grandi peccato) quemquam relinquere inmodatum, cum vmbra quædam videatur in opere, veritas autem non subeat in effectu.*

THEOREMA 79.

CItatur hæc Constitutio à Nauarr. cap.27.nu.91. Sayro l.3. cap.28.

cap.28.num.8.Graffio p.1.l.2.c.49. num.51.Philiarcho l.3.de offic.sacerd.cap.33.Molina t.4.d.59. Tolet.l.1.cap.32. Suarez tom.5.d.22. sect.1.Ioanne Gutierez l.1.can.qq. cap.5.num.15.& in Compend.priuileg.ord.mend.& non mend.f.22. & ad verbum refertur à Stephano Quaranta verb.Absolutio excommunicatorum sub nomine Ioannis XXII. Re vera tamen non est illius, cum citetur ab Hostiensi, cap.peruenit, de sentent.excomm. qui vixit ante Ioannem XXII. annis 65. nempe anno 1254.& ipsomet teste, quæsiuit ab Innoc. IV. an ipse Constitutionem edidisset, qui respondit negando. habetur de hac quoque materia,cap.peruenit,& cap. cum illorum, extra. de sent.excomm.

Huius autem Constitutionis occasio fuit Canon Innocent.II.in Concil.Lateran.cap.15.& 17.q.4. cap.si quis suadente. vbi ita statutum est: *Si quis suadente diabolo huius sacrilegij reatum incurrerit,quod in clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere(nisi mortis vrgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum accipiat.* Quod etiam habetur ex Alexandro III. cap.ex tenore, & cap. non dubium, c.porrò,& Clem.3. cap.cum non ab homine, & c.tuanos,& aliis capp.extra.de sent.excomm. Et quia casus frequens est, concessit Clemens III. cap.peruenit, de sent. excom. vt posset Episcopus absoluere ob leuem percussionem. Etenim *percussio* alia grauis est seu enormis,alia mediocris, alia leuis ex citato cap. peruenit, & cap.cum illorum,de sentent.excomm. vt notant Io. Andr. & Panorm. ibid. Alensis 2.p.l.7. tit.13. art.4. Anton. 3.p. t.25. cap.1.§.5. nota.Sylu.absolutio 4.initio, Caiet.excommunicatio, cap.10. Nauarr.cap.27.num.91. & tom.2.cõsil.39.de sent.excom.Graff.1.p.l.2. cap.49. num.51. Suarez t.5. d.22. sect.1.num.88, Sayrus l.3.cap.28. & colligitur etiam ex Instit.de iniuriis,§.atrox,& Glossa ibidem.

Consultus igitur Pontifex quomodo hæc essent accipienda, respondet præsenti Constitutione rem spectandam. Primò,ex quantitate nocumenti. quod etiam dicitur cap.cum illorum, de sentent. excomm. vbi pro exemplo ponitur mutilatio membri (quod Nauarr. Suarez,Graff.Sayrus, Sylvester extendunt ad membrum quod redditum est inhabile ad suũ munus,licet non abscissum)& sanguinis effusio(in magna scilicet copia ex Glossa & communi sententia, & ob læsionẽ magnam,non è naribus è quibus licet læsio sit leuis, exit facilè sanguis) vt si è vulnere capitis aut alterius partis effluere. Idémque sentiendum de percussione enormi his æquiualenti, etiamsi non effluere sanguis, vt si clericus diu in tetro carcere includeretur, vel flagellaretur cum magna contumelia & dolore. Vnde ex hoc capite erit leuis & nõ enormis percussio pedis aut palmæ quę non relinquit fugillationem aut maculam carnis seu vibicis,expilatio pancorum capillorum,&c. 1

Secundò, ex dignitate personæ læsæ, vt etiam dicitur d.cap. cum illorum, vt si sit Cardinalis, Episcopus, Legatus,aut proprius Abbas,Prælatus,Pater,Patruus.Secus ex hoc capite, si esset Abbas alienus 2

nus ex Glossa, & Suarez. Offensio enim crescit ex dignitate personæ offensæ, vt etiam constat ex l. Prætor edixit, § fin. de iniuriis, & §. Atrox, instit. eodem. vnde quædam percussio in puero erit leuis, quæ in viro erit grauis, & è contra ex
3 Sylueſtro. Tertiò, ex conditione personæ offendentis, vt si subditi, filij, liberti, laici & viles homuciones, cum etiam ex eo capite, quod in se non erit enormis iniuria, sæpe censeatur enormis & grauis. ex citata l. Prætor edixit, & §. Atrox.

4 Quartò, ex modo lædendi, vt si cum magna irrisione, & irreuerentia, vel notorietate & scandalo; vt si percutiatur in conspectu Prælati, aut iudicis enormis erit, quæ alioquin non fuisset. ex d. §. Atrox. Panorm. in cap. cum illorum, cit. num. 9. Innoc. ibidem. Alensi p. 2. l. 7. tit. 13. art. 4. q. 2. Antonino 3. p. t. 25. cap. 1. §. Quinto.

5 Quintò, item ex loco, vt si ad altare, vel in publica Ecclesia, vel foro; poterit enim esse enormis violentia, quæ absque illa conditione non esset. ex hoc loco & cap. pro causa, de sentent. excomm. & citato §. Atrox.

6 Sextò denique ex aliis circumstantiis, v. g. enormis erit, si percutiatur leuiter sacris indutus vestibus, si tempore magnæ solemnitatis ex Anton. & Astensi, & similibus, quæ singula pensanda sunt, vt integrum iudicium de enormitate iniuriæ ferri possit. Semper tamen, vt notat Suarez, requiritur proportionata quantitas læsionis seu percussionis, vt ex circumstantia illa fiat enormis. vt etiam supponimus in his singulis percussionibus & violentiis, adesse peccatum mortale. neque enim percussio dicitur leuis, quia sit solum peccatum veniale, sed ipsa etiam est peccatum mortale, & solum dicitur leuis in comparatione maioris læsionis intra latitudinem earum, quæ continent peccatū mortale, ex Syluest. Nauarr. Suarez & aliis.

Ex enormi igitur percussione facilè dignosci potest, mediocris & leuis; si enim violentia ab ea multum distauerit, leuis erit, & Episcopus poterit absoluere; si verò parum, censebitur percussio mediocris, nec poterit Episcopus absoluere, nisi priuilegiatos. v. g. mulieres, senes, pueros, seruos, pauperes, filios familiâs cum non sint sui iuris, sicut nec mancipia, & alios habentes impedimenta legitima, seu à Canonibus approbata. de quibus Turrecremata in d. cap. si quis suadente, Felinus cap. quamuis, de sentent. excomm. Molina t. 4. d. 64. num. 4. Sotus 4. d. 22. q. 2. art. 3. Rich. 4. d. 18. art. 13. Nauarr. cap. 27. nu. 88. Astens. 2. p. l. 7. t. 13. art. 3. Angel. excommunicatio 5. num. 49. Sylu. absolutio 4. num. 3. Panorm. cap. cum illorum, citato. Anton. & Sayrus locis citat. Graff. num 60. Suarez d. 22. sect. 1. n. 61. vsque ad 88. qui id colligunt ex cap. super eo, cap. quamuis, c. peruenit, cap. mulieres, cap. monachi, cap. pueris, cap. ea nosci tur, cap. de cætero, cap. de monialibus, & aliis: extra. de sent. excomm. sed in aliquibus casibus obligabitur absoluendus transacto impedimento sub iuramento se Apostolicæ Sedi præsentare ex prædictis. Quia tamen res est facti, ideoque tota pendet ex arbitrio prudentis, rectè hoc loco monet Pontifex, & Innoc. ac Panor. in cit. cap. cum illorum,

rum,nu.11. in dubiis percussiones potius censendas graues, & enormes,quàm leues,ne ob facilitatem absolutionis præbeatur occasio lędendi personas Ecclesiasticas. Id autem definire erit Episcopi, aut Abbatis respectu suorum subditorum ex Panor.loc.cit.ex quo enim in certis casibus conceditur eis absolutio, ipsi iudicare possunt, an eorum sit iurisdictio.

BENEDICTI XII.

Cõstitutionis 7.editæ anno 1339. incipientis. Quoniam.

EPITOME 25.

Subeũtes examen pro aliis, vel supponẽtes aliũ pro se excõmunicãtur, priuãtur beneficiis habitis & inhabilitãtur in posterũ. & expeditiones sunt nullæ.

CAVET §.2.ne quis pro consequendis beneficiis Ecclesiasticis pro se alterum examini supponat,nec se eidem pro alio quis substituat, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ.Ipsaq; expeditiones Apostolicæ per huiusmodi fraudes obtentæ,& in posterum obtinendæ, omnisque processus ipsarum.prætextu habitus,& habendus,cassus, irritus,inanis, & nullius firmamenti est. Insuper prædicti, qui sibi falsa nomina imponunt,& pro aliis examen subeunt,eo ipso priuantur omnibus beneficiis Ecclesiasticis, si quæ habent;si verò non habent, eo ipso redduntur inhabiles ad illa.

THEOREMA 70.

ANtiqua omnino consuetudo est in Ecclesia vt promouendi ad Ordines, & ad beneficia Ecclesiastica probentur examine; vt colligitur, tum ex D. Paulo 1. ad Tim.3.*oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse*, &c. & ad Tit.cap.1. *oportet enim sine crimine esse*, &c. Tum ex cap. qui Episcopus, d.23. vbi Conc. Carthag.4.iubet,vt,qui ordinãdus est,antea probetur examine,si natura sit prudens,si docilis,si moribus temperatus, si vita castus,&c.& d.24.c.nullus. Concil.Carthag.3.*nullus*(inquit)*ordinetur clericus, nisi probatus fuerit, vel Episcoporum examine, vel populi testimonio.*& cap.quando.Concil.Nannatense vult, Ordinandos feria 4. ante ordinationem ab Episcopo conuocari, & per triduum examinari, vt repulsis indignis, promoueantur,qui probati fuerint. idem probat cap.presbyteri,cap.Episcopus, cap. Episcopi, eadem dist.24. si qui verò absque prævio examine promoti inuenti fuissent, ex clero abiiciebantur. c.si quis presbyter,ibidem, & d.77.cap. monachus præcipit, laicum aggregandum Ecclesiasticis officiis diligenter examinari, an sacris aptus esse possit seruitiis. Spectat huc etiam totus penè tit.extr. de elect.& electi potestate.præsertim cap.3.7.17. 19.22. & tit.de scrutinio in ordin. fac.& tit.de ætat. & qual.ord.præfic.cap.3.4.5.14.15. & Conc.Trid. sess.23. cap.nullus, cap. Episcopi, cap.sancta. 1

Iuxta igitur antiquorum Canonum decreta Pontifex in præsenti Constitutione prohibet alium pro alio subire examen.quod fecit etiã 2

postea Paulus IV. bulla 12. de qua epit. 69. aut pro se aliud supponere. quod enim non licet in promotionibus ad gradus litterarios, aut alios etiam inferiores quarũcumque artium, neque id in arte artium, nempe animarum regimine, cap. cum sit, extra de ætat. & qual. ordin. debuit tolerari. Rectæ enim rationi repugnat, vt quis onus aliquod suscipiat, ad quod inhabilis est, vt censetur in casu nostro illiteratus, licet sit probus. scripsit namque Gelasius d. 36. cap. illiteratos, *litteris carens sacris officijs aptus esse non potest, & vitiosum nihil prorsus Deo offerri legalia præcepta sanxerunt.* Quare consulit D. Gregorius l. 7. ep. 110. *Quisquis ergo sacerdotium, nõ ad elationis pompam sed ad vtilitatem adipisci desiderat, prius vires suas, cum hoc, quod est subiturus onere, metiatur, vt si impar est, abstineat; & ad id cum metu etiam cui se sufficere existimat, accedat.*

Consonant hæc cum iis, quæ statuuntur in l. qua actione, §. 2. & l. idem iuris, §. 1. ff. ad leg. Aquiliam. Est autem huiusmodi examinatio facienda circa ignotos. d. 47. cap. de Petro, & cap. mandata, extr. de præsumpt. Glossa c. qui Episcopus, d. 23. Ideo opus non est examinare notos. d. 94. cap. valde. & 35. q. 9. cap. veniam, Glossa cit. cap. de Petro. Bald. cap. constitutus, 2. de appellat. Geminiano, Turrecremata. cap. nullus, d. 24. Nisi tamen examinatio esset de forma actus, vt in doctoratu: nam quando exigitur pro forma, prætermitti non potest, ex Bald. loc. cit. & Abbate ibid. cum forma det esse rei.

THEOREMA 61.

QVoad pœnas verò latas in transgressores cõstitutionis huius, statuit Benedictus primò, vt sint eo ipso excommunicati, vt fecit etiam Paulus IV. num. 12. Secundò, vt expeditiones nullæ sint & irritæ: nam mendax precator, carere debet impetratis, suâque fraus nemini patrocinari, cap. sedes, & cap. super litteris, de rescrip. & l. itaque fullo, ff. de furt. & l. ersi legibus, Cod. si contra ius vel vtil. publ. Ideoq; omni litterarũ commodo priuari, cap. postulasti, de rescript & Felin. ibidem. Tertiò falsa sibi nomina imponentes, & pro aliis subeuntes examen, eo ipso priuantur omnibus beneficiis, si quæ habent, si non habent, reddũtur ad habendum inhabiles. vt in quo quis peccat, in eodem puniatur. Etsi enim iusta de causa mutatio nominis, prænominis & cognominis liceat, l. 1. Cod. de mutat. nom. sicut etiam licet priuato à principio sumere, nisi esset seruus (is enim vltimo supplicio punitur. l. 1. §. fin. ff. ad leg. Cornel. de falso, Menochio l. 2. de arbitr. casu 318. nu. 19. 20. Farinacio r. 5. q. 150. num. 139.) in fraudem tamen & præiudicium aliorum, vt est in præsenti casu, non licet, sed mutans puniendus est crimine falsi. l. falsi, ff. ad leg. Cornel. de falso. & Glossa ibidem. quã de re Petrus Greg. lib. 36. syntag. iuris, cap. 4. Farinac. & Menochius locis citatis. Ideo Bartolus in proœm. ff. vet. §. nos verò, monet, vt quoties id faciendum est, fiat auctoritate Episcopi, vel Regis, aut Gubernatoris, vt euitetur periculum falsi.

1 2 3

CLE

CLEMENTIS VI.

Cõstitutionis 3. olim 1. editæ anno 1346. incipientis. Et si.

EPITOME 26.

Occupãtium terras Rom. Eccles. & Complicum pœnæ.

EXCOMMVNICANTVR §. 2.5.6. quæcumque particulares personæ cuiuscumque sint dignitatis, & Vniuersitates interdicuntur, dantes, acquirentes, inuadẽtes & occupantes iurisdictiones, præeminentias, dominia terrásque Romanæ Ecclesię, eorúmque fautores: omnibúsque bonis, honoribus, gratiis & indultis priuantur. Ipsæ verò Romanæ Ecclesię ciuitates & loca nulli se subiiciant, nec vtantur submissionibus factis sub eadem interdicti pœna, & priuationis bonorum, indultorum, & gratiarum. Occupantium verò terræ, §. 3.5.6. vbicumque fuerint, eo ipso subiiciuntur interdicto Ecclesiastico, & talium delinquentium successores declarantur inhabiles ad officia & beneficia Ecclesiastica, dignitates, personatus, feuda, iurisdictiones, quæ ab Ecclesia vel imperio possiderent, vsque ad tertiam generationem.

THEOREMA 72.

INiusta occupatio terrarum Eccles. Rom. hoc loco vetita, prohibita etiam fuerat, vt vidimus, à Io. XXII. bulla 10. & eos sunt imitati Innoc. VI. VII. VIII. Alexander V I. Leo X. Paulus I V. & alij, éstque casus 20. bullæ cœnę, à tempore Gregor. XI. ex Tolet. l. 1. c. 18. & præter pœnas in transgressores hoc loco latas, nempe primò, excommunicationem in quascumq; particulares personas in hoc peccantes, earúmque fautores, & interdictũ in loca, & ciuitates (quippe cum vniuersitates non excommunicentur, vt docet Suarez t. 3. d. 36. sect. 3. num 4. Sotus 4 d. 22. q. 2. art. 3. Conarr. l. 2. var. resolut. cap. 8. num. 9. & cap. alma mater, p. 1. §. 9. num. 9. in fine. & p. 2. §. 1. Nauarr. c. 27. num. 13. Sylvest. excom. 1. §. 10. Richard. 4 d. 18. art. 3. q. 3. Palud. ibidem, q. 2. S. Thom. in addit. ad 3. p. q. 22. art. 4. & q. 23. art. 3. & consulat ex cap. si habes, 24. q. 3. & ex cap. Romana, de sentent. excomm. l. 6. §. in Vniuersitatem. vbi ab Innoc. I V. prohibetur, populum in vniuersum excommunicari, quia tunc contingeret innoxios excommunicatione irretiri) vt etiam occupãtes alia bona eiusdem R. E. excommunicãtur à Gregorio XI. Alexandro V. Pio II Iulio II. & aliis. 1

Secundò, priuationem bonorũ, honorum & gratiarum indultarum eisdem. Tertiò, interdicti & priuationis bonorum indultorum, & gratiarum pœnam latam in loca & ciuitates Rom. Eccl. se alteri subiicientes, & vtentes submissionibus iam factis. Quartò, interdictum in terris ipsorummet delinquentium, vbicumq; fuerint, cum Pontifex in hoc habeat iurisdictionem fori exterioris in omnes personas & loca Christiani orbis, 2 3 4

vt rectè docet Palud. 4. d. 18. q. 8. art. 4. §. quantum ad quintum. Sylueſt. interdictũ, 3. q 3. Tabiena interdictum, 2 n. 3. Henriquez l. 13. c. 51. §. 1. & colligitur ex cap. tanta, de exceſſ. Prælar. Quintò, ſucceſſorum vſque ad tertiam generationem inhabilitatem ad officia, beneficia, dignitates, feuda, &c. Additum fuit à Leone X. bulla 13. §. 5. Interdictum, in locis in quibus huiuſmodi excommunicati conſiſtunt, etiam triduo poſt ipſorum receſſum inde. & §. 8. eædem pœnæ impoſitæ recipientibus, in S.R.E. terris, milites, abſq; licentia Pontificis, ne hac occaſione indebitè occupentur.

GREGORII XI.

Conſtitutionis 2 editæ anno 1372. incipientis. Admodum.

EPITOME 27.

Saraceni iã baptizati à fide recedentes & ſolicitãtes Chriſtianos ad defectionẽ, ipſíque deficientes Chriſtiani ad eorũ ſectam puniuntur tanquam hæretici.

PRÆCIPIT Pontifex §. 1. vt Saraceni conuerſi ad fidem, & poſtea iterum ad ſuam ſectam redeuntes, & Chriſtiani tranſeuntes ad illam, inquirantur & puniantur ab Inquiſitoribus, tamquam hæretici, eorúmque fautores, receptatores, & defenſores, non ſecus ac fautores, receptatores, & defenſores hæreticorum. §. 2. vt Saraceni, qui ad ſuam ſectam Chriſtianos cuiuſuis ſexus trahunt, puniantur per eoſdem Inquiſitores, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis; & per Eccleſiaſticas cenſuras compeſcantur quicunque contradictores.

THEOREMA 73.

CONſtitutio hæc Gregorij XI. refertur etiam in Directorio Inquiſitorum, p. 2. q. 45. & in Repertorio Inquiſitorum, verb. *Reindaizantes*. Saracenorum autem nomen poſitum hoc loco, & extra & Clementina tit. de Iudæis & Saracenis non ſumitur pro nomine gentis Agarenæ, aut Iſmaëlitæ, vel à Sara, ita dictæ ad declinandam mendacio ignominiam denominationis Agarenorum ab Agar ancilla Abrahæ, vt putat Ioſephus Li. antiq. c. 20, Euſebius & alij, quos refert Couarr. l. 4. var. reſol. c. 9. vel rectius ex Stephano lib. de vrbib. à Saraca vrbe Arabiæ; aliàs ſi denominaretur ab vxore Abrahæ rectius Sarani, quam Saraceni dicerentur. Sed ſumitur latius pro Machometanæ impiæ & nefariæ ſectæ nomine, ſiue ſint Turcæ, ſiue Perſæ, ſiue Arabes, Mauri, Tartari, qui eam ſequuntur, in Arabia primùm auctore Machomete prædone, & impoſtore perditiſſimo poſt annum 600. exortæ, de qua pluribus diſputat Paulus Diaconus l. 18. Baptiſta Egnatius poſt vitam Heraclij, Armacanus l. 18. de erroribus Armenorum, Niceph. l. 7. c. 14. Pererius in Gen. c. 16.

Nec ſanè alio propagata eſt, quàm viuendi licentia, iuxta id, quod ſcripſerat Ariſtoteles, l. 6. pol. *Permiſſio viuendi, vt quiſque velit, magnam colligit fauentium multitudinem: nam vulgo diſſoluta grauiar eſt*

est quàm temperata vita. Tota enim lex illa carnalis est, obscœnitatibus plena, & contra bonos mores. vnde verò ab Auerroë & ipso Machometano dictum est, Machometem sectatoribus suis spurcissimâ legem tradidisse.

Non igitur mirum, si breui non solum Arabiam totam, Syriã, Persidem, aliáq; nobilissimas Orientis Prouincias, sed Ægyptum quoque, Africam, Hispaniam, Sardiniam, Corsicam, partem Galliæ, & plures Italiæ ciuitates & loca occuparit. quare anno 915. coactus est Ioan. X. Pontifex contra Saracenos conscribere exercitum, & dimicare, adeo tamen feliciter, vt ne vnus quidem superfuerit, qui acceptæ cladis domum nuncium perferret, ex Sigonio l.6. de regno Italiæ, & Azor tom.2. l.5. c.44. vt etiam deinde anno 1015. fecit Benedictus VIII. apud Lunam, eodem euentu, vt constat ex Baronio in Annalibus.

THEOREMA 74.

LIcet autem in iure expressum non sit ab ordinariis & Inquisitoribus inquirendũ esse in Christianos redeuntes vel transeuntes ad Saracenos, sed tantum ad Iudaicam perfidiam. c. contra Christianos, de hæret. l.6. ex præsenti tamen bulla & alia Leonis X. quæ est 43. & ratione eadem citati cap. contra Christianos, vt obseruat etiam Directorium Inquisit. p. 2. q. 45. prædicti ius habent inquirendi & animaduertendi in prædictos ad Saracenos redeuntes vel transeuntes, cum verè sint hæretici, & à fide Apostatæ, ideoque meritò dictorum pœnis puniendis, ex hoc §. 1. & ex l. 1. & penult. Cod. de Apostatis. Castro l. 1. cap. 7. de iust. hæret. pun. Simanca tit. 7. & 39. Cano l. 12. de locis, c. 9. Azor t. 1. lib. 8. c. 23. q. 2. vt etiam fautores, receptatores & defensores talium, puniendi sunt tamquam fautores, receptatores, & defensores hæreticorum, vt patet ex hoc §. 1. & cap. contra Christianos, § ita sicut, de hæret. l. 6. & Oldrado consil. 36.

THEOREMA 75.

QVæri etiam potest §. 2. An iudex Ecclesiasticus punire possit Saracenos, qui conantur ad suam sectam pertrahere Christianos, eo quòd ij. qui foris sunt, non subiiciantur Ecclesiæ, iuxta illud Apostoli: De his qui foris sunt, nihil ad nos. Et respondendum est cum Nauarr. tit. de hæret. consil. 7. posse. Tum ex hoc § 2. & bulla 70. Gregorij XIII. cum eadem sit ratio Saracenorum & Iudæorum. Tum quia Ecclesia habet iurisdictionẽ ad defendendam fidem, quare poterit procedere contra illius perturbatores sicut iudex in aliqua causa potest etiam procedere contra impedientem processum, c. 1. de offic. deleg. & Glossa ibid. Tum exemplo D. Pauli Act. cap. 13. qui Elymam Magum conantem à fide auertere Proconsulem, cæcitate percussit. Tum quia licitè suscipitur bellum contra infideles impedientes prædicationem fidei infidelibus subditis, eo quòd auferant à nobis ius datum Marci vltim. & Matth. c. 28. prædicandi Euangelium, & ius naturæ, quod quilibet habet docendi alios, quæ facere debet. vt sentit S. Thom. 2.2. q. 10. art. 8. Caiet. ibidem, Augustinus de

Anco

Ancona de potest. Eccl. q. 23. art. 7. S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 5. §. 8. Sylu. verb. Papa, q. 7. Victor. de Ind. insul. p. 2. num. 9. vsque ad 16. Sotus 4. d. 5. q. 1. art. 10. Valentia 2. 2. d. 1. q. 10. p. 6. Azor t. 1. l. 8. c. 24. q. 10. & t. 2. l. 4. c. 18. Couarr. reg. peccatum, p. 2. §. 10. num. 3. & alij, vt dicemus Theoremate 130.

Multò igitur magis reprimi & puniri poterũt auertentes à Christiana fide ad nefariam sectam fideles. Hi autem, qui foris sunt, non iudicantur nisi pœna temporali in iis in quibus Ecclesiam offendunt, non autem spirituali pœna excõmunicationis, &c. dictat enim recta ratio, vt Ecclesia vim vi repellere possit, séque suósq; tueri contra impugnantes, cum & ipsi propter delictum efficiantur de foro Ecclesiæ. qua de re Felinus in cap. postulastis, de Iudæis. Glossa cap. sæpe, 28. q. 1. & c. constituit, 17. q. 4. & c. post miserabilem, extr. de vsuris, & Clementina vnica, de Iudæis & Saracenis. Et ad hunc effectum concedit quoque hoc loco Pontifex Inquisitoribus, vt si opus sit, inuocent auxilium brachij secularis, & contradictores (Christianos scilicet) compescant Ecclesiasticis censuris.

VRBANI VI.

Constitutionis 3. editæ anno 1383. incipientis. Quia.

EPITOME 28.

Ecclesiasticos bãnitos, relegantes, idq; mandantes, ratũ habẽtes, auxiliantes, &c. excõmunicãtur, & Vniuersitas interdicitur, & absolutio ac relaxatio reseruatur Papæ.

XCOMMVNICAT Pontifex §. 1. omnes & singulos laicos, bannientes, relegantes, vel proscribentes personas Ecclesiasticas, vel id fieri mandantes, vel eorum nomine factum, ratum habentes, dantéséque auxilium, consilium & fauorem, si fuerint personæ singulares, cuiusuis sint præeminentiæ & dignitatis, si verò Cõmunitates seu Vniuersitates fuerint, omnes & singulos earumdem Vniuersitatum Potestates, Capitaneos, Bailiuos, Aduocatos, Rectores, Iudices, Consules, Officiales quocumq; nomine censeantur, & Consiliarios, priuatásque personas, quæ huius sacrilegij patratores principales extiterint. Insuper quamlibet earumdem Communitatum seu Vniuersitatum, immò etiam ipsorum Principum, Marchionũ, Ducum & aliorum quorumcũque laicorum, & laicalium personarum talium præsumentium, in quibus talia fierent, ciuitates, terras, oppida, castra, & alia loca, ipso facto subiicit Ecclesiastico interdicto. §. 2. Absolutionem & relaxationem præterquam in articulo mortis, reseruat Pontifici Romano.

THEOREMA 76.

AD defendendam immunitatem Ecclesiasticam in causis criminalibus contra laicos sacrilegè proscribentes & relegantes Eccle

Eccleſiaſticos, edita eſt hæc Conſtitutio.qua etiam de re extat Sanctio Valentiniani, Theodoſij & Arcadij Impp. in Cod. Theod. lib. 16.tit.de Epiſc.aud. cap.vlt. & 11. q.1.c.continua.Itémq; Federici II. Patauina l. 3. vt dixi Theor.17. & habetur tit. de ſtatutis & conſuetud. poſt libros feud. l.4. Necnon & Caroli IV.lex edita anno 1377. & c.nullus,de foro comper. & 11. q.1.cap. nullus Epiſcopus.& bulla 10. Martini V. ac tandem in bulla cœnæ Domini,§.19.

Extendit autem Vrbanus excõmunicationem non tantum ad iudices,ſed etiam ad ſingulares perſonas, cuiuſcumque ſint dignitatis,id fieri mandantes, ratum habentes,dantes auxilium, conſiliũ, fauorem,& ad Communitatum in hoc peccantium Poteſtates,Capitaneos,Bailiuos (de quo verbo videri poteſt Pegna 3.p. direct.com. 4.) Iudices, Conſules, Officiales, quocumque nomine vocentur, & Conſiliarios, priuatáſque perſonas, quæ fuerint criminis huius principales patratores. Ciuitates autem & Vniuerſitates in hoc delinquentes ipſo facto interdicuntur,vt etiam Principum & aliarum perſonarum laicalium præſumentium talia,ciuitates,terræ, oppida, in quibus id factum fuerit.

Ex quo ſanè loco intelligimus Vniuerſitatem non ſolum pro ſuo proprio delicto & culpa,ſed etiam pro peccato alterius poſſe ſubiici interdicto. vt etiam obſeruauit Vgolinus tab.5. c.20.§.1. Couarr. c.alma mater,p.1 §.1.n.4. Felin.in c.ſanè,2.de offic.deleg Snarez t.5. d.36.ſect.1.& conſtat ex.cap.non eſt vobis, de ſponſal.cap.ſanè.2.de offic.deleg.c.vlt. particulum,§.præterea,de elect.l.6. & c.ſi ſententia, de ſent.excomm.l.6.

Debet tamen is cuius culpa & delicto interdictum fertur, eſſe Vniuerſitatis ipſius dominus, aut rector vel caput, ſeu habere in ea iuriſdictionem, ex citatis Doctoribus.& cap.felicis, §.fin. de pœn. l. 6. & extrauag. ſuper gentes, de conſuetudinibus,§. qui verò, non autem quæcumque perſona priuata, cum pœna debeat eſſe culpæ proportionata. qualis non eſſet, ſi imponeretur communis pœna,ob delictum vel contumaciam cuiuſcumque priuati. debet igitur delictum eſſe capitis. Atque eo caſu id meritò fit,tum quia ſubditorum 1
pœna in ipſos dominos & rectores redundat, ex Gloſſa in extrau. Ioannis XXII.dierum.de pœnis, verb. quomodolibet. Soto 4.d.22. q 3.art.4.ad 1.Suarez loc.cit.nu.5. ſicut pro peccato Dauidis interfectus eſt populus, pro peccato Cham, maledictus eſt Canaam eius filius, & ob delictum Giezi tranſmiſſa eſt lepra in poſteros, aliiſque ſimilibus allatis à Gratiano poſt c.Eccleſia,1.q.4.Tum quia 2
ſubditorum clamore citius & facilius ſuperiores expergiſcuntur ex Feliciano Epiſcopo Scalenſi in Enchirid. de cenſuris,cap.9.de interdicto.

Porrò vt alibi diximus, peccatum debet eſſe grauis contumacia, Theor. 55.
& delictum mortale ex praxi in c. felicis,§.fin.de pœnis,l.6 cap.1. de vſuris,l.6. Clementina ſi quis ſuadente, de pœnis, & ratione, quia cum ſit ex ſuo genere pœna grauiſſima,ferri non licet niſi ob proportionatam culpam, ex Couarr. c.alma mater,p.2.§.1. num.4 & 5. Soto.4.d.22.q.3.art.1. Sylueſt.verb.

Scortia.

interdictum, 3. q. 5. Nauarr. cap. 27. num. 168. Suarez t. 5. d. 36. sect. 3. Sed iterũ Theoremate 78. & 428. de his proscribentibus Ecclesiasticas personas contra Ecclesiæ immunitatem dicemus.

Hic illud vnum aduerto per articulum mortis de quo §. 2. non solum intelligi cum ægrotus agit, animam (nam est periculum vitandum ne sine absolutione moriatur) sed etiam cum peritorum iudicio quis breui moriturus putatur, siue ab intrinseco, infirmitate, senio, &c. siue extrinseco vt si probabiliter immineat naufragium, sit futurus proximus conflictus, mulier sit difficilis ad pariendum. Quare Nauarr. cap. 27. num. 271. Suarez t. 4. d. 26. sect. 4. Tolet. l. 1. c. 15. Palud. 4. d. 17. q. 5. art. 2. d. 20. q. 1. art. 2. Adr. q. 3. de conf. Medin. Cod. de confess. q. 16. Sanchez l. 2. cap. 13. Sylvest. verb. Confessor. 1. q. 6. negant distinguendum inter periculum mortis, & articulum mortis. quicquid senserit Sotus 4. d. 18 q. 4. art. 4. Canus relect. 5. de pœnit. p. 5. Couarr. c. alma mater, p. 1 §. 11. num. 8. quia iura hæc duo pro eodem accipiant, vt constat ex c. eos qui, de sent. excomm. l. 6. & c. si quis suadente, 17. q. 4. & c. non dubium, de sent. excomm. Gloss. c. pastoralis, §. præterea, de off. ordin. & c. quod in te, verb. pœnitentia, de pœn. & remiss. ratio est, quia in malis periculum morale existimari debet & caueri, sicut ipsemet euẽtus. Confirmatur, quia ob id in eo casu obligat diuinum præceptũ de confitendo. & ideo periculum mortis existimatur necessitas extrema. Si autem conualuerit, debebit se præsentare Superiori ex Tolet. loc. cit. & aliis.

BONIFACII IX.

Cõstitutionis 4. editæ anno 1391. incipientis. Iustis.

EPITOME 29.

Confirmantur leges Federici Imper. & Caroli IV. regis pro immunitate Ecclesiastica.

CONFIRMAT Pontifex §. 5. Constitutiones Federici II. Imp (de quibus egimus in Honorio III. epit 7. & Innoc. IV. epit. 10.) & Caroli IV. pro immunitate & iurisdictione Ecclesiastica, his verbis: *Nos vestigijs Honorij Papæ inhærentes discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, aut duo vel vnus vestrum per vos seu alium vel alios constitutiones prædictas in præfatis ciuitatibus & diœcesibus, & in alijs locis circumuicinis, vbi & quando expedierit, auctoritate nostra faciatis inuiolabiliter obseruari. Transgressores & sacrilegos prædictos, necnon contradictores quoslibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.*

Porrò Caroli IV. Constitutio edita anno 1377. hic à Bonifacio approbata summatim hæc continet. §. 1. Dolet Duces, Comites, & in aliis publicis officiis constitutos, motu proprio iniquas ordinationes contra personas, liberta

bertatem & priuilegia Eccleſiaſtica condidiſſe, & vti, repugnantibus eis legitimis ciuilibus,& Canonicis ſanctionibus, vtputa. Vt nulla bona temporalia conferãtur in poteſtatem Eccleſiaſticã. Néve clerici in ſacris conſtituti admittantur ad agendum in ciuilibus,& teſtificandũ, etiam in cauſis piis. Quod laici excommunicati, & publicè denunciati, non repellantur à foro ciuili. Quod occupent & areſtent res clericorũ. Reſtringant & imminuant fidelium oblationes. De bonis & redditibus Eccleſiæ indebitè exigant,& extorqueãt taleas. Incendiis & rapinis poſſeſſiones Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum deuaſtent. Contractus factos inter clericos & laicos legitimos in ciuitatum & locorum libris inſcribere, & ſigillare recuſent. Legata & donata ad Eccleſiarum ſtructuram, & fabricas contra Prælatorũ,& quorum intereſt voluntatem, in fraudem & odium clericorũ contra iuſtitiã occupare præſumãnt. De bonis & rebus clericorum, quas pro vſibus propriis,& non negotiationis cauſa ducunt,aut duci faciũt, telonium exigant. Etiam ad Eccleſias ac cœmeteria cõfugientes cõtra imperiales ſanctiones, præſumãt extrahere.

§. 2. Omnia prædicta & quælibet inde ſecuta, contra canonicas & imperiales ſanctiones,tamquam in fraudem Eccleſiaſticæ libertatis præſumpta,de Principum conſilio,& certa ſcientia imperiali auctoritate caſſat,& irritat,& ſub banno imperiali præcipit cõſtitutis in officiis publicis, vt prædicta iniqua ſtatuta reuocent, de luce tollant, eíſq; non vtantur.

Item eadem imperiali auctoritate ſtatuit, vt quicumque & cuiuſcumque conditionis laicus auſu temerario ſacerdotem vel clericum ſecularem aut religioſum diffidauerit,vel captiuauerit,proſcripſerit, ſpoliauerit,occiderit,mutilãuerit, in carcerem cõiecerit,aut huiuſmodi perpetrantes ſcienter receptauerit,aut auxilium vel fauorem præſtiterit,præter pœnas à ſacris imperialibus & canonicis ſanctionibus inflictas, ſit ipſo facto infamis, omnique honore priuatus;& ad placita & conſilia nobilium admitti non poſſit.

§ 3. Hortatur Prælatos Eccleſiaſticos, vt publicent & mandent executioni has leges, ne in præmiſſis delinquentes poſſint ſe per ſimulatam ignorantiam excuſare.

THEOREMA 77.

EAdem est materia huius Constitutionis, quæ fuit Constitutionis Honorij III. quæ incipit, *Has leges.* de qua epit. 7. & decreta hæc Caroli IV. coincidunt cum ll. 1. 2. 3. Federici Imp. II. in Nouellis, de Episcop. & cler. explicatis Theoremate 15. & sequentib. vnde hic solum sunt explicanda Caroli decreta. Is igitur §. 1. meritò
1 improbat. Primò, fuisse à Magistratibus vetitum, ne bona temporalia in Ecclesiasticã potestatem transferantur; id enim magnum reipub. Christianæ malum intulisse, & experientia docuit, & apertè testatus est Basilius Imp. anno 987. vt dixi Theorem. 14. & concessa acquirendi facultas. l. generali, l. iubemus, l. sancimus, 2. Cod. de sacrosanctis Eccl. & l. 28. de Episc. in C. Theod. de quibus 23. q. 8. c. in qualibet, & c. secundum. quin etiam extra. de testam. c. 4. 10. 11. Pontifex contra l. hac cõsultissima, Cod. de testam. statuit in relictis Ecclesiæ & ad pias causas, valere vltimas voluntates cum duobus tantum legitimis testibus. videnda, quæ de hac re disputata etiam sunt d. Theoremate 14.

2 Secundò, ius in iudicio denegari constitutis in sacris, nec eorum testimonium admitti ad pias causas. qua etiam de re cauerat Federicus II. Imp. in citata l. 3. vbi adiecit cõtrafacientibus, priuationem iurisdictionis. Ioãnes autem VIII. 23. q. 5. cap. administratores, vt nisi iudices ter admoniti ab Ecclesiasticis, resipiscerent, vsque ad condignam satisfactionem, excommunicationis pœnam incurrerẽt. eadémque de causa cap. cum sit, de foro compet. voluit Lucius Papa, etsi generalis sit regula, vt accusator sequatur forum rei, quia tamen sæculares iudices remissi erant in exhibenda iustitia Ecclesiasticis, vt Ecclesiarum rectores contra raptores & inuasores Ecclesiasticarum rerum possent agere, non tantum coram iudice sæculari, verum etiam Ecclesiastico. Quod etiam de testimonio ad pias causas dicitur, est contra cap. super, & cap. quamquam, 14. q. 2. vbi sacerdotum testimonium dicitur haberi credibilius, & est priuilegium eorum, quod non cogantur testificari coram quolibet iudice, sed coram Episcopo, sicut egregiæ personæ non coguntur testificari coram quolibet iudice, vt ff de iure iurando, l. ad personas, & extra. c. si quis, de testibus & attestat.

Tertiò, non vitari in ciuilibus 3
publicè excommunicatos & denũciatos, contra ius antiquum. cap. multi, 2. q. 1. vbi D. Augustinus id ostendit ex D. Paulo 1. Cor. 5. & addi potest c. 3. ad Thessal. si quis nõ obedit verbo nostro, &c. & 11. q. 3. c. sicut Apostoli, c. excommunicatos, & seq. & c. ad mensam, & 24. q. 1. c. omnis, & contra ius nouum in extrau. Martini V. ad euitandum scandalum. de qua S. Anton. 3. p. tit. 25. c. 3. Driedo l. de lib. Christiana. Adrianus IV. tract. de confess. q. 9. Nauarr. c. 27. num. 35. Ideo Innocentius IV. cap. 1. de except. l. 6. statuit vt iudex, etiam non opponente parte, suo officio huiusmodi excommunicatos repellat ab agendo. & Alexander IV. c decernimus, de sentent. excommun. l 6. vult à iudicibus Ecclesiasticis etiam censuris esse compellendos iudices sæculares, repellere eosdem excom

excommunicatos ab agendo, & pattocinando, ac teſtificando in iudiciis,& cutiis ſuis.

4 Quartò,tes clericorum areſtari ſeu impediri ne ad Eccleſiaſticas perſonas perueniant. vel ſequeſtrari &occupari:cum tamen conſtet,id debitum.12.q.2. c.de laicis, vbi ſic ſtatuerat Vrbanus Papa cũ Concilio. Si quis poſt interdicti præſentis cognitionem,Epiſcoporum,ſiue presbyterorum aut aliorum clericorum res inuaſerit, vſque ad ſatisfactionem excommunicetur. quod etiam habetur ſequenti cap.illud ex Innocentio II. quæ licet loquantut de rebus decedentium clericorum,tamẽ multo magis valent in vita eorũdem, cum adſit maior iniuria,& abſolutè ponitur caſus in bulla 7. aliàs 11.Leonis X.quæ incipit, *Superne.* §.39. ſed iam eſt caſus 17. bullæ cœnæ Domini. ſi id fiat auctoritatiuè,quomodo ſolẽt Domini vſurpare,& ſequeſtrare bona Eccleſiæ; ideoque fures & milites, qui hæc furantur,non incidunt in hunc canonem. ex Nauarr. Caiet.verb.excommunicatio, c.27. Sayro,Suarez,vt dicetur Theoremate 426.

5 Quintò,reſtringi & imminui fidelium oblationes, quod, vt ſacrilegum,cauendum eſt, cum Eccleſia non teneatur legibus ciuilibus, niſi quatenus vel iure naturali,vel diuino, vel canonico confirmantur,etiamſi fortè oblationes excedant taxatam per ſæculares leges quantitatem,ex Bartolo in l.illud, Cod.de ſacroſanctis Eccleſ.Felino in c.Eccleſia S.Mariæ, num.82. de conſtit. Iaſone conſ.169.li.3. Ripa lib.3.reſpon.c.11.n.10.Claro q.17. n.1.Azor t.3.55.c.6. & fiant etiam ſine inſinuatione. 23.q.8. c.23.24. l.ſancimus, 2. Cod. de ſacroſanct. Eccleſ. Panorm.in c.telatum,1.tit. de teſtament. Sciendum etenim eſt ſtatutum fuiſſe in l.ſancimus,C.de donat. ne donatio vlla ſine inſinuatione valeret, quæ quantitatem 300. ſolidorum excederet;ſed deinde aucta eſt quantitas vſque ad ſolidos 500.l.ſi quis pro redemptione,§.vlt.Cod.de donat.Quare iure communi neceſſe eſt, vt donatio inſinuatione comprobetur, quæ excedit quantitatem 500. ſolidorum. aliàs irrita eſt, & nulla. Eſt autem in donatione inſinuatio,cum iudex ſuo conſenſu & auctoritate, donationem approbat, ídque publicis conſtat actibus ex Alberico in l.illud,C.de ſacroſanctis Eccleſ. Claro l.4 §. donatio, q.15. Couarr.l.1. var.reſol.c.11.& l.4.c.3.§.2.num.5. Menochio conſil. 261. Continebat autem Iuſtiniani & aliorum Imperatorum, poſt Conſtantinum,tempore quãdo factæ ſunt leges,ſolidus aureus Iulios Italicos ſeu regales argenteos Hiſpanicos,decem & ſeptem. ex Azor.t.3.l.11.c.6.& Claro.ideo quingenti ſolidi erant 8500.regales, qui efficiunt ſummam octingentorum ſcutatorum, vel ſi mauis,vt diximus l.2.de Miſſæ ſacrif. c.14.nouæ editionis,ex Bartolo & aliis, ſolidi 72. efficiebant libram auri.ob id 500.ſolidi erant ſeptem auri libræ,minus tertia vnciæ parte. Obſeruant verò Gabriel Romanus de communibus opin.cõcluſ.1. num.58. Iaſon ad l. 2. §. ex his, de verb.oblig. Duennas de regul.iur.reg.224.limit.19 Rebellus l.18.q.6. num.5. Alexand. Caſtro, Felin. Decius & alij, auri valorem tempore quo leges ſunt conditæ, maiorem fuiſſe, quàm ſit nunc,

cum eius copia sit maior,& è contra rerum venalium nunc valorem esse maiorem quàm fuerit eo tempore, ideo summam donationis iam non esse restringendam ad solidos 500. sed v. g. futuram donationem validam etiamsi ascendat ad 900.& fortè 1000.scutatos. horum enim valor proportione respondebit antiquis solidis 500.

6 Sextò, Ecclesiæ bona & reditus grauari raleis. quod præter superiores Imperatores.l.placet,l.iubemus,l.priuilegia,l sancimus, C. de sacrosanctis Eccles. & aliis. de quibus 23.q.8. cap.in qualibet, & c.secundum,Federicus quoque II. venerat in l.cassa, C.cit.& in Nouella. Item nulla. de Episc.& cler. sub pœna banni imperialis, & refundendi triplum. damnatúmque est ab Alexand.IV. c.1.de immun. Eccles. in 6. & sub pœna excommunicationis, cir. cap secundum, cap.non minus,cap.aduersus,extr. de immunit.Eccl. cap.quamquam, de censib.l.6.vbi excommunicatio est laræ sententiæ. vt etiam interdictum respectu Vniuersitatum, cum extensione ad exigentes & extorquentes talia per se vel aliũ, suo vel alieno nomine,& ad compellentes soluere.& sic excommunicati sunt denunciandi ex Clementina præsenti, de censibus. Immò cap. clericus, de immunit. l.6.Bonifacius reseruat absolutionem Sedi Apostolicæ, sed nunc factus est casus 18. bullæ cœnæ. Et notandum est, tam in cap. quamquam,de censib. in 6. & bulla cœnæ, quàm in citata Constitutione Federici II. distingui bona Ecclesiarum,& bona personarum Ecclesiasticarum, & de vtriusque immunitatem concedi,vt etiam notauit Lessius l.2.cap.33. dub.3. num.19. Vgolinus cap.18.§.3. Suarez d.23. sect.4. n.21. Reginald.l.11. n.377. & seqq. Molin. d.670. Tolet. l. 1. cap.29. Sayrus l.3. cap.22. num.9. quicquid senserit Nauarr. cap. 27. num.128. qui tamen c.17.nu.202. expressè affirmat incurrere censuram bullæ cœnæ eos qui à clericis pedagia exigunt. de rebus importatis & exportatis de eorum patrimoniis, vel prouentibus Ecclesiasticis. qua etiã de re agetur Theoremate 427.

Porrò bona patrimonialia & alia sæcularia,quæ de nouo ad Ecclesias, vel Ecclesiasticos deueniunt, non sunt ex eodem Lessio, Sylvest.verb. immun.1. nu.19. Innocent.cap.non minus,de immun. Eccles.Ioan.Andr. in cap.1.de immun. Eccles. l.6. Bald. consil.148. Fel.in c.Ecclesia S.Mariæ,de constit.num.77.Panorm.in cap.fin. de vit.& hon.cler. Azor.t.1.l.5.c.13. q.1.Angelo immun. num.36. vers. tertium. immunia,nisi à nouis,seu extraordinariis tributis imponendis, quandiu sunt Ecclesiasticorũ. vnde si antequam ad eos deuenirent, certum aliquod onus perpetuum,& inuariabile habebant annexum,v.g.seruitutem aliquam,vt reparandæ viæ, aut censum, &c. etiam ab Ecclesiastico præstandum erit; cum res quælibet cum suo onere transeat. cap. pastoralis, de decimis, & cap.cum non sit,ibid. & cap. ex litteris, de pignoribus. Clementina 1. de censib. cap.quicumque,16.q.1.& l.alienatio,ff.de contrah.empt.l.traditio, ff.de acq. rerum domin. & l.si diuina, C.de exact. tribut. Vendens enim rem obligaram & annexam oneri tributorum, intelligitur vendidisse

&

& conceſſiſſe ius ſolum quod habebat in re, cum non poſſit plus iuris transferre in alium, quam ipſe haberet. Quòd ſi onus non eſt huius generis, ſed mutabile & extraordinarium, quemadmodum ſunt, quæ imponuntur facta æſtimatione bonorum cuiuſcumque, vt plus vel minus quis teneatur ſoluere iuxta impoſitionem collectæ, Eccleſiæ & clerici non tenentur ſoluere, ſed ſunt immunes ex Panor. cap. fin. de vit. & hon. cler. num. 12. & in cap non minus, de immunit. Eccleſ. num. 15. Iaſone in l. placet, 16. q. 1. in lect. 2. Io. And. & Archid. cap. 1. de immunit. Eccleſ. l. 6. Ancharan. Gemin. Philip. Franc. ibid. Sylueſt. Leſſio, Azor. & communi ſententia.

Dices Principes antequam prędia ad Eccleſiam veniant, habent ius imponendi eis vectigalia, non igitur ex eo quod ad Eccleſiam veniant, licitè eo iure ſpoliantur. Reſpondeo iam à tempore Conſtantini Magni in decreto ad Annulinum apud Euſeb. l. 10. cap. 7. Sozomen. l. 1. cap 8. & Niceph. l. 7. c. 42. & 46. & Iuſtiniani l. ſancimus. in hoc Imperatores cõſenſiſſe ad honorem Dei: at quod ſemel Deo donatum eſt, reuocari non poteſt, vt inter cæteros docet Leſſius loco cit. Couarr. in qq. pract. c. 31. nu. 4. & ad hoc facit cap. nouit, de iudiciis, vt omittam plures ſenſiſſe huiuſmodi immunitatem eſſe de iure diuino, vt dixi l. 2. de Miſſ. ſacrific. cap. 9. num. 3. qua de re Azor t. 1. l. 5. cap. 12. Henriquez l. 10. cap. 15. & Alterius p. 2. d. 16. l. 5. c. 2. Quin etiam ſummi Pontifices & Concilia Oecumenica habebant auctoritatem (etiam inuitis Chriſtianis Principibus) inducendi hanc Eccleſiaſticorum immunitatem à ſæcularium Principum iuriſdictione, vt probat Victoria relect. de poteſtate Eccleſ. q. vlt. Couarr. in qq. pract. cap. 31. num. 3. 4. Leſſius l. 2. cap. 33. dub. 4. num. 36. Innoc. cap. 2. de maiorit. & obed. cum habeant poteſtatem à Chriſto ſtatuendi id quod ad ſpirituale Eccleſiæ bonũ, & hõnorem Dei valde expediens, vel neceſſarium eſt, vt ſanè eſt hæc exemptio Eccleſiaſticorum à ſæcularibus Principibus. Tum quia periret libertas ſacerdotalis in laicis inſtituendis, & corrigendis. Tum quia Eccleſiaſtici à ſacris officiis facilè diſtraherentur, quam cauſam tangit etiã Conſtantinus loco citato, ſi apud ſæculares iudices conueniri poſſent; præterquam quod Principes ſunt ſubditi, ſicut oues Paſtori. Potuit igitur Pontifex à iuriſdictione ſubditorũ ſuorum aliquos eximere. & conſequenter cum tributa pendantur propter iuriſdictionem, ſi potuit eximere clericos à iutiſdictione & iudicio Principum Chriſtianorum, potuit etiã eximere à tributis. Sed hac de re erit iterum agendum in bulla 19. Martini V. Theoremate 82. 83.

Septimò, incendiis & rapinis Eccleſiaſticorum poſſeſſiones vaſtari. quod etiã dolet Martinus V. bulla 10. quæ incipit, *Ad reprimendas.* ob id t 2. q. 2. c. 3. dicitur: propter quod inexcuſabilis erit omnis, qui à Domino & Eccleſia cui competunt (ſiue homo, ſiue animal, ſiue ager) aufert, vaſtat, vel eripit, & vſque ad emendationem, & Eccleſiæ ſatisfactionem, vt ſacrilegus iudicetur. & ſi emendare noluerit, excommunicetur. & 17. q. 4. c. 13. attendendum eſt omnibus 7

Vide Theor. 151.

bus ne prædia vsibus secretorum cælestium dedicata à quibusdam irruentibus vexentur. quod si quis fecerit, post debitæ vltionis acrimoniam (quæ erga sacrilegos meritò promenda est) perpetua damnetur infamia, & carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis vratur. Confirmat autē Leo X. bulla 10. aliàs 8. quæ incipit, *Regimini*, §. 11. prædecessorum Constitutiones, & pœnas in raptores, violatores, incendiarios, Ecclesiarum & agrorum depopulatores constitutas. Quin etiam incendiarius etiam loci profani, & qui auxilium vel consilium scienter dederit, caret Ecclesiastica sepultura, & est excommunicādus, nec prius absoluendus, quam satisfaciat, 23. q. 8. cap. si quis membrum, & seq. & si fuerit denunciatus excommunicatus, non potest absolui, nisi à Papa. extra. de sent. excom. c. tua. Nauarr. cap. 27. num. 94. Caiet. excommunicatio, cap. 22. Sayrus l. 3. cap. 29. n. 8. Suarez t. 5. d. 22. sect. 2. num. 17. 18. 19. Panorm. cap. tuanos, de sentent. excomm. Ledesm. 2. 4. q. 26. art. 2. excom. 7. Anton. 3. p. t. 25. c. 11. Secundum leges verò ciuiles vel igni traditur, l. qui ædes, ff de incend. ruin. naufr. vel capite plectitur, l. capitalium, §. nonnunquam, ff. de pœnis.

8 Octauò, improbat vim & firmitatem eleuari contractibus initis inter Ecclesiasticos & laicos, dum non adscribuntur consuetis libris, nec sigillantur, quod in graue præiudicium Ecclesiasticorum vergebat. quippe qui in iudicio absque legitimis tabulis cōtra laicos agere non possent. vnde manifestè læderetur immunitas & libertas Ecclesiastica, & fierent Ecclesiastici deterioris conditionis, quàm cæteri, & facientes seruari talem cōsuetudinem in fraudem priuilegiorum Ecclesiasticorum, incidere̅t in excommunicationem latam ab Honorio III. cap. nouerit, de sentent. excom. & Bonifacij VIII. cap. eos qui. de immun. Eccles. l. 6. & in legem Cassàm. Federici Imper. II. Cod. de sacrosanct. Eccles. videatur etiam cap. quanto, extra. de priuileg. & ibidem Gloss. Nunc est casus 15. bullæ cœnæ.

Nonò, itémque occupari legata 9
& donata Ecclesiarum fabricis, quod etiam est inuadere bona Ecclesiæ, & contra legem Federici II. vt dictum est epit. 7. n. 2. & Theorem. 16. & contra totam pęnè causam. 12. p. 2. vt c. 1. 7. 8. 9. 10. 22. 24. 27. & 17. q. 4. cap. sicut qui, & c. qui rapit.

Decimò, necnon exigi Gabellas 10
de rebus clericorum, non pro negotiatione delatis, sed ad solum vsum proprium. quod repugnat, cap. non minus, de immunit. Eccl. & cap. aduersus, ibidem. hodie est in bulla cœnæ Domini §. 18. si enim pro negotiatione deferrentur, non immeritò exigerentur. ex c. quamquam, de censib. l. 6 quod Ecclesia concessit in odium negotiationis, quę maximè dedecet Ecclesiasticos, vnde eis interdicta est. cap. consequens, cap. negotiatorem, cap. fornicari, cap. eiiciens, d. 88. cap. vlt. de vit. & honest. cler. & cap. secundum, ne cler. vel Monach. vbi Alexander III. sub interminatione anathematis prohibet clericos & Monachos negotiari, & si ter à superiore moniti non desistunt, perdunt priuilegium clericale, vt decreuit Honorius III. cap. ex litteris, de vit. & hon. cler.

quod

quod etiam comminatus fuerat Galasius in citato cap. consequens. d. 88.

Est autem negotiatio, cum quis rem quampiam comparat eo animo, vt integram & non mutatam vendendo luctetur, ex D. Chrysostomo homil. 38. in Matth. & cap. eiiciens, d. 88. Sumitur autem vendere prout comprehendit etiam commutationem, cum apud plerosque negotiatio permutatione fiat. Sed redibit hac de re iterum sermo in Pio IV. bulla 19. cuius initium est: Decens. Theorem. 193. Num verò de rebus ad proprium vsum delatis, sit necne soluenda gabella, præsertim cum sub pœna capitis id prohibitum sit. l. vniuersi, Cod. de vectigal. tractant Caiet. ver. vectigal. Driedo l. 2. de Christ. libertate, cap. 5. Antonin. 2. p. t. 1. cap. 13. §. 9. Medina q. 15. Sylu. gabella 3. q. 5. Nauarr. cap. 17. n. 202. Tolet. l. 5. cap. 73. Lessius l. 2. c. 33. dub. 7. & 8. Angel. verb. Pedagium, num. 3. Beia in casibus Bononiensibus 1. Petr. Nauarr. l. 3. cap. 1. & seq. Aragona q. 62. art. 3.

11 Vndecimò, similiter extrahi è sacris locis, qui ad ea confugerũt, quod est etiam contra Ecclesiasticam immunitatem. cap. inter alia. de immunit. & c. definiunt, & c. metuentes. 17. q. 4. & l. præsenti, Cod. de his, qui ad Eccles. confug. vt notauimus Theorem. 58. quare in sæcularem iudicem hanc immunitatem violantem in citata l. præsenti. & l. 2. ibid. statuitur, vt incurrat crimen læsæ maiestatis, & puniatur vltimo supplicio. In iure verò canonico, vt excommunicetur, & mulctetur pœna pecuniaria, adigatur ad publicam pœnitentiam, nec admittatur ad communionẽ, nisi Ecclesiæ restituat, quem extraxit, cap. nullus, c. si quis contumax, cap. quisquis, 17. q. 4.

THEOREMA 78.

PRædicta autem omnia, & quælibet inde secuta. §. 2. Carolus cassat & irritat, tamquam facta in fraudem Ecclesiasticæ libertatis, cum nihil sit faciendum in fraudem legis, ff. S. C. Maced. l. 3. §. is autem. & sub banno imperiali Magistratibus præcipit, vt reuocent huiusmodi iniqua statuta. Neque enim licitè huiusmodi immunitates Ecclesiasticæ reuocari possunt. Tum quia absolutè, & ex concedentium mente & intentione perpetuò concessæ sunt: omnis autem donatio & exemptio facta communitati in perpetuum, irreuocabilis est. Tum quia concessa in remunerationem spiritualium beneficiorum, quæ ab Ecclesia in regna proueniunt, iuxta illud Constantij & Constantis. cap. in qualibet, 23. q. 8. rempublicam augeri magis orationibus & officiis clericorum, quàm corporis sudore & labore. Tum quia sicut repetere agros & villas, quæ in Dei honorem Ecclesiis offeruntur, sacrilegium est; ita etiam infringere immunitatem ob eiusdem Dei honorem, Ecclesiis concessam. Tum quia Christianus orbis à quo Principes Christiani habent auctoritatem in eam consensit. vt igitur repeti à Principe non potest, quod semel consensu regni alienatum est, ita nec Ecclesiasticorum immunitas, & exemptio. Tum quia Pontifices & Concilia vt præcedenti Theorem. n. 6. dictum est, sunt supra Christianos Principes, illi autem eam confirmarunt.

marunt. Tum quia saltem ius naturale diuinum dictauit esse hanc immunitatem à Principibus concedendam Ecclesiasticis, vt naturali lumine faciendum senserunt reges Ægypti Genes. 47. & Artaxerxes l. 1. Esdræ cap. 7. vnde meritò dixit Concil. Trident. sess. 25. cap. 20. de reform. personarum Ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus esse constitutam. videatur etiam cap. quamquam, de censibus, l. 6. & cap. non minus, extra. de immunit. Concil. Lateranense sub Leone X. sess. 9. in bulla reformationis Curiæ, §. 40. & eiusdem Leonis X. bulla 10. quæ incipit, *Regimini*, §. 11. Eodem §. 2. præter pœnas ab Imperialibus & Canonicis sanctionibus statutas in proscribentes, & violantes personas Ecclesiasticas. de quibus 11. q. 1. & 17. q. 4. cap. si quis suadente. & tit. de foro compet. & bulla 3. Vrbani VI. de qua Theorem. 76. & bulla cœnæ reddit eosdem infames, inhabiles ad placita, & consilia nobilium, & priuat ipso facto omni honore, vt eriam eis auxilium in hoc præstantes, & scienter receprantes. Plures verò pœnas diuinitus immissas in violantes Ecclesiasticas personas retulimus. l. 2. de Missæ sacrif. cap. 10. §. 5. nouæ præsertim editionis.

MARTINI V.

Constitutionis editæ anno 1418. incipientis. Viam.

EPITOME 39.

Mendicantes sine speciali licētia Sedis Apostolicæ, non possunt ad ordines monasticos, Carthusienſi excepto, transire.

PROHIBET Mendicãtes religiosos transire ad ordines monasticos (excepto Carthusiensi) sub pœna excommunicationis latę sententiæ, cuius absolutio reseruatur Papæ, tam respectu recipientiũ, quàm receptorum, nisi id sit ex speciali licentia Sedis Apostolicæ.

excõmunicatio reseruata.

THEOREMA 79.

CONstitutio hæc Martini V. quem aliqui Quartum dicũt, omissa est in bullario nouo, eo quod sit iam relata inter extrauag. tit. de regul. Finisque illius fuit, vt consulerctur religiosorum quieti, præcideretur via ad ambitionem, vitarentúrque scandala & dissensiones inter ordines ipsos, quorum singulorum perfectio primariò ex fine spectatur, secundariò autem ex mediis, vt aspero vestitu, ieiuniis, vigiliis, solitudine, silentio, &c. vnde absolutè illi ordines simpliciter perfectiores sunt, qui finem intrinsecum seu functionem perfectiorem habent.

Ex triplici autem fine etiã quasi triplex genus ordinum effluxit. Alij enim *Contemplatiui* sunt, quippe qui præter obseruantiam votorum essentialium, cuiusque religionis, paupertatis, castitatis & obedientiæ perpetuæ, quibus concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ coërcentur, magna, ad vitæ perfectionem consequendam, impedimenta, contemplationi præcipuè sunt addicti, vt sunt ordines D. Basilij, Antonij, Benedicti, &c. Alij *Actiui*, qui præter prædicta substantialia vota, charitatis opera corporalia maximè colunt, tamquam

quam ad perfectionem incitamenta, vt est curatio & seruitus infirmorum, redemptio captiuorum, susceptio peregrinantium, militia pro fidei defensione, magna sanè charitatis opera. Alij *Mixti* qui perfectissimi sunt, cum præter tria vota quibus vis & substantia religionis continetur, & contemplationem colunt, & vitæ actiuæ opera, spiritualia præsertim, quasi in proximos transfundentes cõtemplata, vt docendo, prædicando, cõsulendo, sacramenta administrando, ægrotos consolando, inuisendo detentos in carcere, iuuando agentes animam, & huiusmodi. Præsertim cum animus noster satiscat, si diuina assiduè contempletur; sitque etiam excellentissima charitas propter Deũ vacare proximo, quem viuẽdi modum Christus ipse, & Apostoli tenuerunt.

Sed audiamus D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 6. ita singulorum perfectionem definientem. *Sic ergo summum gradum in religione tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ & propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum, sicut & in aliis rerebus fines primorum coniunguntur principijs secundorum*, vt Dionysius ait, c. 7. de diuin. nomin. *Secundum autem gradum tenent illæ, quæ ordinantur ad contemplationem. Tertius est earum, quæ occupantur circa exteriores actiones*, &c. videatur etiam Caietanus ibidem, Hieronymus Platus in lib. 15. de bono stat. rel. Azor to. 1. l. 12. c. 14. q. 12. sub nomine Martini IV. Fecerat etiã Benedictus XII. anno 1335. non dissimilem constitutionem, quæ incipit, *Regularem*, qua etiam prohibuit Mendicantes transire ad ordines Nigrorum & Cisterciensium sine speciali licentia Papæ faciente expressam mentionem de prædicta sua Constitutione in qua etiam vetuit, ne Mendicantes intra spatium 140. cannarum propè Augustianorum, &c. Ecclesias noua loca ædificarent. canna autem ex eodem §. 4. continet palmos 8. Mendicantes verò dicuntur ex §. 3. Ordines illi, qui sunt in paupertate fundati: ita vt ex regula, vel cõstitutionibus suis, extra septa Ecclesiarũ, monasteriorum suorum & clausurarũ, nullas possessiones habere debeant. Hos sequuti sunt deinde Paulus III. n. 26. Paulus IV. n. 29. Pius IV. n. 8. Pius V. n. 91. alias 89. Greg. XIII. num. 74. Sixtus V. n. 20. alias 22. & Concil. Trid. sess. 14. cap. 11. & sess. 25. cap. 19. de regular.

THEOREMA 80.

ITaque quamuis de iure communi liceat religioso ex vna religione transire ad aliam, cap. statuimus, cap. mandamus, 19. q. 3. c. significatum, cap. licet, &c. de regul. vel studio arctioris & durioris disciplinæ & vitæ, ex Io. And. in c. sanè, de regul. & Doctoribus c. licet, ibid. & cap. virgines, 2. q. 4. Angel. verb. religiosus, n. 35. Rosel. relig. 4. nu. 1. vel etiam ex D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 8. Palud. 3. d. 38. q. 3. ar. 1. Anton. 3. p. t. 16. c. 4. ad finem, Sylu.

releg. 4. q. 1. 6. 7. 8. Tabien. eodem q. 23. sanctioris instituti & vitæ petita (aliàs enim reuocari potest, vt faciat, quod iure debet, ex Ioan. Andr. Hostiensi, Panorm. in citato cap. licet, Glossa cap. interdicimus, de ætate & qualit. & cap. mandamus, verb. lapsus, 19. q. 3. Rosel. releg. 4. num. 4. Nauarr. consil. 10. & 59. de regul. quicquid Syluest. senserit releg. 4. q. 1.) à suo superiore licentia. cap. non est vobis, cap. sanè, cap. licet. extra. de regular. & ibidem Innoc. Hostiensi, Io. Andr. Panorm. Id tamen laudabile non est, nisi ob notabilem vtilitatem aut necessitatem, vt si collapsa esset disciplina regularis, vel vigerent odia & simultates, vel esset aliis exosus, vel ob corporalem ægritudinem necessarium iudicaretur, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 8. Azor t. 1. l. 12. cap. 14. Lessius l. 2. cap. 41. dub. 13. & alij. Tum ex 1. ad Cor. 7. vt quisque in vocatione qua vocatus est permaneat. Tum quia religiosi qui deseruntur, offenduntur. Tum quod facilius & commodius quis proficiat in religione in qua consuetuit, quàm in peregrina; sitque apud Cassianum collat. 14. cap. 5. Abbatis Nesteros sententia: *Cuique vtile est, vt secundum propositum quod elegit, summo studio ac diligentia, ad operis arrepti, perfectionem peruenire festinet, & nequaquam à sua, quam semel elegit, professione discedat.*

Vnde præsenti Constitutione Martinus V. religiosis ordinibus consideratis vidensque communiter religiones Mendicantium esse strictioris obseruantiæ, ac tutioris sanctiorisque vitæ, vtilioresque proximis, vetuit Mendicãtes (professos scilicet) sine speciali Apostolica auctoritate transire ad ordines non mendicantes (excepto Carthusiensi) sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & Papæ reseruatæ, tam respectu transeuntis, quàm recipientium. Atque vt transitus fieret difficilior, in Clementina vt Professores, de regul. statuitur, vt Mendicantes ad non Mendicantes auctoritate Apostolica transeuntes, etiamsi curam animarum, Prioratum, & officia prius obtinerent, vocem & locum in Capitulo, quamuis ab aliis liberè concederetur, Prioratum, administrationem aut quæcumque in antea officia, etiam tamquam vicarij vel ministri aut locum tenentes habere non possint, irritúmque sit, quicquid in contrarium attentetur. Ob id Mendicantes ad Carthusianos, aliósque ordines non mendicantes transeuntes sunt inhabiles ad omnes dignitates & beneficia intra vel extra ordinem obtinenda, ad curam animarum, officiáque omnia, vt puta prædicatoris, lectoris Theologiæ, &c. vt obseruat etiam Lessius loco citato dub. 13. Azor tom. 1. l. 12. cap. 14. q. 12. ex Glossa, & Imola in d. Clementina. Vt etiam Concil. Trid. sess. 14. cap. 11. præcipit quosuis transfatos ad aliam religionem etiam arctiorem, incapaces esse beneficiorum sæcularium, & debere manere in perpetuo claustro sub obedientia superioris. Quod decreuit etiam Pius IV. bulla 69. quæ incipit, *In sublimi*, §. non concedant.

Porrò notat Suarez d. 22. sect. 4. num. 16. extendi etiam præsentem extrauag. Martini ad eos, qui post dictam Constitutionem sunt Apostolica auctoritate in mendicantium

tium numerum adſcripti, vt religioſi S. Franciſci de Paula, & ſocietatis Ieſu iuxta declarationem Pij V. anni 1571. & Gregorij XIII. bulla 77. 79. Nihil verò in hac extrauag. Martini ſtatuitur, de tranſeuntibus ab ordine mendicante, ad ordinem mendicantem: vel de tranſeunte ab ordine non mendicante ad mendicantem. Nam in his neque tranſeuntes, neque eos recipientes, incurrunt hãc excommunicationem: poſſunt tamen incurrere alias ex conceſſionibus particularibus factis ſingulis religionibus, vt quam fecit ex Armilla excommunicatio 67. Clemens, de tranſitu & receptione Dominicanorum inter Minores. & quam fecit Paulus III. nu. 26. in bullario veteri, & Iulius III num. 10. & Sixtus V. de tranſitu fratrum de Obſeruantia ad Capucinos, quæ incipit, *Pro ea.* & eſt 22. vbi §. 3. ſuperiores Capucinorum recipientes, & fratres de Obſeruantia contrafacientes excommunicantur, & priuantur quibuſcumque dignitatibus, adminiſtrationibus & officiis, & redduntur inhabiles in futuro: immò & ad quoſcũque actus legitimos, ſi abſque licentia Papæ recipiantur. & receptio eſt nulla. Et quam fecit Pius IV. Pius V. & Gregorius XIII. contra egredientes è ſocietate Ieſu poſt emiſſa vota, abſque licentia Generalis, & eos recipientes, Carthuſianis exceptis.

THEOREMA 81.

EXcipitur autem in huiuſmodi tranſitu religio Carthuſianorum in quam (niſi priuilegiis impediantur) poſſunt prædicti Mendicantes, vt etiam non Mendicantes ex Nauarr. conſil. 68. petita licentia à ſuo ſuperiore ingredi, quippe quę omnium arctiſſima ſit, in ſolitudine, clauſura, ſilentio, & prolixitate diuinorum officiorum, etſi non arctior in omnibus. Nam Minimi v. g. vt notat etiam Nauar. conſil. 10. de regular. non vtuntur (excepta infirmitate) niſi Quadrageſimalibus cibis, cum Carthuſiani vtantur lacticiniis, etſi quoad carnes Minimi in infirmitate eis licitè veſci queant, Carthuſiani verò minimè. Ipſos verò Carthuſianos poſſe tranſire ad Mendicãtes, ſentit Nauarr. citato conſ. 68. de regul. Sylu. relig. §. q. 6. Io. Dominicus, S. Anton. 3. p. tit. 16. cap. 4. §. 4. Palud. 4. d. 38. q. 3. art. 1. Azor t. 1. l. 12. cap. 14. Leſſius l. 2. cap. 41. dub. 13. Tum quia Pariſiis à Theologis & Iuris canonici Doctoribus iudicatum fuerit poſſe tranſire ad Dominicanos ſeruantes ad vnguẽ ſuas regulas & Conſtitutiones. & S. Bonauentura in opuſculo determinationum quęſtionum circa regulam S. Franciſci cap. 12. dicit ex quolibet ordine iure communi poſſe religioſos tranſire ad Franciſcanos. Tum quod religio Mendicantium, ſit ex fine perfectior, & fructuoſior non mendicãte, quippe quæ fuerit Chriſti & Apoſtolorum viuendi ratio; miſceatq; orationi & contemplationi procurationem ſalutis animarum, functionem nobiliſſimam, & Deo gratiſſimam. De tranſitu verò ad religionem laxiorem, de eiectis, apoſtatis, & ſimilibus, videndus eſt Leſſius loco citato dub. 13. 14. 15. & Azor t. 1. l. 12. cap. 14. 15. 16. 17. qui etiam reliquo & ſeq. libro pluribus diſputat de Monachis, Canonicis

nonicis regularibus, ordinibus mendicantibus, & militaribus, singulorúmque priuilegiis & institutis.

Eiusdem

MARTINI V.

Cõstitutionis 10. editæ ann. 1428. incipientis. Ad reprimendas.

EPITOME. 31.

Trahentes Ecclesiasticos ad forũ sæculare in causa quã cognoscit forũ Ecclesiasticũ, excõmunicãtur, & perdunt ius quod in re habent, priuãtur beneficiis & inhabilitãtur in futuro. absolutio Papæ reseruatur, & extenditur ad complices, &c.

STatvit §. 3. vt quicumque Ecclesiasticus sæcularis vel regularis aliam personam Ecclesiasticam, vel Collegium aut Conuentum in actione reali, personali, mixta, ciuili vel criminali, etiam occasione cuiuscumque submissionis, etiam iuratæ, præsumpserit trahere ad forum laicale directè vel indirectè in causa, quam cognoscit forũ Ecclesiasticum de iure vel consuetudine, aut quouis alio modo, amittat causam, & omne ius ei competens in petitorio vel possessorio, in re vel ad rem, & est excommunicatus, & nisi statim obedierit, vna cum adhærentibus & inseruientibus, priuatur omnibus beneficiis Ecclesiasticis, & inhabilitatur per iudicem in futuro. Capitula verò & Conuentus sunt ipso facto suspensa, & interdicta.

§. 4. Omnes autem iudices & executores laici, & auxiliantes, consulentes & ratum habentes, postquam exceptum fuerit, de non iurisdictione, aut euidenter apparuerit talem cognitionem de iure ad eos non spectare, si talia præsumpserint, sunt excommunicati, & absolutio reseruatur Papæ.

THEOREMA 82.

CVm laici iurisdictionem in temporalibus exercentes, vel exerceri facientes, ad suum forum pertraherent Ecclesiasticos, edictis, pœnis pecuniariis, vastatione agrorum, spoliatione rerum mobilium, & aliis modis, licet nulla in hoc sit eis attributa potestas; quin etiam id eis esset expresè interdictum legibus Valentiniani, Theodosij, & Arcadij in Cod. Theodosiano, lib. 16. tit. de Episcop. cap. vltim. & 11. quæst. 1. cap. continua. Itémque Iustiniani cap. si quis, 2. ibidem, & in leg. 3. Federici II. vt diximus epit. 7. & Theor. 17. Cauſæque ipſæ eſſent manifestè Ecclesiasticæ. Et sæpe ipsimet Ecclesiastici mallent in foro laico, quàm Ecclesiastico litigare, contra decretum Syluestri Papæ, cap. nullus clericus, 11. q. 1. & Gregorij lib. 11. ep. 54. vt habetur 11. q. 1. cap. de persona. & libr. 9. ep. 32. vt refertur 11. q. 1. cap. peruenit. & Concil. Calcedon. cap. 9. ibidem. si clericus, & Adriani ibidem, c. clericus, & c. in clericorum, coactus est Martinus cõtra vtrosq; præsentem edere Constitutionem.

Itaque

Itaque §. 3. ſtatuit actores Eccleſiaſticos id præſumẽtes in cauſa ciuili, incurrere in pœnas Concilij Mileuitani, ſeu rectius Toletani. 3. cap. 13. 11. q. 1. cap. inolita, & cap. ſi diligenti, extra. de foro compet. adeo vt, & cauſam perdat, & cedat in lucrum, Reo, quem protraxit. argumento ff. de calum. l. generaliter, §. illud, 11. q. 1. cap. inolita, & ſeq. & ſit excommunicatus, vt habetur quoque in Concil. Romano, ſub Sylu. 11. q. 1. cap. ſi quis clericus. & iam eſt caſus bullæ cœnæ §. 15. Conuentus autem & capitula ſunt ſuſpenſa, & interdicta, & cum fautoribus amittunt beneficia omnia cum inhabilitate in futuro. Si verò Eccleſiaſticus in cauſa criminali pulſatus trahat actorem ad iudicium ſæculare ex Concil. Carthag. 3. cap. 9. & 11. q. 1. cap. placuit, & de foro comp. cap. ſi diligenti, habetur pro conuicto, & eſt deponendus, 11. q. 1. cap. de diuerſis, & cap. placuit, ibid. & 21. q. 5. cap. placuit, cap. ſi quis à proprio, cap. ſi quis Epiſcopus, vbi dicitur ad nullam veniam peruenire poſſe. Præiudicatur enim Epiſcopo, ſine cuius conſenſu iurare non poteſt, nec ſibi alium iudicem conſtituere, c. clericum, 1. 11. q. 1. cum Epiſcopus clericorum cauſas iudicare debeat. 11. q. 1. cap. experientiæ, & cap. peruenit, necnon de foro compet. cap. 1. 12. 18.

Quæres, an ſi actorem pœniteat poſt vocationem ad forum ſæculare, ſed ante litis conteſtationem, cauſam quoque perdat? Reſpond. diſſenſionem eſſe inter Canonici iuris interpretes. cap. inolita, 11. q. 1. Affirmat enim Hugo, Goffredus, Vincentius & Turrecremata ibidem. Tum ob cap. placuit, 1. ibidem, in quo ex ſola portectione libelli, cauſa perditur. Tum quod in hoc non ſit locus pœnitentiæ. ob cap. grauem, extra. de exceſſib. Prælat. vbi Archidiaconus, licet non fuerit litem conteſtatus, ob ſolam depoſitionem ſeu conuentionem in foro ſæculari ſuper rebus ſpiritualibus, cadit à iure ſuo. Negat autem Gloſſa d. cap. inolita, & cap. placuit, 1. ob l. amplius. ff. rem ratam hab. vbi habetur, non incidi in pœnam, ſi deſiſtatur ab agendo. Ratio eſt quod actus non ſit conſummatus, ſed ſolũ attentatus, & citatur pro eadem opinione Bartolus, Baldus, Angel. Cynus, & Paulus de Caſtro in l. in criminali, Cod. de iuriſd. omn. iud.

Dubitabis etiam an perdat cauſam ipſo iure, an per ſententiam iudicis? Innocentius, Hoſtienſis, Turrecremata, & Gloſſa 11. q. 1. c. inolita dicunt, per ſententiam. Tum quia ibi dicitur: *Conuentus*, quæ tamen vox in manuſcriptis non inuenitur. Tum quia dicitur: *cauſam perdat*, non autem *perdit*, quaſi dicat, debere perdere, ſcilicet per ſententiam. Martinus tamen qui poſt Concil. Carthag. 3. & Toletanum 3. fecit hanc conſtitutionem, expreſsè hic dicit: *eo ipſo perdant penitus, & amittant, & ſingulares perſonæ excommunicationis, Capitula verò & conuentus ſuſpenſionis, & interdicti ſententias incurrant ipſo facto.* Quare ipſo iure cauſam perdunt, vt etiam ipſo iure excommunicantur, ſuſpenduntur, interdicuntur.

THEOREMA 83.

FErtur hic etiam excommunicatio reſeruata Papæ in laicos iudices,

iudices, executores, auxiliantes & consulentes, ac ratum habentes, trahentes Ecclesiasticas personas ad suum forum, & iam est casus bullæ cœnæ. §. 14. & 15. de qua re Caiet. excommunicatio c. 29. 30. Nauarr. cap. 27. num. 69. Ledesma 2. 4. quæst. 26. art. 1. & 2. Suarez t. 5. d. 21. sect. 2. num. 75. & seqq. Sayrus l. 3. cap. 18. 19. & id sit etiam vetitum Imperatorum legibus, vt paulò ante diximus, & sactis Canonibus, cap. relatum, cap. si quisquam, cap peruenit, cap. fratris, 11. q. 1. & de foro comper. cap. 1. 2. 12. 18. cap. quamquam, de censib. l. 6. cap. qualiter, de iudic. cap. clerici, ibid. & ratione ipsa, quippe cum Ecclesiastici sint Deo consecrati, ideoque non tractandi, vt profani; & sint sæculatium Patres, ac ideo reuerendi, vt vidit etiam Constantinus Imp. cum in Concilio Nicæno dixit: *Sacerdotes veluti deos nobis datos esse, & ob id non esse à sæcularibus hominibus iudicandos, sed solius Dei iudicio reseruari.* vt refert Russinus l. 10. histor. cap. 2. & Gratianus 11. q. 1. c. continua, & 12. q. 1. cap. futuram.

Accedit potestatem spiritualem digniorem esse temporali, sicut autum plumbo ex S. Ambros. cap. duo, d. 96. & vita spiritualis tertena, & anima nostra corpore, ex Hugone de S. Victore lib. de sacram. p. 2. & Turrecremata 11. q. 1. cap. magnum, num. 2. non ergo debet illi esse subiecta, & ab ea diiudicari, aliisque rationibus allatis Theorem 78. communique Theologorum opinione, vt Victoriæ relect. 1. de potest. Eccles. q. vlt. Molin. tom. 1. de contr. tr. 2. d. 36 Driedonis de Christiana libert. Couar. qq. pract. cap. 31. num. 3. Lessij l. 2. cap. 33. dub. 4. & aliorum apud Alterium qui eadem de re pluribus disserit. d. 20. cap. 2. In legibus quoque Federici II. ab Honorio III. confirmatis, de quibus epit. 7. & in Concilio Constantiensi Actor trahens ad forum sæculare Ecclesiasticum, cadit à suo iure. & iudicarum non valet, & iudex ex tunc priuatur auctoritate iudicandi, vt dixi Theorem. 17.

EVGENII IV. ET PAVLI II.

Cõstitutionis 7. editæ anno 1434. incipientis. Cum detestabile.

EPITOME 32.

PRÆDECESSORVM Romanorum Pontificum vestigiis inhærendo. §. 1. ómnes & singulas excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, censuras atque pœnas quomodolibet latas contra simoniacos & complices cuiuscumque sint dignitatis, status, & conditionis, tam manifestos quàm occultos confirmat, innouat, & de facto incurri definit; Apostolicáque auctoritate declarat omnes, qui simoniacè ordinati fuerint, esse ab ordinibus suspensos. Itémque per electiones, postulationes, cõfirmationes, prouisiones, seu quasuis alias dispositiones

Simoniaci & cõplices excõmunicãtur, suspendũtur ab ordinib. nullũ ius in beneficiis acquirunt, nõ faciũt fructus suos, absolutio reseruatur Papę. qui tales norunt, reuelare tenẽtur.

simo

ſimoniacas nullum ius cuiquam in Eccleſiis, monaſteriis, dignitatibus, perſonatibus, officiis, beneficiis Eccleſiaſticis acquiri, cum viribus careant, nec inde quemquam facere fructus ſuos: ideoque ad illorum omnium, quæ perceperint, reſtitutionem ſub animæ ſuæ periculo adſtrictum eſſe. Atque vniuerſos & ſingulos qui quomodolibet dando vel recipiendo ſimoniam commiſerint, aut quod illa fieret, mediatores extiterint, ſeu procurauerint, incurrere excommunicationis ſententiam reſeruatam Papæ. §. 2. Et in virtute S. Obedientiæ præcipit, vt qui ſciunt aliquem ſimoniam commiſiſſe, aut mediatores fuiſſe, per ſe vel alium, reuelent Pontifici Romano quod ni fecerint, abſolui non debent cuiuſcumque ſint conditionis & gradus.

THEOREMA 84.

HÆc Cõſtitutio pauculis verbis mutatis, habetur ſub nomine Pauli II. nepotis ex ſorore Eugenij IV. in Extrauag. comm. tit. de ſimonia ſub data anni 1464. 9. Kalend. Decembr. Ab Eugenio autem edita eſt anno 1434. 13. Kal. Iunij. Clauſulæ tamen omnes eædem ſunt vtrobique. Quin etiam eadem penè promulgata habetur in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 43. à Martino V. quæ incipit, *Multa. Scortia.* ſed conſuræ ibi reſeruatæ non fuerant ſummo Pontifici, nec ſe extendebant ad mediatores, nec ad non reuelantes.

Meminit huius Conſtitutionis Eugenij IV. Sotus l. 9. de iuſtit. q. 8. art. 2. Damnatur autem eadem iniquitas. l. 3. reg. cap. 13. Act. cap. 8. 1. Petr. cap. 2. Concil. Tolet. 8. c. 3. 1. q. 1. cap. 16. 18. 21. & ab Hormiſda in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, Pio V. bulla 5. quæ incipit, *Cum primum.* §. 3. & 9.

Porrò quòad perſonas conſtitutio eſt vniuerſaliſſima, comprehendit enim quoſcumque in hoc peccantes etiam ſi ſint Cardinales & Reges. Quoad actiones verò ex Caiet. verb. excommunicatio, c. 72. Anton. 3. p. tit. 25. cap. 65. Angel. excomm. 5. caſu 34. Sylu. excom. 7. num. 80. 81. Nauarr. cap. 27. n. 106. §. 21. Sayro l. 3. cap. 30. n. 6. Thoma Zerula in ſua praxi Epiſcopali p. 1. verb. ſimonia, dub. 7. & ſeq. Suarez t. 5. d. 22. ſect. 5. num. 23. ſolum extenditur ad dare & recipere aliquid ſimoniacè, vel in hoc eſſe mediatorem vel procuratorem. Excitatis tamen auctoribus conſtitutio non intelligitur de omni ſimonia, ſed de ea tantum quę committitur in ordinatione & beneficio, vt vſus & praxis confirmat, ex Suarez & Nauarro, quod etiam colligi videtur ex verbis conſtitutionis huius, & Martini V. dicta ſeſſ. 43. Conc. Conſtant.

Obiicienti verò non videri incurri excommunicationẽ, & cenſuram niſi ob ſimoniam in beneficio ſeu officio, & non in ordine, quòd ibi duplex pœna feratur, ſuſpenſionis & excommunicationis, & illa quidem videatur ferri in prima clauſula contra ſimoniacè

ordinatos, & in ea pœnam finiri: altera verò cenſura ferri videatur contra ſimoniacos in beneficio, ideoque ad eos tantum videantur poſſe referri verba tertiæ clauſulę. Reſpond. ex communi ſententia excommunicationem cadere in vtramque ſimoniam, ita vt dantes, & recipientes intelligantur, & in ordine, & in beneficio. Vnde in prima clauſula ſuſpenduntur ſimoniacè ordinati. in ſecunda ſuſpenduntur & priuantur officiis & beneficiis ac fructibus ſimoniaci in officio ſeu beneficio. eo quod nulla fuit collatio. poſtea fertur excommunicatio, quæ totam præcedentem materiam ſeu tranſgreſſores comprehendit. Nec prudenter verba illa (atque vniuerſos & ſingulos, qui quomodolibet dando vel recipiendo ſimoniam commiſerint. vel vt habet bulla Martini V. ſtatuentes inſuper, quod dantes & recipiētes ipſo facto ſententiā excōmunicationis incurrant,) reſtringi poſſunt ad dantes & recipientes tantum in beneficio.

Sed nunquid ob quamlibet ſimoniam in ordine & beneficio incurrantur huiuſmodi pœnæ? Reſpond. cum Nauarr. loco citato, & cap. 23. num. 111. & cap. 25. n. 112. Caiet. Sayr. Suarez, Zerula, Angel. locis citatis, & Ludouic. Gomeſio q. 12. de triennali poſſeſſ. aſſerente ita deciſum à Rota in multis cauſis, & Leſſio l. 2. cap. 35. dub. 24. 25. minimè. Cum enim ſimonia in tria membra diuidatur, mentalem, conuentionalem & realem. quippe quæ aut mente tantum, aut pacto ſolo, aut re ipſa ſeu facto committatur, vt docet Nauarr. cap. 23. nu. 102. Sotus l. 9. de iuſt. q. 8. art. 1. Suarez de relig. tract. 3. l. 4. c. 41. 42. 43. & alij, non incurritur pœna, quando ſimonia eſt tantum intentionalis, ſeu mentalis, aut tantum conuentionalis, ſed dumtaxat quādo eſt realis, id eſt quæ vtrinque completa eſt, ſeu aliquid datum & receptum. Vt conſtat, tum ex verbis illis huius conſtitutionis *(qui quomodolibet dando vel recipiendo)* & Martini V. *(quod dantes & recipientes)* & Concil. Trid. ſeſſ. 21. cap. 1. *(tam dantes, quàm recipientes.)* Tum quia leges pœnales puinientes actum, intelligi debent, de actu perfecto & conſummato, in ſua ſpecie. cum ſint ſtrictè interpretandæ, quandiu legiſlator aliud non declarat, in præſenti verò ſola ſimonia realis eſt conſummata & perfecta in ſua ſpecie. vt notat etiā Couarr. regula. peccatum, p. 2. §. 8. num. 7. Sylu. verb. ſimonia q. 9. Nauarr. cap. 23. num. 111. verſ. 2. Suarez num. 26. Azor p. 3. l. 12. cap. 20. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. Leſſius l. 2. cap. 35. dub. 24. num. 135.

Nihil tamen refert ſiue crimen occultum ſit, ſiue publicum, cum id expreſsè habeatur in præſenti Conſtitutione, & in extrauag. cit. Pauli II. Rectéque addit Valentia 2. 2. d. 6. q. 16. p. 6. & Azor loco cit. q. 7. ſi ſimoniacus in ordine & beneficio ſit publicus, eſſe etiam ipſo iure infamem, eo quod ſimoniaca peſtis ſua magnitudine cæteros morbos vincat. cap. ſicut, tit. de ſimonia, ſitque crimen depoſitione dignum. cap. ſanè, 15. q. 3. & cap. inquiſitiones, de accuſat. & meritò, cum habeat adiunctam auaritiam malorum omnium radicem. & iniuſtitiam, cum vendat rem domini ſui, contra eius voluntatem Matt. 10. *Gratis accepiſtis, gratis date.* & ſacrilegium, cum iniuriam irroget rebus

rebus ſacris, non præferens temporali pretio rem ſpiritualem. Act. cap. 8. quia *donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* & ſit contra charitatem, vt docet Gregor. l. 7. ep. 114. & habetur 1. q. 1. cap. fertur. ſed requiritur ad infamiam ſententia iudicis, vel euidentia facti ex Azor tom. 3. l. 12. c. 21. q. 7. Angel. ſimonia 6. num. 9. Roſella num. 13. Sylueſt. q. 12. Vt etiam eumdem publicum ſimoniacum in ordine vel beneficio irregularem eſſe docet Panorm. in cap. per litteras, 2. de ſimonia, num. 8. & cap. tanta, num. 5. Azor q. 5. idémque colligitur ex cap. accuſatus, & cap. quoties, de ſimonia, & d. 32. §. verum.

THEOREMA 85.

POrrò quoad pœnas ſimoniacæ ordinationis, ſic ordinatus eſt eo ipſo ab ordinibus ſuſpenſus, ex præſenti Conſtitutione & extrauag. *Cum deteſtabile*, tit. de ſimonia, & bulla citata Martini V. cum dicatur: *declaramus quòd ordinati ſimoniacè ab executione ſuorum ordinum ſint eo ipſo ſuſpenſi.* Bulla 5. Pij V. & 91. Sixti V. quæ incipit, *Sanctum ac ſalutare.* & Clementis VIII. bulla 40. quæ incipit, *Romanum.* Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 1. & 1. q. 1. cap. ſi quis Epiſcopus, cap. qui per pecunias, cap. ſanctorum, cap. qui ſtudet, cap. quicumque, c. eos qui, cap. ſtatuimus, 2. ibidem, & extra tit. de ſimonia, c. quotiens, c. ſicut, c. tanta, c. per tuas, c. ſi quis ordinauerit, cap ex tuæ. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. Panorm. cap. per litteras, 2. de ſimonia. Sylueſt. verb. ſuſpenſio, q. 7. Suarez de relig. tr. 3. l. 4. c. 56. & communi ſententia.

Quæres an ſit ſolum ſuſpenſus ab ordine ſimoniacè obtento, an verò etiam ab aliis antea legitimè ſuſceptis? Reſpond. ab omnibus ex Panorm. loco citato num. 5. Innocentio cap. tanta, ibidem. Angelo, ſimonia nu. 6. Sylu. ſuſpenſio, q. 7. Azor tom. 3. l. 12. c. 21. 22. Leſſio l. 2. cap. 35. dub. 24. num. 135. Auila p. 3. d. 5. dub. 9. Hériquez l. 13. c. 37. n. 3. nã Martinus V. Eugenius IV. Paulus II. in citatis Cõſtitutionib. dicũt: *Simoniacè ordinati ab executione ſuorum ordinum ſint eo ipſo ſuſpenſi.*

Quid ſi v. g. Caius dederit Ordinatori pecuniam, vt Titio ordines conferret? ſi Titius ſciuit, & non contradixit, ſuſpenſus eſt ab omnibus ordinibus, quia cum fuerit ſimoniæ conſcius & tacuerit, in ſimoniam conſenſit. Si eo neſciente, vel renuente, ſuſpenſus eſt ab ordine tunc ſuſcepto, ex Panorm. loco cit. Archidiac. in cap. ſi quis à ſimoniacis, Gloſſa ibidem, Innoc. cap. 1. de ſimonia, Sylueſt. ſuſpenſio q. 7. Azor vbi ſupr. ſumma confeſſ. lib. 1. tit. 1. q. 47. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. vltim. Aragona, ibidem. Auila 3. p. diſp. 5. dub. 9. idque colligi volunt, ex cap. ſi quis à ſimoniacis, 1. q. 1. quia ibi non diſtinguitur inter ordinatum à ſimoniaco occulto, & manifeſto ac notorio. & Felinus in cap. per tuas, de ſimonia, num. 3. dicit eſſe communem ſententiam. Sed Nauarr. c. 25. num. 68. qui citat Ægydium, Bellameram, cap. ſi quis à ſimoniacis, 1. q. 1. Cardinalem in cap. ſtatuimus, 2. ibidem, quos etiam ſequitur Leſſius nu. 136. tenent, nequaquam eſſe ab ordinis executione ſuſpenſum. Tum quia in iure id expreſſum non ſit: nam dicitur in citato cap. ſtatuimus, 2. & c. ſi quis. miſericorditer ſuſtinemus. & con-

trarium nimis durum videretur. & ad hoc facit c. per tuas litteras, de simonia. & c. de simoniacè ordinatis, ibidem. dicitur enim: *Cum quidam licet secundum quandam speciem simoniæ, vtpotè ipsis ignorantibus simoniacè ordinentur, possunt (quia simoniaci non sunt) in suis ordinibus remanere.* Tum quia æquum non videtur, vt per alterius iniquitatem ei prohibeatur vsus ordinationis validæ, cum non commeruerit, vt ei pœna hæc irrogetur. Tum quod non incurrat excommunicationem, aut suspensionem, si post ordinationem, id quod se inscio datum est ab amico pro ordinatione, eidem restituat, aut cõpenset. vt docet idem Nauarr. loco cit. contra Syluestrum, si non habet gratam aut ratam ipsam donationem. Est deinde eo ipso excommunicatus ex eisdem Constitutionibus Martini V. Eugenij IV. Pauli II. Sixti V. Clementis VIII. & Concil. Trid. sess. 21. c. 1. & 1. q. 1. c. 7. & absolutio reseruatur Papæ in hac Eugenij, & Extrauag. 2. de simonia.

Dubium est, an etiam, qui per simoniam est ordinatus, sit etiam irregularis? Sunt qui affirmenr, eo quod accipiat ordinem in excommunicatione: sed oppositum docet Lessius l. 2. c. 35. dub. 24. nu. 36. quia per ordinis susceptionem incurritur excommunicatio, ac proinde non potest per eamdem susceptionem incurri irregularitas, sed debent esse actus distincti; ideo enim incurritur irregularitas, quia iam quis existens in excommunicatione, audet ordinem suscipere. Idem contra Nauarr. consil. 61. de simonia q. 6. docet Auila 3. p. disput. 5. dub. 7. vers. dico 1. nisi simul ministret, vt si in eadem Missa subdiaconus cantet epistolam, vel diaconus Euangelium: iam enim esset nouus actus exercitus in excommunicatione.

Porrò appellatione ordinum in hac materia intelligunrut etiam minores, & prima tonsura; cum hæc etiam in iure ordo appelletur. c. cum contingat, de ætat. & qual. ordin. Vnde Concil. Trid. sess. 21. c. 1. de reform. sic statuit: *Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis anaritia suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque ex causa, etiam sponte oblatum, Episcopi & alij ordinum collatores, aut eorum ministri quouis prætextu, accipiant.* & postea, *& qui secus fecerint, tam dantes, quàm recipientes vltra diuinam vltionem pœnas iure inflictas ipso facto incurrant.* Videndus Suarez de relig. tract. 3. l. 4. cap. 56. num. 5. Lessius tamen num. 1334. putat huiusmodi verba (*pœnas iure inflictas*) non esse extendenda etiam ad eos, qui pro prima tonsura, pro litteris dimissoriis, testimonialibus, &c. dãt vel recipiunt aliquid, sed tantũ referenda ad eos, in quos iure sunt statutæ, nempe conferentes vel recipientes simoniacè ordines, tum quod non videatur Concilium velle nouas pœnas inducere, sed renouare, quæ statutæ erant; tum quod nimis durum videatur, vt quia soluitur aliquid pro litteris testimonialibus, dimissoriis, sigillo vel aliquo sponte dato, recipitur, incurratur huiusmodi censura. Sed iam de simoniacè ordinantibus.

Simoniacè verò ordinãtes (sermo est de reali simonia) incurrunt

excom

excommunicationem.1.q.1.c.quicumque, cap.placuit, 1. hac bulla Eugenij IV. Pauli II. Martini V. citata. Concil.Trident.ſeſſ.21.c.1. Extrauag.2.de ſimonia,& Sixti V. bulla 91.cum dicunt(*Atque vniuerſos & ſingulos qui quomodolibet*, &c.) qui etiam reſeruant abſolutionem Papæ. & Concilium Tridentinum prohibet etiam ſponte oblatum ab Epiſcopis & aliis collatoribus pro ordinum collatione, litteris teſtimonialibus,dimiſſoriis, ſigillo, & aliis quouis prætextu accipi. ideo derogatum eſt iuri communi in cap.ſicut Epiſcopum, 1.q.2. quod id permittebat, ſi poſt collationem ſponte offerretur.

2 Deindé ſuſpenduntur ab ordinum collatione,& primæ tonſuræ ex citata bulla 91.Sixti V.quæ incipit,*Sanctum.*§.6.& licet hæc Sixti conſtitutio in cæteris punctis fuerit à Clemente VIII. bulla 40. quæ incipit, *Romanum.* redacta ad terminos iuris communis, tamen in ſimoniacè promotis & promouentibus, eſt ab eodem cõfirmata.

3 Suſpenduntur pariter ab executione omnium munerum Pontificalium, vt templorum & altarium conſecratione, benedictione ſacrarum veſtium, virginum, ex eadem Sixti Conſtitutione §.2. & 6. idémque videtur colligi iure antiquo.c.penult.de ſimonia.

4 Interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ.ibidem §.2.etiam ex §.eod.ſi ſpreta ſuſpenſione & interdicto, temere ſe in præmiſſis ingeſſerint,

5 ſuſpenduntur ab adminiſtratione Eccleſiarum ſuarum & perceptione fructuum ſuorum beneficiorũ:

6 quarum etiam ſuſpenſionum & interdicti relaxationem Papa ſibi reſeruat,cum clauſula derogatoria omnium priuilegiorum, regularibus conceſſorum, & conceſſionis factæ Epiſcopis à Concil.Trident. ſeſſ.24.cap.6.

Nunc ad Officiales tranſeamus. Miniſtri quoque & Officiales collatorum ordinum, vt ſunt examinatores,patroni, præſentatores & miniſtri in ordinatione; non poſſunt dare nec recipere quidquam. cum id ſit pretio parare viam ad ordines, & contrafacientes, ſunt ſimoniaci & excommunicati. c.ſicut Epiſcopum,1.q.1. vbi D. Gregorius ait, *ſicut Epiſcopum non decet manum quam imponit,vendere,ita miniſter,vel notarius non debet in eius ordinatione vocem ſuam vel calamum vendere.* & Concilium Tridentinum vt paulò ante dicebamus ſeſſ. 21.cap.1. pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonſurę,pro litteris dimiſſoriis aut teſtimonialibus, ſigillo, vel alia quacumque ex cauſa, etiam ſpõte, oblatum, ab Epiſcopis & aliis ordinum collatoribus, aut eorum miniſtris quouis prætextu nihil accipiendum ſtatuit. adeo vt, qui ſecus fecerint, tam dantes quàm recipientes vltra diuinam vltionem, ipſo facto incurrant pœnas iure inflictas. Quod etiam ſeſſ.24. cap.18. de examinatoribus & examinatis dicit. Permittit tamen Notariis,vt pro ſingulis litteris dimiſſoriis, aut teſtimonialibus decimam vnius aurei partem accipere queant, in iis ſolum locis,in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi, & dummodo nullum ſalarium pro exercendo officio fuerit eis conſtitutum. Sed iam eſt agendum de ſimoniacis in beneficio, ſeu officio.

THEOREMA 86.

1 POenæ igitur ſimoniacæ promotionis ad officia vel beneficia ſunt hæc: Promotio viribus caret. quare ad beneficium ſimoniacè promotus nullum ius acquirit, nec fructus facit ſuos, & ante ſententiam iudicis tenetur in conſcientia omnia reſtituere, ex citatis bullis Martini V. Eugenij IV. quã præ manibus habemus, Pauli II. Extrauag. 2. de ſimonia. Pij V. n. 5. & Concilio Placẽtino, vt habetur 1. q. 3. c. ea quæ. Couarr. regul. peccatum, p 2. §. 8 n. 7. Nauarr. cap. 23. n. 111. Suarez de relig. tract. 3. l. 4. c. 57. n. 33. & ſeq. Leſſ. l. 2. c. 35. dub. 25. quia percipiens tales fructus non fuit iuſtus poſſeſſor ipſius rei fructiferæ, quare fructus omnes (deductis tamen expenſis eorum cauſa factis) immo & qui à diligenti poſſeſſore percipi potuerũt, reſtituere debet.

Idque non tantum verum eſt in eo, qui mala fide percepit, ſed etiã in eo qui ignoranter & bona fide, niſi quod hic non tenetur reſtituere fructus bona fide conſumptos, ſed eos tantum, qui extant, vel quibus factus eſt ditior, ex S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. Soto l. 9. q 8. art. 1. Valentia d. 6. q. 16. p. 6. Nauarr. & Couarr. locis cit. Azor p. 3. l. 12. cap. 20. q. 5. Si quis tamen illi inſcio beneficium malitioſè procuraſſet ſimoniacè, vt teneretur poſtea reſignare, nihil tunc reſtituere teneretur, ex S. Thom. Valentia, Leſſio, Azor. q 6. Sylueſt. ſimonia, q. 19. 20. & patet ex c. ſicut tuis, & c. nobis fuit, de ſimonia. Secus ſi amicus, vt illi prodeſſet; tunc enim ſimul ac ſciuerit, tenetur dimittere, ex d. cap. ſicut tuis, & eſt ad illud inhabilis, vt **mox** dicam.

Nomine autem promotionis ad beneficia veniunt electiones, collationes, præſentationes, poſtulationes, confirmationes, admiſſiones in poſſeſſionem beneficij, & quæuis prouiſiones Eccleſiarum, beneficiorum & monaſteriorum, ac etiam Prælaturarum regulariũ, vt Rectoratus, Prouincialatus, & Generalatus, cum eadem ſit ratio, eadémq; incommoda, immo grauiora inde naſcantur, ex horum per realem ſimoniam acquiſitione, ex Leſſio & Suarez locis cit. Sayro l. 3. cap. 30. num. 7. Nauarr. vbi ſupra, Azor t. 3. l. 12. c. 7. & 15. & patet ex citatis conſtitutionibus, in quibus dicitur, Monaſteriis & Officiis, ſcilicet ſpiritualibus, quæ habent iuriſdictionem ad ſpiritualia adminiſtranda, & Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 14.

Penſiones tamen beneficiorum nomine non veniunt. ex Nauarr. cap. 23. num. 111. verſ. ad 13. Leſſio l. 2. c. 35. dub. 25. nu. 137. & dub. 30. num. 168. Neque officia temporalia Eccleſiaſtica, quibus res Eccleſiæ ſine ſpirituali iuriſdictione adminiſtrantur. v. g. procuratoris, & ſimilium ex Leſſio dub. 25. Azor c. 14. Suarez c. 57. n. 46. Reginaldo l. 23. num. 182. Nauarr. vbi ſupra, & ſi id fieri prohibeatur. cap. ſaluator, 1. q. 3. cum de his non loquantur citatæ conſtitutiones.

2 Item eſt inhabilis ad illud beneficium, quod per ſimoniam realem etiam per ignorantiam acquiſiuit. cap. quicumque, 1. q. 5. vnde eget diſpenſatione Papæ ad illud habendum ex cap. penult. de elect. vt etiam ex inſinuatione. c. nobis fuit, cap. tuis. quia licet ipſo neſciente,

sciente, vel contradicente commissa sit simonia realis, admittit tamen voluntariè beneficium vel officium Ecclesiasticum per eam quæsitum. Quamuis enim expressè contradixerit, si ante collationem sciat re vera datam pecuniam, tenetur non accipere, & licet non incurrat pœnam excommunicationis, quia non est causa simoniaci contractus, tenetur tamen resignare, & fit inhabilis ex iuribus citatis, & S. Thom. 2.2.q.100. art.6. Nauarr. cap. fin. de simonia. Lopez p.2.cap.106. Azor cap.20.q.5. Lessio num.143. Suarez 57.num.3.

Quid si post obtentum beneficium resciat, etiam eo contradicente factum? Si consentiat approbando factum amici, iam incurrit simoniam, & tenetur resignare beneficium & fructus ex S. Thom. Panorm. Nauarr. ob cap. sicut tuis, & si Adrianus q.9.art.3. oppositum sentiat. quod probabile tenet Lessius num.144. quod si non consentiat approbando factum amici, sed solū soluat, quod eius gratia amicus dedit, ne illius causa damnum sentiat, non tenetur restituere, immò nec peccat, ex Nauarr. consil.10. de simonia, & Lessio. Soluere enim ex amicitia, ne amicus grauetur, non est approbare factum amici, aut per se malum. Prudenter autem statutum est in Conc. Mediolan.1. vt promotus iuret, se in huiusmodi promotione nullā commisisse simoniā nec alios se sciente. Denique est excommunicatus, nec ab alio quàm à Romano Pontifice extra mortis articulū potest absolui, ex hac Eugenij & Martini V. constitutione & extrauag. 2. de simonia.

Dubitant aliqui an suscipiens simoniacè beneficium, sit etiā ipso iure suspensus? Affirmat S. Thom. loco cit. ad 2. Angel. simonia, 6 n.2. Henriquez l.13.c.37.n.5. Oppositum tamen docet Nauarr. cap.25. num.11. dicto 3. & cons.35. & 61. de simonia, & citat Innocentium dicentem, simoniacum in beneficio acta pœnitentia, & absolutum ab excommunicatione relictóque eo beneficio, posse celebrare. Auila p.3.disp.5. dub.9. Suarez loco cit. cap.56. num.19. Reginaldus l.23. num.172. Azor t.3. l.12.c.20.q.5. id ipsum sentiunt, quia id nullibi habeatur in iure. Textum enim quem pro se citat Henriquez, scilicet cap. præter, d.32. simoniacos non esse admittendos ad sancta mysteria, Glossa rectè explicat, de simoniacis in ordine. Hactenus de simoniacè promotis ad beneficiū.

Quoad promouētes autem per realem simoniam ad beneficium vel officium, tenentur acceptum pretium restituere (vel si fortè fuit beneficium, resignare. cap. de hoc. tit. de simonia) quia nullo iusto titulo possidet, & habetur in cit. cap. de hoc, §. fin. de simonia, & cap. ea quæ, 1.q.3. Restituetur autem Ecclesiæ illi, cui per simoniam facta est iniuria, idque etiam ante iudicis condemnationem, vt indicant etiam illa verba citati cap. cum ea sine graui suæ salutis periculo retinere non possint. S. Thom. 2.2. q.32.art.7. & q.62.art.5. & q.100. art.6. Suarez de relig. tract.3. l.4. cap.60. Glossa cit. cap. de hoc, de simonia. Sylvest. verb. simonia, q.20. Couarr. reg. peccatum, p.2.§ 2.n.6. Palud.4.d.25.q.3. art.5. Tolet. l.5. cap. vlt. Azor t.3. l.12.q.11. Lessius l.2.cap.35.dub.31. & confirmatur, quia cap. audiuimus, de simonia, resti

restitutio in duplum applicatur in vtilitatem loci in cuius dispendiũ Episcopus aliquid exegerat, Abbas, Felinus in citato cap. de hac, de simonia.

Quod si Prælatus & omnes de eadem Ecclesia sint in culpa, restitutio de superioris auctoritate fiat pauperibus, vel alteri Ecclesiæ. Sin autem pecunia in nullius Ecclesiæ iniuria data est, distribuetur (de consilio Episcopi si commode haberi potest) in vsus pauperum ex Victoria relect. de simonia, p. §. n. 6. Suarez cit. cap. 60. Sylvest. simonia, q. 20. vers. secundum. Quid si bona fide restituit ei, qui dedit, respondet Victoria num. 7. non esse credendum eo casu Ecclesiam velle iterum tantundem esse restituẽdum pauperibus vel Ecclesiæ, secus si mala fide id fuit, cum nemini propria fraus debeat patrocinari.

Sunt tamen plures, qui ante iudicis sententiam velint restituendum illi, qui dedit, vt Sotus l. 9. q. 8. art. 1. Caiet. verb. simonia. Petr. Nauarr. l. 4. cap. 2. nu. 147. Valentia 2. 2. d. 6. q. 16. art. 6. in fine. Bannes 2. 2. q. 32. art. 7. & alij recentiores, quia is qui pretium dedit, nõ amisit pretij dominiũ: non enim transtulit in venditorem rei spiritualis, cum ille incapax factus sit accipiendi illud hoc titulo, neque ille intendit alia ratione à se transferre dominium in venditorem, cum ergo in eum non sit translatum, verè mansit apud emptorem, ergo est illi restituendum.

Quod si dicas Ecclesiam illum priuasse tali dominio: Respondent talem priuationem fieri per legem pœnalem, at lex pœnalis non obligat ad restituendum Ecclesiæ vel pauperibus ante iudicis sententiã, quippe quæ nõ obliget ad sui executionem ante iudicis condemnationem. Auctores tamen prioris sententiæ respondere solent, hanc nõ esse legẽ pœnalem, sed simplex præceptũ. Cum enim, qui accipit, retinere non possit, graue ei non est, vt tali modo expendat illam pecuniam, cum lex iubere possit, vt rem alienam, quæ apud te est, expendas in pauperes, quando subest iusta causa, & eo ipso quo datur pauperibus prior dominus amittit dominium, ideo non obstare quod nulla lex priuet dominum, qui dedit, dominio, & ideo si ei restituatur, possit retinere, quia non ipse, sed qui recepit iubeatur in pios vsus expendere; quare non priuatur dominio vi legis immediatè, sed actu & restitutione facta per recipientem ex præcepto legis.

Num autem huiusmodi restitutio sit solum de iure canonico, an verò etiam naturali & diuino, lis est inter Theologos, qua de re Azor tom. 3. l. 12. cap. 20. Lessius l. 2. cap. 35. dub. 28. Sotus l. 9. q. 8. Caiet. 2. 2. q. 100. art. 6. S. Thom. ibidem cum interpretibus, Palud. 4. d. 25. q. 5. art. 1. Sylvest. simonia, q. 20. Nauar. cap. 23. num. 103. 104. Glossa & Hostiensis, &c. cap. vlt. de simonia. Panorm. Butrius, Henricus cap. mandato, de simonia. Couarr. reg. peccatum, p. 2. §. 8. num. 8. Petr. Nauarr. l. 2. cap. 2. num. 400. Bartol. Medina l. 2. cap. 14. §. 21. Itémque incidunt in excommunicationem reseruatam Papæ, vt cõstat ex hac constitutione Eugenij, bulla Martini V. & extrauag. 2. de simonia Pauli II.

Quod denique spectat ad Mediatores, & eos, qui curarunt fieri realem simoniam in beneficiis vel officiis

officiis & ipsi etiam statim incurrunt excommunicationis sententiam Papæ reseruatæ, ex hac Eugenij Constitutione & extrauag. 2. de simonia. Nauarr. cap. 23. n. 106. & comment. de datis & promissis not. 23. num. 45. Azor t. 3. l. 12. c. 24. addentes eosdem teneri ad restitutionem tum eius quod acceperunt ob beneficium suo interuentu impetratũ, tum fructuum beneficiis, quos ille pro quo interceſſerunt, simoniacè receperit, si ille restituere aut non potest, aut non vult; quia qui damni causam dat, damnum debet resarcire. Videndus Lessius l. 2. c. 35. dub. 25. num. 137. 141.

THEOREMA 87.

ADditur autem §. 2. præceptũ in virtute S. Obedientiæ, vt scientes huiusmodi simoniacos in ordine & beneficio, & mediatores & procuratores, per se vel alios, eos reuelent summo Pontifici. Quod si non fecerint, nequeant à suis peccatis absolui. Quare præceptum semper obligat, donec impleatur. Ideo qui illud, cum possit & debeat, non implet, in āi spositus est, vt absoluatur.

Addit tamen Nauar. c. 27. n. 106. S. Anton. Caiet. Sylvest. excom. 7. num. 80. 81. Suarez t. 5. d. 22. sect. 5. num. 27. præceptum hoc non obligare alios, quàm Curiales Romanos, quia quoad hanc partem non sit aliter hæc Constitutio vsu recepta, & videatur nimis durum velle obligare pauperes ab extremis terris adire Curiam pro deferendis simoniacis, mediatoribus, & procuratoribus.

Scortia.

Eiusdem

EVGENII IV.

Constitutionis 17. aliàs 5. editæ anno 1439. incipientis.

Lætentur.

EPITOME 33.

DEFINIVNTVR artículi in quibus Græci à Latinis dissidebant. nempe §. 3. Spiritum sanctum à Patre Filióq; æternaliter secundum essentiam procedere. Definiũtur artículi in quibus Græci à Latinis dissidebant, & Patriarcharum ordo.

§. 4. In azimo & fermentato confici corpus Christi, sed vnumquemque sacerdotem debere sequi consuetudinem suæ Ecclesiæ.

§. 5. Suffragia viuorum prodesse iis, qui sunt in Purgatorio.

§. 6. Animas purgatas mòx in cælum recipi ad Deum trinum & vnum clarè videndũ pro diuersitate meritorũ.

§. 7. Illorum verò animas, qui in actuali peccato mortali, vel solo originali decedũt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

§. 8. Pontificem Romanũ esse Christi Vicarium, Ecclesiæ caput, successorem Petri.

§. 9. Post quem ordinem dignitatis est Patriarcha Cõstantinopolitanus, Tertius Alexandrinus, Quartus Antioche

tiochenus, Quintus Hieroſolymitanus.

THEOREMA 88.

DOcet Eugenius in præſenti Conſtitutione edita in Concilio Florentino. §. 1. Spiritum ſanctum à Patre Filióque procedere, contra quam plures Græci per mille annos ſenſiſſent. Iam enim Neſtorius & Aſſeclæ in ſuo ſymbolo, vt videre eſt in actis Cõcilij Epheſini conuerſis à noſtro Theodoro Pelletano tom. 2. cap. 37. Spiritum ſanctum à ſolo Patre procedere ſenſerant. inter quos fuit etiam Theodoretus in refutatione quam ſcripſit anno 431. c. 9. cõtra D. Cyrillum Alexandrinum, qui auctoritate Apoſtolica præfuit Concilio Epheſino.

Eumdémque errorem poſtea docuit Thcophylactus in cap. 3. Io. & circa annum 1054. Michaël Patriarcha Conſtantinopolitanus, vt patet ex epiſt. Leonis IX. ad Conſtantinum Monomachum, Sigeberto in Chronico, & S. Antonino 3. p. hiſt. tit. 22. c. 13. §. 11. & viguit error vſque ad annum 1439. cum Eugenij opera cõſentientibus Latinis & Græcis in Concil. Florent. iterum veritas definita eſt, nempe à Patre Filióque procedere. Fuerat enim etiam ſtabilita in Concilio Romano ſub Damaſo anno 372. quam etiam Patres Concilij Conſtantinopolitani confirmarũt per Euſebium & Priſcianum Epiſcopos, vt colligitur ex epiſtola Orientalium Patrum ad. Damaſum, excuſantium ſe quod tunc Romam venire non poſſet: & ex epiſtola Damaſi, qua approbat Conſtantinopolitana decreta; & actis vtriuſque Concilij, necnon Caſſiodoro l. 9. cap. 16. Iterúmque anno 400. in Concil. Tolet. 1. c. 2 1. & in Concil. Alex. ex quo Cyrillus Alex. epiſtolam ad Neſtorium ſcripſit anno 431. In Concilio Chalcedonenſi anno 451. In Concil. Conſtantinopolitano 2. anno 553. In Concil. Tolet. 3. c. 1. anno 610. In Tolet. 4. c. 1. anno 633. In Tolet. 8. anno 653. In Tolet. 11. c. 1. anno 675. In Conſtantinop. 3. anno 681. vbi approbata eſt epiſtola Cyrilli, in qua dicitur: *Spiritus appellatus eſt veritatis, & veritas Chriſtus eſt: vnde ab iſto ſimiliter, ſicut à Patre procedit.* In ſynodo Septima ſeu Nicæna 2. actione ſeptima anno 789. cum recitatur ſymbolum cum additione (*Filioq;*) vt ex antiquo Codice docent Patres Concilij Florentini ſeſſ. 5. & 7. In Concilio apud Barium cui interfuit S. Anſelmus, celebrato à Latinis & Græcis ſub Vrbano II. anno 1090. In Concilio Lateran. ſub Innoc. III. cap. 1. anno 1215. cui etiam Græci interfuerunt, vt etiam ex eodem cap. 4. In Lugdunẽſi anno 1274. ſub Gregorio X. vt refertur in 6. decretal. tit. 1. cap. 1. in quo etiam conſentientibus Græcis ſymbolum cum additione (*Filioq;*) ter Latinè & Græcè cantatum eſt. qua de re Nicephorus lib. 5. & Pachimeres lib. etiam 5. & denique in Conc. Trid. ſeſſ. 3. anno 1563. ſed poſt toties damnatum errorem infelix Græcia per ſummam inconſtantiam eumdem recepit, & in eo computreſcit.

Eamdem veritatem ex Græcis Patribus præter citatos complexi ſunt Athanaſius in epiſt. ad Serapionem, & in ſymbolo, quod etiam citat Naziãzenus de laudib. Athanaſij,

naſij, & Auguſtinus in Enchirid. cap.36.& l.5.de Trinit.cap.8. cum ait: *Spiritus ſanctus à Patre & Filio non factus nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* & germanam eſſe lectionem,indicat proximus verſiculus, *Filius à ſolo Patre eſt*,quorſum enim diceret de Filio, à ſolo Patre eſſe, niſi diſcrimen proceſſionis eius à proceſſione Spiritus ſancti oſtenderet?& recitatur cum eadem particula (*& Filio*) in Concil.Tolet.4. cap.1. Baſilius lib.3.contra Eunomiũ cum ait,ipſum eſſe ſecundum à Filio,cum ab ipſo eſſe habeat, & omnino ab illa cauſa dependeat (hoc eſt principio originis)Nyſſenus cum hom.4.in orationem Dominicam, ait,Spiritum ſanctum,& ex Patre dicitur,& ex Filio præterea eſſe oſtenditur. Chryſoſtomus hom.1. de ſymbolo tom.5. *Iſte*(inquit) *eſt Spiritus de Patre & de Filio procedens.*& hom.2.*Spiritum ſanctum dicimus Patri & Filio coæqualem, & procedentem de Patre & Filio.* Epiphanius hæreſi 69. *quoniam vnus eſt Spiritus Dei, Spiritus ex Patre procedens, & de Filio accipiens.* Cyrillus Alex. l.13.Theſauri cap.2. ex Filio naturaliter, & ſubſtantialiter Spiritum ſanctum ſicut ex Patre prouenire credimus; vt etiam l.9. in Io.cap.14 & l.10.cap.vlt.Dydimus Alex.l.2. de Spiritu ſancto, & habetur de conſecrat.d.5.can.vlt. explicans illud Io.14 & 16.non enim loquetur à ſemetipſo.ait: Quia nõ ex ſe eſt,ſed ex Patre,& me eſt:hoc enim ipſum quod ſubſiſtit, & loquitur,à Patre & me illi eſt. Omitto Latinos Tertull.l.2.contra Praxeam,Hilarium l.2.de Trinit. Ambroſ. lib.de Spiritu ſancto cap.10. Auguſt.l.15. de Trinit.c.17.26.27. Leonem epiſt. 91. alias 93. cap.1. Hieronymum epiſt.1. cap.2. Proſperum de vita contempl. cap.18. Fulgentium l. de fide ad Petrum cap 2.Boëtium l.1. de Trinit.c.12. Greg.l.1.moral.cap.8. l.2. dialog. cap.vlt.quos etiam Græci in ſuam linguam tranſtulerunt, & abraſerunt particulam (*Filioq; procedit*) vt docet Io.Diaconus in eius vita,l.4. cap.75. Anſelm. l. de proceſſione Spiritus ſancti,Magiſt.ſentent.l.1. d.11. S.Thom.in opuſc. de erroribus Græcorum,& qq de potentia, q.10.art.4 5.1.p.q.36.art.2.

Id autem Patres colligunt ex Io. 14. 15. 16. Tum quia Chriſtus dixit,de Spiritu ſancto,*de meo accipiet & annunciabit vobis.* De meo accipiet,ait, quia non accipit filiationem,ſed ſolum eſſentiam. cum tamen in Chriſto ſit vtrumque. At vna perſona non accipit ab alia niſi procedendo. Tum quia ſicut dicitur Io. 14. *quem Pater mittet in nomine meo*,ſic dicitur cap.15. *quem ego mittam vobis à Patre.* Perſona autem diuina non mittitur,niſi ab ea à qua procedit, vt docet Athanaſius in epiſtola ad Serapionem, S.Thom.opuſcul.1.contra errores Græcorum,Auguſtinus l.4.de Trinit.cap.20.Omnis enim miſſio aut eſt per imperium, vt mittãtur ſerui, aut per conſilium, vt qui à ſapientioribus inſtituuntur, vt infirmus,qui à medico mittetur ad medicinam vel remedium ſumẽdum; aut per naturalem productionem, vt cum arbor radices mittit, vel flores.Quare cum Spiritus ſanctus non ſit ſeruus,nec ignorans,quippe qui ſit Deus, ſolum mitti dicitur per productionem. Tum quia Spiritus ſanctus dicitur Spiritus veritatis,id eſt Chriſti.& ad Rom. 8.*Spiritus Chriſti*, & ad Galat.4.*Spi-*

ritus Filij ſui. & Act. cap. 16. *Spiritus Ieſu.* ſicut Matth. 10. dicitur, *Spiritus Patris.* non poteſt autem vna perſona diuina dici alterius, niſi propter proceſſionem. Tum denique, quia ibidem Chriſtus dicit, *Omnia quæ habet Pater mea ſunt, propterea dixi vobis, quia de meo accipiet.* Filius ergo omnia habet, quæ Pater, Paternitate excepta, ſed Pater habet eſſe principium Spiritus ſancti, ergo & Filius cum Patre Spiritum ſanctum producit, vt argumentatur Cyrillus in reſponſ. 9. anathematiſmi Auguſt. l. 5. de Trinit. cap. 14. Ambroſ. l. 2. de Spiritu ſancto cap. 12. & Anſelmus de proceſſione Spiritus ſancti. Aliàs ſi Pater eſſet ſpirator, & non Filius, Pater & Filius non diſtinguerentur ſolis relationibus oppoſitis, paternitatis & filiationis, ſed etiam ſubſtantia, quæ eſt hæreſis Arij. Malè autem Græci ex eo quod dicatur Io. 14. *Spiritus ſanctus, qui à Patre procedit.* inferunt à ſolo Patre procedere. quia nec ibi, nec alibi additur dictio excluſiua, vt notarunt Patres in Concilio Florentino, & Bellarminus l. 2. de Chriſto cap. 23. Videri etiam poteſt de huiuſmodi errore Græcorum Ioan. Nauclerus tom. 2. generatione 38. ad annum 1137.

4

THEOREMA 89.

DEfinit pariter §. 4. Panẽ materiam Euchariſtiæ licitè eſſe poſſe, & Azimum iuxta conſuetudinem Eccleſiæ Latinæ, & fermentatum, vt fit in Eccleſia Græca, cum vterque panis ſit materia apta, vt docuit Leo IX. in epiſtola ad Michaëlem Patriarcham Conſtantinopolitanũ anno 1053. quãdo Græci excitarunt hanc controuerſiam, & communis ſententia Theologorum, Anſelmi in lib. de fermentato & azimo, Innoc. III. l. 4. cap. 4. S. Thom. 3. p. q. 74. art. 4. Scoti 4. d. 11. Palud. ibid. Turrecrematæ in cap. in ſacramentorum, de conſecr. d. 2. & aliorum quos citauimus l. 4. de Miſſæ ſacrif. c. 1. n. 7. cum vterque ſit panis triticeus vſualis, & eſſe azymum vel fermentatum ſint differentiæ ſolum accidentales.

Ritus tamen Latinus eſt magis conformis exemplo & facto Chriſti, cum in azimo confecerit, vt docuimus in citato opere de Miſſæ ſacrificio. l. 1. cap. 2. Tum ex cõtextu euangelico, Matth. 26. Marc. 14. Lucæ 22. & ritu Paſchæ in quo agnus cum azimis comedebatur, nec primo azimorum die in omnibus finibus Iſrael fermentatum inueniretur, Exod. cap. 12. & 13. Tum ob ſignificationem puritatis ſinceritatis azimorum cum dicat S. Paulus, *non in fermento malitiæ, ſed in azimis ſinceritatis & veritatis.* & Amos cap. 4. reprehendendo & irridendo Hebræos, qui pro Deo colebant Idola, *ſacrificate de fermentato laudem,* vel vt vertit Aquila, *ſacrificate de fermentato Euchariſtiam,* quaſi azima puritatem, fermentatum verò impuritatem denotaret; & illa Deo, hæc Idolis conueniret. Tum ex Patribus, Cypriano ſerm. de cœna Domini, Epiphan. hæreſi 30. Anſel. l. de azimo & fermentato. Leone IX. epiſt. citata, vbi ait Romanam Eccleſiam id à B. Petro didiciſſe, & à paſſione Domini per 1020. annos retinuiſſe, cæteríſque omnibus qui dicunt Chriſtum occiſum fuiſſe in ipſo ſolemni feſto Iudæorum, vt Origenes homil. 23.

in

in Num. Tertull. l. contra Iudæos, Clem. Rom. l. 5. conſtitut. cap. 14. aliàs 16. Theophylus Alex. in epiſt. ad Theodoſium apud Bedam l. de ratione temp. cap. 57. Cyrillus Catech. 13. Auguſt. tract. 10. in Io. Beda in cap. 18. 10. & alij, ideo oportuit nocte incœpiſſe azyma, & in eis Chriſtum conſecraſſe. Deinde Eugenius cum Concilio Florentino, & Leone IX. ſtatuit, vt quilibet ſacerdos in hac re ſeruet morem ſuæ Eccleſiæ. quare punitus eſt presbyter in cap. litteras, de celebr. Miſſ. quòd in fermentato confeciſſet. non enim licet violare conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ, cum ſit res grauis.

THEOREMA 90.

COnfirmat etiã §. 5. cum Concilio Florentino duo præcipua Eccleſiæ dogmata. Primum eſt, dari Purgatorium in quo purgentur peccatorum reliquiæ, ſi animæ in Dei gratia ex hac vita non penitus elutæ diſceſſerint. antequam fruantur cœleſti beatitudine, quod omnium primus negauit Aërius hæreticus apud Epiphaniũ hæreſi 75. & Auguſtinũ hæreſi 53. quem ſequuti ſunt Græci recentiores, Armeni, Petrobuſiani, Albingenſes, & hæretici noſtri temporis. Veritas autem colligitur, tum ex Scripturis ſacris. l. 2. Mach. cap. 12. Sancta ergo & ſalubris, &c. eſſéque librum Canonicum patet ex Concil. Carthag. 3. cap. 47. Innoc. I. epiſt. ad Exuperium, cap. vlt. Auguſt. l. 18. de Ciuit. cap. 36. l. 1. de cura pro mort. cap. 1. *Cum igitur conſtet poſt mortem defunctos aliquos poſſe à peccatis ſolui, de mortuis autem in peccato intelligi non poſſit, cum eorum reatus ſit æternus, de ijs intelligetur, qui in Dei gratia moriuntur.* vnde ibid. ſubditur, *eos, qui cum pietate dormitionem acceperant; neceſſe igitur eſt, vt animæ iuſtæ nondum penitus purgatæ, alicubi temporaria pœna expientur, antequam cælum ingrediantur.* Eum autem locum vocamus Purgatorium. Pſalm. 65. *Tranſiuimus per ignem & aquam*, &c. nempe hic per aquam baptiſmi, & illic per ignem Purgatorij ex Origene hom. 25. in Num. Ambr. ſerm. 3. & 20. in Pſalm. 118. Matth. cap. 5. non exies inde donec reddas nouiſſimum quadrantem, ex Tertull. l. de anima, cap. 17. & vlt. Cyprian. l. 4. epiſt. 2. Origene homil. 35. in Lucam. Matt. cap. 12. *quod non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro*, ex Auguſt. l. 21. de Ciuit. cap. 24. Greg. l. 4. dialog. cap. 39. Beda in cap. 3. Marci, Rabano l. 2. inſtit. cap. 44. Petro Cluniacenſi epiſt. contra Petrobuſianos, Bernard. in homil. 66. in Cantic. 1. Cor. 3. *ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* cum ſcilicet in iudicio particulari inuenientur ſuperædificaſſe ſtipulam, fœnum, lignum, quæ ſunt peccata venialia, non plumbum aut ferrum, quæ ſunt mortalia ex Cyprian. l. 4. ep. 2. Ambr. in Pſal. 36. & ſer. 20. in Pſal. 118. Hieronym. in cap. 65. Iſaiæ, & cap. 4. Amos, Auguſt. in Pſalm. 37. l. de fide & operibus, cap. 16. Cyrillo l. 14. in Leuiticum. Chryſoſt. homil. 69. in epiſt. ad Cor. Oecumenio in eumdem locum, & Concil. Florent. ſeſſ. 1. Conſtat igitur eos, qui fecerunt opera digna igne temporali, & non æterno ſalnandos per Purgatorium. Lucæ 23. *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum.* Sciebat igitur edoctus Spiritu ſancto aliqua peccata

Primum.

1

poſt mortem dimitti & interim animas alicubi pœnas dare, & indigere auxilio ex Auguſt. l. 6. in Iulianum cap. 5. Tum ex ſacris Conciliis, hoc Florentino cui intererat Eugenius, ſeſſ. vlt. in decreto de Purgatorio, Trident. ſeſſ. 6. cap. 30. & ſeſſ. 22. cap. 2. & can. 3. & ſeſſ. 25. in decret. de Purgat. præter ea in quibus habemus orandum aut offerendum pro defunctis. Supponunt enim animas in Purgatorio obnoxias eſſe pœnis, vt Carthag. 3. cap. 29. Carthag. 4. cap. 79. & 95. Bracarenſi 1. cap. 34. Bracarenſi 2. cap. 10. Triburienſi cap. 15. 16. Cabilonenſi cap. 39. Toletano 11. & de conſecrat. d. 1. cap. non oportet, vt etiam definiuit Innocentius IV. bulla 14. quæ incipit, *Sub Catholicæ.* Tum ex Patribus, & præter loca citata, id docet Nyſſenus in orat. pro mortuis. *Non poterit* (ait) *à corpore egreſſus diuinitatis particeps fieri, niſi maculas animo immixtas purgatorius ignis abſtulerit.* Euſebius l. 10. cap. vlt. & l. 12. cap. 3. de præparat. vbi etiam docet idem ſenſiſſe Platonem. Baſilius in cap. 9. Iſaiæ. *Si* (inquit) *per confeſſionem detexerimus peccatum, iam ſuccreſcens grauamen auferimus dignum planè quod depaſcatur ac deuoret Purgatorius ignis.* Euſebius Emiſſenus homil. 3. de Epiphania. *Qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, per fluuium igneum, per vada feruentibus glebis horrenda tranſibunt.* Theodoretus in 1. ad Cor. cap. 3. *Hunc ipſum ignem Purgatorium credimus, in quo anima defunctorum probantur, & repurgantur.*

Ex Latinis verò videantur Lactantius l. 7. c. 21. Hilarius in Pſal. 118. Cæſarius homil. 8. Paulinus epiſt. 1. Boëtius l. 4 Iſidor l. 1. diuin. offic. cap. 15. Beda in Pſal. 37. Proſper. cap. 11. ſub nomine Hieronymi. l. 3. hiſt. Angl. cap. 19. l. 5. c. 13. Pet. Damiani ſerm. 2. de S. Andrea. Anſel. 1. ad Cor. 3 Hugo de S. Vict. l. 2. de ſacramen. p. 14. cap. 30. Petr. Cluniacenſis ep. contra Petrobuſianos, cap. pen. Omitto D. Thom. & Scholaſticos omnes 4. ſentent. d. 45. cóſque qui contra hæreſes noſtri tẽporis ſcripſerunt, vt Roſenſem art. 37. Valentiam tom. 4. d. 11. q. 1. p. 1. Bellarm. duobus lib. de Purgat. Suarez t. 4. d. 45. Caniſium tit. de pœnitent. c. de purgat. Alphonſum de Caſtro lib. contra hæreſes, verb ſuffragia. Echium & alios, qui egregiè aduerſariorum obiectiones ſoluerunt. Tum ratione. Cum quis è vita diſcedit cum ſolo peccato veniali, præſertim cum multi moriantur ex improuiſo, ita vt non habeant tempus conterendi, aut damnatur, aut ſaluatur: non primum, quia eſt in gratia, & amicus Dei, qui credendus non eſt velle ob otioſum verbum exẽpli gratia, amicum damnare. Si ſecundum, aut abſque vlla purgatione beatitudinem conſequatur, at beatorum Eccleſia rugam non habet, neque maculam, nihilque coinquinatũ in illam intrare poteſt; aut temporali pœna antea purgãdus, & ſic, vt contendimus, dandũ erit Purgatorium extra cælum & infernum, in quo prius purgetur.

Idem argumentum fit, de pœna debita peccatis etiam mortalibus dimiſſis. Nam in reconciliatione peccatoris cum Deo, non ſemper cum culpa dimittitur tota pœna, vt colligitur l. 2. Reg. cap. 12. *Sed quia blaſphemare*, &c. l. 3. Reg. c. 13. & Num. 2. & docet Auguſt. tract. 124. in Ioan. & in Pſal. 50. verſic. 7. præſertim cum multi ſolum conuertan

uertantur in fine vitæ,& in morte. mors verò sit peccati originalis pœna, & ob id etiam infantibus communis, soluenda igitur remanet actualibus debita. Cum autem non supersit in præsenti vita tempus satisfaciendi, id post mortem fiet. non in inferno, cum sint in gratia,ergo in Purgatorio,vt prius perfectè expiati in cælo Dei visionem consequantur. De Purgatorij autem pœnarum acerbitate, nonnulla attigimus l.2.de Missæ sacrific.cap.2.num.12.videríque potest Bellarm. l.2. de Purgat. cap.10. & seqq.vsque ad 15.Suarez t.4.d.46. sect. 3. Valent. t.4. d.11. q.1. p.3. Ioan. Brugmannus l.3.vitæ S. Luduinæ cap.2. & apud Surium 14. Apr. Chronica ordinis S.Francisci p.2 l.4.c.7.Petrus Ribadeneria l.1. de tribulat. cap.7. Baronius to.10. anno 871. 874. Io. Tritemius in Chronica anno 1098.

Secundū. Secundum dogma est viuorum suffragia prodesse animabus Purgatorij,qua in re, vt ait Catechismus Romanus in fine sacramenti de pœnitentia, summa Dei bonitas & clementia maximis laudibus & gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonauit,vt vnus pro alio posset satisfacere. & inferius subdit. Nec verò cuiquam fideliū de hoc dubitādi locus relictus est, qui in Apostolorum symbolo,sanctorum cōmunionem profitemur. Eadem est communis Theologorum sententia.S.Thom.4.d.20.q.1. art.2. & d.45.q.2. art.1.l.3. contra hæreses,cap.158. Bonau.d.20.ar.1. q.1. & 2. Durand. q.2. Palud. q.2. Rich.q.1.art.3. Sot.d.19.q.2.art.4. l.3.de nat.& grat.c.6.Gabriel d.16. q.2.art.3.Alens.p.4.q.24.m.4.ar.4. Adrian.quæst.8. art.2. Turrecrem. cap.mensuram,& cap.quis aliquādo, de pœnit.d.1. Caietan.tom.1. opūsc.16.q.1.& 5. Conarr. c.alma mater, p.1.§.4.num.7.Nauar.tract. de indulg. not. 13. & 22. Bellarm. l.1.de indulg.c.2.l.2.de Purg.c.15. & seq. Suarez t.4. d.48. Valentia tom.4.d.11.q 2.p.3.assertione 6.& est communis sensus, & traditio Ecclesiæ; ídque non tantū quoad viuos, qua de re Suarez t.4. d.48. sect.3. sed etiam quoad defunctos in Purgatorio, vt hoc loco definit 1
Eugenius & plutib. explicat Suarez sect.4.5.6.& 7. & colligitur ex citato loco l.2.Machab.cap.12. & Eccl.c.7.n.37.vbi dicitur non tantum viuis, sed etiam mortuis esse gratiam præstandam, sub qua gratia auxilium suffragiorum Catholici omnes intelligūt.& 1.Cor.15. quid faciunt,qui baptizātur(nempe per pœnitentiam iuxta illud Marci 10. Luc. 12. baptismo quo baptizo,&c.) pro mortuis, si mortui non resurgunt. vt etiam exponit S.Ephrem. in suo testamento, Petrus Cluniacensis l. contra Petrobusianos, Gagneus, Dionysius Carthusianus,&c.

Itémque ex Conciliis Carthag. 2
3. c.29. Carthag.4. c.79. Tolet.11. c. 12. Aurelian.3. c.12. Valensi 1. c.2.Valensi 2.c.4. Bracatēsi 1.c.39. Cabilonensi 2.cap.39. Aurelian.2. c.14.Triburiensi vt habetur de celebr.Miss c.2.& aliis in quibus approbantur orationes, commemorationes & collectę pro defunctis, claréq; in eodem Florentino Concilio Latini & Græci in hoc articulo conuenerunt, animas iustorum, qui in hac vita non penitus satisfecerunt, pœnis Purgatorij post mortem purgari, vt à pœnis

luius

huiusmodi relcuentur, prodesse eis viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynas, aliáque pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueuerunt, secundum Ecclesiæ ritum. & in Concil. Trid. sess. 25. decret. 1. animas in Purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili altaris sacrificio iuuari.

3 Tertiò ex perpetua Ecclesię traditione & consuetudine ab Apostolis ipsis recepta, & huc vsque continuata. Videndus est Clemens Romanus in epist. ad Iacobum, Nazianzenus in orat. funebri, de Cæsario fratre, & alia, de Patre Ambr. l. 2. epist. 8. Augustin. l. 1. de cura pro mortuis, c. 1. serm. 32. de verbis Apost. l. de hæresibus, c. 53. l. 21. de Ciuit. cap. 27. Eusseb. l. 4. de vita Constant. c. 71. Chrysost. homil. 52. in Matth. & homil. 69. ad populum, Theophylactus in c. 12. Lucæ. Nicephorus l. 8. c. 26. Beda l. 5. hist. c. 13.

4 Denique ipsa ratione, quia vt argumentatur Petrus Cluniacensis l. contra Petrobusianos, c. pen. & tangit etiam Chrysostomus homil. 21. in Act. Apost. Animæ Purgatorij sunt eiusdē corporis membra cuius caput est Christus, colligatæque sunt in fide, spe, & charitate; at eiusdem corporis membra se innicem iuuant, quare etiam viuentes piis operibus defunctorum animas in Purgatorio. ideoque rectè S. Odilo Abbas Cluniacensis anno 998 ex Sigiberto & Tritemio in Chronico, & Baronio, in subiectis sibi monasteriis constituit, vt pro animabus Purgatorij singulis annis die 2. Nouembris, celebraretur. quod deinde auctoritate summi Pontificis vbique est constitutum.

Estque peculiaris ratio de sacrificio, quod etiam oblatum à malo prodest, eo quod offeratur in persona Christi, in aliis verò satisfactionibus peculiaribus offerens debeat esse in gratia. Ideo dicitur in Catechismo Romano, in fine materiæ de sacramento pœnitentiæ: *Qui diuina gratia præditi sunt alterius nomine possunt quod Deo debetur persoluere.* Estque communis sententia Theologorum 4. d. 19. 20. 45. vt S. Thom. q. 2. art. 1. & 3. p. q. 82. art. 6. Sot. d 19. q. 1. art. 2. d. 45. q. 2. art. 1. Anton. 3. p. tit. vlt. cap. 2. Viguer. cap. 16. §. 4. vers. 33. Suarez tom. 4. d. 48. sect. 8. Bellarm. l. 2. de Purg. c. 17. Dixitque S. Gregorius in Pastor. p. 1. cap. 11. *Cuncti enim liquidò nouimus, quia cum is qui displicuit, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.* Ratio est, quia homo iniustus non potest pro se satisfacere, multò igitur minus pro aliis. & ideò S. Hieronymus contra Vigilantium dicit melius esse dare eleemosynam pauperi iusto, quàm iniusto, quia ille orans pro benefactore exauditur, non autem alter. De orationibus autem, quæ fiunt Ecclesiæ nomine, videndus Suarez loco citato, & quædam nos etiam attulimus l. 2. de sacrif. Missæ, c. 5. n. 3.

THEOREMA 91.

IAm in §. 6. & 7. docet Eugenius piorum animas penitus purgatas, statim post mortem in cælum ad Deum clarè videndum, iuxta meritorum mensuram admitti, nō expectato vltimo iudicij die. Ipsos quoque impios iuxta demerita pœnis

pœnis torquendos ſtatim poſt mortem in inferno damnari. Quæ certè diu multúmque fuerant in Eccleſia agitata, eáque negauit Tertullianus l. 4. contra Marcionem, & l.de anima,cap.32.33.34. Lactantius l.7.cap.21. Vigilantius ex D.Hieronymo, l. contra eumdem. Armani apud Caſtrum l. 3. contra hæreſes, verb. beatitudo, hæreſi 6. & Græci ex Concil.Florent.ſeſſ.1. & 5. D.Thom.opuſc.6. c.9.Inter quos fuit etiam circa annum 1180. Euthymius in Lucam cap.16.& 23. & poſt definitionem Eccleſię,Lutherus & Caluinus l.3. inſtit.c.20.& 25.

Nititur error his fundamentis. Primò, quia Ioannes Papa XXII. teſte Gerſone ſerm. de Paſchate, Marſilio 4.ſent.q.13.art.3.Adrian. in materia de ſacramento Confirmationis, id ſenſerit,& cauerit ne quis Pariſiiis Theologiæ gradum conſequeretur, niſi prius in hanc ſententiam iuraſſet.

Secundò, Iuſtinus in qq.à Gentibus propoſitis 60. & 76. videtur aſſerere ante reſurrectionem nulla eſſe bonorum operum præmia. & Irenæus l.5.in fine, Auguſtinus in Enchirid.c.108.D.Bernard.ſerm.3. & 4. de feſto omnium Sanctorum volunt animas poſt mortem abire in inuiſibilem locum à Deo definitum, reſurrectionem corporum expectantes.& Chryſoſtomus homil.39 in 1. ad Cor. *Sine carne*(ait) *ipſa admirandis illis bonis non fruetur* (anima) *quemadmodum neque pœnis punietur. Omnia enim coram tribunal Chriſti, manifeſtabuntur inquit Paulus,vt vnuſquiſque ferat, quæ per corpus ſiue bona ſiue mala geſſit: nam ſi corpus non reſurgat, anima noſtra incoronata manebit, & extra cœleſtem beatitudinem erit.* Omitto alios,qui apud Bellarminum l.1. de ſanctorum beatitudine:à cap.1.ad 7.referuntur,& explicantur.

Tertiò, id colligunt ex Apoc.6. *Vidi ſubtus altare aurcum animas interfectorum propter verbum Dei.*& ad Hebræos 11. Paulus de antiquis Patribus ait: *Hi omnes teſtimonio fidei probati,non acceperunt repromiſſiones, Deo pro nobis aliquid melius prouidente,vt nõ ſine nobis conſummarentur.* Expectant igitur ſub recondito aliquo receptaculo diem iudicij, in quo nobiſcũ Deum videant. Oppoſitam tamen veram ſententiam, vt Catholicum dogma docuerunt ex Græcis Dionyſius c. 7. de Eccleſ.hier.p.3.dicens: *Porrò diuinarum promiſſionum cantica & lectiones explicant beatiſſimam requiem ad quam ſubuehuntur ſempiterne, qui ſanctè conſummati ſunt.* Athanaſius in vita S. Antonij, vbi dicit animam Ammonis ſtipatam Angelis ab Antonio viſam in cælum deferri.Baſilius qui in homilia 40.martyrum ait: *Vos non terra occuluit,ſed cælum ſuſcepit, apertæ ſunt vobis paradiſi portæ.*Nazianzenus oratione in S. Baſilium, *tu obiter è cælo nos proſpice.&,vt hinc demum diſcedentem me in æterna tabernacula recipias,& Beatam Trinitatem eo quo eſt modo recum pariter contemplari valeam.*Nyſſenus oratione in S Ephrem, in cæleſtibus tabernaculis animus illius conſedit, vbi ſunt ordines Angelorum. Chryſoſtomus homil.4.ad Philipp. *Quid dices Paule cum hinc abiens in ipſum cælum migraturus ſis, atque cum Chriſto futurus?* Theodoretus l. 8. ad Græcos, *Maiori ſorte perfruuntur martyres, qui nunc & à cunctis mortalibus honores amplißimos ferunt,& æternis ſunt inſigniti coronis.*

Euſebius l.6. hiſt.c.5. *Hoc modo B. Virgo* (Potamiena) *migrauit è terris ad cælum.* Primaſius in c.9. ad Hebræos. & ipſa ait, *cœleſte regnum fuiſſe inacceſſibile, quoad uſque venit Chriſtus, qui ianuam eius reſerauit.* omitto cæteros.

Ex Latinis verò Cyprian. in exhortat.martyr. cap.vlt. Hilarius in Pſalm.64. Ambr.l.7.ep.59.(qui ſi l. 2.de Cain c.2.dicit animas ſanctorum poſt hanc vitam adhuc ſuſpēdi ambiguas iudicij futuri, non loquitur de ſententia, ſed de tempore iudicij, cum & ipſis ſit ignotū.) Paulinus Nat. 3. de S.Felice. Hieronymus epiſt. ad Marcellam de obitu Leæ. Auguſtinus l.20.de Ciuit. c.13.15. & l. meditat.c.22.24. Leo ſerm.de S.Laurentio. Fulgentius ſerm. de S. Stephano. Gregorius in 4.Pſal.pœnit.cum ait: *Beatitudo animabus ſanctorum ante reſurrectionem tribuitur, vt corporibus nihilominus poſt iudicium conferatur.* idem ex profeſſo probat l.4.dialog.c.25. 29.Beda Apoc.c.6.*ſingulas*(ait)*modo ſtolas habent animæ, de ſua beata immortalitate gaudentes, reſurgentibus autem corporibus iuxta Iſaiam in terra ſua duplicia poſſidebunt.*

Hos ſequuti ſunt Theologi ſcholaſtici 4. ſent. d.49. S.Thom. 1. 2. q.4. art. 5. & qui ſcripſerunt contra hæreſes.& probant. Primò, diuinis teſtimoniis, Lucæ 16.*dies autem cum in tormentis eſſet*, &c. eámque hiſtoriam eſſe docet Ambroſ. ibidem, Auguſtinus l.de cura pro mortuis, cap.14. Gregorius lib.4. dial.cap.29 cum exprimantur nomina. & quamuis eſſet parabola, non poſſet ſignificare res futuras poſt diem iudicij, vt docent illa verba, *vt mittas Lazarum ad fratres meos*, &c. ergo etiam vt parabola oſtendit, iam nunc animas eſſe in inferno. Lucæ cap.23. *hodie mecum eris in paradiſo.* Chriſtus autem nō terreſtrem ſed cœleſtem beatitudinem introiuit. Ad Epheſios c.4. *Chriſtus aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* Ad Philipp. 1. *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.* eſſet autem inane & inutile hoc deſiderium, ſi ipſo mortuo, anima nōdum poſſet ad cælum peruenire, & eſſe cum Chriſto, vt rectè argumentatur Cyrillus Alex. l. 12. in Io. cap.36 Apocal.6. *datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ.* Apocal.7. *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, ſunt ante thronū Dei. & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius.*

Secundò, definitionibus Eccleſiæ. Tum Innoc.IV. bulla 14.quæ incipit, *Sub Catholicæ.*§25.vbi dicitur: *Animæ verò paruulorum poſt baptiſmi lauacrum, & adultorum etiam in charitate decedentium, qui nec peccato, nec ad ſatisfactionem aliquam pro ipſo tenentur, ad patriā protinus tranſuolant ſempiternam.* Tum Benedicti XII. quem XI. nominat Caſtro l.3.contra hæreſes, verb. beatitudo, hæreſi 6. bulla quæ incipit, *Benedictus Deus*, & integra refertur à Caſſio, cum dicitur: *de ipſorum fratrum conſilio hac in perpetuum valitura conſtitutione auctoritate Apoſtolica definimus, quod ſecundum communem Dei ordinationem animæ ſanctorum omnium, qui de hoc mundo ante Domini noſtri Ieſu Chriſti paſſionem deceſſerunt, necnon ſanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & aliorum fidelium defunctorum poſt ſacramentum baptiſmi ab eis ſuſceptū, in quibus nihil purgabile fuit quando deceſſerunt, nec erit quando decedent, etiam in futurum, vel ſi tunc erit aliquid purgabile in eiſdem, tamen poſt mortem*

mortem ſuam purgabunt, atque animæ puerorum, eodem Chriſti baptiſmate renatorum & baptizandorum, cum fuerint ante vſum liberi arbitrij decedentium, mox poſt mortem ſuam & purgationem prædictam in illis, qui purgatione huiuſmodi indigebunt, etiam ante reſurrectionem ſuorum corporum, & iudicium generale poſt aſcenſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti in cælum, fuerunt, & ſunt, & erunt in cælo cælorum regno & paradiſo cæleſti cum Chriſto ſanctorum Angelorum conſortio aggregatæ, ac poſt Ieſu Chriſti paſſionem & mortem viderunt, & vident, & videbunt diuinam eſſentiam immediatè, ſe bene, & clarè, & apertè illis oſtendentem. quodq́; ſic videntes eadem diuina eſſentia perfruuntur: necnon quod tali viſione & fruitione eorum animæ, qui iam deceſſerunt, ſunt verè beatæ, & habent vitam æternam, & requiem, & omnium illorum, qui poſtea decedent, cum eamdem diuinam videbunt eſſentiam ipſaq́; perfruentur ante iudicium generale, ac quod viſio huiuſmodi, eiuſq́; fructus, actum fidei & ſpei in eis euacuant, prout fides & ſpes propriè Theologicæ ſunt virtutes: quodq́; poſtquam inchoata fuerit vel erit talis intuitiua, & facialis viſio & fruitio, in eiſdem viſio & fruitio ſine aliqua interm iſſione ſeu euacuatione prædictæ viſionis & fruitionis continuatè exiſtet, & continuabitur vſque ad finale iudicium ex tunc vſque in ſempiternum. Definimus inſuper quod ſecundum ordinationem Dei communem, animæ decedentium in actuali peccato mortali mox poſt mortem ſuam ad infernum deſcendũt, vbi pœnis infernalibus cruciantur. Et quod nihilominus in die iudicij omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus compărebunt, reddituri de factis propriis rationem, vt recipiat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum. Decernentes prædictas noſtras definitiones ſeu determinationes, & ipſarum ſingulas ab omnibus fidelibus eſſe tenendas. Quicunque autem, &c. Tum in Concilio Florentino ante ſeſſionem primã, & in litteris vnionis, & in inſtructione Armenorũ: *Definimus illorum animas qui poſt baptiſmum ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illos etiam, qui poſt contractam peccati maculam vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exuta corporibus, prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Dominum trinum & vnum ſicuti eſt, pro meritorum tamen diuerſitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali peccato mortali vel ſolo originali peccato decedunt: mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.* Tum in hac quam præ manibus habemus Eugenij IV. Conſtitutione qui eidem Florentino Concilio præfuit. Tum in Conc. Trid. ſeſſ. 25. in decreto de inuocatione Sanctorum. Tum ex cap. Apoſtolicam, tit. de presbytero non baptizato. & cap. maiores, tit. de baptiſmo & eius effectu.

Tertiò, plurimorum & damnatorum, & beatorum apparitionibus ex probatiſſimis auctoribus deſumptis. 3

Quartò ratione. Sancti meriti ſunt æternam vitam tamquam coronam certaminis, & mercedem laboris, ſublatúmque impedimentum, cum per Chriſti paſſionem & aſcenſionem ſit reſeratum cælum: cenſendum eſt igitur, iam æternam in cælo vitam accepiſſe quoad animam, cum in reddenda corona pro certamine, & mercede pro labore nihil aliud ſoleat expectari, quàm 4

victoria certaminis, Iacobi c. 1. & labor operis Leuit. c. 19. vt notat S. Thomas l. 4. contra gentes, c. 91. & corpus non ſit neceſſarium ad eam viſionem, quæ non pendeat à ſpeciebus & phantaſmatibus, ſed ab ipſa diuina eſſentia, quæ vicem ſpeciei ſupplet. recepturos poſtea etiam quantum ad corpus in die iudicij beatitudinem. Sicut impij ſtatim poſt mortem dignas pro peccatis pœnas luunt, quoad animam, iuxta illud Iob cap. 21. *ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* & Num. cap. 16. *deſcenderunt viui in infernum, operti humo.* Lucæ cap. 16. *mortuus eſt autem diues & ſepultus in infernum.* recepturi etiam poſt diem iudicij, corporis damnationem.

Ad primum argumentum aduerſariorum Reſpondetur, Papam Ioannem XXII. nihil omnino definiſſe, vt expreſsè docet Benedictus XII. eius ſucceſſor in citata extrauagante. Solum enim iuſſit, vt Cardinales inter quos tunc erat Benedictus, & alij Prælati ac Theologi ſeſe pararent, vt ab eo requiſiti deliberatè dicerent quid ſentirent, vt diſputationibus finem imponeret. immò morte præuentus dixit, priorem opinionem ſibi diſplicere, & ſentire animas ſanctorum Deum videre etiã ante diem iudicij, niſi aliter Eccleſia & ſui ſucceſſores definirent, vt teſtatur Ioannes Villanus l. 11. hiſt. c. 19. Bellarm. loc. cit. c. 2. & Azor to. 2. l. 5. c. 4. q. 3.

Ad ſecundum Iuſtinus q. 60. loquitur de retributione perfecta, quando totus homo corpore & anima gaudebit, vel cruciabitur. Queſtione autem 75. ait bonorum animas duci ad paradiſum, vbi ſunt Chriſtus & Angeli, non meminit autem viſiones Dei, quia cũ Græcis nomine viſionis intelligit comprehenſionem; ideo non admittit quod ſentiebant Gentiles ante reſurrectionẽ nulla eſſe operum præmia. Irenæus autem per locum inuiſibilem definitũ à Deo potuit cælum ipſum intelligere vbi eſt lex inacceſſibilis, & animæ beatæ corporum reſurrectionem præſtolantur. vnde dicit l. 1. cap. 2. quibuſdam (vt Martyribus) quidem ab initio, quibuſdam ex pœnitentia (acta in Purgatorio) vitam donare, cóſque æterna claritate circumdare. Vel idem ſenſit, quod initio Auguſtinus, qui loco cit. & in Pſalm. 36. & l. 9. confeſſ. cap. 3. non dubitauit, an ſancti iam eſſent beati, ſed tantum de loco, an ſcilicet interim eſſent in ſinu Abrahæ, cum res nondum eſſet definita. Sed re diligentius conſiderata, l. 2. qq. Euangelicarum cap. 38. & alibi, ſe correxit. Et per ſinum Abrahæ ſecretum Patris, quò Dominus poſt paſſionem reſurgens, aſſumptus eſt, vbi iam nunc ante reſurrectionem animæ cum Deo viuũt. vt etiam l. 12. de Gen. c. 35. dubitauit num cum æquali beatitudine intenſiuè, quanta erit poſt reſurrectionem corporis, propter inclinationem animę ad illud, eſſent nunc animæ felices. Quod etiam fecit l. 1. retractationum, c. 14. Qua de re Scholaſtici 4. d. 49. & D. Thom. iterum 1. q. 4. art. 5. Caiet. ibidem. Valentia p. 2. Eodem modo ex Valentia 1. 2. d. 1. q. 4. p. 2. Bellarm. c. 5. (quicquid ſentiat Caſtro loco cit. & Sixtus Senenſis in Biblioth. annot. 345.) S. Bernardus non dubitat, an animæ iuſtorum interim Deum videãt, cum id dicat in epiſtola

ſtola ad fratres de Hibernia, & in ſermone de S.Malachia,& ſerm.3. & 5.de feſto omnium Sanctorum, & ſer. de obitu Vmberti. Sed num iam ſint perfectè beatæ,ſicut erunt cum carnem receperint,& veſtientur duplicibus.Sic enim ait: *Acceperunt iam ſingulas ſtolas, ſed non veſtientur duplicibus donec veſtiamur & nos.* Stola enim prima eſt felicitas & requies animarum. Secunda verò immortalitas & gloria corporum. Chryſoſtomus denique non dicit,animam ante reſurrectionem non frui æternis bonis, ſed ſi caro non reſurgat, neque animam fruituram vllis æternis bonis. Cum enim caro laborauerit pro Deo, ſi nullum præmium referat ex labore, idem & de anima dici poſſe. Quod cum ſit abſurdum, neceſſe eſt etiam, vt detur carnis reſurrectio, vt æqua ſit vtriuſque conditio, & pars vtraque beatitudinem conſequatur.Idem è contra de pœnis impiorum. non enim tantum anima,ſed etiam corpus luere debet peccatorum pœnas.

Ad locum verò Apocal.reſpondet Bellarm. loc.cit.c.23.ſicut l.2. Macab. cap.7. dicuntur Machabæi occiſi ſub teſtamento Dei, ita hic per altare Chriſtus intelligitur, vt ſit ſenſus, vidi animas interfectorum ſub altari, id eſt teſtificatione nominis Chriſtiani, vt ſentit Beda;vel ex Anſelmo, animæ ſub altari eſſe dicuntur, id eſt Chriſto, cum ſacrificia & landes ſanctorum Deo non placeant, niſi ſuper hoc altari ponantur. Vnde Eccleſia ſemper orationes cócludit:*per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, &c. non quod Chriſtus ſit veluti paries impediens ſanctos,quo minus Deum videant: ſed quod illo inferiores ſunt loco, dignitatéque, & Chriſti patrocinio vicerint,& præmia perceperint.

Ad Hebræos verò 11.ſi tantum de animæ beatitudine loquamur, non fuerunt beati veteres Patres, niſi cum ſanctis noui teſtamenti, expectarunt enim & ipſi Chriſtũ: ſi de corporis quoque beatitudine, vt innuit verbum (*conſummarentur*) & ſentit S. Thomas ibid. hi quoque expectant communem reſurrectionem, ne illam habeant ſine nobis.

THEOREMA 92.

PRædictis etiam §§. 6. & 7. docet idẽ Eugenius pro inæqualibus meritis etiam beatitudinem futuram inæqualem. Quod etiam (quicquid ſomniauerit Iouinianus apud S.Hieronymum lib.2.contra eundem,& Luthetus ſer.de B.Virgine) colligitur ex S.Matth. c.11. *qui minor eſt in regno cælorum*, &c. Matth.20. *ſedere ad dexteram vel ſiniſtram*,&c. Ioan.c.14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* & ſermo eſt de beatitudine:nam prædixit, *vado parare vobis locum.* 1. Cor. 15.*ſicut ſtella differt à ſtella in claritate*,&c.& 2.ad Cor.9. *qui parcè ſeminat,parcè & metet*, &c. Apoc.14.*nemo poterat dicere canticum illud*, &c. Idémque aſſerunt Patres, Cyprianus lib.de diſcipl.& habit.Virg.in fine. Auguſtinus lib. de Virg.c.26. Hieronymus lib.2.contra Iouinianum, Nazianz. orat.1.de Theologia. Gregorius l.4.moralium c.42. & probat rario.Tum quia aliàs vel fruſtra multiplicarẽtur bona opera,vel aliqua bona remanerent irremunerata contra Dei iuſtitiam. Tum quia vt ex charitate, gratia

& meritis ſequitur beatitudo, ita ex maiore charitate, gratia & merito conſequatur maior beatitudo. Ea autem diuerſitas in eo conſiſtit, vt alius alio perfectiùs & clariùs Deum videat, vt hic docet Eugenius, & S. Thomas 1.2.q.5.artic.2. Itémque pari modo pœnam damnatorum non futuram æqualem, vt etiam colligitur ex Sapient.c.6. *Potentes potenter tormenta patientur.* Matth. 10. *tolerabilius erit in die illa,* &c. Apocal. 18. *quantum glorificauit ſe,* &c. Ratio eſt, quia dicitur ad Rom. 2. *qui reddet vnicuique ſecundum opera eius.* Demerita autem & peccata damnatorum non ſunt æqualia, poteſt enim quis vnum tantum habere peccatum, & alius ſexcenta, ne dicam decies centena millia.

De pœna autem decedentium cum ſolo peccato originali certât Theologi: nam eſſe ſolam carentiam diuinæ viſionis docent communiter Theologi 4.d.33.S.Thomas iterum de malo q.5.art.1.2.3. Alenſ.q.122.memb.10.Abb q.113. Henricus q. 1. q. 23. Sotus l.1. de nat.& gratia,cap.14.& 4.d.45.q.1. ar.2. At habere etiam aliquam pœnam ſenſus, etſi mitiorem, voluit S.Auguſtinus in Enchir.cap.93. & lib.1.de peccat.merit.cap.12.16.& Driedo l.1.de lib. arb. Sed ſecundum vtramque ſententiam ſtat definitio Eugenij in hoc § 7. nempe diſpares eſſe damnatorum pœnas iuxta demerita.

THEOREMA 93.

QVod etiam docet Eugenius §. 8. luculenter à pluribus Theologis demonſtratur, vt Gennadio Scholario Patriarcha Conſtãtinopolitano, qui interfuit Cõcilio Florentino l. de quinque capitulis, Thoma VValdẽſi l.2.doct. fid. antiq. cap. 29. 30. Turrecrem. l.2.de Eccl. Roſſenſi art.25.contra Lutherum, Driedone lib.4.de var. dogm.cap.4.p.2. & 3. Cano l.6.de locis, Caiet.tract.de iuſtit. Ro.Põtificis Nicolao Sandero de viſib. Eccleſ. Monach.l.7. Alano Copo dial.1.Azor tom.2.l.4.c.14.15.Valent. 2.2. d.1.q.1.p.7. §.27. & ſeq. Bellarm. l.2. de ſummo Pontifice, cap.12.& ſeq.Franciſco Turriano, & aliis.

Primò,quia Petro Vicario Chriſti facta eſt promiſſio Matth. 16. *Tu es Petrus* (Syriacè Petra)*& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſia meam.* Et, *Tibi dabo claues* (quæ ſummam poteſtatẽ denotant, Iſaiæ 22. Apocal.3. & in politicis cui regendæ ciuitatis committitur auctoritas ſumma,illi claues traduntur) *regni cælorum*, &c. & traditio eiuſdem ſummæ Poteſtatis.Io.cap.21. *Paſce* (quod verbum non tãtum ſignificat cibum præbere,ſed etiam regere ex Pſal.2. *reges eos in virga ferrea.* & Iſaiæ cap. 44. *qui dico Cyro*, &c.) *agnos meos, paſce oues meas* (nempe etiam Prælatos cæteros, ne dum populos.) Petro igitur iure diuino in Eccleſiæ vniuerſæ Pontificatu debet aliquis ſuccedere, aliquin malè Eccleſiæ duraturæ vſque in finem mundi.à Chriſto conſultum fuiſſet, nec ſuper firmam petram conſtitutæ,cum Petri vita tam citò fuerit finem habitura; minúſque tunc viuentibus cæteris Apoſtolis vniuerſalis Paſtoris munus neceſſarium eſſet, quàm futuro reliquo tempore: & Pontifex ſit propter Eccleſiam,& non Eccleſia propter Pontificem. ex D. Auguſtin.lib.de

Paſtori

Paſtoribus c. 1. Nec debuerit mutari forma Monarchici regiminis Eccleſiæ omnium optimi, vt conſtat ex Ariſtotele l.3. polit. c.5.l.8. ethic. cap.10.l.12.metaph. in fine, Platone in polit. Philone l.de confuſione linguarum,& l.de Monarchia,Plutarcho in Solone,Cypriano l.de Idol. vanit. Iuſtino in oratione ad Gentes. D.Tho.1.p.q.63. art.4. Athanaſio in oratione contra Idola, Hieronymo in epiſt. ad Ruſticum monachum. At huiuſmodi Petri ſucceſſor, non poteſt alius eſſe, quàm Rom. Pontifex, non autem Antiochenus Epiſcopus,quippe qui non ſucceſſerit Petro in Pontificatu totius Eccleſiæ, eo quod non ſuccedatur, niſi cedenti locum, vel per mortem naturalem, vel mortem legitimam, id eſt depoſitionem,vel renunciationem, Petrus verò adhuc viuens & Pontificatum gerés, Antiochenam Eccleſiam reliquerit, & ſedem ſuam fixerit Romæ:aut vllus alius, reſtat igitur vt ſit Pontifex Romanus, qui moriẽti Petro Romæ illi ſucceſſit.

2 Secundò,ex Conciliis Nicæno. 1.cap.6. prout citatur in Concilio Chalcedon.act.16.Concil.2.generali epiſt.ad Damaſum, quæ extat apud Theodoretum,l.5.hiſt.cap.9. Concilio generali 3.apud Euagriũ l.1.hiſt.c.4. & in epiſt.ad Cœleſtinum Papam. Concil. Chalcedonenſi act.1. 2. 3. vocante Leonem vniuerſalis Eccleſiæ Pontificem. & in epiſt.ad Leonem dicit ei à ſaluatore vineæ cuſtodiam commiſſam. Synodo 7. act.4. Lateranenſi ſub Innoc.III. cap.5. Lugdunenſi ſub Gregor.X.vt habetur de elect. cap.vbi periculum,l.6.Lugdunenſi ſub Innoc.IV. & habetur cap.1.de homicid.lib.6. Viennenſi ſub Clemente V. vt habetur Clement. 7. de ſum. Trinit. Florentina ſeſſ.25. Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 11. Tridentina ſeſſ.14. c.7. de caſuum reſeruatione ſeſſ.24.c.1.de refor.

Tertiò, ſummis Pontificibus 3
Clemente epiſt. 1. Anacleto ep.3. Euariſto ep.1. Alex.ep.1. Pio ep.1. & 2. Aniceto ep.1. Lucio ep.1. Iulio I. in ep.ad Orientales,quæ habetur in 2.Apol. S.Athanaſij, Damaſo in ep.ad Epiſcopos Orientales apud Theodor.l.5.hiſt.c.10. & ep.4.ad Epiſcopos Numidiæ,Syricio ep.ad Himericum,Zozimo ep. ad Heſichium, Innoc.ep.22.& 91. Leone ep.46.62.84.87. & ſerm.1. de natali Apoſtolorum,Gelaſio ep. ad Epiſcopos Dardaniæ,Anaſt. II. ep.ad Anaſtaſium Imp. Pelagio II. ep.1.ad Epiſcopos Orientis,Greg. l.1. epiſt.72.l.4.ep.32.l.6.ep.37.l.7. ep.63.64. Nicolao I. ep.ad omnes veræ religionis miniſtros,& ep.ad Michaëlem Imp.Leone IX.ep.cõtra præſumpt.Michaëlis Conſtantinop & Leonis Acridani Epiſcopi Bulgarorum. quos etiam ex citatis locis,& multis aliis,quæ colligit Azor loc.cit.c.14.conſtat auctoritatem exercuiſſe in alios Epiſcopos, ſuóſque Vicarios miſiſſe ad Eccleſiaſticas cauſas definiendas in varias orbis partes.

Quartò,Græcis Patribus(ne Latini ſuſpecti habeantur)Irenæo l.3. 4
c.3. Athanaſio ep. ad Felicem Papam, Chryſoſtomo ep.1. ad Innocentium, Cyrillo ep.10.Theodoreto ep. ad Leonem Papã.& in ep. ad Renatum.Sozomeno l.3.cap.7. & 9.Socrate l.2.c.11.13.Euſeb.l.5. cap. 24. Porrò Romani Pontificis Primatum negare cœperunt Græci circa annum Domini 858. vt conſtat

stat ex citatis litteris Nicolai I. Causæ huius schismatis fuerunt. Prima, deiectio è Constantinopolitana sede Ignatij,& ad eam euectio Photij ex militia assumpti,cui Michaël Imp. fauebat;quibus meritò recusauit subscribere Nicolaus. Secunda, Constantinopolitani Præsulis inuidia, & ambitio. Cum enim Ioannes sibi primus superbum, & arrogans nomen vniuersalis Episcopi sumpsisset, etsi grauiter à Pelagio II.& Greg.I.reprehensus, eius successores à tam arroganti titulo abstinere noluerunt,& Romanum Pontificem superiorem agnoscere omni ex parte recusarunt. Tertia, quod Imperatores Orientis,vt plurimum essent hæretici, sciréntque Romanum Pontificem cum eis non communicaturum, vt ait Nicolaus locis citatis,quare eis parere recusarũt. Quarta, quod summus Pontifex Orientales Imperatores priuasset dominio vrbis Romæ, magnæque partis Italiæ,& Occidentali imperio propter eorum hæreses. Illud notat S. Anton. 3.p. t.22.c.13.§.1. & 2. Cõstantinopolitanam Ecclesiam, aliásque præcipuas Græcas duodecies à fide & potestate Ecclesiæ Romanæ defeciſſe.ad quam etiam publicè redierunt ter, nempe in Concil. Lateranensi sub Innoc.III.in Lugdunensi sub Gregorio X.& in Florentino sub hoc eodem Eugenio IV. in quo interfuit Io.Paleologus eorum Imper.Ioseph Patriarcha Constantinopolitanus, Vicarij Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani, & alij Episcopi Græci, qui omnes,Ephesino excepto, decretis subscripserunt. Etsi qui remanserant domi, noluerint stare decretis in synodo,vt scribit Leonicus Chalcondylas, l.1. de rebus Turcicis. Vnde Deo permittente factum est, vt qui Romanum Põtificem omnium patrem, & pastorem habere noluerunt, iam Turcicum dominatum, & Tyrannidem gementes tolerare cogantur.

THEOREMA 94.

DEnique 1.§.9. Patriarchæ, & Primates iidem sunt,vt patet ex cap.cleros, d.21. & cap. vrbes, d.80. & cap. nulli, & cap.prouincię,d.99. vnum enim Græcum nomen est significans summum Patrum, ex Isidoro l.7.etym. cap.12. Latinum alterum.Præcipui autem Patriarchæ post summum Pontificem,quatuor nominantur, Alexãdrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus. cap. sactosancta, d. 22. quibus deinde additus est Constantinopolitanus,cap.Constantinopolitanæ, cap.renouantes,c.definimus, d. 22. & si diu non receptus à Rom.Sede,vt patet ex epist. 51.aliàs 53.D.Leonis, Greg.l.6.ep. 31.& epistolis supra cit.Leonis IX. vnde & Gelasius cap.qua traditione, d. 22. dicit per canones Constantinopolitanam Ecclesiam inter sedes (Patriarchales) nullum nomen accepisse. ideo Latini negant Canonem 5.Concilij 1.Constantinopolitani, in quo tribuitur Patriarcharus honor illi sedi, esse legitimum: sed à Græcis additum, vel ab Orientalibus Episcopis,ii erum, absque legatis Romani Pontificis, vt conquesti sunt legati Leonis I.in Concil.Chalcedonensi act. 16. conuocatis, conditum; aliàs Gelasius, qui post illud Concilium vixit,id non ignorarer.

Cæteri

Cæteri autem Patriarchæ, vt Armenorũ tres, Cophtorum duo, Iacobitarum duo, Maronitarum vnus, Æthiopicus vnus, Aquileiensis, Venetiarum, qui erat Gradensis, vt docet Signorius lib. 1. de regno Italiæ, dicuntur minores Patriarchæ, vel Primates, vnde Patriarcharum appellatione, cum res est dubia, veniunt tantum per antonomasiam prædicti quatuor, ex Geminiano in d. c. cleros, de quorum singulis differit Petr. Greg. l. 15. syntag. cap. 5. & seqq.

Inter hos quatuor Patriarchas olim is erat ordo, vt post Romanum Pontificem dignitate præstaret Alexandrinus, eo quòd D. Petrus per S. Marcum eam gentem docuisset. deinde Antiochenus, eo quòd in suo discessu Romã S. Petrus Euodium ei Ecclesiæ præfecisset, cui successit Ignatius, ita cõstat ex epist. 3. cap. 3. Anacleti, & citatis Leonis I. Gregorij, & Leonis IX. Alij tamen id vrbium amplitudini tribuunt, ex cap. vrbes, & c. in illis, d. 80. & cap. prouinciæ, & c. nulli, d. 99. Tertiò, Hierosolymitanus, cum diu post Conciliũ Nicænum Episcopus Hierosolymitanus, qui parebat Episcopo Cæsarienſi Palæstinæ, ex eodem Concil. can. 7. in Patriarcham in Concil. Chalcedonenſi, sit euectus, eo quòd Christi Domini præsentia, doctrina, & miraculis ea ciuitas fuerit illustrata. Sed postea Oriẽtis Imperatorum, præsertim Phocæ, ex Beda, & Paulo Diacono, postea factum est, vt Constantinopolitani Episcopi ante Alexandrinum sibi sedem acceperint, cuius rei habetur etiã mentio in Iustiniani nouella 131. c. 2. illis verbis: *Ideoque sancimus secundum earũ* (scilicet Ecclesiasticarum regularum) *definitiones sanctissimum senioris Romæ Papam, primum esse omnium sacerdotum: beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos nouæ Romæ secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ sedem. aliis autem omnibus sedibus præponatur.* Ideo Alexandrina sedes facta est secunda, Antiochena tertia, & Hierosolymitana quarta, vt etiam constat ex 6. synodo cap. 36. & habetur cap. renouantes, d. 22. & in synodo octaua can. 21. & refertur cap. definimus, d. 22. & tandem pacis causa id Constantinopolitanis concessum est. cap. antiqua, de priuilegiis, ex Concil. Lateran. sub Innoc. III. c. 5. & in Conc. Florent. sess. 25. & in litteris hisce vnionis ab Eugenio IV. & in extrau. *Sancta*, de elect. vbi etiam dicitur, vt Patriarchalibus sedibus vacantibus, si fiat, inconsulto Romano Pontifice, prouisio, non valeat. Quænam autem Prouinciæ singulis Patriarchis subiicerentur, docet Prouincialis liber omniũ Ecclesiarum, & Azor t. 2. l. 3. c. 35. q. 4.

Patriarcharum præcipuæ prærogatiuæ, & priuilegia ex Concil. Lateranensi sub Innoc. III. cap 5. & cap. antiqua, de priuilegiis, sunt. Primò, vt postquam ipsi à Pontifice Romano pallium, quod est plenitudinis officij Patriarchalis insigne, acceperunt, ipsi iure possint suis Metropolitanis etiam pallium concedere. Secundò, vt ab illis recipiant pro se professionem Canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ. Tertiò, vt Crucis vexillum ante se vbique deferri faciãt, extra tamen Romanam vrbem, & vbicumque fuerit summus Pontifex, vel eius Legatus vtens insignibus Apostolicæ

Scortia.

dignitatis. Quartò, vt in omnibus Prouinciis ſubiectis eorum iuriſdictioni ad eos (relictis Metropolitanis) cum neceſſe fuerit, prouocetur, ſaluis appellationibus interpoſitis ad ſedem Apoſtolicam, quibus eſt ab omnibus humiliter deferendum. Quintò, his adde Patriarchas in Generali Concilio poſt Rom. Pontificem ante cæteros omnes Eccleſiarum Antiſtites primos ſedere ex Turrecrem. lib. 3. ſum. c. 26. & Iacobatio l. 1. de Concilio art. 12. ſententiam dicere, ſuffragium ferre, & ſubſcribere ſeruato inter ſe ordine prædicto, vt etiam in praxi ſeruatum eſt in Cõcil. Floren. cum primum Ferrariam conuenit. Sunt enim Patriarchæ iuriſdictione ſuperiores Archiepiſcopis, vt hi Epiſcopis: Epiſcopi namque vni ciuitati præſunt, Archiepiſcopi vni prouinciæ complectenti multas ciuitates, Patriarchæ multis prouinciis, cap. cleros, d. 21. Quod ſumptum eſt ex Iſidoro l. 7. etym. cap. 12. qua etiam de re agetur Theoremate 188. videri poteſt Petr. Greg. l. 15. cap. 5.

Eiuſdem

EVGENII IV.

Cõſtitutionis 19 editæ anno 1439. quæ incipit. Exultate.

EPITOME 34.

Concordia Armenorũ cũ Eccleſia Rom. & ſacramentorũ nouæ legis explicatio.

CONTINET concordiam Armenorũ cum Eccleſia Romana. vnde §. 5. illis traditur ſymbolum Concilij Conſtantinopolitani, id eſt cum additione particulæ (Filióque) credendum ſicut etiam §. 17. Athanaſij, & inter Miſſarum ſolemnia ſtatutis diebus decantandum.

§. 6. Definitio generalium Conciliorum 4. 5. 6. de duabus naturis, & vna perſona in Chriſto.

§ 7. Definitio Sexti Concilij generalis, de duabus Chriſti voluntatibus, & operationibus.

§. 9. Catholica doctrina de nouæ legis ſacramentis. nempe ſeptem eſſe, eáque cõferre gratiam dignè ſuſcipiẽtibus, & non tantùm promittere, aut figurare dandam per Chriſti paſſionem vt ſacramenta veteris legis. Quinque prima conferre ad vniuſcuiuſque hominis in ſe ipſo perfectionem, vltima duo ad totius Eccleſiæ regimẽ, & multiplicationem. Tribus neceſſariò perfici videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & miniſtri illud conferentis perſona, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia. Ex his tria, Baptiſmum, Confirmationem, Ordinem imprimere characterem, ſignum in anima indelebile, ideoque non iteranda, quod non accidit in aliis.

§. 10. Baptiſmus, cum nos Chriſti membra efficiat, eſt primum, & veluti ſpiritualis vitæ ianua. Eius materia eſt

aqua

aqua naturalis. Forma. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Miniſter ordinarius ſacerdos, in neceſſitate quilibet, etiam infidelis, immo & mulier, ſi ſeruarint formam, & intendant facere, quod facit Eccleſia. Effectus remiſſio culpæ originalis, & actualis, & pœnæ illi debitæ, vnde morientes, antequam aliam culpam contrahant, ſtatim ad Dei viſionem perueniunt.

§. 11. Secundum eſt Confirmatio. Eius materia chriſma ex oleo, & balſamo per Epiſcopum benedictum Forma. *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Miniſter ordinarius Epiſcopus, ex diſpenſatione ſacerdos, chriſmate ab Epiſcopo confecto. Effectus eſt Spiritus ſancti robur, vt audacter Chriſtianus confiteatur Chriſti nomen, ideoque datur in fronte verecundiæ ſede, ne erubeſcamus.

§. 12. Tertium, Euchariſtia. Materia eius eſt panis triticeus, & vinum de vite cum tantula aqua. Forma, verba (ex eiuſdem bulla vigeſimatertia, quæ incipit. *Cantate.* §. 24. *Hoc eſt enim corpus meum* & de ſanguine. *Hic eſt enim calix ſanguinis mei noui, & æterni,* &c.) quibus in perſona Chriſti ſacerdos conſecrat; iis enim panis in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem conuertuntur. totúſque Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini, & totus ſub qualibet particula eorumdem ſeparatione facta. Effectus, quem in anima producit, eſt vnire hominem Chriſto, augere gratiã, retrahere à malo, & alios ſimiles efficere in anima, quos cibus, & potus materialis producit in corpus.

§. 13. Quartum, Pœnitentia. Materia eius ſunt actus pœnitentis, ſcilicet dolor de peccatis commiſſis, cum propoſito non peccandi de cætero, integra eorumdem, quorum meminerit, confeſſio facta proprio ſacerdoti, & pro iiſdem ſatisfactio eiuſdem ſacerdotis arbitrio per orationem, ieiuniũ, eleemoſynam.

§. 14. Quintum, extrema vnctio. Eius materia eſt oleũ oliuæ per Epiſcopum benedictum, datúrque tantum infirmo, de cuius morte timetur. Forma. *Per iſtam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid per viſum deliquiſti.* (& ſimiliter in aliis mẽbris.) Nam datur in oculis, auribus, naribus, ore, manibus, pedi-

bus, renibus. Minister est sacerdos. Effectus salus mentis, & quàtum expedit corporis.

§. 15. Sextum, Ordo, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur, vt sacerdotij per porrectionem patenæ cum pane, & calicis cum vino. Forma sacerdotij. *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis, & mortuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* & ita de reliquis. Minister ordinarius, Episcopus. Effectus, augmentum gratiæ, vt quis sit minister idoneus.

§. 16. Septimum, Matrimonium, quod est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia. Causa efficiens, regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Effectus, seu bonum, quod affert est triplex, proles scilicet suscipienda, & educanda ad Dei cultum, fides coniugalis, & indiuisibilitas matrimonij.

§. 19. Festum autem Annunciationis vbique celebrandum est die 25. Martij, Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ 24. Iunij. Natiuitatis Domini 25. Decembris. Circumcisionis 1. Ianuarij. Epiphaniæ 6. eiusdem. Præsentationis Domini, seu Purificationis B. Virginis 2. Februarij.

THEOREMA 95.

SYmbolum Concilij Constantinopolitani 1. quod §. 5. vnà cum symbolo Athanasij §. 17. datum est ab Eugenio Armenis in Missa decantandum cum explicatione particulæ *(Filioq;)* fuit vna ex causis schismatis Græcorum ab Ecclesia Latina, circà annũ 1054. etsi etiam anno 430. semina iacta fuerant à Theodoreto, & anno 860. ab aliis. Cum enim Michaël Patriarcha Constantinopolitanus, & nomine, & re ipsa cuperet haberi Patriarcha vniuersalis, dicere cœpit Romanum Pontificem esse excommunicatum, eo quòd contra Ephesinum decretum, ad symbolum addidisset, vt deiecto Pontifice Romano ad eum Primatus Ecclesiæ pertineret, vt constat ex epistolis Leonis IX. ad Constantinum X. Imper. & Michaëlem Patriarchã, de quibus diximus Theoremate 88. ex Sigeberto, & Antonino 3. p. t. 22. c. 13. §. 11.

Huiusmodi autem explicatio addita symbolo Constantinopolitano, videtur facta in synodo Romana, vt dixi l. 3. de Missæ sacrific. cap. vlt. tempore Damasi, vt colligitur ex epistola Damasi, qua approbat decreta Concilij Constantinopolitani 1. & epistola Orientalium Patrum ad Damasum, etsi solùm primùm in Concilio Toletano 8. circa annum 653. & in 7. synodo Generali act. 7. anno 789. reperiamus in praxi deductam. Quod inde fieri potuit, quòd in Ecclesia Occidentali vsus recitandi symbolum in Missa inualuerit solum post annũ 600. & in Orientali prius caneretur, vt loc. cit. n. 2. ostendimus.

Meritò

Meritò tamen addita eſt huiuſmodi explicatio, tum quod neceſſarium ſit ad ſalutem, non credere Spiritum ſanctũ à ſolo Patre procedere, cum ſit error contra ſcripturas, & dicat Athanaſius in fine ſymboli ſui. *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi*, &c. ideoque hæreſi orta debuit adhiberi remedium per explicationem, vt tolleretur error. Tum quia ad Romanum Pontificem totius Eccleſiæ Paſtorem, & doctorem ex Io. cap. vlt. *paſce oues meas*, pertinet definire res fidei. Et licet Græci non fuerint neceſſariò ad hoc vocandi, cum ſine Concilio Pontifex id facere per ſe potuerit, & Concilia auctoritatem non habeant, niſi ex coniunctione cum Petri ſede, cui dictum eſt Lucæ 22. *rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*: tamen videntur etiam vocati, nempe à Damaſo, cum in citata epiſt. ad eum Patres Concilij Cõſtantinopolitani excuſatint ſe, quòd tunc Romam venire non poſſent, & acta in Concilio Romano approbarint per Euſebium, & Priſcianum Epiſcopos.

THEOREMA 96.

DEfinit etiam Pontifex hoc loco §. 6. cum Cõcilio Chalcedonenſi contra Apollinarem, & Eutychetem duas eſſe integras, & perfectas in Chriſto naturas, diuinam, & humanam, vt etiam docuit Flauianus in epiſt. ad B. Leonem, quæ eſt 9. inter eiuſdem D. Leonis epiſtolas, D. Leo ep. 97. ad Leonem Imper. Theodoretus l. 4. de hæret. fab. in fine, Athanaſius in epiſt. ad Epictetum, Cyrillus l. de recta fide, ad Theodoſium. Epiphanius hæreſi 77. Auguſtinus hæreſi 55. & rectè. Tum quia Io. 10. dicitur, *ego, & Pater vnum ſumus.* & Ioan. 14. *Pater maior me eſt.* Non poteſt autem ſecundum eandem naturam eſſe æqualis Patri, & minor Patre. Ioan. 8. *antequam Abraham fieret, ego ſum.* quoad diuinitatem, etſi quoad humanitatem ſolum 34. annum ageret. Io. 25. S. Thomas palpans veram humanitatem, Deum etiam eſſe confeſſus eſt, dicens: *Dominus meus, & Deus meus.* Act. 20. *regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*: at Deus vt Deus non habet ſanguinem, ſed vt habet humanitatem. Rom. 9. *quorum Patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus.* 1

Tum ex Conciliis, Chalcedonenſi act. 5. *Confitemur in nouiſſimis diebus Filium Dei vnigenitum in duabus naturis immutabiliter, inſeparabiliter agnoſcendum, nunquam ſublata differentia naturarum propter vnionẽ.* Synodo 5. generali, ſeu Conſtantinop. 2. cap. 2. 7. 8. 10. 11. Synod. 6. act. 4. & 17. Lateranenſi ſub Martino I. conſultatione 5. can. 24 & ſeqq. Lateranenſi ſub Innoc. III. & habetur cap. firmiter, de ſum. Trin. in Tolet. 4. & 6. & Hiſpalenſi 2. c. 1 2. & 13. 2

Tum ex Patribus Græcis, Dionyſio cap. 3. de Eccleſ. hier. Iuſtino Apol. 2. pro Chriſtianis, Cyrillo epiſt. ad Neſtotium in Anathematiſmis, l. de Incarnatione vnigeniti, c. 12. epiſt. 28. ad Ioan. Antiochenum. Athanaſio in ſymbolo, *Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus, & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo*, &c. Theodoreto dialog. *immutabilis*, dial. *inconfuſus*, & dial. *impatibilis*. Epiphanio hæreſi 77. 3

Damasceno l. 3. de fide, c. 6. & aliis. & Latinis, Fulgentio epist. ad Trasimundum. Leone ep. 10. & 97. Gelasio lib. de duabus naturis contra Eutychetem, Boëtio lib. de duabus naturis. Vigilio l. contra Eutychetem, Gregor. l. 9. epist. 61. aliisque pluribus ab his citatis; & S. Thom. 3. p. q. 2. cum Scholasticis l. 3. sent.

4 Tum ratione, Christus enim post Incarnationem mansit verus Deus, habuit igitur integram, & perfectam diuinitatem; itémque mansit verus homo, cum corpus, & animam rationalem habuerit, & ideo dicitur filius hominis, Beatę scilicet Virginis, ergo conseruauit etiam integram humanitatem, ob id, quia Deus erat, dicitur ad Titum. 2. *expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi.* ad Hebr. 1. Paulus ex professo ostendit Christum non vt alios homines participatione, sed natura Deum, *Thronus tuus Deus*, &c. & nihilominus etiam homo verus dicitur. Genes. 22 *benedicentur in semine tuo*, &c. Ad Galat. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius*, non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Psal. 131. *de fructu ventris tui*, &c. Matth. 1. *liber generationis Iesu Christi*, &c. ad Galat. 4. *natum ex muliere*, &c.

1 Ex quibus quoque sequitur primò, carnem Christi eiusdem esse speciei cũ nostra; cum enim Christus ex Virgine sit natus, caro eius eiusdem est speciei cum illius, participésque carnis, & sanguinis Virginis. ad Hebr. 2 Lucę 22. 1. Ioan. 1. al. às, vt argumentatur Irenæus l. 3. c. 32. *Si nihil ex B. Virgine accipiebat, ne esse non fuisset descendere in eam, sicq; ex ea nihil sumpsisset, nunquam eas, quæ ex terra sunt, percepisset escas, per quas id, quod à terra sumptum est, nutritur corpus.* Et similiter affectiones humanas habuit. Matth. 26. *cœpit contristari.* Marci 14. *cœpit pauere.* Ioan. 4. *Iesus fatigatus ex itinere.* Lucæ 24 *palpate, & videte.* Ioan. 20. *infer digitum tuum huc.* & similia, quæ videri possunt apud Nazianz. orat. de Christi natiuitate, & Cyrill. Hierosol. cathec. 4.

Secundò sequitur, etiam falsum 2
esse, quod addebat Eutyches, & Apollinaristæ apud Epiphanium, hæresi 77. & Augustin. hæresi 55. & Theodor. l. 4. hæret. fab. in Christo naturas esse permixtas, seu ipsã diuinitatem in humanitatem conuersam, vel hanc in illam; vel ex vtraque factam tertiã. Concilium enim Lateranense. sub Martino I. can. 6. dicit, *si quis non confitetur, propriè, & verè ex duabus naturis deitate, & humanitate, secundum subsistentiã vnitis, inconfusè, & indiuisè, eumdem, & vnum Christum esse, sit condemnatus.* & Athanasius in symbolo, *vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem*, &c. quod etiam docet in Euangelio de sanctissima Deipara, scribens: *& gignit eumdem* (Dei Filium) *incarnatum, & hominem factũ, secundum duarum naturarum proprietatem, eumdemq; duplicem, & vnum ex duobus constantem, inconfusè, immutabiliter, atque indiuisè credi oportere statuimus.* Accedit, quia aliter Christus iam nõ esset verus Deus, & homo, vt docet D. Leo epist. 10.

Tertiò, falsum etiam diuinitatẽ 3
natam, passam, mortuam, cum diuinitas sit immutabilis. Num. 23. Malach. 3. 1. ad Tim. 1. nec Christus sit natus, passus, mortuus, nisi secundum carnem. Rom. 1. *qui fi-*

lius

ſtus eſt,&c.Rom.9.*ex quibus eſt Chriſtus*,&c.1.Petr.4.*Chriſto igitur in carne paſſo*,&c.2.Cor.13.*& ſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei.* vt etiam notauit S. Hilarius l.9.de Trinit.Ideo Epiphanius hæreſi 76.*ſed ipſe Dominus venit, & paſſibilitate in ſe ipſo ſuſcepta, verè paſſus eſt, deitate ipſius à paſſione aliena.* & Cyrillus ad Neſtorium: *dicimus illum paſſum eſſe, & reſurrexiſſe, non quia Deus verbum in ſua natura paſſus ſit, Deus namque extra paſſionem eſt.ſed quia corpus illud,quod proprium ipſius factum eſt, paſſum ſit.* & Hiſpalenſe Concil. 2. cap.13. *ſtultum eſt Chriſti paſſionem,diuina applicare naturæ.ſed tantum creabili, & humanæ; ſola enim caro Crucis exitium ſentit.* & Tandem Auguſtinus ſerm.191. de temp. *Paſſus eſt etenim Dei Filius non putatiuè.ſed verè,omnia,quæ Scriptura teſtatur,ad eſt,eſuriem, ſitim, laſſitudinem,dolorem, mortem: ſed ſecundum illud paſſus eſt, quod pati poterat, non ſecundum illam ſubſtantiam, quæ aſſumpſit, ſed ſecundum illam quæ aſſumpta eſt.*

THEOREMA 97.

VNica tamen fuit, ex eodem §.6.perſona, ſeu ſubſiſtentia in Chriſto, nempe Verbi, & non duæ,vt impiè ſenſit Cherintus, & Neſtorius, vna increata Filij Dei, altera creata Filij Mariæ, quæ purum hominem genuerit, & Filius Dei deinde vnitus ſit ſecundum habitationem Filio hominis quaſi ſuo templo, ac propterea Ieſus ſit Mariæ, & Ioſeph Filius, Chriſtus autem Filius Dei,vt ex eorum blaſphemiis apud Cyrillum Alexand. Concilium Epheſinum, & Concilium quintum generale, & Ireneum lib.1. cap.25. & l.3. cap.17. colligitur.

Veritas autem Catholica patet, tum ex ſcripturis Matth. 16. vbi cum quæſitum eſſet, *quem dicunt homines eſſe filium hominis?* reſponſum eſt, *tu es Chriſtus Filius Dei viui.* & reſponſio à Chriſto probata eſt, Lucæ 1. *quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei.* & ibid. *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Idem igitur eſt Filius Dei,& Mariæ. Ioan.9. *credis in Filium Dei?quis eſt, Domine,vt credam in eum? dixit ei Ieſus, & vidiſti eum, & qui loquitur tecum ipſe eſt.* Ioan.20.*hæc autem ſcripta ſunt,vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus Filius Dei.* Roman.8. *qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Roman. 9. *ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* 1. Corinth. 8. *Vnus Dominus Ieſus Chriſtus*, &c. 1.Ioan.2. *quis eſt mendax, niſi qui negat, quoniam Ieſus eſt Chriſtus?* identitate ſcilicet,& vnitate perſonæ, & ſubſtantiali, non habitationis Neſtorianæ, aut honoris, vel alterius accidentalis: nam & ſancti dicuntur Dei templum 1. Cor. 3. & 6. immò etiam dij. Pſal.81. cum tamen longè aliter Chriſtus ſit Deus,& Filius Dei. cum dicatur 1. ad Tim.3. *magnum eſſe pietatis myſterium, quod Deus apparuerit in carne.* Qua de re Sexta ſynodus act. 4. cap. 17. & Concil. Tolet.6. cap.1. Tum ex Conciliis, 2
cum id fuerit definitum in Concilio Epheſino cap.2.3.4. qui recipiuntur etiam in Concilio Chalcedonenſi act.5.& in 5.ſynodo,ſeu Conſtantinop.2. cap.4.5. in Lateranenſi ſub Martino I. conſultatione vlt.cap.6.8. ſynodo 6. act.4.

&

& 17. Hiſpalenſi 2. cap. 13. Tum ex Patribus, Dionyſ. ep. 4. ad Caium. *Nos*, inquit, *Ieſum non humana ratione definimus, neque enim ille homo tantum eſt: neque ſuperſubſtantialis eſſe poteſt, qui homo tantum eſſet: ſed eſt homo verus, qui ſingulari benignitate amator hominum ſupra homines, ac ſecundum homines ex hominum ſubſtantia carnem ſuperſubſtantialis accepit, eſt autem nihilominus altiſſimæ illius diuinæ ſubſtantiæ.* Irenæo l. 3. cap. 21. *Hic igitur Filius Dei Dominus noſter exiſtens verbum Patris, & filius hominis, quoniam ex Maria, quæ ex hominibus habebat genus, quæ & ipſa erat homo, habuit ſecundum hominem generationem factus eſt filius hominis.* Cyrillo Hieroſolymitano cathec. 4. *Crede quod hic vnigenitus Filius Dei propter peccata noſtra de cælo deſcendit in terram, & eamdem affectionum cum noſtris aſſumpſit humanitatem, & natus eſt ex Maria Virgine, & Spiritu ſancto.* Athanaſio in Euangelio de ſanctiſſima Deipara: *Deus interim perfectus, & homo perfectus: vnus ratione vnius perſonæ, duplex tamen natura.* Et in oratione contra Arianos: *Idem qui & Deus verbum eſt, & Filius Mariæ eſt, vnus Chriſtus cenſeri debet, & non diuerſum quiddam: ſed vnus ille, & idem, qui ante ſæcula ex parte in extremis temporibus ex Virgine natus eſt.* Cyrillo Alex. ep 8. ad Neſtorium: *Licet differentes inter ſe naturæ, in veram ſint vnitatem coniunctæ; vnus tamen ex vtriſque eſt Filius, ac Chriſtus, interim non ſublata differentia naturarum propter adunationem.* Nazianzeno denique ep. 1. ad Cledonium: *Si quis duos filios alterum ex Deo, & Patre, alterum ex Matre, non autem vnum, atque eumdem induxerit, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quæ rectè credentibus promiſſa eſt. quamquã enim Deus, & homo duæ naturæ ſunt, quemadmodum etiam anima, & corpus, non tamen duo filij.* Gregor. l. 18. Mor. cap. 36. Hieron. ep. 150. ad Hedibiam, q. 9. Ambroſ. l. de Incarn. cap. 7. Auguſt. l. 13. de Trin. cap. 17. S. Thom. 3. p. q. 2. art. 3. & 6. & Scholaſticis l. 3. ſent. Tum ratione. Purus enim homo non fuiſſet idoneus, vt ſua paſſione nos redimeret, pretiúmve penderet, quod contractum debitũ ad amuſſim iuſtitiæ exæquaret. vt docet Concil. Epheſ. tom. 6. c. 7. Leo ſerm. 1. & 4. de natiuitate. Baſil. in illud Pſalm. 28. *frater non redimit.* S. Antonius ep. 6. ad Arſenoitas, & Athanaſius l. de Incarn. Verbi. ideo neceſſe fuit, vt Mediator quidem homo eſſet, vt pati poſſet, ſed vt perſona eſſet diuina, quæ ob infinitam dignitatem ſuppoſiti ſatisfacientis, Deo ſatisfaceret de rigore iuſtitiæ. Addi & illa ratio Auguſtini in Ioan. tract. 27. poteſt, vnam tantum perſonam eſſe Chriſtum Deum, & hominẽ, non duas, aliàs fides noſtra quaternitatis eſſet, & non Trinitatis.

THEOREMA 98.

DVæ pariter confitendæ ſunt in Chriſto voluntates, diuina ſcilicet & humana ex §. 7. contra quam ſenſerint Monothelitæ, Macharius Epiſcopus Antiochenus, & alij; contra quos diſputat Damaſcenus l. 3. de fid. c. 14. & lib. de duabus Chriſti voluntatibus. S. Thom. 3. p. q. 18. art. 1. & ſeqq. Alphonſus de Caſtro verb. *Chriſtus*, hæreſi 9. Patet autem veritas tum ex diuinis Scripturis Ioan. 6. *deſcendi de cœlo non vt facerem voluntatem meam, ſed eius, qui miſit me Patris.*

tris. vt etiam ad hoc propoſitum citat 6.ſynodus generalis. Luc.22. *non mea, ſed tua voluntas fiat*. Marci 14. & Matth. 26. diſtinguit ſuam voluntatem humanam à diuina,& increata, *non mea, ſed tua voluntas fiat*. Tum ex Conciliis, vt ex Romano ſub Agathone anno 679. Epiſcoporum 125.Occidentalium, qui omnes ſua manu ſubſcripſerunt duas eſſe in Chriſto naturas, duas voluntates. Synodo 6. act.4. 8.17. vbi interfuerunt tres Legati ab Agathone miſſi, qui eius vices implerent, cum tribus aliis additis ab eodē Romano conuentu. Concil.Lateran. ſub Martino I.can.10. & ſeq. Tum ratione, quia natura humana ſine voluntate humana non conſiſtit,vt per ſe patet; cum igitur Verbum diuinum aſſumpſerit naturam humanam,neceſſe eſt, vt habuerit etiam voluntatem humanam. Confirmatur,quia potentiæ naturales ſequuntur naturam; & ideo quia in diuinis eſt vnica natura,licet ſint tres perſonæ,vnica tantum eſt voluntas,at in Chriſto ſunt duæ naturæ ex dictis; erit igitur etiam duplex voluntas.

Iiſdem argumentis patet fuiſſe etiam in Chriſto intellectum creatum contra Apolinarem, vt docet S Thom.3.p.q 5.art.4 D.Auguſtinus l.83.qq.q 80.& l.de hæreſibus, cap.55. & Caſſianus l.1.de incarn. cap.2 cum ſit etiam pœna naturalis naturæ humanæ, & dicatur Matth. 8. *audiens Ieſus miratus eſt*. Itémque potentias ſenſitiuas animæ ex eodem D. Thom. art.2. eſt enim Axioma Agathonis in epiſt. ad Imperatorem,& ſynodum Sextam prædictam,ab eáque approbata act.4.& 8.*duas eius* (Chriſti) *naturas prædicamus, diuinam ſcilicet, & humanam. ex quibus, & in quibus etiam poſt admirabilem, atque inſeparabilem vnionem ſubſiſtit: & vnamquamque eius naturam proprietatem naturalem habere confitemur, & habere diuinam omnia, quæ diuina ſunt, & humanam omnia, quæ humana ſunt, abſque vllo peccato*.

Quæ ſanè doctrina eſt etiam Nazianzeni in oratione de Filio. Damaſceni l. 3. de fide c.4.& reliquorum Patrum. quare Gregorius Patriarcha Conſtantinopolitanus cum ſuis Metropolitanis conuictus, ſtatim in Catholicorum partes tranſiit, etſi antea cum Machario Antiocheno Patriarcha ſentiret, qui cum ſuis idem facere detractans, expulſus eſt è Concilio, & excommunicatus: factúmque eſt,teſte Anaſtaſio Bibliothecario, vt eadem hora tettæ aranearum telæ à laquearibus conclauis deciderent, qua re animaduerſa, lætis animis à Catholicis conclamatum eſt nigras hæreticorum ſordes euanuiſſe. Quod ſi naturæ, & potentiæ diſtinctæ fuerunt, & actus ſequuntur potentias, neceſſe eſt etiā in Chriſto non ſolum fuiſſe operationem diuinam, ſed etiam humanam contra eoſdem Monothelitas, vt definit idem Concilium ſextum act.4.8.9 nam ait: *Duas naturales operationes indiuisè inconuertibiliter, inconfusè, inſeparabiliter in eodem Domino Ieſu Chriſto vero Deo noſtro glorificamus, hoc eſt diuinam, & humanam*. Dicitur autem *indiuisè, inconuertibiliter*, &c. ad oſtendendum ab vna, & eadē perſona Verbi vtriuſque generis operationes, ſalua differentia ipſarum eſſe profectas, cum ſint operationes eiuſdem ſuppoſiti operātis per vtramque naturam. Idem docet Cyrill.

Hieroſolym.catech.4.dum agit de generatione ex Virgine. Nazianz. oratione de Natiuitate Chriſti, & oratione 4. de Theologia. S. Leo ep.10.ad Flauianum,c.4. S.Thom. 3.p.q.19.art.1.& 2.

THEOREMA 99.

QVæ §.9.& ſeqq.traduntur de ſacramentis nouæ legis, docentur etiam ab eodem Eugenio Conſtitut. 23. edita anno 1441. quæ incipit,*Cantate*.quæ eſt de cõcordia Iacobitarum cum Eccleſia Romana,& in Concilio Conſtantienſi ſeſſ.15. Trident. ſeſſ.7. extra de hæret. c.ad abolendã. S.Thom. 3.p.q.60.& ſeq.& l.4.contra Gentes, Scholaſticis 4.d.1. & 2. Summiſtis verb. ſacramentum, & de ſingulis in particulari, Hugone de S.Victor. de ſacramentis, Thoma VValdenſi tom.2.Guliel.Pariſienſi l.2. de ſacramentis. Io. Echio in homiliis de ſacramentis. Roffenſi in refutatione articulorum Lutheri. Ruardo Tappero in explicatione articulorũ Louanienſium, Gulielmo Alano lib. de ſacramentis. Lindano l.4.Panopliæ,Petro Soto in inſtitutione.Bellarmino tom.2. Henriquez primis 12. libris, Valentia 3.p.d.3.q.1. Suarez ibidem, Cano relect.de ſacramentis.Caniſio in catechiſmo:eſtque conſtans Eccleſiæ Catholicæ ſententia, vt patet ex catechiſmo Romano, & reliquarum Eccleſiarum.

Porrò ſacramenti nomine in eadem prorſus ſignificatione qua ſumit Eugenius hoc loco,ad ſignificandum Baptiſmum, Euchariſtiam, & alia id genus ſacra ſymbola (quicquid Nouatores fingãt) vſi ſunt etiam antiquiſſimi Patres, Tertullianus, l. de præſcript.c.16. & l.contra Marcionem, Cyprian. l.2.ep.1.& 3.l.4.ep.1.& 7.Hilarius in Pſalm.121. Hieronym. in c.44. Elech.& cap.28.Matth. Auguſtin. ep.118.& l.2. de doctr. Chriſt.c.3. Lactantius l.4. cap.17. Gregorius cap.multi, 1.q.1. Bernardus ſerm. de cœna.Concilium Lugdunenſe, Lateran.Florent.Trident.

THEOREMA 100.

CIrca feſtiuitates, de quibus §.19. meritò præſcribit Annunciationis diem celebrandum 25.Martij, cum id habeat traditio Eccleſiæ, & vt integri ſint menſes 9.vſque ad 25.diem Decembris,in qua natus eſt Chriſtus. Quod etiã voluit Hoſtienſ. cum in cap. conqueſtus, de feriis,ait: *Annunciatio celebretur in Vere.*

Fuit autem dies illa Veneris, cum eo anno, vt colligitur ex Aſtronomicis ſupputationibus, littera Dominicalis fuerit B, & dies Veneris G, idque magno myſterio; vt ſcilicet ſicut Adam terreſtris creatus eſt ſexta feria, ita ſecundus cœleſtis ſexta item conciperetur; atque vt ille ſexta quoque die in Paradiſo voluptatis collocatus eſt, ita hic die ſexta in Virginis vterum virtutum omniũ, ac chariſmatum Paradiſum deſcẽderet. De hora diei non adeo videtur certum,cum Athanaſius ſermone de Deipara ad finem ſentiat ſalutatam ab Angelo,& concepiſſe oriente Sole; alij autem ſtatim poſt mediam noctem, iuxta illud Sap.18. *dum medium ſilentium tenerent omnia,& nox in ſuo curſu medium iter haberet,omnipotens,*&c. idq; magis figuræ congruit,quòd poſt mediam

diam noctem iussu Domini venerit Angelus occidere primogenita Ægyptiorum, & de seruitute liberare populum Israël. Exod. cap. 12. vt eum in Terram Patribus promissam deduceret.

De mense verò communis est sententia fuisse Martium. Tum quia decuit, vt quo mense creatus est mundus, eodem ad eumdem reparãdum veniret Dominus, is autem Martius fuit, ex Athanas. q. 9. & 17. ad Antiochum. Augustin. in qq. veteris testamenti cap. 8. & in qq. ex vtroque testamento q. 106. Tum quia mense Martio aquæ diluuij, quæ cœperant mense Aprili præcedentis anni, & vndecim mẽses durarant, imminutæ sunt ad significandum colluuionem peccatorum veniente Domino in Martio finiendam. Tum quia liberatio populi ex Ægyptiaca seruitute, quæ nostram liberationem à Tyrannide dæmonis docet, in Martio quoque facta censetur. D. Io Bapt. verò natiuitas accidit 24. Iunij, eáque meritò celebranda, vt hic statuitur. Idq; expressè docuit S. Augustinus in Psalm. 132.

De die autem Natiuitatis Domini, etsi quidam hæretici apud Clementem Alexandrinum lib. 1. strom. voluerint fuisse diem 21. aut 25. Aprilis, & Matthæus Beroaldus hæreticus in Chron. p. 4. c. 2. & 3. Mense Septembri, seu Æquinoctio Autũnali, & Ægyptij aliqui apud Epiphaniũ, hæresi 51. die 5. Ianuarij, Ecclesiæ tamen traditio docet natum Dominum 8. Kal. Ianuarij, id est die 25. Decembris, quando iam incipiunt dies crescere, vt docet Augustinus in Palm. 132. in fine, & Anastasius Nicænus q. 92. & Græcorum Menologium, idque Dominica die, ex Synodo Sexta generali, c. 8. Sophonio in oratione de Natiuitate Christi, Cassiodoro in Psalm. 117. Rupert. l. 3. off. c. 16. Niceph l. 1. c. 12. Durando in Rationali l. 6. c. 13. Antonino 1. p. t. 8. c. 1. §. 2. Currente anno 42. Augusti Imperatoris, ex Clemente Alexandrino l. 1. strom. Eusebio in Chron. Epiphanio l. 1. hæresi 20. & l. 2. hæresi 51. Beda l. de sex ætatibus. Olympiade 194. anno 2. & statim post mediam noctem, vt patet ex Missa in nocte Natiuitatis, & innuit D. Lucas c. 2. *& pastores erãt in regione eadem custodientes vigilias noctis.* Et post octo dies est circumcisus, Lucæ c. 2. iuxta præscriptum Geneseos cap. 17. & Leuit. 12. ante enim eum diem Infans nimium periclitabatur, quare & ante diem septimum intereunt infantes plurimi, ex Aristotele l. 7. de nat. anim. cap. 12. ob id dies Circumcisionis Christi fuit dies 1. Ianuarij, eáque celebranda. A Magis autem Christus adoratus est die 13. à Natiuitate, nempe, sexta Ianuarij. cúmque sit natus die Dominico, sequitur fuisse diem Veneris, quando Magi eum sunt venerati. Ideoque concludendum est diem Epiphaniæ esse celebrandum, vt hic præscribit Eugenius, die 6. Ianuarij.

Denique post 40. dies à Natiuitate præsentatus est in templum nempe 2. Febr. iuxta legem Exod. c. 13. Num. 18. Leuit. 12. vt colligitur ex c. 2. Lucæ. Eam autem legem Deipara voluntate, non necessitate impleuit, ex D. Basil. in c. 7. Isaiæ. Cyrillo lib. 8. in Leuit. & lib. 15. de adoratione. Chrysostomo homilia de occursu Christi. Augustin q. 40. in Leuit. Euthym. homil. 2. S. Bernard. ser. 3. de Purificatione. Ildel-

phonſo ſerm. de Purificatione. & meritò, cum B. Virgo non egeret Purificatione, quippe quæ ante, & poſt partum puriſſima fuerit, & lex dicat, *mulier ſi ſuſcepto ſemine*, &c. quod B. Virgini nõ contigit, ideoque legem ſpontè impleuit, vt præberet exemplum voluntariæ obedientiæ, & vitaret omnem occaſionem offenſionis alienæ.

Eiuſdem

EVGENII IV.

Cõſtitutionis 20. editæ anno 1440. quæ incipit. Fide.

EPITOME 35.

Satisfit præcepto de communicãdo in Paſchate, ſi fiat à Dominica Palmarũ ad Dominicam in Albis.

ITA Eugenius §. 2. circa Paſchatis communionem ſtatuit. Mens enim magis, quàm verborum ſonus, eſt attendenda diſcretè. *Intelligimus itaque optimo iure ſatisfactum eſſe canoni, ſi in hebdomada ſancta, vel infra octauam Paſchæ Reſurrectionis Dominicæ ſecundum meliorem diſpoſitionem conſcientiæ, & aptiorem mentis deuotionem, fideles præparatione debita ſanctum Euchariſtiæ pignus accipiãt, & cum Domino Paſcha celebrent ad ſalutem, & huic ſententiæ omnes volumus acquieſcere.*

THEOREMA 101.

FVit hæc Conſtitutio edita ad dirimendam cõtrouerſiam inter interpretes iuris canonici in cap. omnis vtriuſque ſexus, tit. de pœnit. & remiſſ. circa præceptum communionis Paſchalis. Panormitanus enim ibid. Antonin. 2. p. t. 9. cap. 9. aliíque plures reſtrinxerant præceptum ad primum, vel ad ſummum ad tres dies feſtos Paſchæ, ita vt qui illis tribus diebus nõ communicaſſet, peccaret mortaliter, cum oppoſitum alij ſentiãt. Eugenius igitur in præſenti Conſtitutione, citata etiam à Maiori 4. d. 17. q. 2. Caiet. verb. communio. Tabiena ibid. n. 4. Armill. eodem. Ledeſma q. 14. art. 3. Nauarr. c. 21. n. 45. ſtatuit ſufficere, ſi communio fiat à Dominica Palmarũ, ad Dominicam in Albis incluſiuè. Et ſanè prudenter ne omnes fideles ad vnum vel tres dies ad communicandum arctati, facilè exponerentur periculo tranſgrediendi præceptum: quod etiam communi vſu receptum eſt.

Quin etiam in diœceſi Valentina, & Conymbricenſi ex Nauarr. loco cit. Valentia tom. 4. d. 6. q. 8. p. 4. Henriquez lib. 8. cap. 5. Azor tom. 1. l. 7. cap. 41. q. 4. & Hieronymo Sorbõ Capucino in priuilegiis Minorum, ex conceſſione Clemẽtis VII. Communionis tempus ad totam Quadrageſimam extenſum eſt.

Porrò in prædicto cap. omnis vtriuſque. id faciendum dicitur in Parrochia propria, niſi adſit legitima licentia. nam pertinet ad proprij Paſtoris munus (etiam extra Paſchale tempus) cum requirat iuriſdictionem, & poteſtatẽ in oues paſcendas, & lata ſit excommunicatio reſeruata Papæ, in Clementina, Religioſi, de priuileg. in religioſos adminiſtrantes hoc ſacramentum ſine priuilegio. quibus in die Paſchæ non fauent conceſſiones

nes Nicolai V. Sixti IV. & Leon. X. cum eum diem & ipſi excipiant, conceſſione 149. 150. 160. Qua de re pluribus egimus lib. 4. de Miſſæ ſacrif. cap. 29. n. 7.

Sed cum duplex præceptum feratur cap. omnis vtriuſque ſexus. citato. confeſſionis & communionis, cur non limitatur etiam tempus Paſchatis ad vſum prioris ſacramenti, vt ſit ad vſum ſecundi? An ex Suarez t. 4. d. 36. ſect. 3. quòd expediat pœnitentiæ, medicinam non differre; ſed eam applicare ſtatim, vnde ſi ante illud tempus neceſſaria eſt, conſulendum ſit, vt ſumatur ſtatim, nec detur differendi occaſio. ſi autem recepta eſt nec ſuperuenit noua neceſſitas, non debuit ad illius vſum homo iterum obligari propter eadem peccata mor. confeſſa. Vſus autem Euchariſtiæ præcipitur per ſe, etiamſi homo nunquã peccauerit, & ideo præcipi potuit determinato tempore; factum eſt autem in Paſchate, tum ob ſacramenti inſtitutionem in cœna Domini, tum ob ſingulares alias illius temporis ſolemnitates.

NICOLAI V.

Conſtitutionis 2. aliàs 3. editæ anno 1450. quæ incipit.

Olim.

EPITOME 36.

Deferentes, vendentes, nec tentes, & permittentes deferri arma, & res belli-

NEFLIGIT §. 2. excommunicationis pœnam ipſo facto deferentibus, vendentibus, & mittentibus, necnon permittentibus è ſuis partibus deferri equos, ferrum, arma, lignamina, & mercimonia, quin etiam per decennium, victualia, ad Saracenos Ægypti, ſeu terras Soldano ſubiectas. quos etiã omnes declarat infames, & inhabiles ad teſtandùm, aut adeunda teſtamenta: & vendentes, mittentes, deferentes, vel permittentes è ſuis partibus extrahi prædicta prohibita, abſolui ab excommunicatione non poſſunt, niſi de propriis bonis dent tantundem in ſubſidium terræ ſanctæ, quantum ad terras infidelium detulerint, vel miſerint, & ſi captiuantur, fiunt ſerui.

eas ad Saracenos, excõmunicantur, infames ſunt, & inhabiles ad teſtandũ, & ſuccedẽdũ, capriuantur, &c.

THEOREMA 102.

CItatur hæc Conſtitutio à Sylueſtro verb. excommunicatio 7. n. 58. Sayro l. 3. c. 11. n. 11. & aliis ſub nomine Nicolai IV. qui vixit anno 1288. Quin etiã Clemens V. qui obiit anno 1314. & præceſſit Nicolaum V. annis 123. in extrau. multa mentis, de Iudæis. in extrau. communibus. citat eundem Nicolaum IV. & clauſulæ ibi citatæ reperiuntur in præſenti conſtitutione *Olim.* quæ dicitur data anno 1450. à Nicolao V. Fieri autem poteſt (quod aliàs factum eſt) vt Nicolaus V. renouauerit Conſtitutionem Nicolai IV. vti iacebat.

Quæ igitur hoc loco habentur, fuerant etiam antea ſtatuta ab Alexandro III. creato anno 1159. in Concilio Lateran. cap. 26. vt habetur cap. ita quorumdam, tit. de Iudæis

dæis & Saracenis, prohibente Saracenis arma, ferrum, & liguamina Galearum, aliáque necessaria ad impugnandos Christianos, deferre, vel exercere in triremibus, & pyraticis eorum nauibus, regimen, & curam gubernationis. Clemente III. in cap quod olim, tit. eodem, vetante per se, vel alios, nauibus, aut alio modo prædictis Saracenis, durante bello, mercimonia, consilia, vel alia subsidia transmitti. Innoc. III. c. ad liberandum, ibid. statuente ne Christiani Saracenis arma, ferrum, & lignamina triremium deferrent, triremésve, aut naues illi venderent, neque in eorum pyraticis nauibus curam gubernationis exercerent, vel in machinis, aut quibuslibet aliis aliquod illis impenderent auxilium, vel consilium in dispendium terræ sanctæ sub anathemate reseruato, nisi prius tantumdem in subsidiũ terræ sanctæ transmisissent, quantum lucri in his fuisset perceptũ, priuatione rerum suarũ per Principes exequenda, seruiturétque si caperetur. & Clemente V. in citata extrauag. *Multa mentis.* prohibente, ne quis arma, equos, ferrũ, lignamina, victualia, & alia mercimonia ad terras Saracenorum Ægypti mittere, vel portare, seu de portibus suis, vt eisdem deferantur, extrahere, vel extrahi permittere, aut aliàs eis auxilium, vel fauorem præstare, quomodolibet præsumeret, sub excommunicationis pœna ipso facto, qui non posset absolui, nisi de bonis propriis in dictæ terræ sanctæ subsidium conuertendum tantum exsolueret, quantum ad partes prædictas detulisset, misisset, vel deferri, & extrahi deferendum è suis portibus permisisset. quin nec tũc posset absolui absq; speciali mandato sedis Apostolicæ, si caperetur, fieret seruus, esset perpetuo infamis, intestabilis, incapax hæreditatis, tam ab intestato, quàm ex ex testamento, & legato, inhabilis ad publica officia, & actus omnes legitimos.

Eadémque pænè omnia à tempore D. Antonini 3. p. t. 24. c. 72. additis nonnullis, inserta sunt in bulla Cœnæ §. 7. Constitutiones autem antiquæ in eo excedunt bullam cœnæ, quod vetant etiam victualia belli tempore deferre, & merces quocumque tempore ad loca Ægypti, quod non prohibetur in bulla cœnæ. Bulla verò cœnæ excedit in eo, quòd prohibeat non tantum Saracenis, sed etiam Iudæis, Turcis, & hæreticis declaratis, à sede Apostolica deferre arma, & alia, quibus Christiani impugnari possint, filum ferri, stannum, calibem, bellica instrumenta, cannabem, funes, &c. vel facere illos certiores de rebus pertinentibus ad statum Christianorum.

THEOREMA 103.

MEritò prędicta sunt in transgressores decreta in citatis Constitutionibus Pontificum, vt etiam cap. significauit, extra de Iudæis & Saracenis, & extrauag. Ioan. XXII. quæ incipit, *Copiosus*, de Iudęis & Saracenis. Primò, quia id iuri diuino, & naturali repugnet, sícque grauissimum sacrilegium contra Religionem nostrã, & Principatum Christianũ opem ferre inimicis Christi, repugnétque & primo præcepto de honore Dei, & quinto de non occidendo,

&

& ſaptimo de non furando,& decimo de non cõcupiſcenda re aliena. vt rectè probat Nauarr.in cap. ita quorumdam, de Iudæis,not.1. nu.10. Secundò, quia id tanquam Reipublicæ perniciosiſſimum vetitum ſit grauiſſimis legibus ciuilibus, ſub pœna capitis, & priuationis rerum. Cod.quæ res exportari non debeant. l.1.& 2. vbi etiã dicitur hoc crimen eſſe proditioni proximum, & extendit caſum ad deferentes non tantum hoſtibus, vt ſunt Saraceni,ſed etiam Barbaris. etſi l.1. liquaminis loco lignaminis legatur. & Cod.de pœnis,l. his quæ, iis quoque pœna capitis ſtatuitur, qui barbaris artem conficiendi nauem tradiderint.& l.cuiuſque,ff.ad leg.Iuliam Maieſtatis, crimen contrahit læſæ Maieſtatis is,cuius opera, dolo malo, hoſtes populi Rom.cõmeatu,armis,telis, equis, pecunia, aliáve re adiuti erunt, vel vt ex amicis,hoſtes fierent populi Romani.

Quod autem ſpectat ad pœnam ſeruitutis, ſi caperentur tranſgreſſores, certum eſt ſeruitutem contrahi poſſe non tantum iure gentium, ídque tamen ob bellum iuſtum,ſicut enim capta in iuſto bello tranſeunt in dominium capientium,ſic etiam homines iuſto bello capti iure gentium in capientium poteſtalem veniunt.ff.de ſtatu hominum.l.& ſeruorum. & inſtit. de rerum diuiſ. §. 18. item ea. vbi dicitur, quæ ex hoſtibus capimus iure gentium, ſtatim noſtra fiunt,adeo quidem,vt & liberi homines in ſeruitutem noſtram deducantur. Etſi apud Chriſtianos receptum ſit, vt Chriſtiani iuſto bello à Chriſtianis capti, accepta pecunia reſtituantur, & non ſint ſerui. Bartolus l.hoſtes, ff.de capt. & poſtlim. reuerſ. tum ob conditionem originis,vt ſi ex ancilla naſcatur, ſiue pater ſit liber,ſiue ſeruus, ſiue legitimo matrimonio,ſiue aliter procreatus.Inſtitut.de iure perſonarum, §.ſerui autem.cum leges in hoc idem iuris eſſe voluerint,quod eſt de fructibus arborũ, & fœtibus animalium. Aut etiam iure ciuili, vt cum quis ſe vendi patitur. l.& ſeruorum, ff. de ſtatu hominum. Ad quod requiritur, ex Gloſſa ibidem. Primò,vt ſit maior 20.annis.l.ſi miniſterium, Cod.de liberali cauſa. & l.liberis, §.2.ff. de liberali cauſa. Secundò,conſenſus vendendi, vt ſcilicet, quis ſciat ſe vendi.l.non ideo, Cod.cit.& l.eis qui,ff.quibus ad libert. procl. non licet.Tertiò,vt participet pretium, l.maiores,ff.quibus ad liber.procl. non licet. Quartò, vt emens eum ſeruum credat. l. liberis, §. ſi quis ſciens, ff. de lib.cauſa. Quintò,vt qui ſe vendi patitur,ſciat ſe eſſe liberum.l.Licinius, ff.quibus ad libert.procl.non licet.Verùm etiam ob delictum,vt enim ob aliqua crimina,rei capite plectuntur: ita ob quædam delicta, ſontes libertate iure priuantur, vt fœminæ, quæ cum initiatis ſacris ordinibus nuptias contrahunt. d.32. c. eos qui. vt etiam eorum filij, Eccleſiæ,cui pater adſcriptus erat, ex Concil. Tolet. 9. & Raptor, ſi conſtet de violentia puellæ illata.35.q.1.c.de raptoribus. Itémque comprehenſi de familia latronum comprehendentium ſerui fiebant, l. 2. Cod. quibus ad lib.procl.non licet. Pari igitur modo Alex.III. cap.ita quorumdam.Innoc.III.cap.ad liberandam. de Iudæis. & Nicolaus hoc loco, ob criminis atrocitatem conſti

constituunt capientium seruos.

Notauit autem Nauarr. in cit. cap. ita quorumdam, de Iudæis. notab. 11. Glos. 6. num. 19. cum Abbate eodem cap. ita quorumdam, de Iudæis, n. 4. Ioan. Andr. ibid. speculatore eodem tit. Felino, & aliis. eum qui ob delictum in seruitutem incidit, non posse manumitti. argumento l. 1. Cod. quibus ad libert. procl. non licet.

Eiusdem

NICOLAI V.

Constitutionis 4. bullæ vet. editæ anno 1452. quæ incipit.

Solicitudo.

EPITOME 37.

Modus cõstituẽdi cẽsum in regno Siciliæ.

DECLARAT licitè in regnis Siciliæ posse vẽdi, & emi census super rebus, iuribus, proprietatibus, & emolumentis, & specialiter, vel etiam generaliter super omnibus bonis, & rebus eorum, cum instrumento gratiæ redimendi mediante pretio consimili. Posséque pro hypotheca obligari personas contrahentes, & omnia, & singula bona mobilia, & immobilia ad censum vallandum, & firmandum: ita tamen vt annuus census non excedat decimam partem pretij dati, & vallare huiusmodi stipulationes & promissiones iuramentis, pœnis, &c.

THEOREMA 104.

HAbetur hæc Constitutio ad verbum in Pragmaticis Regni Neapolitani, & apud Petrum Follerium in praxi censuali statim in principio. Io. Bapt. Lupum tract. de vsuris, comm. 2. §. 2. Auctorem Coronæ Confessorum p. 2. cap. de censibus, num. 11. & Stephanum Quarantam verb. contractus censualis, & in bullario veteri, & si desit in nouo. Non pugnat autem doctrina huius Constitutionis, cum doctrina Martini V. & Calisti III. qui post Nicolai V. mortem, per suam extrauagantẽ anno 1455. renouauit extrauagantem Martini V. & habentur in extrauagantibus communibus. tit. de empt. & vend. Nam vt obseruat Conradus de contr. q. 83. Maior. 4. d. 15. q. 42. Couarr. l. 3. var. resol. cap. 7. Sotus l. 6. de iust. q. 5. art. 1. Azor tom. 3. l. 10. cap. 21. Tolet. l. 5. cap. 46. Lessius l. 2. cap 22. dub. 12. 13. Corona Confessorum p. 2. cap. de censuali contractu, approbarunt illi quidem censum ibi explicatum consuetum fieri in Germania, & Polonia, non tamen condemnarunt census, si illis conditionibus carerent, dummodo iuri naturali congruerent. Nicolaus verò approbat alium censum, qui fiebat in regno Siciliæ, & Neapolitano in supplicationibus Alphonsi Regis Aragoniæ, & Sicilię expositus, cui Calistus III. non derogat in illis regnis vltra, & citra Pharum.

Et quidem conditiones census Martini, & Calisti erant hæ. Prima, vt designaretur res immobilis certa, super qua constitueretur census, quæ saltem quotannis tantum fructum redderet, quanta est annua

annua penſio cenſus, eáque tantum,& nõ alia bona,maneret cenſui obligata. Secunda, vt re illa perempta, ipſe quoque cenſus finitus eſſet,ita vt venditor non obligaretur amplius penſionem annuam ſoluere. Tertia, vt liceret quandocunque venditori eodem pretio,etiam per partes,ſe redimere, & non cogeretur ad redimendum. Quarta,vt ſtatim emptor torum pretium, quo cenſum emit, ſolueret venditori. Quinta, vt eſſet pretium iuſtum, vti eſſet,ſi v.g. annuus reditus vnius aurei emeretur quatuordecim, aut tredecim, vel duodecim,ſeu vndecim,aut ad minus decem aureis: ita vt v.g.cẽtum aurei nõ reddant, niſi ſeptem, aut octo, vel nouem, aut ad ſummum decem emptori cenſus. Conditiones autem cenſus Nicolai in aliquibus ſunt diuerſæ, vt ex epitome conſtat.

THEOREMA 105.

Liberiùs locutus videtur Ioan. Baptiſt. Lupus tract. de vſuris, com. 2 §. 2. n. 84. & ſeqq. dum præſentem Nicolai Conſtitutionem valde periculoſam eſſe, & ſuſpectam, ansámque præbere iniquis, & vſurariis cenſibus dicit, & ideo meritò fuiſſe ſublatam à Caliſto, & Pio V. Tum quod approbet cenſum perſonalem,quem Pius V. fœneratitium docet. Tum quod permittat inſtitui cenſum generatim in omnibus bonis venditoris,cum Martinus, Caliſtus,& Pius V. definiant rem certam ſubiiciendam cenſui. Tum quod concedat omnia venditoris bona, iura, actiones, proprietates, redditus, & perſonam obligari cenſui, quæ repugnant,non tantum prædictis Pontificibus,ſed etiam naturæ contractus cenſualis.

Sed oppoſitum dicendum eſt cum citatis ſuperius auctoribus. Tum quod nimis durum ſit dicere Nicolaum tanquam Eccleſiæ totius caput, hac de re conſultum, erraſſe. nam ait: *Decernentes,& declarantes eoſdem incolas,& habitatores, ac ciuitatum, & terrarum vniuerſitates cenſualia prædicta modo præmiſſo in regnis ipſis Siciliæ citra,& vltra Pharũ liberè,& licitè contrahere, ac emere,& & vendere poſſe, neque propterea vſurariam prauitatem committere.* Tum quia conditiones, quas Nicolaus requirit, cum naturali, & diuino iure conueniunt, quamuis diſſentiant à ſpeciali iure, quod Martinus V. & poſt Nicolaum V. Caliſtus III. probarunt,vt expreſsè docet Gregorius XIII. in bulla ſua edita anno 1574. die 7. Ianuarij, quæ incipit, *Ad perpetuam rei memoriam, qua à Romanis.* qua ad inſtantiam Philippi II. Hiſpaniarum Regis, non obſtante Conſtitutione Pij V. confirmat eamdem Nicõlai V. Conſtitutionem pro regnis Siciliæ. nam ait: *Nos ipſarum litterarum tenoribus diligenter conſideratis, & re maturè diſcuſſa, cum litteræ Nicolai nihil in ſe contineant, quod à ratione ſit alienum, diuq; in regno Siciliæ prædicto magna cum incolarum tranquillitate obſeruatæ fuerunt: Litteras verò Pij V. tam primò, quàm ſecundò emanatas eidem regno minimè expedire teſtetur prædictus Rex, &c. Cenſus iuxta Nicolai V. Conſtitutionem facere,emere,& vendere liceat,eoſq; ſic conſtitutos cenſui validos, & licitos, non autem fœneratitios eſſe, perinde ac ſi Pij V. prædictæ litteræ non emanaſſent, tenore præſentium Apoſtolica auctori-*

tate concedimus, declaramus, & constituimus.

Ad primam autem Lupi probationem dicimus (quicquid sit naturali iure de censu personali, cum lis sit inter Theologos, naturaliquc iure licere affirmet Lessius l. 2. cap. 22 dub. 4. Azor loco citato & alij, sicut contrarium tenet Nauar. comment. de vsuris, nu. 84 & alij) Nicolaum non approbare ibi censum personalem, sed tantum dicere in censu reali personam venditoris obligari, non quidem proximè ratione sui, ac si esset censui suppositа, sed ratione rei, quam censui subiicit, ita vt teneatur lege euictionis, si res illa fuerit euicta tanquam aliena, vel alteri obligata, pretium emptori reddere, vel aliam rem censui subiicere.

Ad secundam. Plures Theologi sentiunt non esse contra naturam contractus census, vt generatim census in bonis omnibus venditoris imponatur, vt etiam constat ex decis. 154. Rotæ. apud Farinac. in tom. consil. & resp. pag. 102. deinde neque id Nicolaus exigit, sed solum, vt sua bona obliget, vt si res suppositа censui, fit euicta, venditor censum in aliis rebus imponat, vel pretium restituat, quod clarè explicans Gregorius XIII. loco citato, concedit Siculis, & Neapolitanis, vt certas res vnam, aut plures designent (fructiferas scilicet, & immobiles, aut quæ pro immobilibus habeantur; de his enim est sermo etiam in Constitutione Nicolai) quas expressè censui subiiciant, & deinde addatur generalis obligatio omnium bonorum venditoris, ipsi emptori, seu creditori, etsi fortè in præteritis prius generalis, & deinde specialis bonorum mentio facta sit.

Ad tertiam. Non repugnat censuali contractui, vt census instituatur in aliis censibus, vel redditibus, perpetuis tamen, & non obligatis alteri, vt docet Azor loco citato, & Lessius dub. 12. num. 77. vnde Principes consueuerunt census imponere in muribus vectigalium suorum, annuisve redditibus, vt dicitur Theorem. 258. & seqq. Quare Nicolaus concedit, vt venditor possit censui obligare rerum suarum iura, proprietates, & emolumenta Non quod possit census instituи in sola proprietate rei, omni vtili dominio remoto; tùc enim proprietas non est quid fructiferum; sed potestatem habeat obligandi censui omnia bona sua, puta rerum proprietates, iura, & commoda.

PII II.

Constitutionis 5. aliàs 3. editæ anno 1459. quæ incipit.

Execrabilis.

EPITOME 38.

VETAT § 2. appellari ad futurum Conciliū Generale, & imponit §. 3. ipso facto pœnam excommunicationis reseruatæ Papæ, criminisque læsæ Maiestatis, & hæreticæ prauitatis appellantibus, eorúmque fautoribus, consulentibus, auxiliantibus, tabellionibus, testibus, præsentibus; Vniuersitatibus autem & Collegiis in hoc deliquen

Ad futurū Cōcilium appellātes, & cōplices sunt excōmunicati, rei læsæ Maiestatis & hæresis, & Vniuersitates interdictæ, & approbatio nulla.

linquentibus, interdicti, præter alias pœnas ſtatutas contra reos læſæ Maieſtatis, & hæreſis, quibus etiam prædicti ſubiaceant, & appellationes ipſæ ex §.2. ſint nullæ.

THEOREMA 106.

DE huius palliatæ rebellionis, & ſchiſmatis ſub nomine appellationis, ſeu prouocationis à Romano Pontifice ad Concilium Generale, prohibitione, plura diſputantur ab Hoſtienſi, & Io. And. cap licet, de elect. Ægidio conſ. 99. q. 18. 4. p. & q. 20. Turrecremata l. 3. ſum. de Eccleſia, cap. 47. 48. 49. Iacobatio de Concilio l. 10. art 1. Sylueſt. verb. excommunicario 7. in fine. Tab. ibidem. Caiet. excom. cap. 25. Ledeſma 2. 4. q. 26. artic. 2. Toler. in expl. bullæ cœnæ. Suarez tom. 5. d. 21. ſect. 2. n. 15. Azor to. 2. l. 5. cap. 13. q. 3. Sayro l. 3. cap. 6. Nauarr. cap. 27. num. 58. Henriquez, & aliis. Et ſanè eſt antiquiſſima, ita enim ſcripſit S. Sylueſter in Concil Roman. cap. 20. & Innoc I. vt habetur cap. nemo, 3. q. 9. nemo iudicabit primam ſedem inſtitiam temperare deſiderantem. Neque enim ab Auguſto, neque ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo iudex iudicabitur. & Gelaſius anno 495. in Conſtitutione ad Dardanos, quæ incipit, *Valde mirati ſumus.* §. 11. *Non reticemus autem, quod cuncta per mundum nouit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententijs ligata Pontificum ſedes B. Petri Apoſtoli ius habeat reſoluendi, vtpote quòd de omni Eccleſia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. ſiquidem ad illam de qualibet mundi patre Canones appellare voluerint, ab ipſa autem nemo ſit appellare permiſſus.* & §. 12. *Sed nec illa præterimus, quod Apoſtolica ſedes frequenter, vt dictum eſt, more maiorum, etiam ſine vlla ſynodo precedente, & abſoluendi, quos ſynodus iniquè damnauerat, & damnandi nulla exiſtente ſynodo, quos oportuit, habuerit facultatem.* Et Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem epiſtol. quæ incipit, Propoſueramus. *Patet profectò ſedis Apoſtolicæ (cuius auctoritate maior non eſt) iudicium à nemine fore retractandum neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio.* Et Alexander III. cap. licet, de elect. In Eccleſia Romana aliquid ſpeciale (circa electionem Papæ) conſtituitur, quia non poteſt ad ſuperiorem haberi recurſus. Videatur etiam 9. q. 3. cap. aliorum, cap. facta, cap. ipſi ſunt.

Et quidem meritò hæc conſtituta ſunt. Tum quia vt l. 1. ff. à quibus appell. non licet. habetur, ſtultum eſt illud admonere, à Principe appellare fas non eſſe, cum ipſe ſit, qui prouocatur: ita neque à ſupremo Eccleſiæ capite, & Principe. quippe cum prouocatio ad maiorem fieri debeat auctoritatem, ex Iulio Papa in reſcripto ad Orientales cap. 22. Tum quia prima ſedes vnamquamque ſynodum approbat, & confirmat: vt docet Gelaſius loco citato, §. 6. vt cæteros omittam, & ſine Pontifice, cui in perſona Petri dictum eſt, *rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* de qua re in Concilio Florentino, & Lateranenſi ſub Leone X. & 19. cap. ita. S. Thom. 1. 2. q. contra impugnat. Relig. & Turrecrem. lib. 3. ſum. cap 28. 29. Concilia non ſunt valida, & ſæpe errarunt, vt idem Gelaſius §. 13. & ſeqq. pluribus

exemplis docet. necnon Paschalis. cap. significasti, de elect. per ipsum enim, si legitimus, & certus Pontifex viuit, tanquam per caput, Christus sua dona, & iurisdictionem in omne totius Ecclesię corpus, quod Concilium Generale repræsentat, diffundit. Videndus Iacobatius de Concilio l. 10. cap. 7. Turrecremata loco citato, & Azor t. 2. l. 5. c. 14. Cum igitur à Papa ad Generale Concilium appellare, sit dogmatizare Papam non esse summum Ecclesiæ Pastorem, & Iudicem; & tollere sedis Apostolicæ Principatum, meritò Pius II. præsenti Constitutione §. 2. id vetuit, tamquam sacris Canonibus contrarium, & reipubl. Christianæ noxium, sic enim impunita remanerent vitia, immò etiam ridiculum esset appellare; appellaretur enim ad illud, quod nusquam est, nec scitur, quãdo futurum sit. Hanc eamdem sanctionem confirmauit anno 1509. Iulius II. in Constitutione 22. quæ incipit, *Suscepti.* §. 5. & 6. declarans violatores habendos pro veris, & indubitatis schismaticis, ac de Ecclesia Catholica malè sentientibus, & vt tales, puniendos.

THEOREMA 107.

POenæ latæ §. 3. contra violatores huius Constitutionis confirmatæ, & auctæ sunt à Iulio II. contra quoscunque, etiam Regali, & Cardinalatus honore fulgẽtes, Vniuersitates, Capitula, &c. nam §. 6. Constit. 22. ait: *Ipsarum pœnas, & earum quamlibet omnes illos incurrere volumus, cuiuscumque conditionis existant, qui in senatu, consilijs, parlamentis, congregationibus, etiam synodalibus, & prouincialibus, vel alias quomodolibet (& non tantum, qui in ipsa actuali appellatione, & illius interpositione, vel scripturæ compositione immiscuerint) tacitè, vel expressè voce, vel scripto, per se, vel alium (cuiuscunque timoris, vel reuerentiæ velamine, vel prætensa excusatione, & superioris mandato non obstantibus) decreuerint, consuluerint, seu deliberauerint, vel aliorum dicta approbauerint, consilium, aut vocem dederint, vt ad futurum Generale consilium à nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus, contra prædictam Constitutionem, appellare liceat, possit, vel debeat. Dictas pœnas ad ipsos, & eorum quemlibet contrauenientem in præmissis tenore præsentium extendentes, & locum habere declarantes, omni ambiguitate cessante.* & §. 8. *Et vltra prædictas pœnas, loca quæcumque ad quæ violatores ipsos declinare, & in quibus scienter stare permitti, contigerit, Ecclesiastico supponimus interdicto: decernentes illud, quamdiu ipsi violatores inibi scienter steterint, vt præfertur, & per triduum post ipsorum inde recessum firmiter obseruari.*

Portò à Pio V. casus positus est in bulla cœnæ. vnde Nauarr. c. 27. num. 58. ait nunc primum insertum esse in bulla cœnæ: idem constat ex Toleto in explicatione bullæ cœnæ §. 10. ideo non habetur in bulla cœnæ explicata à Ledesma 2. 4. quæst. 26. artic. 2. Cætera, quæ hoc loco dici possent, afferentur in explicatione bullæ cœnæ Theoremate 411.

***

EIVS

EIVSDEM PII II.

Constitutionis 7. editæ anno 1461. quæ incipit. Cum ex sacrorum.

EPITOME 39.

Malè promoti ad ordines sunt suspensi, & si ministrent, irregulares & priuandi beneficiis.

CONTRA clericos malè promotos, ita habet §. 2. *Statuimus, & ordinamus, vt omnes, & singuli, qui absque dispensatione Canonica, aut legitima licentia, siue extra tempora à iure statuta, siue ante ætatem legitimam, vel absque litteris dimissoriis, etiam citramontanis (præterquam si in hoc vltimo casu per Cameram Apostolicã iuxta illius stylum ordinati fuerint) ad quemlibet ex sacris Ordinibus, se fecerint promoueri, à suorum ordinum executione ipso iure suspensi sint. Et si huiusmodi suspensione durante, in eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Possunt q. iure Ecclesiasticis beneficijs priuari, præter alias pœnas in tales generaliter à iure inflictas.*

THEOREMA 108.

SVblata est præsenti Constitutione difficultas inter veteris iuris canonici interpretes, immo etiam nonnullos Theologos, vt notat Nauarr. cap. acceptæ, de restitut. spoliat. opposit. 8. num. 34. & Auila p. 3. disput. 5. dub. 7. an recipientes sacros Ordines extra tempora statuta, aut ante legitimam ætatem, aut ab alieno Episcopo, absque litteris dimissoriis, dispensationéque canonica, essent ipso facto suspensi, an potius suspendendi, cum id non omnino & indubitatè constaret ex cap. illud, c. si quis ausus, d. 71. & c. nullus, 9. q. 2. & cap. cum quidam, c. quod translatione, cap. litteras, cap. vel non est compos, & cap. consultationi, extra de temp. ordin. cum alicubi talis ordinatio, quoad executionem, dicatur, *irrita sit*, alibi *irrita habeatur*, vel *irrita erit*, aut *interdicenda executio ordinis sic susceptí*. Hac enim Constitutione statuit Pius II. ipso iure esse suspensos, & præsumentes in illis ministrare, eo ipso fieri irregulares, posséque priuari beneficiis. Et confirmata est per regulas Cancellariæ Innocent. VIII. Alex. VI. Clemẽtis VII. & Pij V. regula 22. & à Sixto V. bulla 91. quæ incipit, *Sanctum, ac salutare*. & Clem. VIII. bulla 40. quæ incipit, *Romanum Pontificem*. Videndi circa hanc Pij II. extrau. Sylvest. verb. irregularitas, q. 10. Nauarr. cap. 25. num. 70. & cap. accepta, de restit. spoliat. opposit. 8. num. 34. & de temp. ord. consil. 31. Bernard. Diaz in pract. cap. 26. Rebuff. in pract. benef. p. 2. tit. de cler. ad sacros ord. malè promotis. Couarr. Clement. Furiosus, p. 1. §. 1. num. 4. Maiolus l. 1. de irreg. c. 30. Henriquez l. 13. cap. 38. Tolet. l. 1. c. 49. Suarez t. 5. d. 31. sect. 1. n. 13. & seq. Auila loco citato.

Excipiuntur autem à prædicta suspensione, qui bona fide, & probabili ignorantia, vel etiam iuris particularis, v. g. huius extrauagãtis, id faceret, si ignorantia est non tantum pœnæ impositæ, sed etiam

culpæ. nam si sciebat prohiberi, licet pœnam nesciret, incurrit suspensionem. Dixi, *iuris particularis*, quia vix in iure vniuersali, potest dari probabilis ignorantia. patet ex verbo, *præsumpserit*, quod dolum requirit, secundum doctrinam generalem Cardinalis Clement. 1. de priuileg q. 36. idémque notat Nauarr. cap. accepta, loco cit. num. 34. & cap. 27. num. 155. & 241. Couar. loco cit. Suarez num. 26. 27. Tolet. num 4. Sayrus l 4. cap. 14. num. 14. Maiolus, Henriquez, Auila locis citatis.

THEOREMA 109.

REstricta verò est hæc Pij II. extrauag. ad recipientes sacros ordines tantum, & non minores. cum expressio vnius, sit exclusio alterius, vt etiam obseruant Nauarr. cap. 27. num. 70. & de temp. ordin. consil. 32. 33. Rebuffus loco cit. Suarez num. 18. Tolet. ibidem, quamuis etiam minores sic susscipientes, grauiter peccent, ex Nauarro & Suarez, & mereantur ab Episcopo suspendi. c. quod translationem, de temp. ord. Quin immo etiam ipsi à Concilio Tridentino sess. 23. c. 8. de reform. suspenduntur ab ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur; idcoque si ante obtentam licentiã à proprio Episcopo ministrent, fiunt irregulares, vt declarauit Congregatio Cardinalium, vt monet Suarez num. 19.

Illud peculiare contra Vltramontanos, qui se ab Italis Episcopis sine legitimis patentibus suorum Episcoporum, vel speciali licentia Papæ promoueri faciunt, etiam ad minores, ex Sylucst. verb. irregul. 9. Suarez loco cit. Henriquez l. 13. cap. 38. num. 1. statutum est à Clemente IV. cap. 1. de temp. ord. l. 6. vt sint suspensi absque spe dispensationis, super hoc à sede tantum Apostolica obtinendæ. Multi enim Vltramontani vitiis, & censuris irretiti, fugientes patriam in remotis partibus Italiæ, vbi de eis notitia non habebatur, suscipiebant ordines, quos in patria suscipere non potuissent. ob id Pius II. hic addidit, etiam citramontanis: *Si autem in sacris ordinibus ita dolosè susceptis, quis ministret, sit irregularis à solo Papa dispensandus.* ex regulis Cancellariæ Innocent. VIII. Alexand. VI. Leonis X. Pauli III. Pij V. Tabiena verb irregul. 4. num. 7. Sylucst. ibidem, q. 10. Nauarr. c. 27. num. 155. & de temp. ord. consil 40. Auila vbi supra. Ledesma 2. 4. q. 26. art. 2. Couarr. loco cit. Diaz in praxi c. 22. Henriquez loco cit. Ant. Gabriel tom. 1. opin. 102. si tamen delictum sit occultũ, potest dispensare Episcopus, ex Conc. Trid. sess. 24. c. 6. de reform.

Notat autem Henriquez l. 13. c. 38. §. 1. littera D. Nauarr. cap. 25. num. 70. Auila ibidem, vers. sextò. & Suarez num. 13. suspensionem huiusmodi impedire solum vsum ordinis malè susceptí, & in quo deliquit, & consequenter etiam, ne vlterius ascendat; non autem ne vtatur ordine inferiori, si legitimè illum susceperit: idque indicant verba illa, *si suspensione durante in eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant.* In eisdem (scilicet malè susceptis) quibus suspensi sunt, & non in quonis ordine; vt etiam iure antiquo suspendebantur ab executione ordinis solius malè susceptí, ex Glossa cap.

cap.consultationi, de temp ord.& ex Conc.Trid.sess.14.c.2.de refor.

Quærenti etiam an hæc suspensio duret etiam post aduentum legitimæ ætatis, ita vt taliter ordinatus non possit vnquam exercere actum sui ordinis,nisi hæc censura relaxetur. Dico esse difficultatem inter Doctores. Affirmat Henriquez l.13 cap.38.§ 1.litteta F. Rebuffus loco cit. Gonsaluus Villadiego de irreg c.3. n.113. Sylvest. irregul §.10. Diaz in pract.cap.22. Ant.Gabriel tom.1.op.102. Mandosius in Cancell.regul.24 q.1. & 4.Couarr.loco cit.§.2.n.4. Negant verò Corduba casu 144. Sotus 4. d.25.q.1 art 2. in fine. Medina l.1. instr.c.11.§.8. Distinguunt autem Toletus l.1.c.49.n.4. & c.56.nu.2. Suar.loc.cit.n.25. & seq.Auila 3.p. d.5.dub.7.not.8.& 9. Nauarr.c.27. num.155.& cap.accepta,cit.idémque fortè vult Sayrus l. 4. cap. 14. num.14. Si quis enim inculpabiliter omnino ante legitimam ætatem susceptt ordinem,& iam est in ætate legitima, absque incursu irregularitatis potest exercere actũ sui ordinis, quia interiõ Pontificis fuit tali castigatione reprimere temeritatem,taliter delinquentiũ. Si verò susceptt culpabiliter, vt si sciebat vetitum, licet nesciret impositam censuram, indigeret relaxatione suspẽsionis, licet iam peruenerit ad ætatem legitimam,iuxta præsentem constitutionem Posset tamen sic suspensus excusari ab irregularitate,si temerariè quidem susceptt ordinem, sed facta pœnitentia illius malæ susceptionis, bona fide credens iam ob legitimam ætatem sibi licitum esse ordinis exercitium,actum exerceret, vt sentit Nauarr. & Suarez locis supra citatis,eò quod carentia præsumptionis possit excusare ab irregularitate, etsi à suspensione non excusarit.Sicut sæpè bona fides excusat ab irregularitate, quæ non excusat ab excommunicatione, iuxta Glossam cap.solet,de sent. excomm.l.6.

THEOREMA 110.

TEmpora,quibus sacri,seu maiores Ordines possunt recipi, non autem extra sine speciali priuilegio sedis Apostolicæ sunt Sabbata quatuor temporum, Sabbatum ante Dominicam in passione, & Sabbatum sanctum.cap ordinationes,d.75 & cap.de eo autem,de temp.ord. nec vnquã vno eodémque die,nisi vnus.ex c.litteris,ibid. Nauarr.cap.25.n.71.Maiolo l.4.de irreg. cap.11. Vialdo tract.de suspensione,num.47.Minores autem possunt etiam Dominicis,& festis diebus recipi. cap.ex eo, de temp. ord. & vbi est consuetudo plures eodem die.ex S.Ant.3.p.t.14.c.16. §.de temp ord.

Ætas verò maiorum,iuxta Concilium Tridentinum sess. 23. c.12. pro Subdiaconatu annus 22. inchoatus,pro Diaconatu annus 23. inceptus,pro Sacerdotio 25. si per vnum diem saltem incœperit, vt probat Nauarr.cap.25.num.116 & consil.6.de ætat.& qual.ord. Henriquez l.10. de sacr.ord.c.10.nu 2. In minoribus etsi non ita certum tempus staturum sit, & in Concil. Trid. sess.23.c 6. supponatur licitè posse omnes quatuor susci pi ante annum 14. ante tamen completum septennium, prima tonsura conferri nequit, vt dicit Glossa cap. nullus, de temp.ord. l.6. quo

capite

capite cauetur, ne Episcopus vllus ante illud tempus primam tonsuram conferat, sub pœna suspensionis, à collatione primæ tonsuræ per annum. Potest verò dari quolibet die ex Armilla verb. ordo, n. 7. & Bernard. Diaz in sua pract. c. 26.

De dimissoriis autem litteris agitur etiam d. 72. 73. & sunt litteræ datæ à propriis Episcopis subditis, vt possint ab alieno ordinari, propriis inquam Episcopis, originis, domicilij, vel beneficij, dummodo sint electi, & confirmati, quamuis non consecrati, c. cũ nullus, de temp. ord. l. 6. Ab his litteris diuersæ sunt commendatitiæ, quæ dantur presbytero peregrinaturo, vt ei liceat in aliena diœcesi celebrare, ex Concil. Trident. sess. 23. cap. 10. plura de dimissoriis litteris disputat Azor p. 2. l. 3. c. 49. Rebuff. in praxi benefic. p. 1. tit. de litteris dimissoriis.

PAVLI II.

Constitutionis 2. editæ anno 1465. quæ incipit. Cum in omnibus.

EPITOME 40.

Iudices delegati ad examinãdas causas alienationũ rerũ Ecclesiasticarũ, si per gratiam, vel fordes alienationi cõsentiãt, Episcopo in

PRÆCIPITVR §. 2. vt in examinandis causis alienationum rerum Ecclesiasticarum, quæ committuntur in forma. Si in euidentem vtilitatem Ecclesiæ cedant, iudices delegati curent, vt nihil timor, aut fauor, aut munera extorqueãt, & causas in litteris Apostolicis per supplicationes expressas diligenter examinent. Si quis autem eorum in grauamen, aut detrimentum Ecclesiæ per gratiam, timorem, aut sordes alienationi consenserit, aut decretum, vel auctoritatem interposuerit, inferior quidem Episcopo, excommunicationem incurrat, Episcopus verò, aut superior ab executione officij per annum sit suspensus, condemnandus ad resarciendum damnum Ecclesiæ illatum. Et si durante suspensione, damnabiliter se diuinis ingesserit, incurrat irregularitatẽ à solo Papa soluendus. Is autem, qui dolo, vel fraude, aut scienter dictã alienationem fieri procurauerit, aut alienationis decretum per sordes, vel impressionem extorserit, similem excommunicationem incurrat reseruatam Papæ, cõdemnandus ad restitutionem rerum alienatarum cum fructibus, quando de præmissis constiterit.

feriores excõmunicẽtur. Episcopus autẽ, & superiores suspenduntur per annũ ab officio, & si diuinis se ingerãt, sunt irregulares, & qui alienationẽ extorserunt, excommunicẽtur, à solo Papa absoluẽdi.

THEOREMA III.

CONstitutionis huius contra Commissarios, & delegatos sedis Apost. in causis alienationum rerum Ecclesiasticarum, non adeo multi meminerunt, id tamen fecit, etsi imperfectè Nauar. c. 27. n. 108. melius Sylvest. excom. 7. num. 83. & Suarez t. 5. disput. 22. sect. 6. n. 3. 4. 5. Pontifex igitur in præsenti extra

extrauagãti fert duplicem excommunicationẽ,alteram quidem non reſeruatam in Commiſſarios, ſeu delegatos iudices Epiſcopo inferiores, ſi propter metũ, gratiã, aut ſordes(ſunt autem ſordes,apud iuriſconſultos, vt Albericum in dictionario, Decianum in tract. crimin.l. 8.cap.33. Bald.in l. ſi filius, in fin.ff.de iudic.verſic. item nota. Nau. com.de dat.& promiſ. not.3. not.4.vt etiam dicitur Theorem... pretium, ſeu pecunia, promiſſiones,donationes, munera, ſeu vno verbo auaritia) in Eccleſiæ detrimentum, & grauamen præſtent conſenſum.ſeu decretum interponant. ob id, ſi ſolum id ex negligentia facerent,vel id non cederet in Eccleſiæ præiudicium, ſed tantum eſſet æqualitas, non incurrerent hanc cenſuram. Alteram verò reſeruatam Papæ tum cõtra ſcienter procurantes in Eccleſiæ damnum cuiuſcumque ſint conditionis, talem fieri rerum Eccleſiaſticarum alienationem. Et ob id non comprehendẽtur, qui ex ignorantia deliquerunt. tum contra quoſuis extorquentes à prędictis Commiſſariis decretum talis alienationis,pretio, vel promiſſionibus,aut etiam impreſſione (impulſionem legit Sylueſter,quod in idem recidit) id eſt importunis deprecationibus,perſuaſionibus,& inductionibus, condemnandos ad reſtitutionem damni dati.

Quoad autem delegatos Commiſſarios Epiſcopos (qui non ſolent incurrere ſuſpenſionem, aut interdictum per mandatum, aut conſtitutionem, niſi exprimantur, ne facilè impediatur officij Pontificalis executio.cap.quia periculoſum,de ſent.excomm.l.6.) vel illis ſuperiores, vt ſunt Archiepiſcopi, Patriarchæ,vel Primates,ex Gloſſ. in cap.citato,quia periculoſum. & Cardinales, licet non ſint Epiſcopi,ex Geminiano,& Ancharano in d.cap.quia periculoſum.Hugolino tab.1.cap.17.§.7.nu.12. Sayro l.4. cap.12. num.3. per gratiam,timorem,aut ſordes,in hoc delinquentes ab officij executione ſuſpenduntur per annum, condemnandi ad reſtitutionem damni. Et ſi ſuſpenſione durante damnabiliter ſe ingerant, fiunt irregulares à ſolo Papa diſpenſabiles. Perſimile eſt huic Conſtitutioni cap. 1. de ſententia,& re iudicata, l.6.vbi iudices Eccleſiaſtici ordinarij, aut delegati,qui contra conſcientiam,& iuſtitiam faciunt aliquid in iudicio in grauamen alterius partis,ſuſpenduntur ab executione officij, & ſi ſuſpenſione durante, diuinis ſe ingerant,fiunt irregulares. Porrò cum ſuſpenſio ab officio iudicandi non impediat celebrationem diuinorum,intelligetur iuxta ſententiã Suarez d.31. ſect.3.n.16. & Philiarchi de offic. ſacerd. p. 1. l.4.cap.2.caſu 8. de ſuſpenſione ab officio ſimpliciter, tam ordinis, quàm iuriſdictionis; vt fit pariter in cap. vltim. de officio deleg. l.6. quod etiam in hac conſtitutione dicendum exiſtimo. Aliàs enim ſi ab officio ſuſpenſus, non eſſet etiã ab ordine, ſi diuinis ſe ingereret, non efficeretur irregularis. idem conſtat ex cõmuni doctrina Gloſſæ, & Panorm. cap. cum dilectus, num.18. de conſuetudinib. c. quia diuerſitatem,n.12.de conceſſ.præbend. Geminiano, c.quia Pontificali, de offic. deleg.l.6. n.8. Felin. cap.Apoſtolicæ,num.16.de excep. Angel. ſuſpenſio 3.num.3. Roſella

suspensus, num. 1. Sylvest. num. 5. Tab. suspensio, num. 4 vers. 3. Henriquez l. 13. cap. 32 §. 1. Hugolino Tab. 4. cap. 6. §. 1. Tolet. l. 1. cap. 44. num. 3. Sayro l. 4. cap. 5. Auila p. 3. disp. 3. dub. 1. concl. 5. & Suarez disput. 26. sect. 1. num. 4. & seq. & suadet ratio, quia verbum, officij, absolutè prolatum, non restringitur ad aliquâ officij Ecclesiastici partem, sed comprehendit totum genus, constans ex pluribus potestatibus ad varios actus Ecclesiasticos, tanquam speciebus. vnde sub se comprehendit officia ordinis, & iurisdictionis, ideoque suspensio ab executione officij suspendit ab vtrisque actibus.

EIVSDEM PAVLI II.

Constitutionis 3. editæ ann. 1466. quæ incipit. Munera.

EPITOME 41.

Rectores status Ecclesiastici recipientes munera, & similiter dãtes excommunicãtur, à solo Papa absoluendi.

METAT hac Constitutione §. 1. Gubernatores, Rectores, Legatos, &c. locorum status Ecclesiastici (Cardinalibus exceptis) recipere munera (exceptis esculentis, & poculentis, quæ triduo consumi possunt) ab his, apud quos officia exercent, & similiter etiam dare. & cõtrafacientes, tam recipientes, quàm dantes, incurrunt excommunicationem ipso facto, à solo Papa absoluendi.

§. 2. Et prædicti antequam admittantur ad officium, iurabunt se hanc perpetuò valituram Constitutionem obseruaturos.

THEOREMA 112.

QVæ de non recipiendis muneribus ab officialibus status Ecclesiastici, nec dãdis à Communitatibus, vel particularibus personis habẽtibus subiectionem, vel respectum similem ad eum, cui dant, statuũtur hoc loco sub excõmunicationis pœna reseruatæ Papæ, conueniunt etiam cum Iure 1
ciuili. Authen. de Iudicibus. §. nullo quoque. adiuncta Glossa. & Institut. de actionibus. §. Tripli. vbi Iudices aliquid præter determinatas sportulas accipientes, in quadruplum pœnæ nomine condemnantur, supplente in reliquo Imperatore, de salario ex fisco. ex eadem Authent. §. si quis autem. *vt puras* (inquit) *Deo, Imperatori, & legi manus custodirent.* Et primus omnium, suadente Mecœnate, salaria iudicibus tum laborum, tum dignitatis nomine constituit Cæsar Augustus, ex Dione, l. 13. & Menochio de arbitr. l. 2. casu 514. Et 2
cum veteri iure Canonico, nam Innoc. III. c. cum ab omni. de vit. & honest. cleric. cum dixisset Ecclesiasticis hominibus de redditibus prouisum, quibus honestè viuerent, subdit *Ideoque mandamus quatenus ab huiusmodi exactionibus de cætero abstinentes, vigorem iudiciarium gratis studeatis litigantibus impertiri. non obstante quod in fraudem à quibusdam proponitur, quod id exigatur nomine assessorum, cum nec iustum iudicium iudici vendere liceat, & venales sententiæ, ab ipsis etiam secularibus reprobentur.* & Bonifacius VIII. c. statutum de rescript. l. 6. §. insu

inſuper. voluit, vt gratis, & cum omni puritate iudiciũ procederet, nullum munus, vel quicquã aliud, niſi forſitam eſculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis conſumi diebus poſſit, recipi. Videatur Panorm. & Io. Andr. in d. c. cum ab omni. & cap. quia plerumque. de immunit. Eccleſiæ. S. Thom. 2. 2. q. 33. a. 1. Io. Medin. de reſtit. q. 29. Petr. Nauarr. l. 3. cap. 2. Molina. de iuſt. & iure. d. 83. Gabriel 4. d. 15. quæſt. 6. art. 2. Nauar. cap. 25. n. 12. qui volunt accipientes obligari ad reſtitutionem. Et denique cum iure diuino. nam Iſaiæ 33. dicitur. *Qui excutit manus ſuas ab omni munere, iſte etiam in excelſis habitabit.* & Micheas c. 3. ſecundum 70. tribuit deſtructionẽ Ieruſalem eidẽ crimini. *Iudices* (inquit) *eius in muneribus iudicabunt, & ſacerdotes eius in mercede reſpondebũt.* Videatur 11. q 3. c. qui rectè. c. non licet c. pauper. cap. quatuor modis.

3

Porrò nõ tantum ad recipientes, ſed etiã ad dantes, habentes ſubiectionis reſpectum, extenditur prohibitio, cum inducant Iudices ad contraueniẽdum prohibitioni. Et rectè, cum etiam l. 1. Cod. de pœna iudicis, conſtituat, vt quí in quacumque cauſa pecuniam dederit iudici in diffidentia iuſtæ ſententiæ, vel in eiuſdem pecuniæ corruptela ſpem negotij repoſuerit, cauſam perdat, & reus abſoluatur, etiamſi actor ius habeat.

THEOREMA 113.

PErmittuntur autem eſculenta, & poculenta ex mera liberalitate (non autem exacta, vel petita, etiam indirectè) oblata, quæ biduo, aut triduo conſumantur. vt etiam ſit. cap. ſtatutum. de reſcriptis. l. 6. & l. plebiſcito. ff. de officio Præſidis quæ habet: *Plebiſcito continetur, ne quis Præſidum munus, donúmve caperet, niſi eſculentum, poculentúmve, quod intra dies proximos prodigatur.* & l. ſolent §. nam valdè. ff. de officio Proconſultis. Nam valdè inhumanum eſt à nemine accipere, ſed paſſim viliſſimum, & omnino auariſſimũ. & quod mandatis continetur, ne donum, vel munus ipſe Proconſul, vel qui in alio officio erit, emátue quid, niſi victus quotidiani cauſa; ad xeniniola non pertinet, ſed quæ edulium exceduntˇ vſum. Sed nec xenia producenda ſunt ad munerum qualitatem. & iure nouo. Authent. vt iudices ſine quoquo. § quapropter dum. vt aduertit Gloſſa in l. plebiſcito. ff. de officio Præſidis. verb. Poculentúmve. hodie neque huiuſmodi xenia accipi permittuntur, niſi in defectu ſalarij. Ratio cur tolerentur hæc xenia, eſt, quod non ſit veriſimile, his minimis peruerti, vel allici poſſe animum recipientis. cap. etſi quæſtionis. extra. de Simonia. ſicut nec eadem de cauſa. l. ſi oleum. & l. id eſt. ff. de dolo malo, pro modica re datur actio de dolo. ſi quis autem contra facere præſumpſerit, tenetur ad integram reſtitutionem. argumento cap. ſtatutum. §. ſi quid autem. de reſcript. l. 6. Gloſſa eodem. cap. §. inſuper. verb. præſumat. & §. citato ſi quid autem. verb. remiſſione. Sylueſt. verb. Iudex. §. 13. verſ. ſecundum. & ad id facit cap. Romana. de cenſibus. § penultimo. & cap. exigit. ibidem. l. 6. vbi viſitatores aliquid præter victualia recipientes, tenentur reſtituere duplum. aliàs in-

tra duo menses incurrunt suspensionem ab officio, & beneficio.

THEOREMA 114.

QVoad munera verò recipientes excipiuntur à Pontifice hoc loco Cardinales. de quibus quæri solet, an Constitutionibus Pontificiis latis de Concilio Cardinalium, ligentur quoad pœnas, & odiosa, si non exprimantur. & quidem negant comprehendi Hostiensis, & Ancharan. cap. 1. de schismate. Barbatia, cap. in nostra. de rescriptis, Oldradus concil. 293. Romanus consil. 498. Iason cons. 117. vol. 4. Cardinalis Albanus tr. de Cardinalibus, quæst. 42. priuileg. 31. eo quod Papa vnà cum Cardinalibus ad cæteros Constitutiones ferre videantur. Oppositum autem docent Archidiac. Io. Andr. Dominicus, & Felinus apud Cardinalem Albanum, quando quod vetatur in Constitutionibus est per se malum, vel iure communi interdictum. vel quod imperatur, est per se bonum, aut est iure communi decretum. nisi in iis, in quibus excipiuntur, vel iure communi, vel iure nouo expresso, vel vsu curię, aut priuilegiis. Cum in c. Canonum de Cōstitutionibus decernatur Canonum statuta ab omnibus obseruari debere, & ligentur etiam Cardinales regulis Cancellariæ, vt docet Ludouicus Gomel in earum proœmio. quæst. 4. Sarnensis ibidem, & in regulam Cancellariæ. de infirm. resign quæst. 3. & certè hoc loco frustra exciperentur expressè, si ipso iure, vel vsu exempti sunt, & non ligantur.

EIVSDEM PAVLI II.

Constitutionis 5. aliàs 6. editæ anno 1467. quæ incipit.

Ambitiosæ.

EPITOME 42.

PROHIBET Paulus II. §. 1. alienationē omniū rerum, bonorúmque Ecclesiasticorum, & omne pactum, per quod ipsorum dominium ttansfertur, concessionē, hypothecam, locationem, infeudationem, & conductionem vltra trienniū, vel contractum emphyteoticū, præterquam in casibus à iure expressis, ac de rebus, & bonis in Emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & in euidentem Ecclesiæ vtilitatem; nec non de fructibus, & bonis, quæ seruando seruari non possunt, fieri.

Ecclesiastica bona non alienāda, infeudāda, locāda vltra trienniū. excom. interd. susp. priuat. dignit. benef. & inhabilitatio in futuro.

§. 3. si quid contra fiat, & inconsulto Romano Pontifice, acta sunt nulla, & tam qui alienat, quàm qui res alienatas, seu bona Ecclesiastica recipit, sunt excommunicati. & si est Prælatus superior, vt Episcopus, & Abbas, interdictus est ab ingressu Ecclesiæ per sex menses, & si tunc adhuc animo obstinato perseuerat, suspenditur à gubernatione, & regimine spirituali, & temporali suæ Ecclesiæ

vel

vel monaſterij, cui præſidet. Prælati autem inferiores, vt Cõmendatarij, Rectores, &c. ſunt ipſo facto priuati præpoſitura, prioratu, dignitate, & eo beneficio, cuius bona alienarunt abſque alia declaratione, & ad illud de nouo obtinendum inhabiles. & ſuper hoc §. 2. innouẽtur etiam Conſtitutiones editæ à Prædeceſſoribus.

THEOREMA 115.

SEntentia eſt plurium Theologorum, & interpretum iuris canonici, conſtitutionem hanc non eſſe vbique receptam, & alicubi, recepta ſolùm partialiter, & non totaliter. ita docent Rochus Curtius. c. vltimo de conſuetudin. Caiet. excom. cap. 75. ad finem. Angelus, excom. 7. caſu 48. Syl. ibidem num. 83. Armill. num. 62. Nauarr. cap. 27. num. 149. & tr. de reb. Eccl. non alien. num. 21. Sayrus l. 3. cap. 33. num. 22. Tolet. l. 1. cap. 41. num. 2. Couar. l. 1. var. reſol. cap. 16. num. 6. §. 5. Suarez tom. 5. d. 22. ſect. 6. num. 6. Leſſius l. 2. cap. 24. dub. 11. num. 69. Azor. 4. 2. l. 6. cap. 16. quæſt. 1. Vazquez opuſc. de reddit. cap. 2. §. 2. dub. 7. Bonacina de contr. d. 3. q. 8. p. 4. num. 14. vnde fit vt confeſſarius inquirere debeat patriæ conſuetudinem, quod facile erit, ab Epiſcopali curia, vt poſſit ſcire quem & quantum debeat condemnare.

Circa primum igitur §. etſi iure antiquo beneficiorum domus, fundus, prædia & ſimilia locari ad vitam non poſſent, Gloſſ. in Clem. 1. de reb. Eccl. non alien. in verbo. Eius. & ibidem Ancharanus, Cardinalis Imola, & Alex. conſ. 119. in lib. 3. & conſil. 165. l. 2. Couarr. l. 2. var. reſol. cap. 16. n. 3. eo quod locatio rei ad vitam habeatur tanquam perpetua. Neque ad longum tempus Clem. 1. de reb. Eccl. alien. & eodem tit. cap. nulla. cuiuſmodi cenſetur decennium, ex Gloſſa, Cardinali Imola, Ancarano in Clem. cit. verb. locationes. Panor. cap. veſtra. de locatione, Decio conſil. 142. num. 3. Leſſio l. 2. c. 24. dub. 11. num. 68. & aliis apud Couarr. n. 1. Poterant tamen locari huiuſmodi poſſeſſiones, & bona ad octo, & nouem annos. Nouo igitur iure huius extrauagãtis, quæ etiam habetur inter communes de alienatione, Paulus II. prohibet locationem bonorum Eccleſiæ vltra triennium.

Sed quid ſi huiuſmodi beneficiorum poſſeſſiones non reddant ſingulis annis iuſtum fructum, ſed altero tantũ, aut tertio quoque anno? poterúntne locari vltra triennium, vbi huiuſmodi Conſtitutio recepta eſt? Reſpondet Nauarr. Com. de alienat. rer. Eccl. num. 21. 22. Couarr. l. 2. var. reſol. cap. 16. n. 6. Barbatia in rub. de reb. Eccl. non alien. n. 52. Azor. t. 2. l. cap. 10. quæſt. 8. & l. 9. cap. 2. q. 2. Leſſius loco citato n. 69. Rebel. l. 14. q. 5. Vazquez opuſc. de bene cap. 2. §. 2. dub. 6. num. 30. poſſe, eo quod triennium in hac Conſtitutione non attẽdatur ex annis ſecundum ſe, ſed ex fructibus, qui ex re locata percipi ſolent. ideo ſi res ſingulis annis fructus ferat, ſolum ad triennĩ locari poteſt; ſi altero tantùm anno, locari poterit ad ſex annos; ſi ſolum tertio quoque anno, ad

nouem. est enim Pontificis mens, vt terni fructus percipi possint, vt si vno anno sterilitas accidat, compensari in aliis possit; aliàs paucos omnino conductores res Ecclesiasticæ inuenire possent. Et confirmatur, quia si Emphyteuta non soluat per triennium pensionem, si ex re illa vnicus tantùm fructus alternis tantùm annis colligatur, non amittit rem Emphyteoticam, ex Baldo l. eodem. Cod. locati Alexand. in l. diuortio. §. 1. ff. solut. matr. Iasone ibidem, & l. 2. Cod. de iur. Emphyt. & Couar. loco citato.

Quærenti quoque an hac Constitutione prohibeatur Clericus res, & bona beneficij locare ad triennium, ea conditione adiecta, vt finito termino, iterum idem conductori locet eadem bona ad secundum triennium? Respondet Azor loco citato l. 7. cap. 10. q. 6. & l. 9. cap. 2. quæst. 3. prohiberi, eo quod nomine alienationis intelligatur etiam promissio, & conuentio, de re locanda, vel alienanda, & rectè ex Baldo l. vltima. ff. ad leg. Falcidiam. & ideo tale pactum sit etiam contra præceptum de non alienando vltra triennium, & in fraudem legis, etiamsi ab initio duabus distinctis scripturis, id fiat; cum vtroque modo ad plures annos fiat re vera. Secus si priuatim qui rem locat, se eidem conductori finito triennio promitteret rem locaturum; eò quod cum nulla publica scriptura de hoc confecta sit, promissio solum sit de re iterum locanda, & non locatio, ideóque non videatur prohibita, sicut nec matrimonij promissio censetur matrimonium. Notant etiam Couarr. n. 6. & Azor l. 9. cap. 2. q. 5. Constitutionem prohibentem locationem rerum Eccl. vltra triennium, includere etiam mandatum ad eas locãdas. Quare si detur alicui mandatum, vt res locet Ecclesię, extenditur tantũ ad triennium, quo finito procurator non poterit absque noua commissione in aliud triennium illas locare. Idémque ex citatis, si mandatum detur ad locandum res Ecclesiæ bis, aut ter, mandatum finitur primo triennio elapso, iuxta decisionem Decij consil. 282.

Dubitabis cum sæpe contingat locari non Ecclesiarum fundos, & prædia, sed tantũ futuri fructus, & redditus pertinentes ad beneficiatum, an hi fructus, quos acquirit ex beneficio, possint locari, aut vendi à beneficiario ad plures annos, siue vltra triennium, & ad vitam ipsius tanquam suorum beneficiorum fructus? Dico Panorm. in cap. continebatur de his, quæ fiunt à prælatis. num. 7. Redoanum tr. de rebus Eccl. alien. rubrica 33. casu 2. n. 28. Couarr. num. 6. vers. 6. Azorem l. 7. cap. 10. quæst. 3. etsi l. 9. cap. 2. quæst. 7. dubitare videatur quoad hoc nouum ius, vbi receptum est, & Lessium l. 2. cap. 24. dub. 11. num. 70. nec non Vazquez de redd. cap. 2. §. 2. num. 34. affirmare, modò ipsi fundi non locentur, quia ij fructus non sunt res Ecclesiæ, sed priuatorum, & locatio expirat morte locantis, & beneficij amissione, cum conductor nullum ius acquirat in fundum, sed tantum in fructus pertinentes ad locatorem. Secus ac fiat in locatione fundi, nam locatio immediatè fundum attingit, & manet, etiamsi locans beneficium amittat: idco non comprehendi hac constitutione Pauli II.

THEO

THEOREMA 116.

SI autem huiuſmodi res Eccleſiæ proximè datæ erant in feudum, vel Emphyteuſim, poſſunt iterum ſimiliter dari, idque abſque ſolemnitate in iure præſcripta, dummodo fiat in euidentem Eccleſiæ vtilitatem, & antequam illius rei fructus incorporentur Eccleſiæ, id eſt vſibus eius à Prælato incorporentur, vt docet Clarius l. 4. q. 6. de Emphyt. & quæſt. 13. de feudis. Couarr. l. 2. var. reſol. cap. 17. n. 4. Socin. conſil. 169. num. 9. l. 2. Iaſon conſil. 155. lib. 2. & Leſſius l. 2. cap. 24. dub. 11. num. 59. Menoch. l. 2 de arb caſu 433. vbi hac de re plura diſputat. idque colligũt tum ex cap. 2. de feud. ita communiter expoſito à Doctoribus, tum quod hæc non cenſeatur noua alienatio (quæ prohibetur in iure) ſed continuatio alienationis antea factæ, tum ex hac extrauagante Pauli II. vbi dicitur, *præterquam in caſibus à iure expreſſis, ac de rebus, ac bonis in Emphyteuſim ab antiquo concedi ſolitis, & in euidentem Eccleſiæ vtilitatem.* Vide Bonac. de contr. d. 3. q. 8. p. 4. n 3. qui plures citat.

THEOREMA 117.

QVoad §. verò tertium, quoniam improbatur locatio rerum Eccleſ. vltra triennium, poteſt in iure quæri, an ſi hæc locatio fiat ad 4. vel 5. aut plures annos, valida ſit quoad tres priores annos, & ſi non valeat quoad totum tempus à contrahentibus definitum, vel ſit pœnitus in totum irrita? Sunt qui valere putent ex parte, ſcilicet quoad triennium, vt Baldus in Authent. ſi quas ruinas. Cod. de ſacroſ. Eccl. Paulus Caſtrenſis in Authent. qui rem. Cod. de ſacroſ. Eccl. Imola in cap. ex parte de feudis. Alex. conſil. 38. l. 2. quam etiam opinionem communem eſſe docent Iaſon, & Decius in citata Authent. qui rem. Tiraquell. l. 2. de retract. p. vltima num. 144. & alij apud Couarr. loco cit. num. 5. eo quòd ſit regula iuris l. 6. in iis, quæ ſeparari poſſunt, vtile per inutile non vitiari.

Oppoſitum rectiùs defendunt Bartolus, Bartolomæus Socinus, Panor. Felinus, Cardinalis, & alij apud Couarr. quos ille ſequitur, Azor. t. 2. l. 7. c. 10. q. 4. & lib. 9. c. 2. q. 4. & 3. t. lib. 8. §. de locato. c. 3. q. 3. Vazquez de reddit. c. 2. §. 2. dub. 5. Tuſcus tom. 5. concl. 406. Mantica de tac. & ambig. conuent. l. 5. tit. 5. Leſſius l. 2. cap. 24. d. 11. n. 68. volentes in totum talem locationem irritam eſſe, & nullam, tum propter huius conſtitutionis verba, dicentia locationem aliter factam nullius omnino eſſe roboris, tum ex Clem. 1. de reb. Eccl. alien. dicente, nec recipienti ius aliquod acquiri. Facit pro hac opinione Authent. de non alienand. vbi §. ſi verò etiam perpetuam. dicitur. *Si verò etiam perpetuam quiſpiam Emphyteuſim accipere præſumpſerit, quod non licet, aut temporalem quidem, non tamen ſecundum huius noſtræ legis obſeruationem, etiam ſic cadat quidem de Emphyteuſi.* Quę diligenter ponderat Couarr. ad propoſitum noſtrum, cum Imperator velit, eum ſtatim à toto iure cadere in pœnam contractus initi aduerſus legem. Tum quia ex mente contrahentium eſt vna indiuidua locatio in tot annos, cum conductio triennalis non ita ſit commoda,

ideóque

ideóque nequeat fieri ſeparatio eius temporis, quod eſt lege permiſſum, ab eo, quod lege prohibetur.

Quod de locatione dictum eſt, dicendum eſt etiam de cęteris alienationibus, tum immobilium, tum mobilium pretioſorum, vt ſunt vaſa aurea, argentea, gemmæ, caſulæ pretioſæ, præterquam in caſibus à iure expreſſis, de quibus diximus Theor. 2. & fructuum, qui commodè ſeruari queunt, vt ſunt, quæ triennio non corrumpuntur, & ſimul fructificant, vt ouium grex; ſecus de his, quæ vſu conſumuntur, vt vinum, oleum, &c. de quibus Gloſſa in l. 1. Cod. ſi aduerſus vſucap. Syl. verb. alienatio. num. 7. Leſſius l. 2. cap. 24. dub. 11. num. 62. Azor tom. 2. lib. 9. cap. 1. q. 5. Nauarr. Com. de alien. rer. Eccl. num. 4.

THEOREMA 118.

QVod hic dicitur de pœnis alienantiũ prędicta Eccleſiæ bona contra hanc conſtitutionem, habetur etiam in formula iuramenti fidelitatis Epiſcoporum, & Abbatum, qui conſecrantur vigore litterarum Apoſtolicarum, vbi hæc conſtitutio citatur, eiúſque pœnis, ſi contra eam præſumpſerint, ſeſe ſubiiciunt promoti. vnde Præſules, ſi res ſuæ Eccleſiæ, etiam in cauſis, quas iura concedunt, alienent inconſulto Rom. Pontifice, fiunt periuri, cum tale iuramentum ſit de re licita, nempe vt alienatio cautius fiat, & ſeruari poſſit, ideóque complendum, iuxta c. ſi verò de iureiur. & c. quamuis de pactis in 6. niſi velint eſſe periuri, ex Azore t. 2. l. 9. c. 1. q. 9.

Porrò Epiſcopis, & Abbatibus, præter excommunicationem, quæ non eſt reſeruata, ex Angelo excom. 7. n. 48. & Suarez tom. 5. d. 22. ſect. 6. n. 6. imponitur etiam pœna interdicti per ſex menſes ab ingreſſu Eccleſiæ, & niſi intra idem tempus reſipiſcant, à regimine temporali, & ſpirituali Eccleſiæ, vel monaſterij cui præſident, ſunt ſuſpenſi. Inferiores autem Prælati, & Rectores Eccleſiarum ſic alienantes, aut inconſulto Pontifice, priuantur iis beneficiis, & officiis, quorum alienarunt bona, & redduntur ad eadem inhabiles, & abſque alia declaratione, prædicta vacant; aliiſque liberè conferri poſſunt. Qua de re videri poteſt Suarez tom. 5. diſp. 26. ſect. 1. n. 7. 8. & Nauarr. com. de alien. rer. Eccl. n. 13. 14. qui etiam in Manuali c. 27. num. 149. quoad hanc pœnam priuationis beneficij, ait hanc conſtitutionem nullibi fuiſſe vſu receptam.

Porrò quoſnam effectus producat ipſo iure priuatio beneficij, & an ita priuatus teneatur in foro conſcientiæ ante ſententiam iudicis beneficium dimittere, accuratè tractat Azor. tom. 2. l. 7. cap. 16. quæſt. 2. & 3. déque ea alibi nos agemus. Innouantur hoc etiam loco conſtitutiones à prædeceſſoribus editæ de eadem alienatione, eiuſmodi fuerunt Leonis I. num. 1. Io. 22. nu. 1. Gregorij IX. n. 1. Clementis V I. n. 1. Innoc. V I. num. 2. Innoc. VII. n. 1. in bull. vereri. quos deinde imitati sũt Clem. VII. n. 18. Paulus III. n. 25. 74. Iulius III. n. 25. Paulus IV. n. 2. Pius V. qui conſtituit, vt Cardinales iurarent non conſenſuros in alienationem feudorum Eccleſiæ, quod etiam in creatio

creatione & coronatione iurat Pontifex, vsúque seruatum est his 50. annis à successoribus.

SIXTI IV.

Cõstitutionis 3. editæ anno 1470. quæ incipit. Cum prouida.

EPITOME 43.

Subtrahentes lapides porphyreticos, & ornamẽta ex Ecclesiis Vrbis Romæ, excom. cum auxiliantibus à Papa absoluendi, & loca interdicũtur.

CONSTITVTIO hæc lata est in subtrahentes ex Ecclesiis Vrbis Romæ lapides porphyreticos, aliósque diuersorum colorum, atque etiam ornamenta cætera. Et quidem primum approbat Pontifex Prædecessorũ censuras, si quæ hac de re sint latæ. Deinde omnes, & singulos, cuiuscumque sunt dignitatis, status, & conditionis, qui habuerint ex prædictis lapidibus, atque ornamentis dictarum Ecclesiarum, aut in surripiendo, seruando, retinendo, auxilium, vel fauorem præstiterint, nisi intra tertium diem habita præsentium literarum notitia, cum effectu restituerint; scientésque nisi reuelauerint, excommunicat ipso facto à solo Pontifice Romano (extra articulum mortis, & facta satisfactione debita) reseruata absolutione. Et loca, quorum ornatui, & vsibus illa dedicata fuerunt, aut in futuro contiget deputari, tamdiu supponit Ecclesiastico interdicto, quamdiu absque diminutione vlla fuerint reportata. Et quisquis in futuro huiusmodi crimen committere præsũpserit, præter censuras prædictas, teneatur soluere mediam libram auri Ecclesiæ illi, à qua lapides, & ornamenta abstulerit in recompensationem iuiuriæ illi irrogatæ.

THEOREMA 119.

SOlicitus meritò fuit Sixtus in tuendis conseruandísque ornamentis Ecclesiarum Vrbis. Tum quia sanctorum Patrum decreta definiunt sacrilegos esse, qui Ecclesias, & loca sacra Altissimo dedicata deuastãr, istorúmque ornamenta diripiunt. Tum quia ad diuinum cultum pertinentia ob reuerentiam Numinis sint quàm diligentissimè augenda, nedum conseruanda, & studiosiùs, quàm nostra, vt filium monuit sanctus Stephanus Rex Hungariæ l. 2. decretorum cap. 1. Tum quòd Roma sit Christiani orbis caput, & Apostolica sedes cæterarum Ecclesiarum Magistra, ideóque religiosiùs cęteris & tuenda, & ornanda, vt egregiè factum videmus à piissimo Imperatore Constantino Magno, vt docet Eusebius in illius vita, non autem impiè aut expilanda, aut violanda. Tum quod vetus quoque Tabernaculum Nu. 7. & Hierosolymitanum templum (quæ teste S. Felice 4. epist. 1. fuerunt vmbræ, & figuræ eorum, quæ in nouo

testamento fieri oportebat) Deo ipso approbante fuerunt ornatissima, videtúrque Dauid ad hoc alluisse Psalm. 143. cumdixit, filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi; & licet colligere ex ferri, æris, argenti, & auri, lignorúmque, marmorum, ac pretiosissimorum lapidum multitudine, in vsum futuri templi à Dauide rege parata l. 1. Paralip. c. vltimo. & Salomone l. 1. Paralip. cap. 1. de quibus accuratissimè noster Io. Pineda l. 5. de reb. Salomonis cap. 10. & seqq. & explicat, l. 3. reg. cap. 8. & Iosephus l. 4. de antiq. cap. 12. adeo vt ex eodem Iosepho Crassus in expeditione Parthica abstulerit in aureis ornamentis ad octo talentorum millia, itémque trabem ex auro trecentas minas pendentem (constabat autem mina apud Iudæos libris duabus cum dimidia) & tamen ob religionem ab omni iniuria conseruabantur immunia, non solum ab Hebræis, sed etiam à nationibus circumpositis. vnde dixit Heliodorus Apollonio l. 2. Mach. cap. 3. *si quem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc; & flagellatum eum recipies si tamen euaserit, eò quod in loco sit verè Dei quædam virtus.* Tum denique, ne ipsis Gentilibus simus negligentiores, qui falsorum suorum Numinum templa magnificentissimè extrunxerunt, sarta tecta diligenter conseruarunt, & muneribus amplissimis donarunt: vt constat exemplo Dianæ Ephesiæ templi ducentis viginti annis, à tota Asia extructi, vt lib. 1. de natura, & incremento Nili, cap. vltimo diximus cum Plinio l. 36. cap. 14. & Pacis Romæ ædificati à Vespasiano; in quod etiam illata sunt ornamenta, & vasa pretiosa, quæ fuerant exportata Hierosolymis, ex Iosepho l. 7. de bello Iudaico cap. 24. quorum visendorum studio per totum orbem plurimi vagabantur. Et ante paucos annos in Iaponia delubri à Findeyori Principe extructi impensis septuagies centenis millibus aureorum, seu, vt nostrates Arichmetici computant, septem & amplius millionibus auri, Idolo cuidam fusili adeo ingenti, vt longitudo oculi eius ab angulo ad angulũ sit octo palmorum, pollice, & minimo digito extremè deductis; vt non tantum ex literis P. Caroli Spinulæ ibi diu degentis anni 1615. constat, sed etiam testimonio P. Gabrielis Matos ibidem multis annis versati, & P. Petri Moriglioni, qui suis ipse manibus id se mensum esse mihi clarè testatus est. Iacet autem Iaponia insula è regione Sinarum ciúsque Regia Meacus, quæ in meditullio sedet, est in 166. gradu longitudinis ab insulis Canariis, & altitudinis poli arctici grad. 35. Hangasachi verò primaria quoque Ciuitas initio regni est in 150. gradu lõgitudinis, & 32. $\frac{1}{2}$ grad. altitudinis, quicquid Cosmographi alij suis tabulis delineauerint, vt se multoties ex lunæ eclypsi obseruasse, inde scripsit die 18. Martij anni 1616. idem P. Carolus Spinula. Diximus autem de ornatu templorum l. 2. de Missæ sacrificio cap. 13. num. 14. 15.

THEOREMA 120.

IN specie verò in hac Constitutione exprimuntur lapides porphyretici,

phyretici, ita dicti, quod rubeant & purpuram imitentur, de quibus Plinius, l.36. cap.7. & Georgius Agricola,l.7.de foſſilibus.Naſcuntur autem in Ægypto,& ob eorum ſummam duritiem adeo reſiſtunt ſcalpturæ, vt iam vix artifex inueniatur, qui norit ſcalpere. Ex hoc marmoris genere multæ viſuntur columnæ Conſtãtinopoli in templo S. Sophiæ à Iuſtiniano Imperatore ædificato. Multæ Venetiis in templo D.Marci, & Bauennæ in S.Apollinari. Florentiæ tres in æde D. Io. Baptiſtæ ſacra,captæ de ſpoliis Saracenorum à Piſanis, & donatæ Florentinis gratitudinis monumentum, quod ſe abſentibus Piſas, & imbellem multitudinem ab inimicis defendiſſent. Minores quatuor habentur Gennæ in ſummo templo S. Laurentij, ſuſtinentes ſacros D. Io. Baptiſtæ cineres. Romæ in templo D. Bartholomæi arca eſt ex eadem materia,in qua Sanctorum reliquiæ aſſeruantur, & ibidem in templo S.Crucis in Hieruſalem altera. In ſancto Laurentio extra vrbis muros,& Venetiis in templo D.Marci eſt integer Porphyreticus ſuggeſtus,vt ꝺpera cętera omittamus, ſtatuas tandem ex eadem marmoris ſpecie centum, & quinquaginta Romam ex Ægypto Triatium Pollionem Cæſari aduexiſſe ſcripſit loco cit. Plinius.

De pœnis verò diuinitus inflictis templorum expilatoribus,egimus de Miſſæ ſacrificio l.2.cap.13. & 14.Mulctam autem,à Sixto IV. hoc loco ſtatutam in expilatores dimidiæ libræ auri, non tenetur quis ſoluere ante iudicis ſententiam, ex communi doctrina, cum delinquẽs teneatur ſolum pœnam illatam pati, & non eam ſibi ipſi infligere, etſi reliquæ pœnæ ſtatutæ à Sixto incurrantur ipſo facto. Exemplum Sixti IV. ſecutus eſt Paulus III. qui, vt conſtat ex Rubuffo in illius bullæ cænæ explicatione,poſuerit aliũ canonem, quo excõmunicat eos, qui tempore direptionis vrbis in Pontificatu Clementis VII. abſtulerant,& occuparant ſanctas reliquias, ornamenta Eccleſiaſtica, & quæcumque alia ad diuinum cultum deputata ex Baſilicis tam intus, quàm extra mænia vrbis Romæ.

INNOCENTII VIII.

Cõſtitutionis 3.editæ anno 1484. quæ incipit. Apoſtolicæ.

EPITOME 34.

INNOCENTIVS inſiſtens veſtigiis Pij II. & Pauli II. ſtatuit §. 3. 4. 5. vt obligati ad ſoluendas Annatas Eccleſiaſticorum beneficiorum, quæ de cætero non vacant, eas ſtatutis terminis, ſeu Quindenniis ſoluant, & contumaces ſint ipſo facto excõmunicati & priuati beneficiis, quæ ab aliis impetrari poſſint, ſublata iudicibus facultate ſecus iudicãdi.

Obligati ad ſoluẽdas Annatas beneficiorũ non vacãtium, ſi nõ ſoluant, excommunicãtur, & priuãtur beneficiis.

THEOREMA 121.

ANnatæ nomine intelligitur genus quoddam penſionis, quod primo anno ſoluit, qui beneficium aliquod conſequitur Eccleſiaſticum, ſi aureos 24. annuos

nuos excedat, summo Pontifici, siue fructus eiusdem primi anni solnuntur integri, sine dimidiati. Quod primum fuisse à Bonifacio IX. institutum scribit Platina in eius vita, Gigas in tr. de Pensionibus quæst. 36 num. 1. & Cosmas in pragmaticam sanctionem de annatis, etsi alij velint, à Ioan. XXII. primo factum. Quindennium verò, quod ex annatis originem traxit, est etiam pensionis genus, cum beneficia auctoritate Põtificia annectuntur Collegiis Clericorum sæcularium, vel regularium, seminariis, hospitalibus, piisque locis, non amplius vacatura, quod vniuersitates nõ moriantur, vt faciunt personæ particulares sed durent. Quare vti computatis computandis beneficia particularibus personis concessa penè decimoquinto quoque anno vacant, & de nouo prouisus annatam soluit; ita in his non amplius vacaturis institutum est, vt elapsis quindecim annis à tempore, quo beneficia sunt his Communitatibus coniuncta, soluantur Pontificio fisco vnius anni fructus, aut certa pars eorũ. Quare cum id decimoquinto quoque anno fiat, & soluatur, quasi de nouo conferretur, nomen sortitum est Quindennij. Primúmque id videtur institutum à Paulo II. cuius extat de Quindennio soluendo Constitutio, quæ incipit. *Decet Romanum*, quæ est 6. in bullario nouo, in veteri autem 8.

THEOREMA 122.

POrrò Cosmas author Glossę in pragmaticam sanctionem factã authoritate Caroli VII. in conuentu Biturienſi cit. de annatis, Duarenus. l. 6. de sacris Ecclesiæ ministris, Petrus Georgius in syntagmate vniuersi iuris. p. 3. l. 33. cap. 13. num. 41. & Panorm. in c. 1. de Simonia, putarunt summum Pontificem absque Simoniæ vitio non posse huiusmodi pensiones Annatarum, Quindenniorum, & similium, à beneficiatiis exigere. eo quòd dictum sit Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* & prohibeatur núdinatio beneficiotum, & rerum spiritualium 1. quæst. 1. idque veritum fuerit in Concilio Basilienſi sess. 21. Prædictis multo modestius Io. Andr. in cap. inter cætera. de officio ordinarij. scripsit se optare, vt Romanus Pontifex acciperet vigesimam partem omnium prouentuum beneficiorum totius orbis Christiani in suam, Cardinalium, & Curiæ Romanæ sustentationem, nec aliud exigeret pro communibus seruitiis ex fructibus primi anni, exceptis stipendiis scriptorum. Sed omnino dubitari non potest, quia huiusmodi pensiones Annatarum, & Quindenniorum omni Simoniæ vitio careant, vt Ferdinandus Cordubensis in tr. de annatis, Echius in Enchiridio locorum comm. contra Lutheranos tr. de annatis, & alij docent. Vt enim non tantum absque Simoniæ vitio, sed etiam iustè, & landabiliter potest sum. Potifex statuere, vt qui beneficium Ecclesiasticum obtinuerit, integros fructus, vel dimidiam partem eorum colligendorum primo anno soluantur in subsidium huius, aut illius Clerici, Monasterij, Hospitalis, Cruciatæ terræ sanctæ, aut alterius communis necessitatis; ita potest sibi, & Curiæ, quæ communibus vtilitatibus seruit,

uit, abſque vllo peccato reſeruare. Non enim penſiones huiuſmodi ſoluuntur Romano Pontifici, tanquam pretium collationis beneficij Clerico, vt petebat argumentum, vt tanquam merces debita Papæ conferenti, ſed in ſubſidium vitæ miniſtrorum neceſſariorum Romanæ curiæ, cum dignus ſit operarius mercede ſua, & Numer. cap. 18. ex decimis Sacerdotum, decima ſummo Pontifici ſolueretur; quod etiam indicat, in nouo teſtamento poſſe Rom. Pontificem ex beneficiorum fructibus penſiones huiuſmodi reſeruare. Ioannes autem Andræas ſolum oſtendit rationem aliam, & modum, quo neceſſitatibus Curię potuit ſubueniri. Concilium autem Baſilieuſe nõ eſt ab Eugenio Papa confirmatum, imò ab eo reuocatus eſt Apoſtolicus Legatus.

THEOREMA 123.

DVbitari poteſt de quibus beneficiis coniunctis Communitatibus ſit ſoluendum Quindennium? Reſpõdeo in Conſtitutione Pauli II. ſtatutum ſolum fuiſſe, vt ſolueretur Quindennium ex beneficiis vnitis piis locis, poſt Martinum V. ſed Paulum IV. conſtitutione 41. quæ incipit. *Decens eſſe*, decreuiſſe Quindennium etiam deberi ex beneficiis cuilibet loco pio annexis, ante Martinum V. Quin etiam cum ante Sixtum V. ſolueretur ſolũ ex beneficiis Apoſtolica auctoritate coniunctis alicui collegio, vel pio loco, ab eo ſancitum eſt, vt ſoluantur ex quibuſlibet beneficiis vnitis etiam auctoritate Legatorum, Nunciorúmque Apoſtolicorum, & Ordinariorum cuiuſcumque loci.

Sed quid, ſi beneficium non fuerit annexum Collegio, Societati; & generatim locis extructis cauſa communis pietatis, ſed annectatur in perpetuum certæ Eccleſiaſticæ dignitati, veluti decanatui, præpoſiturę, &c. Reſpondeo de his non ſolui Quindennium. Licet enim tale beneficium ſit in perpetuum annexum dignitati, ſolet tamen vacare cum ipſa, cui adhæret, dignitate, vt cum moritur Præpoſitus, aut Decanus. & ob id ſucceſſor debebit Annatam ſoluere loco Quindennij, quod tantum debetur de non amplius vacaturis, Porrò cum Paulus II. in cit. 6. Conſtitutione ſolum ſtatuiſſet, ſi ab huiuſmodi ſolutione ceſſaretur, applicationes haberentur pœnitus pro infectis, & poſſent tanquam vacantes ab aliis impetrari à ſede Apoſtolica, Innocentius hoc loco adiecit excommunicationẽ, quem alij ſubſequentes Pontifices ſunt imitati, Iulius II. num. 4. Iulius III. num. 20. Paulus IV. num. 11. & 17. Pius V. nu. 38. Gregor. XIII. n. 63. quæ incipit. *Ad Romani*. Sixtus V. n. 33. quæ incipit. *Camerę*.

Eiuſdem
INNOCENTII VIII.

Conſtitutionis 11. aliàs 7. editæ anno 1487. quæ incipit.
Cum ſicut.

EPITOME 45.

FERTVR excommunicatio reſeruata Papæ in aſſerentes in literis Apoſtolicis ſe tales, quales non ſunt, vt

Se in literis Apoſtolicis tales, quales nõ ſunt,

asserentes, excommunicãtur, & litteræ sunt nullæ.

vt gratis litterarum Apostolicarum consequantur expeditionem, vt qui Cardinalium, aut assistentium vel scriptorum eorumdem, vel aliarum personarum, ex quarum qualitatibus, seu priuilegiis gratis litteræ expediri solent, seu nepotes, germanos, continuósve Commensales, & familiares in prædictis literis se faciunt inscribi, cum non sint tales. Ipsæ verò litteræ sunt irritæ, & nullæ.

THEOREMA 124.

IVstissimè huius criminis rei prædictis pœnis, & censuris, à Pontifice plectuntur. Tum quia sit quædam criminis falsi species, falsarij autem cum complicibus excommunicãtur, & priuantur beneficiis, cap. ad falsariorum. de crimine falsi. vnde Rebuffus in forma, & declaratione nouæ prouisionis, num. 14. sentit, cum Papa absoluit impetrantes beneficia ad eum effectum à qualibet excommunicatione, sicut talis absolutio Apostolicas litteras falsantibus nõ prodest, ita nec prodesse istis, vt consuluit Paulus Paris. consil. 77. Tum quia committitur furtum cũ obligatione restitutionis, sicut cum quis se fingit genere, natione, conditione, gradu, ætate talem, qualem requirit admissio ad certa collegia, institutа ad tales personas excipiendas, & non est, ex Nauarr. cap. 18. num. 8. Soto l. 5. de Iust. q. 6. art. 6. ad 3. Salone 22. quæst. 62. art. 3. Azor tom. 1. l. 5. c. 8. peccat, & tenetur ad restitutionem, si recipiatur. aut cum quis falsò se religiosum, mendicum, infirmum simulat, & eleemosynam ab eo obtinet, qui si veritatem nosceret, non daret, ex communi enim sententia peccat, & saltem pauperibus tenetur restituere, ex eodem Nauarr. cap. 17. num. 107. Medin. q. 23. de reb. restituendis. Azor tom. 3. l. 4. cap. 21. Lessio l. 2. cap. 18. dub. 17. n. 131. & seq. Sylu. restit. 3. q. 10. Alens. 4. q. 24. m. 5. art. 2. Gabriele 4. dist. 15. quæst. 2. Inno. Panorm. Hostiensi, in cap. quia plerique de Immun. Eccl. quia tunc illa donatio est inuoluntaria, cum tunc simulatio sit causa finalis, & non tantùm impulsiua, sine illa enim simpliciter non daretur & non solum difficilius. Statuunt enim regulam generalem: Si quid est causa, cur detur aliquid, & reuera non subsistit, tunc adest obligatio restituendi. Si verò non mouet ad simpliciter dandum, sed solum ad faciliùs, & promptiùs, non nascitur obligatio restituendi, quia ipsa donatio simpliciter est voluntaria.

Cum igitur in præsenti nostro casu fingatur aliqua conditio adesse, vt esse nepotem, germanúmue Cardinalium, &c. quæ si abesse sciretur, haud dubiè, non gratis in toto, aut parte litteræ expedirentur, fit, vt talis grauiter peccet, & ad restitutionem obligetur; & ideo meritò excommunicationi subiiciatur, quæ Papæ reseruatur, & litteræ ipsæ nullæ sint, ne quis de sua fraude lucrum reportet, & quisque puniatur in eo, in quo deliquit. Leo autem X. Constitutione 22. aliàs 27. quæ incipit *inhærendo*. §. 2. extendit casum non solum ad se tales fingentes, sed etiam

etiam ad ipſos officiales præmiſſa fieri procurantes, ſeu permittentes, qui etiam excommunicatione Papæ reſeruata innodantur, & ſuſpenduntur per annum à perceptione emolumentorum ſuorum officiorum, præter alias pœnas infligendas.

THEOREMA 125.

ILlud etiam hoc loco quæri poteſt, quinam dicantur continui commenſales, & familiares Cardinalium? Et reſpondendum eſt ex Rubuffo in regulam 32. Cancellariæ continuos commenſales dici eos, qui ſaltem per quatuor menſes ſumptibus, & expenſis Cardinalis alicuius, in eadem domo degunt, quaſi ſimul menſales, qui etiam cõuictores dici poſſunt, quia ſimul cum Cardinale viuunt, id eſt in eadem domo, licet non in eadem menſa, in qua comedit Cardinalis, cum famulus comedere non ſoleat in menſa domini. Familiares verò eorundem Cardinalium dicuntur illi, qui de eorum familia ſunt, & ſaltem per quatuor menſes ſunt illorum commenſales. Addit Menoch. de arb. iudicum. l. 2. caſu 552. num. 8. cum Geminiano cap. vltimo de verb. ſig. l. 6. Ancharano conſ. 398. Petro Andrea Gambaro. tr. de auctoritate legati de latere. Gomezio in regulam Cancellariæ de impetr. benef. vacantis pet obitum familiaris Cardin. q. 13. & ſeruitium præſtet, ſeu illi inſeruiat. vnde ceſſante ſeruitij præſtatione, ceſſat priuilegium familiaritatis, ex Franco. cap. vltimo, de verb. ſignif. l. 6.

Eiuſdem
INNOCENTII VIII.

Conſtitutionis 17. aliàs 14. editæ anno 1491. quæ incipit.
Officij.

EPITOME 46.

IMPEDIENTES directè, vel indirectè, per ſe, vel alium executorem citationum, & aliorum mandatorum cuiuſcumque iudicis cauſarum in Romana curia, ſi ſunt perſonæ, contra quas in curia cauſa tractetur, vel tractari debeat, perdunt cauſam, ſeu ius in petitorio, & poſſeſſorio in re, & ad rem. Aliæ verò perſonæ innodantur excommunicatione reſeruata Papæ. Notarij autem recuſantes dare inſtrumenta executionis incurrunt pœnam periurij, infamiæ, & amiſſionis tabellionatus ipſo facto.

Impedientes executionem citationum & mãdatorum Ro. curiæ perdunt ius in cauſa ſi litigant, cæteri excom. Notarij ſi recuſant date inſtrumẽta, sũt periuri, infames, ptiuati officio.

THEOREMA 126.

CVm in ſchiſmate multi pro Pontifice ſe gererent, & ad tollenda ſcandala, quæ oriebantur ob diuerſitatem litterarum ab illis emanatarum, Vrbanus VI. aliquibus Prælatis conceſſiſſet, ne in eorum diæceſibus fieret executio aliquarum Apoſtolicarum litterarum, niſi prius litteræ ipſæ, prædictis Prælatis, vel eorum Officialibus ad hoc deputatis, exhiberentur,

tur, & ab ipsis approbatentur, vt docet Martinus V. in bulla 2. quæ incipit. *Quod antidota.* & Leo X. bulla 30. factum est, vt Prælati, vel Officiales instituerent etiam prætextu statutorum Prouincialium, nè quis Apostolicas litteras auderet exequi, nisi Prælati concederent, vt mandarentur executioni; vnde sæpè fiebat, vt vel tardè, vel etiam numquam; cum sedis Apostolicæ iniuria, & impetrantium præiudicio, executionem obtinerent.

Ob id Bonifacius IX. & postea Martinus V. in Concilio Constantiensi prædictam constitutionem reuocauit, voluitque vt iudices, & executores in literis deputati, notarij, & alij ad quos spectabat, litteras Apostolicas libetè exequerentur. & quia neque hac ratione citationes, & mandata Iudicum Romanæ curiæ executioni mandabantur, multisque impediebantur modis, coactus est Innoc. VIII. præsenti constitutione pœnis in ea statutis huic morbo remedium adhibere. Ad cuius censuras incurrendas, non est necesse, vt prædicta impedimenta fiant authoritate iudiciaria laica, sed sufficit, vt fiat Ecclesiastica, aut priuata, cum verba sint generalia, & ideo generaliter debeant intelligi cap. si Romanorum d. 19. & l. de pretio. ff. de pub. in rem. action.

Idem fecit Leo X. bulla quæ incipit. *In supremo.* cum Romani Pontificis gesta per inferiores, & subditos sine eius speciali licentia examinari non debeant. Et extendit excommunicationem reseruatam non tantùm ad impedientes executionem, sed etiam ad præstantes auxilium, consilium, fauorem, quouis modo, directè, vel indirectè, publicè, vel occultè, quacumque dignitate, etiam imperiali, fulgentes. Vniuersitates verò in hoc culpabiles supponit Ecclesiastico interdicto, idque extendit etiam ad Ciuitates, terras, & loca, ad quæ contrafacientes declinare, vel moram trahere contigerit, ac triduo post illorum discessum. idque sibi reseruat. & sanctiones Synodales, vel Prouinciales mandat, ita ex libris deleri, vt legi amplius non possint, sub iisdem pœnis. Eotundem vestigiis insistens Clemens VII. bulla 39. quæ incipit. Romanus. §. 8. ptędictas confirmauit Constitutiones, immo & bullæ cænæ casum fecit, ipsomet teste ibidem §. 11.

THEOREMA 127.

INter pœnas in hac Constitutione statutas habetur priuatio causæ seu iuris in petitorio, & possessorio in re, & ad rem, si impedieus executionem litiget. Porrò cum iuris nomen multas habeat significationes, ex S. Thom. 2. 2. quæst. 57. art. 1. Soto l. 3. de Iust. quæst. 1. & 2. Io. And. initio de re iudic. l. 6. Molina tr. c. de iustit. d. 2. Lessio l. 2. cap. 2. dub. 2. hoc loco nomen iuris in communi sumitur pro legitima potestate, facultatéque quam quis habet circa rem aut functionem aliquam, cuius violatio constituit iniustitiam.

Ius ergo ad rem dicitur, quod non tribuit actionem in rem, sed tantum in personam, vt quod tibi competit per stipulationem, per donationē, per emptionē, aliósque contractus ante traditionem rei. Si enim res illa alteri vendatur, & re ipsa

ipſa tradatur, fit illius, nec potes illã vendicare, quia res non erat tibi obligata, ſed tantum habes actionem perſonalem in eum, qui te illa fraudauit. Tale eſt etiam ius, quod habes per electionem, poſtulationem, præſentationémve ad beneficium, immo etiam beneficij collectionem ante acceptationem, & hereditatis ſucceſſionem, antequam illam adeas.

Ius autem in re dicitur, quod tribuit actionem realem, ſeu quod rem obligatam habet. Tale eſt, quod habetur per emptionem, vel alios contractus ſecuta rei traditione, vel per collationem beneficij ſecuta acceptatione, per teſtamentum vel ſucceſſionem ab inteſtato, acceptatione etiam ſecuta. Item dominium rei, vſus, & vſufructus, nec non iura, quæ dicuntur ſeruitutes. Ius quoque hypothecæ, & pignoris, & omne aliud ius, quod rem aliquam, ſiue corporalem, vt ſunt domus, agri, &c. ſiue incorporalem, vt ſunt officia, beneficia, redditus, & ſimilia, ita nobis obſtrictam tenet, vt ex ea poſſimus percipere fructus, vel emolumenta vel ſeruitutem creditorum, vel honorem, & quocumque talis res tranſeat, poſſit tanquã nobis obſtricta vendicari.

De petitorio verò, & poſſeſſorio pluribus diſputant Bartolus, aliíque iuris periti. ff. lib. 41. tit. 1. & 2. & in iure can. tit. de cauſa poſſeſſionis, & proprietatis. Poſſeſſio autem appellata eſt, inquit Paulus l. 1. ff. de acq. vel amitt. poſſeſſ. à pedum poſitione, quod per pedum poſitionem ſuper bona immobilia, quæ ſunt potiſſima, vt ſuper agrum, vel fundum, poſſeſſio acquirit ſoleat. habetúrque pleni dominij pars, cum ad dominium obtinendum requiratur. & ob id eadem l. 1. §. 1. dicitur. dominium rerum ex naturali poſſeſſione cæpiſſe, Nerua filius ait; eiúſque rei veſtigium remanere in his, quæ terra, mari, cælóque capiuntur. nam hæc protinus eorum fiunt, qui primi poſſeſſionem eorum apprehenderint.

Item bello capta, & inſula in mari enata, & gemmæ, lapilli, margaritæ, in littoribus inuentæ eius fiunt, qui primus eorum poſſeſſionem nactus eſt. Quomodo verò poſſeſſio definiatur, diuidatur, apprehendatur, amittatur, fusè perſequuntur iuriſperiti in citatis titulis, & Theologi 2. 2. q 58. & ſeq. Molina tom. 1. de iuſt. d.... Leſſius. l. 2. c. 3. dub. 9. to. 11. & ſeq. Azor t. 3. l. 1. c. 31.

THEOREMA 128.

QVæ dicuntur de amiſſione ipſo facto Tabellionatus, difficultatem habent multis aliis Conſtitutionibus, & legibus communem, an in foro conſcientiæ nulla expectata ſententia, qui deliquit, eam pœnam teneatur ſubire? Et quidem affirmatiuam ſententiam tenuit Caſtro l. 2. de leg. pæn. cap. 10. 11. Tiraquell. l. ſi vnquam. Cod. de reuoc. donat. Abbas, cap. dilecti. de arbit. num. 1. & cap. 1. de conſtitut. n. 11. Felin. ibid. num. 44. quod alioquin non eſſet differentia inter legem, quæ continet pœnam latam, & eam, quæ continet, ferendam. Negatiuam autem Io. Andr. Geminianus Anchar. Francus. cap. pro humani. de homic. l. 6. Caiet. 2. 2. quæſt. 62. art. 3, Soto l. 1. de iuſt. q. 6. art. 6.

Valentia d.7. quæst. 5. p.6. Azor r.1. l.5. cap. 8. eo quod consuetudo optima legum interpres, in eo sensu leges acceperit, vt requiratur saltem declaratoria sententia, cum satis videatur, vt reus pœnam patiatur, & non eam ipse in se exequatur. Cum igitur sint vtrinque Doctores graues, potest reus sibi fauentem opinionem sequi, eáque de re alibi erit nobis inferius disputandum.

ALEXANDRI VI.

Constitutionis 2 editæ ann. 1493. quæ incipit. Inter.

EPITOME 47.

Hispanis conceditur nouus orbis, vt ad fidé adducatur. & eò accedentes absque licentia, excommunicãtur.

CONCEDIT Alexãder, §. 6. Ferdinando, & Elisabethæ Catholicis regibus insulas, & terras firmas noui orbis, vt mediis Prædicatoribus piis, & doctis, populos illos reducant ad Catholicam fidem, vltra lineam ductam à polo artico ad antarticum distantem centum leucas, à qualibet insularum dictarum dellos Azores & caput viride. Prohibétque. §.8. sub excommunicatione latæ sententiæ, quibuscumque personis, cuiusuis sint dignitatis, ne eò pro mercibus aliisque causis accedant, nisi de eorundem Regum, & successorum speciali licentia.

THEOREMA 129.

AD pacem inter Reges Hispaniæ, ac Lusitaniæ conseruandam, prudenter Alexand. hanc edidit Constitutionem. Vtriusque enim Regis Duces Oceanum instructis classibus nauigabant, eorúmque imperiis subiiciebant terras, quas inueniebant, tam in nouo orbe opera Christophori Columbi Genuensis anno 1490. adinuento auspiciis Ferdinandi, & Elizabethæ Hispaniarum regum, quàm in Africa, & Asia. Quare periculum videbatur, ne inter se Christiani reges quandóque ad arma venirent. ob id exemplo Abrahami, qui Loth nepoti optionem dedit, ad euitanda inter vtriusque pastores iurgia, vt quam vellet terræ plagam caperet, si enim ipse dexteram elegisset, se ad sinistram profecturum, aut contra; Pontifex orbe partito linea ducta à septentrione ad meridiem centum leucis distantem ab Azoribus, Hispaniæ regi occidentalem plagam ante Natalitias ferias anni 1492. à Christiano Principe non possessam, concessit ad fidem conuertendam, perpetuò regendam, & possidendam; Orientali relicta Lusitaniæ regibus, ne alter alteri negotium facesseret. cum sæpè viderimus ius violatum regnandi causa: & ne veterum exempla perquiramus, Patrum nostrorum memoria, nempe anno 1548. Amida Tunetanus Rex patrem Muleassem Caroli V. Imp. tributarium eiecerit regno, & ignitis scalpris ferreis ei eruerit oculos, vt pro eo regium thronum inuaderet, vt Natalis de Comitibus l.3. historiæ, & alij memoriæ prodiderunt.

diderunt. Ante 8. etiam aut 10. annos filius maximus natu Echebaris Magoris Regis, qui ſecũdo Indo & Gange fluminibus longè, latéque imperat; ſeptimus à Tamerlano Sytharum Rege, Abſalonem imitatus, deſiderio imperandi actus, conſilium cum coniuratis cepit patris regno expellendi, ſed à patre bello victus, & captus, oculorum lumine priuatus eſt, vt ex litteris Patrum Societ. Ieſu ibidem degentium accepimus. ideóque hac etiam ætate noſtra re ipſa comprobatum eſt, quod Herodotus ſcripſit. *Improba res eſt Ambitio.*

THEOREMA 130.

ILlud hoc loco quæri poteſt, num iure Pagani non ſubditi à Principe Chriſtiano ſuis terris, & rebus ſpoliari poſſint. Dicendum eſt primò, ſi nunquam fidem profeſſi ſunt ob infidelitatem, non poſſe iure ſuis terris, & bonis ſpoliari (quidquid in contrarium Hoſtienſis in cap. quod ſuper his. de voto. Panorm. ibidem, Pelagius, de planctu Eccleſiæ. l. 1. art. 37.. Oldradus conſil. 72. Maior 2. d. 44. quæſt. 3. Angelus v. infidelitas num. 7. tenuerint.) Ita docent Innoc. in c. quod ſemper his. de voto. & Cardinalis ibidem. Dominicus conſil. 96. Couarr. reg. peccatum. p. 2. §. 10. S. Thom. 2. 2. quæſt. 12. art. 2. & q. 66. art. 8. Caiet. ibidem. Syl. v. infidelitas. q. 7. Tab. & Armill. eodem. S. Anton. 3. p. t. 22. §. 8. Turrecr. cap. diſpar. 23. q. 8. & cap. ſi quis nos 24. q. 4. Valentia 2. 2. d. 1. q. 10 p. 7. Molina d. 105. Azor p. 1. l. 8. cap. 24. q. 6. & p. 3. l. 2. & 7. q. 30. diffic. 3. Victoria relect. de indiſ. p. 1. n. 19. 35. 39. Bannes 2. 2. quæſt. 9. art. 10. Tum quia non obſtante infidelitate, ſunt veri rerum ſuarum domini. Daniel 2. *tum rex*, &c. Matth. 22. *reddite ergo*, &c. Lucæ 22. *reges gentium*, &c. Rom. 13. *reddite omnibus*, &c. Iure igitur ab illis priuari non poſſunt, qui non ſunt ab eis læſi, nec eorum ſuperiores, cum ibi locum non habeat iuſtitia belli, neque ob defenſionem, neque ob vindictam, neque ob punitionem, ex quibus profluit omnis belli iuſtitia, ex Couarr. §. 9. & aliis. Tum quia canone, diſpar. 23. q 8. Alexand. II. affirmat iuſtum bellum geri aduerſus Saracenos, eo quod Chriſtianos perſequantur, non aduerſus Iudæos paratos ſeruire. ex quibus colligitur Infideles infeſtari non poſſe, ſi nihil mali Chriſtianis inferant. quod etiam ſtatutum fuit ab Honorio & Theodoſio. l. Chriſtianis. Cod. de Paganis. & ſacrif. & temp. & docet D. Auguſt. ſer. 6. de verbis Domini. Tum quia Chriſtus præcepit quidem, vt omnes legem eius ſuſciperent, ſi ſalui eſſe vellent, voluit tamen vt quiſque ad fidem veniret ſponte, non vt traheretur inuitus, niſi aliàs Chriſto nomen dediſſet. Quod ſi Iſraëlitæ multos Gentiles populos debellarunt, eorúmque occuparunt prouincias, id Deo probante, & præcipiente, Deut. 32. factum eſt, quod imitandum abſque peculiari Dei mandato non eſt. 1 2 3

Dicendum ſecundò, neque ob Idololatriam id fieri poſſe, etſi id tenuerit Caſtro. l. 2. de iuſt. hær. pun. cap. 14. Maior 4. d. 15. q. 20. Aluarus Pellag. loco cit. Liranus Deuter. 22. probatur à Victoria loco cit. p. 1. num. 40. Couar. §. 10. num. 5. Molina d. 106. Azor p. 1.

l.8. cap.24.num.8. & t.3.l.2.cap.7. q 30.diffic.4. Valent.d.1.quæst.10. p.7.& d.3.quæst.16.p.2.Banne 2.2. q.40. art.10. Caiet.2.2.q.66. art.8.

1 Tum ex 1. Cor.5. vbi enumeratis peccatis infideliũ, subditur. *Quid*
2 *mihi de his,quæ foris sunt?* Tum quia ad puniendum, vel vindictam sumendam ob culpam de aliquo delinquente,requiratur superioritas, & iurisdictio, vel certè, vt qui debet punire, iniuriam acceperit, tunc enim subit rationem iudicis in defectu superioris, qui puniat. At ob idololatriam Paganorum Christiani Principes nihil tale patiuntur. Idémque docet D. Aug. serm. 6. de verbis Domini, specialiter Deum dixisse.*cum data fuerit terra in potestatem*, eo quod requiratur prius potestas, & iurisdictio, quàm gentiles puniantur. Quod si ob idololatriam Israëlitæ infidelium terras occupauerunt,id ex Dei mandato fecerunt. Dices, licet ob propriam iniuriam, aut ad tuendos innocentes eis bellum inferre, ergo etiam ad Dei offensam vindicandam. Respondeo negando consequentiam, quia Deus potest, & solet in hac, vel futura vita, sibi factas iniurias, vindicare, proximi autem, qui iniustè opprimuntur, non possunt sibi sufficienter consulere, nisi ab aliis eis ferantur suppetitæ, vel qui vim patitur, vi eam repellat.

Dicendum tertiò,neque ob peccata, quæ contra lumen naturæ pugnant, vt concubitum cum matre, sorore, masculis.&c. licet aliter senserit Castro, Innoc. Antoninus locis cit. Syl. v. Papa q.7. Albertinus rubr. de hæreticis in 6. Aluarus Pelagius vbi supra, ita docent Victoria num.40. Couarr. §.10,n.4. Bannes, Molina concl.1. Valentia p.7. Azor t.1.l.8. cap.24. q. 9. & communiter cæteri Theologi. Tum quòd hæc non cedant 1
in iniuriam innocentium, sed solum Dei, vt de Idololatria dictum est, ideo non possint puniri à non habentibus in eos iurisdictionem. Confirmatur, quia sicut non potest Hispanus punire peccata Gallorum eo quòd in eos iurisdictionem non habeat, ita neque Paganorum. Tum quòd peccatum omnium grauissimum sit odium Dei, 2
& tamen neque Castro, aut alij concedunt propter hoc Paganos posse bello impeti à Christianis Principibus.

Dicendum quartò, neque ob imperij amplificationem, vt rectè Victoria relectione de iure belli num.11. & Molina d.105. aliàs æquè esset iusta causa ex vtraque parte belligerantium, & consequenter omnes essent innocentes, ex quo sequeretur se inuicem occidere non posse, quod pugnat cum natura iusti belli. idémque reprehendit Aristoteles l.7. pol. cap.15.

Dicendum quintò, neque ob gloriam, aut aliud commodum Principis Christiani, ex eodem Victoria n. 12. & Molina loco citato, id enim esset Tyrannidem, & iniustitiam exercere. Legitimus enim Rex bellum, & pacem ordinare debet ad bonum commune, nec subditos periculo exponere, aut redditus consumere pro suo commodo,& gloria, vt docet Aristoteles.l.4. pol. cap.10.l.7.c.15.

Dicendum sextò, licere Christiano Principi, primò terras siue continentes, siue insulas, quæ in nullius sunt potestate, iure occupare,

pate, quæ enim domino carent, iure gentium fiunt primò occupantis, §. feræ. §. insula. instituit. de rer. diuisio. & l. 1. §. 1. & l. 3. ff. de acquir. rer. domin. vnde factum est, vt optimo iure Lusitani ann. 1446. sui iuris effecerint Hesperidas insulas, Viridis Promontorij antiquis Asinatij, eásque colere, & habitare cæperint, tanquam primò occupantes. vt etiam fecerunt anno 1473. in insula S. Thomæ, quam pariter sub æquinoctiali vacuam repererunt. Eam enim tanquam primò occupantes meritò possederunt, vt etiam Hispanis in occidentali plaga in pluribus locis contigit.

Secundò, licet prohibere, ne Pagani prædicti vim iniuriámque inferant innocentibus v. g. nc eos immolent, interficiant, carnibus eorum vescantur, tyrannicis legibus opprimant, pudicitiam violent, furta, latrocinia, & similia perpetrent ipsi, aut sine pœna, supplicióque permittant, ex Victoria relect. de indis. p. 2. num. 15. Azor tom. 1. l. 8. cap. 24. quæst. 9. Molina d. 106. concl. 3. iure enim naturali innocentium iniurias propulsare & possumus, & debemus. cum vnicuique Deus mandauerit de proximo suo. Eccl. 17. & præcipiatur Pronerb. 24. *erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* Nec est necesse expectare, vt innocentes ducantur ad mortem; sed fas est cogere, vt statim cessetur à pessimo ritu, & abrogentur pessimæ leges, inferendo, si opus sit, bellum, iuráque ipsius prosequendo, ac deponendo Principes iniquos. Nec refert, quod ipsi barbari subditi nolint extraneos ea de causa bellum suis indicere, cum integrum vnicuique sit vel inuito eo, qui iniustè occiditur, illum à morte eruere, vt constat in eo, qui sibi vitam eripere tentat. Tertiò, si duo Pagani Principes, vel Prouinciæ inter se bellum gerant, si pars, quæ iustum bellum habet, vocet in auxilium Christianum Principem, vt vel totum, vel pars eorum, quæ bello fuerint occupata ad auxiliantem pertineat, iure illud possidebit, ex Victoria loco citato n. 17. & Molina d. 106. Cum enim ex consensu gerentis iustum bellum, cuique fas sit cooperari ad tale bellum, quòd id aliud nó sit, quàm accepta authoritate ab eo, qui illam conferre potest, cooperari ad bonum; licitúmque sit illud pactum pro periculis, laboribus, sumptibus, ea adiutor legitimo possidebit titulo. Itémque si sine præcedenti pacto ob gratitudinem prouincia aliqua adiutores donentur, iustè possidebunt. Ex adiutorio autem iustè præstito, facilè fieri posset, vt ij, contra quos latum est auxilium, mouerent bellum; & quia id iniustum esset, posset Christianus Princeps propria authoritate, bellum Paganis inimicis ad iniuriam vindicandam, mouere. qua olim ratione Romani iuuando socio, potuerunt iustè dilatare imperium, & Hispani iuuando Talchethedanos aduersus Mexicanos prouincias Mexicanorum obtinuerunt.

Quartò ex Victoria relect. de Indis p. 2. licet cuique peregrinari in alienas prouincias, & sine detrimento incolarum eò nauibus appellere, vti portibus, fluminibus, negotiari, piscari margaritas, &c. quod hæc sint de iure gentium,

& si à Barbaris prohibeatur, licitè potest eis bellum inferre. P. Molina tamen d. 105. id non admittit, nisi extraneus extremè indigeat aliquo earum rerum vsu. (Id enim lex charitatis exigit.) aliàs dicit non posse iustè bellum moueri, quia post rerum diuisionem non minus sint propria cuiusque reipublicæ quæ in communi possidet, quàm sint particulares res cuiusque ciuis; vt igitur iustè particularis potest aliis interdicere, ne rebus vtantur suis, quando extremè non indigent, ita licitè respublica prohibere potest extraneis vsum rerum, quæ ciuibus omnibus eiusdem reipublicæ sunt communes: præsertim si extranei sint potentes, & ex eorum commercio timeatur periculum.

Quintò, ius habent Christiani promulgandi Euangelium vbique terrarum, fideique prædicatores deferendi ad quoscumque infideles, & protegendi ac prohibendi, ne blasphemiis, persequutionibus, malis persuasionibus infideles impediant annunciationem Euangelij, aut suorum conuersionem, si velint venire ad fidem, vt docet Couarr. ibidem §. 9 num. 6 & §. 10. Molina d. 105. Azor to. 1. l. 8. c. 24. quæst. 7. Valentia 2. 2. d. 1. q. 10. p. 6. Victoria n. 9. & seqq. Sotus 4. d. 5. quæst. 1. art. 10. Caiet. & S. Thomas 2. 2. quæst. 10. artic. 8. Tum quod Marci vltimo & Matth. 28. sit Christianis datum ius prædicandi Euangelium. Tum quod ius naturæ cuiliber dictet, vt doceat, ac persuadeat cæteris, quæ facere tenentur. Si igitur Christiani prohibeantur prædicare fidem; afficiuntur iniuria, ideóque Christianis licet eam propulsare, & infe-

r

2

rentibus indicere bellum, vt factum videmus anno 1569. à sereniſſimo Sebastiano Lusitaniæ rege, duce Francisco Barreto contra Monomotapæ regem, ob interfectum Godiſlauum à Siluerio è Societate Iesu Euangelij promulgatorem. His igitur aliisque de causis morus Alexander Sextus præsenti constitutione Catholico Regi Indos occidentales pro eorundem bono, ac æterna salute tuendos, & moderandos, concessit.

Eiusdem ALEXANDRI VI.

Constitutionis 6. edita anno 1497. quæ incipit. Cum ex.

EPITOME 48.

TENETVR excommunicatio latæ sententiæ, & priuatio ex nunc, prout ex tunc, in non soluentes census, canones, talcas, regalia, & alia iura feudorum Emphyteuticorum, & bonorum quorumlibet obtentorum ab Apostolica Camera, in vigilia, vel festiuitate SS. Petri, & Pauli singulis annis secundum morem.

Non soluentes census & regalia Cameræ Apostolicæ in vigilia vel festiuitate SS. Petri & Pauli, excommunicatur & priuatur feudis.

THEOREMA 131.

QVæ de solutione canonis, & iurium similium facienda à feudatariis, & obtinentibus bona ab Apostolica Camera, hoc loco dicuntur, fuerunt etiam statuta ab Innoc. VIII. bulla 3. Paulo IV. bulla 2. quæ incipit. Incumbentia.

&

& Gregorio XIII. num. 63. quæ incipit. Ad Romanum. Canonis verò regulæ Latinis, nomen variè admodum in iure ſumitur, vt etiam docet Azor tom. 3. l. 10. c. 6. ſed hoc loco, & ſimilibus negotiis, ſumitur pro penſione, quæ ſolet ſingulis annis ſolui ex re, quam quis in Emphyteuſim, vel feudum ab alio accepit, vt rei Dominum agnoſcat, ex Abbate in cap. conſtitutus. de relig. dom. num. 20. Syl. verb. Emphyteuſis. queſt. 1. n. 2. 3. Azor loco citato & communi ſententia, & conſueuit eſſe quid minimum, cum pendatur pro recognitione. Si enim penſio eſſet magna, v. g. ſi eſſet quaſi æqualis fructibus, videretur potius locatio, vt notauit Natta conſil. 49. Clarus num. 4. & alij ex Bartolo in l. 1. Cod. de iure emphyt. quamuis in rigore poſſe etiam magnam eſſe, docet Leſſius. l. 2. cap. 24. dub. 9. nu. 45. & Azor tom. 3. l. 10. cap. 7. quæſt. 1. Huiuſmodi autem penſio prout ſoluitur ab Emphyteuta canon, prout verò à cenſuali cenſus dici ſolet, etſi iam promiſcuè his vocibus vtamur, vt aduertit Abbas, & Clarus locis citatis. Ea autem ſolui poteſt vel in pecunia, vel in fructibus, aut alia re, prout fuerit conuentum.

THEOREMA 132.

FEudi verò nomen deductum eſt à fide, ſeu fidelitate, qua is, qui rem in feudum accepit, rei domino obſtringitur. ita docet Curtius iunior in p. 1. princip. quæſt. 7. Clarius, § feudum. q. 5. Leſſius. l. 2. cap. 24. dub. 1 ex textu. tit. 3. fin. per quos fiat inueſtit. l. 2. de feudis. Azor tamen t. 3. l. 10. tr. de feudis. cap. 1. ſuſpicatur non eſſe Latinum nomen, ſed Gothicum, fortè deductum à Germanica voce, feudi, quæ bellum, ſiue militiam ſignificat. quod Victor bello occupata prædia ſuis militibus colenda, & fruenda ea lege traderet, vt eum perpetuum dominũ agnoſcerent, & ſe illius homines, & quaſi clientes profiterentur, & vaſſalli, hoc eſt ſubiecti iuriſdictioni eius, non autem famuli, aut ſeruí dicerentur, eorúmque opera prouinciam bello partam, in poſterum, ſi opus eſſet, dominus tueri poſſet.

Cæperunt autem feuda eo tempore, quo Longobardi Italiæ regnum tenuerunt, quos in dandis feudis Carolus Magnus ac poſteri imitati ſunt. Extant feudorum libri duo in fine Codicis, qui ab Oberto compilati fuerunt ex conſuetudinibus, & ad cauſarum deciſionem allegari poſſunt, ex Claro §. feudum. quæſt. 2. & 3. Eſt autem *feudum*, vt pro contractu, non pro re feudali ſumitur ex Sylu. v. feudum n. 1. Claro loco citato q. 4. Leſſio dub. 1. num. 5. Azor quæſt. 2. conceſſio rei immobilis, vel æquipollentis cum tranſlatione vtilis dominij, proprietate retenta, ſub onere tantum fidelitatis, & obſequij perſonalis, ſi ſit feudum ſimpliciter, & præpriè dictum; nam aliquando in recognitionem dominij directi ſoluitur in ſingulos annos ex pacto in numerata pecunia, vel fructibus penſio, & ideo tunc ex illa parte declinat in conditionem, & ſpeciem emphyteuſis, de quibus loquitur hoc loco Alexander Sextus. Videri poteſt hac de re Azor loco cit. tr. de feudis. c. 3. Leſſius l. 2. cap. 24. dub. 1. num. 5.

num. 5. & dub. 10. Sylu. loco citato num. 1. & 2.

Quærenti verò in quonam feudum, & Emphyteusis discrepent. Respõdeo ex citatis in his. Primò, qui rem accipit in Emphyteusim, non debet domino obsequiũ personale, sed reale, & tempore constituto: qui verò propriè in feudum, debet obsequium personale, ídque solum quando interpellabitur.

Secundò, si quæstio sit inter vassallos super feudo, dominus habet ius iudicandi causam, secus in Emphyteusi, ex Claro §. feudum. q 90. Azor c. 3. q. 3. Curtius iunior de feud. p. 7. reg. 1. quia dominus feudi sibi feudatarij personam obstringit, ac proinde in eo iurisdictionem exercet; at dominus rei Emphyteoticæ Emphyteotecarij personam nõ deuinxit, nisi ratione rei datæ in Emphyteusim.

Tertiò, feudatarius non potest feudum in pignus dare, Emphyteotecarius potest rem Emphyteoticam, quia illa si propriè feudum accepit, solum debet domino obsequium personale, non pensionem, nisi ex pacto: hic autem è contra pensionem debet, & ita potest eam in pignus dare creditori.

Quartò feudatarius nequit alteri feudum dare, seu alienare absque domini voluntate, alàs feudum amittit, & Emphyteotecarius potest ius suum alteri donare. Ratio est, quia feudatarij persona manet domino obligata, vnde nequit alterum in suum locum subrogare; dominus enim feudatarij personam elegit, in Emphyteusi verò nõ persona Emphyteotecarij, sed res manet domino obligata.

Quintò, in feudo, nisi aliter conuentum fuerit, non succedit fœmina, cum feudatarius debeat domino obsequiũ personale, quod non potest æquè fœmina præstare: at cum res detur in Emphyteusim, vt melioretur, ídque æquè possit fœmina ac vir, vterque succeder.

Sextò, feudatarius potest absque domini voluntate feudum dimittere, cum à domino fuerit ei id datum, vt de eo bene mereretur, & in eum beneficium conferret: at Emphyteuta sumit rem ad meliorandum, quod est in bonum, & vtilitatem domini, ideo eam inuito domino deserere non potest.

THEOREMA 133.

CIrca pœnas autem feudatarij, immò & Emphyteutæ: Feudatarius nisi debitum obsequium requisitus præstet, vel etiam canonem (si debeat) soluat, feudum amittit ex l. 2. feudorum tit. 20. vt etiam accidit ex l. 2. & 3. Cod. de iure Emphyt. & cap. potuit de locato & cond. Syl. v. Emphyteusis. Iulio Claro §. Emphyteusis. q. 8. & seq. & communi sententia, in Emphyteusi, si statuto tempore Emphyteuta pensionem non pendat, vt ex præsenti quoque Constitutione colligitur. cadunt enim ambo in pœnam Commissi, hoc est, acceptam rem amittunt, ea ad dominum redeunte. Sicut dicitur commissa hæreditas, commissæ merces, commissa mancipia, in quibus aliquid factum est, vnde fisco debeantur. Est in ff. lib. 39. t. 4. de publicanis, & vectigalibus, & commissis & l. 4. Cod. est tit. 61. de vectigalibus, & commissis, hoc est de rebus ob crimen amissis. ob id

id in l. commissa. ff. de publicanis, & vectig. sic habetur. Quod commissum est, statim definit esse eius, qui crimen contraxit, dominiúmque rei vectigale acquiritur. Videatur etiam l. interdum. ibidem. vbi res in cõmissum cadere dicuntur, pro quibus vectigal solutum non fuerat.

Sed Emphyteota quandonam in commissum cadit? Respondeo iure quidem communi si Emphyteusis sit secularis, cum per triennium non soluitur canon. l. 2. Cod. de iure Emphyteot. Si Ecclesiastica, cum per biennium, cap. potuit. de locato. id autem computandum est non respectu annorum, sed pensionum. Si enim res in Emphyteusim data singulis annis fructus reddit, si in Ecclesiastica duobus annis non soluatur, vel tribus in sæculari, cadit in commissum. Sin verò fructus non ferat, nisi singulo biennio, cadet in commissum in Ecclesiastica Emphyteusi, si infra quatuor annos non soluerentur duæ pensiones, in sæculari autem si intra sex annos non pendantur tres. aut si solo singulo triennio colligantur fructus, si in illa Ecclesiastica intra sex annos duæ, & in sæculari intra nouem non soluantur tres pensiones, ex Baldo in l. a de. Cod. locati. Azore tom. 3. l. 10. cap. 6. iure tamen particulari respectu Apostolicæ Cameræ ex hac Constitutione Alexandri VI. Pauli IV. num. 11. Gregorij XIII. num. 63. non soluentes singulis annis census, canones, talias, regalia, & alia iura feudorum Emphyteuticorum & bonorum quorumliber obtentorum à Camera Apost. idque in vigilia, aut festo SS. Petri, & Pauli vbicumque Camera Apostol. adesse contigerit, præter excommunicationem, cadunt etiam in commissum. Aderat enim maius periculum, ne Ecclesiæ Romanæ iura ob frequentem summorum Pontificum mutationem, quippe qui ætate confecti sæpe eligantur, iniquè occuparẽtur. Posse autẽ qui in commissi pœnam incidit, expectare, vt Iudicis sententia expellatur à re Emphyteutica, docet Angelus v. emphyteusis. num. 42. Panorm. cap. fin. de iure emphyt. Azor cap. 9. quæst 2. Clarus v. emphyt. quæst. 11. Rebell. l. 13. q. 12. & 17. num. 12.

Porrò solutionis faciendæ tempus constitutum est festum S. Petri in honorem Principis Apostolorum Vicarij Christi, sicut ob eiusdem reuerentiam argenteus Nummus, valens scilicet dimidium regale Hispanicum vel circa, quem singulæ domus in Britania facta Vectigali Romanæ Ecclesiæ instituto Regis Inæ ab anno 740. Athulphi, & aliorum vsque ad annum 1533. soluere consueuerant, dicebatur denarius S. Petri, vt cum antiquioribus historicis scribit Polydorus Virgilius. quem insula soluere cessans viduata D. Petri peculiari patrocinio, hæresum alluuione absorpta est. Idem pietatis, & religionis exemplum imitatus Carolus Magnus per singulas Galliæ domos denarium vnum indixit annuatim soluendum eidem Ecclesiæ Romanæ, vt constat ex Gregorio VII. lib. 8. epistol. vltima.

Scortia.

Eiusdem

ALEXANDRI VI.

Cõstitutionis 11. editæ anno 1502. quæ incipit. In eminenti.

EPITOME 49.

Offendẽtes, etiã minis, in Roman. Curia litigantes, excommunicãtur, causam perdunt, eiiciũtur in exilium, deponũtur, rei læsę Maiestatis. Et extenditur ad recipiẽtes, defendentes, occultãtes, auxiliantes, fauentes, cõsulentes, & scientes, si non reuelent.

STATVIT Alexand. §. 3. & 4. vt litigantes in Romana Curia, qui aduersarios, eorúmve Procuratores, Aduocatos, Iudices, Testes, Notarios minis afficere, inuadere, verberare, mutilare, occidere, seu per alios talia procurarę, & exequi, quomodolibet præsũpserint (quanquam forte mutilatio, vel mors ex hoc non sequatur) aut tales scienter receptauerint, defenderint, occultauerint, eísque cõsilium, auxilium, vel fauorem, etiam occultè, & indirectè, præstiterint: siue qui præmissa etiam per alios, quomodolibet commiserint, vltra sententias, pœnas, & censuras prædictas (videlicet bullæ cœnæ, aut alias quomodolibet latas,) quas etiam pari modo incurrisse noscantur, si sunt ex collitigantibus, causam ipsam, & omne ius tam in petitorio, quàm in possessorio, in re, vel ad rem, causa, vel occasione huiusmodi quomodolibet competẽs, eo ipso penitus perdant: si verò alij fuerint, ab ipsa Curia, & omnibus Romanæ Ecclesiæ terris perpetui exilij; & si mutilatio membri, vel mors sequatur, vltra causæ, & iuris amissionem, ac huiusmodi exilij pœnam, tam ipsi, quàm pro eis exequentes, & omnes alij supradicti, depositionis à dignitate, honore, ordine, officio, beneficio, ac læsæ maiestatis criminis sententiam ipso facto incurrant, déque officiis, beneficiis, &c. sola Apostolica Sedes potest disponere. & in suis quoque bonis omnibus à cunctis sint perpetuò diffidati, & banniti, atque infames, & inhabiles habeantur. Et omnes cuiuscunque sint dignitatis, gradus, & conditionis, si quos præmissa commisisse, & procurasse, ac meditatos esse scierint, teneantur sub simili excommunicationis latæ reseruatæ Papæ sententia, reuelare summo Pontifici, vel alteri, per quem ad eius notitiam facilè possit res peruenire.

THEOREMA 134.

MAteria huius constitutionis eadem est cum materia §. 12. bullæ cœnæ, saltem à tempore Martini V. vt patet ex S. Antonino 3. p. tit. 25. cap. 72. & Sylu. excom. 7. num. 70. nempe sacrilegium, quo offenduntur in se, vel aliis

aliis lites, & negotia tractantes in Rom. Curia, ſed caſum magis
1 extendit; tum ad plures actiones, vt etiam minis afficere, & inuade-
2 re. Tum ad plures perſonas offen-
3 ſas, vt teſtes, & notarios. Tum ad plures cooperantes, vt ſcienter te-ceptantes, defendentes, & occultantes tales delinquentes, & ad non reuelantes, ſi quem ſcirent cõmiſiſſe, procuraſſe, vel meditatum eſſe huiuſmodi delicta. Eſtque ſimilis caſus in l. præſenti. Cod. de his, qui ad Eccl. conf. vbi ſancitum eſt, eos pœna mortis afficiendos, qui extraxerunt, vel extrahere cogitant ex Eccleſia confugientes ad eam. qua de re Baldus conſil. 443. Coraſius l. 5. miſcell. iuris cap. 23. Couarr. l. 2. var. reſol cap. vltimo. Sed cum nimis durum videatur adeo grauiter puniri ſolam nudam cogitationem, Menoch. de arbit. iud. caſu 365. num. 68. cum Bartholo & Saliceto id intelligit, dummodo etiam tractatus, aut actus aliquis externus factus ſit. Quod etiam hoc loco dicendum eſt, alioquin ſciri nõ poſſet quempiam id meditatum fuiſſe.

De obligatione autem reuelandi delinquentes in grauibus delictis dixmus Theoremate 57. ſi quis non poſſit probare, non debere per modum denunciationis accuſare alium, ne ſe fruſtra in periculum coniiciat, ſed ad ſummum per viam admonitionis. Videatur Decius in l. culpa caret. de regulis iuris. & cap. nouit n. 23. de Iudiciis. Heuil. l. 1. ſyluæ nupt. n. 70. in fine. Boſſius tit. de crim. læſæ Maieſt. Menoch. caſu 355. num. 9. & ſeq. Alciatus l. 4. §. Cato. not. 4. de verb. oblig. & l. 8. parerg. c. 5. Cagnol. in l. culpa caret. de reg. iur. S. Thom. q. 1. art. 16. & q. 14. art. 12. & 2. 2. quæſt. 33. art. 7. & q. 60. art. 4. Nauar. cap. 17. n. 34. & c. 18. num. 40. & aliis; quos ibidem citauimus. Tum quoad pœnas, 4
non enim ſolùm confirmat pœnas bullæ cœnæ, & alias quomodolibet latas contra huiuſmodi delinlinquentes, & complices, verùm etiã ipſos collitigantes priuat omni iure in re & ad rem, in peritorio, & poſſeſſorio, reliquos punir perpetuo exilio à Curia, & omnibus Rom. Eccl. terris, ſi mors, vel mutilatio non ſit ſecuta; ea verò ſecuta tam collitigantes, quàm cæteros præter cauſæ amiſſionem, & exilium plectit ſententia depoſitionis à dignitate, honore, ordine, officio, beneficio, de quibus ſola ſedes Apoſt. poſſit diſponere, ipſo facto, criminiſque læſæ Maieſtatis, & diffidationis in ſe, & ſuis omnibus bonis à cunctis Chriſtianis perpetuò, banni, infamiæ, & inhabililiratis.

Videtur autem §. hic deſumptus ex pœnis decretis contra interficientes Chriſtianos per aſſaſſinos ab Innocẽtio IV. in Conc. Lugdunenſi cap. 1. de homic. l. 6. quaſi cenſeantur illis pares. Cum igitur huiuſmodi delinquentes ſint diffidati, poſſunt à quocumque impunè occidi, & ſuis bonis priuari, ſũntque inhabiles ad legitimos actus. qua de re Doctores, cap. 1. de homic. l. 6. Sylu. v. Aſſaſſini, n. 2. & 3. Clarus. §. Aſſaſſinium. num. 3. Albericus v. Bannus il 2. ratio eſt, quia diffidatus patitur mediam, & maximam capitis diminutionem, de quibus inſtitut. de capitis diminutione. §. 1. 2. 3. penultimo. & per conſequens amittit, quæ ſunt iuris ciuilis. Videatur etiam

Azor tomo tertio. libro 1. cap. 27. & l. 2. cap. 16. 17.

IVLII II.

Constitutionis 3. olim 2. editæ anno 1505. quæ incipit. Cum tam diuino.

EPITOME 50.

Electio Papæ Simoniaca nulla est. Excommunicatio reseruata, & priuatio, inhabilitatio, &c.

PRÆCIPIT. § 1. vt electio Papæ Simoniaca sit nulla, & possit contra sic electum opponi de Simonia, sicut de hæresi, & ita electus priuarus sit quacumque dignitate, & beneficio, & ad illa inhabilis.

§. 2. nec conualescit electio per inthronizationem, adorationem, & obedientiam.

§. 3. & 4. licet omnibus ab eius obedientia discedere, & si se ingerat regimini Ecclesiæ, possunt Cardinales eum impedire.

§. 5. Cardinales sic eum eligentes excommunicantur, reseruatúrque absolutio, & amittunt Cardinalatum, & omnem alium Titulum, & beneficium.

§. 6. Mediatores quoque & Complices priuantur officiis, beneficiis, dignitatibus, honoribus, feudis, & bonis etiam propriis, fiúntque ad similia inhabiles, priuantúrque voce actiua, & passiua.

§. 7. Omnis obligatio, & promissio facta occasione dictæ Simoniæ per quoscumque, & quomodocumque, est nulla.

§. 8. Cardinales Complices ad saniorem mentẽ redeuntes, cum aliis non Complicibus possunt alium eligere, & cogere Concilium Generale.

§. 10. & si sede vacãte Cardinales contra hanc constitutionem quicquam statuere attentauerint, sint ipso facto excommunicati, nec absolui possint, nisi à summo Pontifice canonicè electo.

THEOREMA 135.

CVm non modò dantes, aut offerentes alicui pro officio, à Principe, & Magistratibus assequendo aliquid, sed etiam illud petentes, & pœna pecuniaria, & infamiæ puniantur. l. vnica § quod si. ff. ad leg. iur. de Ambitu. & ideo etiam in nouella Constit. 8. tit. 2. & 3. tenerentur officiales iurare in principio officij se non dediſſe, nec daturos, nec item promisisse, aut promissuros aliquid pro ipso officio; meritò Iulius secundus præsenti Constitutione id damnat in summi Põtificis electione, summa omnium dignitate, & officio. Quod etiam factum est d. 79. cap. si quis pecunia. vbi Nicolaus secundus talem electum non Apostolicum, sed Apostaticum censendum dicit.

Refertur autem, & approbatur hæc constitutio etiam in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 5. déque ea agit Victoria in relectione

ne

ne de Simonia p. 2. num. 5. Caiet. cap. 24. Suarez tom. 5. de 22. sect. 6. num. 2. Maior. 4. d. 25. q. 5. Lessius. l. 2. cap. 35. dub. 5. num. 145. Azor p. 2. l. 4. cap. 5. q. 7.

Sed dubitatur an cõtra electum suffragiis duarum partium Cardinalium opponi, & excipi possit, quod electio fuerit Simoniæ labe infecta. Est autem exceptio exclusio. l. exceptio. ff. de exceptionibus. vt cum reus aduersus actorem se à quibusdam sibi obiectis defendit, vel cũ ei, qui aliquid petit, opponitur, quo minus illud assequatur. Et quidem iure antiquo contra electum, à duabus partibus Cardinalium excipi non poterat fuisse in electione commissam Simoniam, & ideo valebat electio. quia in cap. licet de electione Alexander III. statuit, vt vt electus à duabus partibus Cardinalium sine vlla exceptione à rota Ecclesia Pontifex haberetur. Non poterat igitur improbari electio, nec admittit exceptio Simoniæ, vt etiã ibidem renet Glossa. iure tamen nouo præsentis Constitutionis Iulij II. §. 1. ius vetus restrictum est, vt crimen Simoniæ, sicut crimen hæresis contra electum opponi possit, talisque Simoniaca electio, nempe aliquo Cardinalium suffragium ferente data, vel recepta, vel promissa pecunia, vel bonis cuiuslibet generis, castris, officiis, beneficiis, obligationibus per se, vel per alium, sit irrita, & nulla. etiamsi vnanimi Cardinalium concordia, & suffragiis, vel per viam assumptionis concorditer nemine discrepante, vel etiamsi absque scrutinio facta sit electio, nihilque iuris ita electus acquirat in spititualibus, vel tẽporalibus. quinimo priuatur absque alia declaratione Cardinalatu, honore, dignitate, beneficio, & pensione, estque ad prædicta perpetuò inhabilis, & ex §. 2. nullo vnquam tempore conualidari potest electio. Quod tamen accidit in pluribus negotiis, & contractibus, qui etsi minus bene facti ab initio, postea conualidantur, vt de Matrimonio, & aliis constat. Nec ex §. 3. & 4. taliter electo parẽdum est, cum non sit Pontifex, & caput Ecclesiæ (cum tamen à veri Pontificis obedientia recedentes incidant in excommunicationem bullæ §. 1.) & ex §. 8. nulla est omnis obligatio & promissio facta occasione dictæ Simoniæ per quoscunque & quomodocunque contracta. Etiam merito, cum ex l. pacta. 6. Cod. de pactis. Pacta, quæ contrà leges, constitutionésque vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati iuris sit. Quod etiam habetur ex l. stipulatio, hoc modo. ff. de verb. oblig. & notandum dici, *quomodocunq;*, nam etiamsi fuerit iurata, est nulla. Quod etiam habetur ex Gregorio X. in Conc. Lugdunensi. & cap. vbi periculum. de electione. l. 6. §. cæterum his verbis. & nos nihilominus pactiones, conuentiones, obligationes, condicta, & intendimenta omnia, siue iuramenti, siue cuiuslibet alterius fuerint vinculo firmitatis annexa, cassamus, irriramus, & viribus decernimus omnino carere; ita quod nullus ad illa obseruanda quomolibet sit adstrictus, nec quisquam ex eorum transgressione notam vereatur fidei non seruatæ: sed non indignæ laudis titulum potius mereatur, cum lex etiam humana

testetur Deo magis trangressiones huiusmodi, quàm iurisiurandi obseruationes acceptas. Vide Cod. de nuptiis. Auth. quod eis. & ff. de obseq. l. nulla, & ff. de legat. & fideicom. 1. l. si quis inquilinus. §. 4. dicitur. Diui Seuerus, & Antoninus rescripserunt. Iusiurandum contra vim legum, & auctoritatem iuris in testamento scriptum nullius esse momenti.

Porrò iure optimo hæc à Iulio II. statuta sunt. licet enim Romanus Pontifex postquam est legitimè creatus, legibus, & pœnis iuris Canonici non subdatur, cum lex feratur in subditum, & non in parem. cap. innotuit. de elect. aut in se ipsum, cum nemo in se ipsum habeat iurisdictionem. & ob id dicat l. Princeps. ff. de legibus. Princeps solutus est legibus. etsi ob scandalum vitandum eas & ipse seruare debeat, iuxta l. vox digna. Cod. de leg. vox digna est maiestate regnantis legibus se subditum Principem fateri. Ipsa tamen electionis forma canonico iuri subiicitur, ne his aut illis malis artibus, & dolis quis eligatur. Ideo Pontifex potest (cum nihil de hoc sit iure diuino statutum, vt etiam docet Syl. v. electio 3. & v. excom. 9.) præscribere formam electionis Pontificiæ, vt Ecclesiæ expedire videt, vt docet Cardinalis Albanus tr. de Cardinalibus q. 31. ex communi sententia. in cap. licet de electione. vnde & diuersa in huiusmodi electione præscripta fuerunt, vt videre est in cap. in nomine d. 23. & cit. cap. licet. & cap. vbi periculum. de electione in 6. & Clementina ne Romani de electione, à Iulio II. hoc loco, Paulo IV. num. 38. quæ incipit. *Cum secundum*. Pio IV. num. 71. In eligendis & tandem ante annum à S. D. N. Gregor. XV. qui Constitutiones ea de re ediderunt. De exceptione verò hæresis, videnda est Glossa & Panorm. citato cap. licet. Augustinus de Ancona. de pot. Eccl. quæst. 2. art. 3. Azor loco cit. vbi etiam disputat de aliis exceptionibus.

THEOREMA 136.

QVoad Censuras, nulla hic in Simoniacè electum fertur excommunicatio, quod tamen fit in electum à paucioribus, quàm à duabus partibus Cardinalium electioni assentientem cap. licet. de elect. & DD. ibidem. Astensi. p. 2. lib. 7. t. 2. casu 19. Anton. 3. part. tit. 25. cap. 48. Angelo excom. 7. casu 2. Sylu. excom. 9. §. 2. Caiet. excommunicatio cap. 9. Nauarr. cap. 27. num. 114. Fertur tamen, & quidem reseruata §. 5. in Cardinales illum eligentes, cum amissione Cardinalatus, & omnis alterius tituli, & beneficij, sicut §. 6. Complices, & Mediatores priuantur omnibus officiis, beneficiis, dignitatibus, honoribus, feudis, immo & bonis propriis, vocéque actiua, & passiua, & redduntur inhabiles ad similia. Sed Cardinales complices redeuntes ad saniorem mentem, denuo habilitantur, vt cum aliis non Complicibus idoneum valeant canonicè eligere. Iterúmque. §. 10. veratur, ne Cardinales sede vacante contra hanc Constitutionem quicquam disponere, vel statuere possint, quouis colore, & causa, sub excommunicatione latæ sententiæ à solo Pontificè Romano canonicè electo, absoluendi, extra

extra mortis articulum. Quare recte notauit Caiet. excommunicatio cap.24. & Suarez tom.5. d.22. sect.6. num.2. hanc censuram non habere locum, si fiant similia viuente Pontifice, vel quia viuente eo, non est tanta necessitas, vel quia tunc illius est curæ huiusmodi corrigere.

EIVSDEM IVLII II.

Constitutionis 4. editæ anno 1505. quæ incipit. Romani.

EPITOME 51.

Promoti literas beneficiorum intra annum expediant, & interim non se ingerant administrationi eorum & soluant Annatas. *Excommunicatio & priuatio.*

IN consequendis beneficiis Pontifex §.5.&6. decernit, vt Prælati de beneficiis prouisi, si intra annum totaliter nõ expediant literas Apostolicas beneficiorũ Ecclesiasticorũ eis collatorum, eo ipso sint illis priuati. Itémque ne non expeditis literis Apost. administrationi Ecclesiarum, & beneficiorum se ingerant, & vt in termino soluant Annatas.aliter incurrant ipso facto pœnam excommunicationis & priuationis beneficiorum. Innouátque his de rebus Constitiones Alexandri V. Bonifacij VIII. Innocentij VIII. & aliorum.

THEOREMA 137.

VSu Rom. Curiæ (quicquid antea fieret iure communi) in beneficiis, à Papa collatis consequendis, necesse est, vt Diploma Pontificium fuerit expeditum; nec sufficit, si per testes probetur, id esse alicui collatum, vt docet Flaminius Parisius Episcopus Bisontinus l.8.de resign.quæst.2.n.8. l.10. q.1.num.30. Azor t.2.l.7.c.1. & 23. Etsi enim supplicatione qua beneficium petitur, oblata, Papa respondet. *Fiat*, aut *placet, vt petitur*, aut ipsemet certæ Ecclesiæ Episcopum,aut Parrochum nominat, nondum confectis bullis, iure communi Pontificia gratia perficiatur, & ille, ex eodem Parisio, Baldo, & Geminiano ibidem, sit verus Episcopus, vel Parrochus (potestate scilicet iurisdictionis, non ordinis, quæ datur consecratione.) Ad adipiscendam tamen possessionem, requiritur diploma Pontificium, tum ex præsenti Constitutione Iulij II.& Pauli IV. num.11. tum ex Sarnensi in regul. Cancell. de non iudic. secundum form. suppl. q 1. n. 2. vt euitentur falsitates, quæ in supplicarionibus faciliùs committerentur, quàm fiat in bullis propter multorum officialium manus appositionem. Tum quia magnũ inferretur præiudicium emolumẽto Officialium Curiæ,si sola supplicatio aut testes absque litteratũ expeditione sufficerent. Iulius igitur vt meminit quoque Nauarr. de temp.ord.consil.33. num.4. licet excusam Constitutionem non vidisset; statuit §.5.vt nisi huiusmodi litteræ intra annum penitus expediantur, perdatur ius omne in beneficiis quæsitum, vt etiam declarauit Congregatio illi 1. Iulij 1593. Quod etiam de electionibus ad dignitates conuentuales decreuit Pius IV. bulla 86. olim 100. quæ incipit.

Sanctissi

Sanctiſſimus, non expeditis intra ſex menſes. id enim exigit recta adminiſtrationis ratio, ne ſcilicet diu ſine paſtore beneficia permanerent.

THEOREMA 138.

QVi verò beneficij à Papa obtenti, antè Pontificias literas expeditas, adeunt adminiſtrationem, excommunicationis & priuationis ſententias incurrunt (vt etiamſi annatas non ſoluant, de quibus diximus Theor. 121. 122.) & meritò; vt enim conſtat ex Bonifacio VIII. in extrauag iniunctæ. de electione. ſi in iure ciuili non creditur aſſerenti, ſe venire cum mandatis Principis l. vnica Cod. de mand. Princ. aut aſſerenti ſe legatum, cap. nobiliſſimus. d. 97. niſi id ſcriptis probet, neque in iure canonico, dicenti ſe delegatum ſedis Apoſtolicæ tit. de officio deleg. c. cum in iure. niſi doceat de mandato Apoſtolico, nec Clericis aliunde venientibus ſine Ordinariorum literis, de cler. pereg. cap. 1. & 2. d. 28. aut Monachis ſine Prælatorum literis d. 71. cap. hortamur. & Cod. de epiſ. & Cler. l. ſi qua per calumniam: ita neque Prælatis, ſeu de beneficiis prouiſis abſque litterarum Apoſtolicarum oſtenſione.

Quare olim ſic ſtatuerat Bonifacius VIII. loco citato. *Præſenti Conſtitutione ſancimus, vt Epiſcopi, & alij ſuperiores, nec non Abbates, priores, & cæteri monaſteriorum regimina exercentes, quocumque nomine cenſeantur, qui apud dictam Sedem promouentur, aut confirmationis, conſecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, ad commiſſus eis Eccleſias, & monaſteria abſque dicte Sedis literis huiuſmodi eorum promotionem, confirmationem, conſecrationem, ſeu benedictionem continentibus accedere, vel bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem accipere non præſumant, nullique eos abſque dictarum litterarum oſtenſione recipiant, aut eis pareant, vel intendant.* Et deinde irritat in contrarium per eos facta, & illos ſuſpendit à perceptione fructuum ſuorum beneficiorum, nec non recipientes prædictos abſque huiuſmodi literis. Qua de re etiam Suarez tom. 5. d. 31. ſect. 5. num. 23. Sed quia Bonifacij decretum non erat de beneficiis omnibus, Iulius II. hac Conſtitutione comprehendit Eccleſias omnes, ſiue iure tituli, ſiue commendationis, ſiue adminiſtrationis concedantur.

Quia verò officiales Curiæ Romanæ prætextu ſupplicationum ſuper prouiſionibus beneficiorum ſignatarum, & regiſtratarum dabant literas, & mãdata de illorum beneficiorũ poſſeſſione adipiſcenda, litteris non expeditis, Paulus III. bulla, quæ incipit. *Cum nobis*. id fieri vetuit in quibuſuis beneficiis à ſede Apoſtolica quomodolibet impetratis, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ & reſeruatæ Papæ. & in Julij III. bulla 33. quæ incipit. *Sanctiſſimus*. habentur pro intruſis qui non expeditis literis per ſe, vel alium ſuo nomine, beneficiorum poſſeſſionem apprehendunt, vel ratam habent, & fructus non faciunt ſuos, vt notauit etiam Pariſius. l. 2. de reſignat. quæſt. 26. & ſunt inhabiles ad illa obtinenda.

Sic etiam ſe ingerentes non expeditis literis in dignitatibus Conuentualibus, illis priuantur,

&

& fiunt ineligibiles à Pio IV. in citata bulla 86. §.3. & in regula 25. Cancellariæ gratia Apoſtolica ante expeditas litteras habetur pro informi, & ad perfectionem deducitur per earumdem confectionem. Qua de re Pariſius loco citato num. 11. Rota deciſ. 20. in fine. de conceſſ. præb. Bellam. deciſ. 431. 745. Oldradus conſil. 320. num. 6. Sarn. in regul. Cancell. de non iud. iux. form. ſupp. num. 2. quæſt. 1. Supplicatio enim poſtquam ſignata eſt à ſummo Pontifice. *Placet.* vel *Fiat vti petitur.* ac reuiſa ſubſcriptione, datur Datario; tum in regiſtro inſeritur, deinde in compendium redigitur, quę reuidetur per Summiſtam; poſtea ſcribuntur litteræ, ſeu bullæ, in quibus multorum officialium manus apponuntur, in Cancellaria ſolutis conſuetis; poſtremo plumbantur in plumbo, & iam tunc litteræ dicuntur expeditæ, ex eodem Sarnenſi loco citato. Mandos. ibidem. quæſt. 3. num. 3. Pariſio, loco citato. n. 17. 18. & lib. 2. quæſt. 25. Geminiano in cap. ſicut de præbendis lib. 6. & Felino in cap. diligenti. in fin. de Simon. & poſtquam ſunt in plumbo regiſtrantur, & dantur partibus.

EIVSDEM IVLII II.

Cõſtitutionis 9. aliàs 8. quæ incipit. Percepimus.

EPITOME 52.

Miniſtri Camerales participantes in contractibus

PONTIFEX Conſtitutionis huius §. 1. excommunicat, & priuat officiis ipſo facto Clericos Camerales & quoſcumque miniſtros Cameræ Apoſt. quomodolibet participantes, ſeu facientes ad partem cum contrahentibus in contractibus rerum Cameralium, vt v. g. in appaltu alluminum in Dohanis, vel Theſauraria. & dantes in his auxilium, conſilium, fauorem, quæ poſſint in eorum vtilitatem venire.

rerũ Cameraliũ excommunicãtur, & priuãtur officiis. idem de ſciẽtibus non reuelantibus.

§. 2. In eaſdem pœnas incidunt ſcientes, & non reuelantes Papę, vel Gubernatori.

THEOREMA 139.

OCcaſionem huius conſtitutionis edendæ fuiſſe Cameralium [illegible], ſeu ſtudium plus habendi Cameraliũ, quàm æquum eſſet, colligimus ex bulla 18. §. 1. Pauli tertij. Immoderata enim cupiditate Camerales miniſtri participantes in contractibus rerum Cameralium, cum publicanis, & conductoribus iniquè cutabant, vt res minus iuſto pretio conducerentur, vt ſic ipſi quoque lucrum maius participarent. Eſt enim cæca res diuitiarum cupiditas, nec ſinit quem ſemel occuparit animum, quod iuſtum eſt, videre. ideóque auaritiam omnis improbitatis ſedem eſſe olim dixit Bion: maximum mortalibus malum Alexander; & caput malorum omnium Apollodorus. Paratus eſt enim auarus ad opes cumulandas, quoduis per fas & nefas perpetrare. & ob id crebrio in diuinis ſcripturis reprehenditur. Eccl. 10. *auaro nihil eſt ſceleſtius, quid ſuperbis terra, & cinis? Nihil eſt iniquius,*

Scortia.

quam amare pecuniam. hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua. & ad Eph. 5. D. Paulus scribit, auaritiam esse idololatriam, quod pro Deo auarus pecuniam habeat, paratus eius causa omnia agere, & pati. Et 1. ad Tim. 6. *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem, radix enim omnium malorum est cupiditas.* Auaritiæ verò filiæ, ex D. Gregorio l. 31. mor. cap. 31. & S. Thom. 2. 2. quæst. 118. art. 8. sunt, proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietudo, violentia, & contra misericordiam, cordis obduratio; de quibus singulis S. Thom. loco citato. Lessius l. 2. cap. 47. dub. 8. Tolet. tr. de sept. peccat. mort. cap. 26. & seq. Azor tom. 1. l. 4. c. 15. Alensis p. 2. quæst. 141. m. 1. & q. 144. m. 1. Nauarr. cap. 23. num. 69. & seqq. quorum tres primæ ad minimum aderant in huiusmodi Camerarium delicto. Quare meritò nullus in causa propria, seu in qua habeat interesse, potest esse testis, & multo minus iudex. l. nullus. ff. de testibus. idémque in l. omnibus, & DD. ibidem. & cap. insuper. de testibus in fine. Gloss. ibid. & Prospero Farinacio tom. 1. praxis crim. tr. de oppos. contra personas testium, quæst. 60. num. 2. & seq. Idque etiam si sint clerici, ex eodem n. 13. Ruino, consil. 137. n. 5. Menoch. consil. 45. num. 26. quod eorum etiam oculi soleant obcæcari in suis, & suorum rebus. Glossa peruenit 1. quæst. 3. Alciato reg. 2. præsump. 29. n. 2. Maschardo de probat. l. 3. de concl. 1357. n. 56. immo nec Rex, aut Princeps in causa, in qua habet interesse. Decio consil. 410. num. 10. Farinacio loco cit. num. 15.

THEOREMA 140.

PORRÒ Camera Apostolica ex Eugenij IV. bulla 13. & eiusdem confirmatione, Octauiano Vestio. l. 2. cap. 1. & 3. & Azore tom. 2. l. 5. 38. est Audientia, seu Collegium in Curia Romana, quæ præest Apostolico Patrimonio, Fisco, & Ærario: dictáque putatur Camera Apostolica, quòd olim Romanus Pontifex audiret causas adhibitis, vt res expediretur facilius, sex Prælatis domesticis, prudentia, & vsu rerum insignibus, qui propterea Cameræ Apostolicæ Clerici dicti fuut, quorum consilio, & opera Pontifex vteretur, in tractandis causis, quæ ad vrbis, & ditionis Ecclesiasticæ temporalis, atque ærarij gubernationem pertinebant. Nunc tamen ex Eugenij IV. bulla 13. quæ incipit. *Inter.* & confirmatione eiusdem, quæ incipit. *In eminenti.* §. 3. præest dictæ Cameræ Cardinalis, qui Camerarius dicitur, cuius etiam fit mentio in cap. ad audientiam. de præscript. & Clementina *Ne Romani*, de elect. §. eo tamen. & Pontificis morte non expirat, ex §. citato, ne scilicet Ecclesiæ redditus, & regimẽ Vrbis negligerẽtur. Post eũ verò est Thesaurarius, ex citata Eugenij IV. bulla. *In eminenti.* qui Apost. Cameræ pecunias recipit, & custodit; tum Cameræ auditor, qui contumaces censuris cogit: deinde Præsidens Cameræ, qui præest rationibus vniuersi ærarij, Vrbísque & Prouinciarum prouentus administrat. Post quem

Aduoca

Aduocatus pauperum, qui ius, & partes priuatorũ apud Clericos, & iudices Cameræ cõtra Aduocatos fiscales tuetur. Adde fiscalem aduocatum, qui iura fisci Apostolici defendit. Præterea Procuratorem Fisci, cuius est Fiscales causas, (cum scilicet de publica pecunia, vel vindicta tractatur) agere. Et Gubernatorem vrbis, qui pœnis temporariis, & corporalibus in vrbe, & extra vrbem ad 40. milliaria ius habet animaduertendi in sontes. Denique est Commissarius Cameræ, qui eius negotia, non pertinentia ad iudicia, agit, & præest exactionibus, publicisque functionibus, annonæ, & pecuniæ cudendæ. Et tandem Clericus sacri senatus, cuius in Apost. Camera est, iura, prouentus, & alia, quæ ad Cardinales pertinent, si quæ tractantur, defendere. Præter hos recti, vt Magistratui habeatur honor; stant ministri fiscales.

THEOREMA 141.

PLectuntur igitur Primò participantes Camerales hoc loco pœna excommunicationis & priuationis officiorum ipso facto. Secundò, dantes in hoc eis fauorem, auxilium, & consilium, quod possit venire in vtilitatem eorumdem. Tertiò, id scientes, & non reuelantes Gubernatori, aut Papę, qui posset prouidere, ne Camera Apost. caperet detrimentum. Confirmata est postea Constitutio hæc, à Paulo III. num. 18. quæ incipit. *Alias.* qui illam §. 2. extendit ad omnes interuenientes in Camera, quando de huismodi locationibus pro eorum attinentibus agitur. ex Pio IV. num. 55. quæ incipit. *Romanus.* Non comprehenditur tamen Camerarius, vt constat ex Iulio III. bulla 3. §. 6.

Extat etiam hac eadem de re c. 8. statutorum editorum à Clericis Cameræ, confirmatorum à Leone X. post bullam 24. quod ita se habet. *Cumque Præfecti Fisci Apostolici, non solum ab omni fraude, labe, & lucro illicito abstinere, sed etiam omni suspicione carere debeant, vt ex eis Camera nullam prorsus iacturam, seu damnum patiatur, nullus Clericus, seu Notarius sub duorum millium ducatorum eidem Camerę applicandorum pœna, eo ipso incurrenda, contrahat aliquam societatem publicam, vel occultam in conducta alicuius Gabellæ, Dohanæ, seu Thesaurariæ ad Cameram Apostolicam pertinentis. Qui verò de hoc conuictus fuerit, vltra dictam pœnam, biennio priuetur emolumentis Clericatus, & Notariatus, quæ pro tribus illorum partibus accrescant aliis Clericis, reliqua verò illorum pars reuelanti detur.*

LEONIS X.

Constitutionis 5. aliàs 4. editæ anno 1513. in Conc. Lateran. quæ incipit. Apostolici.

EPITOME 53.

DAMNAT §. 2. tãquam per omnia hæreticos, & infideles, eodémque modo puniendos asserentes secundum Philosophiam animam rationalem esse mortalem, & vnicam in cunctis hominibus, cum ex Euangelio constet

Asserentes secũdũ Philosophiam, rationalẽ animam esse mortalem, & vnicã in cunctis homini-

bus, ſunt vt hæretici puniendi. Eccleſiaſtici non ſtudeant Philoſophiæ vltra quinquenniũ abſque aliquo Theologiæ vel Canonũ ſtudio. & quorannis ſanctio hæc publicetur in Vniuerſitatibus.

ſtet, vnà cum corpore æterna præmia, vel pœnas receptu-ram, & Dominus dicat: *animam autem occidere non poſſunt.* & ob id ſit eſſentialiter forma corporis humani, vt rectè definiuit Clemens V. in Concilio Viennenſi, immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine ſingulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda, quippe cum verum non contradicat vero.

§. 3. Iubet, vt cum occurrunt principia, aut concluſiones contra fidem, vt ſunt peccata, quæſtio de æternitate mundi, & ſimilia, Doctores diſcipulis veritatem declarent, & contrarias rationes ſoluant, quippe quæ ſolubiles ſint.

§. 4. vt nullus in ſacris ordinibus conſtitutus, vel in iure arctatus ad ordines, in publico ſtudio poſt Grammaticam, & Dialecticã vltra quinquenniũ Philoſophiam proſequatur, ſine aliquo ſtudio Theologiæ, aut Canonum.

§. 5. & Ordinarij, Vniuerſitatúmque Rectores ſingulis annis initio ſtudiorum, in virtute ſanctæ obedientiæ hanc Conſtitutionem publicari faciant.

THEOREMA 124.

REctiſſimè §. 2. præſentis Conſtitutionis Leo X. cum Concilio Viennenſi ſub Clem. V. damnat aſſerẽtes ſecundum Philoſophiam, aut lumen naturæ, colligi animam rationalem eſſe mortalem, etſi ſecundum fidem immortalis ſit; vt malè dixit Pomponatius l. 3. de immort. animæ, Simon Portius. l. de mente. landunus l. 3. de anima. Nec eam eſſe formam informantem, nec multiplicatam ad multiplicationem indiuiduorum, & ſimilia. cum lumen naturæ cognoſcat, Verum non eſſe contrarium vero, & naturæ lumen non poſſe aduerſari lumini reuelato. ſicut enim entia creata nihil aliud ſunt, quàm participationes quædam diuinæ entitatis, ita totum lumen naturale cuiuſuis intellectus creati, eſt quædam participatio infiniti luminis diuini, & non aliquid illi contrarium. Si igitur lumine reuelato ponitur animæ rationalis immortalitas, informatio, & multiplicatio, naturæ etiam lumine idem aut apparebit perſpicuè, aut certè magis clareſcet, quàm eius oppoſitũ: ideo nullo modo aut naturæ lumẽ aut veræ Philoſophiæ principia deducere poterũt ad aliquid Chriſtianę fidei contrarium: aliàs vtraque contradictionis pars poſſet eſſe vera; & Deus, qui naturalis, & reuelati luminis eſt author, pugnantia loqui, & mentiri; quæ à prima & ſumma veritate, qualis eſt Deus, abhorrent. Sed potius vtrumque lumen, eandem, diuerſo tamen modo, confirmabit veritatem.

Quare nõ difficile oſtendo non ſolùm ex diuinis literis Eccl. 12. Sap. 2.

Sap.2. 3. 4. 5. Iob.3. 12. Philipp.1. Matth.10.ac Patribus in Concilio Aquileiensi, in sexta Synodo generali, Concilio Later. sub Leone X. sess.8. Clemente Romano l.6. Constit. cap. 11. ac reliquis, sed etiam ex principiis veræ Philosophiæ animam rationalem esse immortalem, vt rectè docuit tota bene philosophantium antiquitas, Trismegistus in Pimandro cap.1. & 8. in Asclepio cap.3. 4. 10. Zoroastes apud Clem.Alex.l.5.strom. & Marsilium Ficinum. l.5. Theolog. Plat. cap.14. Pherecides apud Ciceronem l. 1. Tusc. qq. Anaxagoras, Empedocles, Xenocrates, Pythagoras apud Theodoretū l.5. Græc. aff. & Nyssenum. l. de nat. hom. cap.2. Caldæi apud Pausaniam in Messen.l.4.Tales Milesius, Philolaus, Socrates, Plato, Speusippus, Theophrastus in opere de anima, Plotinus, Ammonius, & cæteri (sit paucos Epicureos Alexandrum, & Plinium. l.7. cap.55. excipias) vt docent Eusebius l.11. de prop. Euang. Marsilius Ficinus loco citato. Franciscus Mirandulanus l.1. de vanit. scient. Augustinus Eusebius l. 9. de perenni Philosophia.Chrysostomus Ianellus. tr. de indeficientia animæ, idémque sensisse, pluresque rationes ad idem ostendendum collegisse Aristotelem in lib. de anima ad Eudemum,qui non extant,scribit Themistius. l.3. de anima text. 37.Plutarchus in vita Dionis,Simplicius. l.1. de anima text.66.86. Philoponus. l.1. de anima tex.65. & alibi, dicentes Aristotelem calumniari, qui ei affingunt sensisse contrarium, idque apertè intelliget, qui diligenter legerit eum l.1. de anima tex.90.quapropter egressa anima dissoluitur corpus, & putrescit t.92. negat posse assignari corporis partem animæ intellectiuæ eo quod non alligetur organo, sed sit immaterialis, & consequenter immortalis. Lib. 2. t.11. vult animam quamdam (nempe rationalem) posse à corpore separari, eo quod non sit educta de potentia materiæ, (sed ex l.2. de gener. anim. cap. 3. extrinsecus adueniat) quasdam verò vt vegetatiuam, & sensitiuam non posse. Text.21. intellectū esse genus animæ, distinctum à cæteris, vt perpetuum à corruptibili, & loquitur de anima nostra,& actu informante, cum velit ex tex.13. & 18.constituere gradum, & genus distinctum viuentium. Tex.21. ait,difficile adhuc esse dicere, an intellectus loco separetur à cæteris potentiis, cum sit potentia inorganica,vt dicetur l.3.t.5. Illud tamen iam constare esse genus animæ altioris ordinis, & ipsum tantum posse à corpore separari l. 3. de anima cum dixisset t. 3. intellectum possibilem esse impassibilem, quod non accidit potentiæ materiali, & t.4. ob id esse immixtum, & consequenter t.5. ab omni forma denudatum esse, vt possit omnia intelligere, concludit t.6. ideo non esse immersum materiæ seu mixtum, neque officij instar potentiarum materialium, conditionibus materiæ, esséue calidum, aut frigidum, nec vllo vti organo, & consequenter non eductum ex potentia materiæ, sed immaterialem esse, & immortalem. Et t.19. & 20. intellectum agentem, qui est potentia animæ rationalis ex t.17. esse impassibilem, & separabilem, & immortalem. Et denique

l. 12. Met. t. 17. vult nullam formam præcedere corpus, cuius est actus, posse tamen aliquam, nempe intellectum remanere post corpus. vbi apertè vides Aristotelem non loqui de intellectu Auerrois, nec de Deo, vt putat Alexander, cum non sint actus, & forma corporis, & præcedant corpus. Omitto reliqua, quæ aliàs Aristotelem explanans. l. 3. de anima, ad hoc idem ostendendum attuli.

Iam igitur ex Philosophiæ principiis animam rationalem immortalem esse probo. Primò, anima rationalis est immaterialis, ergo est immortalis. Consequentia patet, tum quia nullum est internum principium interitus, nec contrarietas, quæ aliunde possit afferre interitum: tum quia esse immaterialem, est non habere esse, nec dependere à materia; quare potest existere sine illa. Si enim forma non habet esse à materia, non repugnat eam conseruari ad dissolutionem materiæ, vt etiam fatetur Aristoteles l. 1. de anima t. 92. l. 2, t. 11. l. 3. t. 4. 5. 6. l. 12. met. t. 30. Antecedens autem probatur ex operationibus intellectus & voluntatis. Etenim in operatione intellectus tria sunt; quæ docent potentiam, & consequenter animam (cum identificentur) non pendere à materia, seu esse immaterialem. quorum primus est modus operandi. Tum quia cum materialis potentia sit extensa in organo, & ab eo essentialiter pendeat, non potest sine determinato organo operari. non enim ipsa operatur per se, sed est solum principium operandi ei, cui inhæret, vt constat ex auditu, visione & aliis. intellectio verò non fit per organum, vnde etiam reperitur in intelligentiis, & Deo, & homo ipse sæpe intelligit, & cognoscit contrarium ei, quod sensus omnes externi, & interni illi dictant, vt cum intelligit solem esse maiorem tota terra; non igitur vtitur organo. Possumus item disputare de re ab omni conditione materiali separata, vt de intelligentiis, de homine, nulla habita ratione loci, magnitudinis, coloris, vel alterius conditionis sensibilis, propriáque nostra intellectione & volitione absque phantasmate vllo: potentia igitur, qua id agimus, nullo corporali organo vtetur. Cũ enim cognitio agitur organo corporali, facultas nihil aliud percipit, quàm organi passionem. Organi autem corporalis passio non potest esse sine corporalibus conditionibus, nam per eam facultas non percipit nisi corporalia accidentia. Ob id facultas illa, quæ sine his percipit, necesse est, vt sit inorganica, vt docuit etiam Aristoteles. l. 2. de gener. anim. cap. 3. l. 3. de anima t. 6. Tum quia intellectus reflectitur supra se intelligendo se ipsum, materialis autem forma non potest supra se ipsam reflecti, quia cum sit educta ex materia quanta, operatur cum materia, & quantitate, cui intrinsecè repugnat reflexio, quòd tollat rationem extensionis, & partium, ideóque cum sensus sit materiæ permixtus, nullo modo, nec vllo vnquam tempore seipsum sentire potest. Quæ ratio est etiam Aristotelis. l. 3. de anima cap. 8. & Platonis apud Marsilium Ficinum. l. 9. Theol. Plat. cap. 1.

Secundum, est obiectum, quod etiã immaterialem indicat, quippe cum

cum non habeat obiectum determinatum, sed quidquid est, percipiat, corporalia, & spiritualia, intelligentias & Deum, particularia, & vniuersalia. Materialis verò potentia non possit percipere immaterialia, eo quod non sint eius proportionatum obiectum, vt docuit etiam Plato apud Marsilium loco cit. cap. 5. & Aristoteles l. 3. de anima. t. 4. & 6.

Tertium, varij actus eundem immaterialem ostendentes, vt apprehensio rerū sine materia, compositio, diuisio, discursus & iudicium, quo sæpe corrigit sensus. & aliud statuit, quam repræsentent phantasmata, vt fusè explicat Marsilius l. 6. cap. 2.

Eadem, & multo clariùs apparent in operationibus voluntatis. nam primò eius operandi modus est independens à materia, tum quia non habet determinatū organum in corpore, tum quia supra seipsam reflectitur, voluntas enim vult suum velle, & suū nolle, & est libera, & domina suarum actionū, nec cogi potest ab vllo ente creato; repugnat, immo dominatur naturalibus suis affectionibus, & passionibus, eligitque ieiunia, flagella, languorem, dolorem, immo etiam sæpè subiectum ipsum libenter offert morti, à quibus corpus naturaliter abhorret. Quod non accidit potentiæ materiali, quæ cum dependeat à suo subiecto, non potest illi resistere vel esse libera, aut appetere, quæ naturalis appetitus refugit, vt etiam rectè docuit Plato apud Marsilium l. 9. cap. 1. 2. 3. 4. & l. 13. toto. & Iauellum tr. 2. Ethicæ Platonis cap. 1. Philoponus. l. 1. de anima 65. vbi ait, nihil materiale contra subiectum suum pugnare, & Plotinus. l. de tribus præ puis substantiis, cap. 10. Secundò, obiectum eius est omne bonum etiam immateriale; est enim tanta humanæ voluntatis capacitas, vt solus Deus infinitum bonum possit satiare appetitum illius, quod apertè docet potentiam esse immaterialem, cum materialis appetitus, & cognitio, rem immaterialem quærere non possit. Tertiò, sunt eiusdem actus varij, qui eandem probant non pendere à materia, vt naturalis in omnibus hominibus appetitus immortalitatis, qui non potest in tota aliqua specie esse frustra, cum Deus, & natura nihil frustra faciant, vt docet Plato, S. Thom. & Scotus 4. d. 47. quæst. 2. Desiderium gloriæ post mortem, contemptus mortis, moderatio affectuum, conscientia scelerum, vt in 1. Tusc. q. argumentatur M. Tullius. & similia. Cum igitur operationes intellectus, & voluntatis nostræ, doceant animam esse immaterialem, eamdem etiam ostendent esse immortalem, quod probandum sumpsimus.

Secundò, idem colligitur ex fine hominis, hoc modo. Omne ens naturale habet finem, in cuius consequutione quiescat, & delectetur; ergo etiam homo, cum sit rerum omnium naturalium apex. Sed in hac vita nullus apparet talis finis, aut fælicitas, quia animus in omni vita numquam beatus est, cum semper patiatur aliquid, quod dolorem, & tristitiam affert, & si fortè nihil tristitiæ haberet, non immutabiliter haberet, quod tamen ad fælicitatem requiritur: Nec item potest voluntas, quæ habet pro obiecto omne bonum, expleri,

pleri, nisi summum possideat bonum, nec intellectus quiescere nisi in eo (Deo scilicet) clarè viso; necesse est igitur, vt hominis finis, ac beatitudo in eo præstantissimo, & summo bono sit posita, vt sit status bonorum omnium aggregatione perfectus, & firmus, vt docuit Aristoteles l. 1. eth. & Boëtius l. de consolatione Philosophiæ. id igitur in futura vita reseruatur, necessariò ergo immortalis est noster animus.

Tertiò ex diuina prouidentia; si enim non sit alia vita, in qua supplicia improbis, & bonis præmia tribuantur, nulla esset Dei prouidentia, nulla iustitia, quod est impium cogitare, nedum dicere. Improbi enim vt plurimum dominantur, voluptatibúsque fruuntur, iusti autem affliguntur, & patiuntur; ob id horum ratio, & conditio peior esset, quod tamen naturali lumini repugnat; danda igitur immortalitas animarum, vt præmia, vel pœnas factorum quisque recipiat, vt rectè argumentatur Lactantius l. 7. instit. cap. 10. Chrysostomus homil. 4. de prouidentia S. Petrus aduersus Simonem Magum, vt testatur. S. Clem. Rom. l. 3. recognit. Itémque S. Paulus, cum in ep. 1. ad Cor. cap. 15. ait miserabiliores essemus omnibus hominibus, si in hac vita tantùm sperantes essemus. Aduersariorum autem rationes contra immortalitatem animorũ soluunt Contarenus. l. 1. de immortalitate, Iauellus tr. de indeficientia animæ. noster Hieronymus Dandinus in egregio opere de anima. S. Thom. & alij boni, sed pij Philosophi.

* * *

THEOREMA 143.

DAmnantur quoque meritò asserentes eandem esse formam assistentem, & non humani corporis essentialiter formam informantem. Vt imprudenter somniauit Pythagoras ex D. Nysseno. l. 2. de anima cap. 7. & 8. Lactantio l. de diuino præmio. cap. 12. & Aristotele l. 1. de anima. t. 53. multas tamen ponens, quæ subinde in varia corpora, etiam brutorum, migrarent, & Auerroes vnicam tantùm constituens in omnibus hominibus. vt etiam de Aristotele temerè finxit l. 3. de anima. com. 5. & alibi. hæc enim repugnant veræ Philosophiæ.

Primò, quia homo propriissimè intelligit, & vult, ergo à principio intrinseco, & essentiali, materia scilicet, vel forma informante; sed non per materiam, cum hæc sit quid stolidum, & ad intelligendum ineptum, vnde abeunte anima nihil intelligit corpus; ergo per formam informantem. Antecedens patet. Tum quia homo definitur animal rationale, quia vtatur ratione. Tum quia omnis homo naturaliter scire desiderat. l. 1. met. t. 1. Tum quia ex l. 1. de anima. t. 64. experimur nos esse, qui speculamur, cum volumus, & intelligimus, & possumus per signa, & voces notiones animi nostri exprimere, & docere alios, non minus, quàm cum sentimus, videmus, audimus. & similiter nos etiam esse dominos nostrarum actionum, & volitionum, nos appetere, abhorrere, amare, odisse, timere, sperare, aliàs nulla essent virtutum, vitiorúmque merita, & demerita, iniqua quarumcumque legum

legum præmia, & ſupplicia; inutilis cohortatio omnis ad voluntatem excitandam, vel ſedandam, ſi homo non intelligit, nec vult, ſicut nec plectitur nauis, ſi rectum non teneat curſum, ſed tantum nauta. Conſequentia etiam probatur, tum quia vnum ſuppoſitum, præſertim in actionibus immanentibus, & quæ egent interno, & vitali principio, operari nequit per operationem alterius; ergo neque homo aut intelliget, aut volet, cum hæ ſint operationes immanentes, & quæ egent vitali, & interno principio, per ſuppoſitum diſtinctum, nempe formam aſſiſtentem. Sicut neque intellectione intelligentiæ, & nautæ, dicitur cælum, aut nauis intelligere. Tum quia homo eſt vnum per ſe. totum autem per ſe non fit niſi ex materia, & forma ſpecificante, & informante materiam. Si igitur homo intelligit, intelliget per vnam ex partibus eſſentialibus, materia, vel forma informante; at non per materiam, vt dixi, ergo per formam informantem. Tum quia ſi intellectus non eſt forma hominis, homo dici non poterit intelligere, niſi per vnionem, quam habet homo cum intellectu. Quæ vnio ſi non eſt formæ informantis, erit vel tanquam motoris in re mobili, quod eſſe non poteſt, quia intellectio eſt operatio immanens, motus autem eſt in mobili, non in mouente. Vel tanquam intellectus cum phantaſmatibus per corpus, & neque hoc eſſe poteſt, quia vnio intellectus cum phantaſmate non eſt, niſi potentiæ cognoſcentis cum obiecto, ergo ſicut non dicitur paries, aut color, à quo ſumitur ſpecies viſibilis, videre, quia vniatur tanquam res viſa cum potentia vidente, ita nec diceretur homo intelligere, aut velle, ſi in ipſo non recipitur intellectio, aut volitio, ſed ſolùm in illo cognoſcantur phantaſmata à forma aſſiſtente, ſeu intelligentia, quaſi homine perſonata. Pariſque modo vniri poſſet equo, & in eo intelligere, cum etiam beſtiæ habeant phantaſmata, & conſequenter etiá equus intelligere diceretur; quæ omnia quàm ſint abſurda, nemo eſt, qui non videat.

Secundò, ſi anima rationalis hominis, eſſet forma aſſiſtēs, ita ſe haberet reſpectu hominis, ſicut ſe habet Dæmon in Euergumeno, ſed hic non intelligit quæ dæmon in eo exiſtens intelligit, ergo nec homo intelligeret, quæ explicat. Idémque de locutione, volitione, & aliis. quæ tamen omnia ſunt falſa, etiam apud imperitiſſimum vulgus. Confirmatur, quia magis intrinſecè nobis vnitur Deus, quàm ſi vniretur anima aſſiſtens, & tamē quia Deus in nobis eſt forma informans, illius intellectione intelligere non poſſumus; ergo multo minus intelligeremus intellectione formæ aſſiſtentis.

Tertiò, ſi homo non eſt formaliter homo per animam intelligentem informantem; ergo per ſentientem & vegetantem; ergo formaliter eſt beſtia. Confirmatur, quia ſi anima rationalis non eſt forma informans, cum modus operandi ſequatur modum eſſendi, debebit habere aliquam operationem, ex qua id colligere poſſimus. At neque ex operatione aliqua nobis nota, neque alia experientia colligere hoc poſſumus; gratis igitur id aſſeritur.

Quartò intellectus hic, qui ſecundum Auctroem vnicus ponitur in omnibus hominibus, vt etiã ex hac eadem bulla Leonis X. conſtat, vel nobis ſemper in intelligendo adeſt, vel non: ſi adeſt, cum ſit finitus, ex ſui auctoris ſententia, qui impiè vel ipſum Deum finitum cenſuit, & tantum in primo cælo, qui fieri poteſt, vt eodem tempore aſſiſtat Italis, Gallis, Germanis, Hiſpanis, Perſis, Indis, Iaponiis, Sinis, Mexicanis? Si non adeſt, cum igitur philoſophari voluero, mihi expectandum erit, vt ex vltima India, aut Iaponiis aduentet hic intellectus, & aſſiſtat, quod non tam falſum, quàm falſiſſimum eſſe quiſque intelligit.

Quintò itẽ, quomodo de eadem re ſunt tam diuerſæ cogitationes hominum? nam vnus rem veram, alius falſam apprehendit; vnus affirmat, alius negat; vnus addiſcit, alius docet; vnus ſcientiam habet, alius opinionem de eadem re; hæc enim videntur implicare. Nec dicas id abſurdum non eſſe, quod hæc fiant ab eodem intellectu per diuerſa phantaſmata; tum quia in his caſibus ſunt eadem phantaſmata ſpecie; tum quia in hac re non faciunt difficultatem phantaſmata, ſed ſubiectum ipſum, nempe intellectus, qui actus illos ſimul ſuſcipere nequit. eſſent enim ſimul diuerſi, pugnantéſque & contrarij actus, & habitus in vnico illo intellectu, vt etiam in vnica illa voluntate. cum vnus ſit ſtudioſus, vitioſus alius. Idémque nobiſcum ſenſiſſe Ariſtotelem conſtat, tum quia in definitione animæ l. 2. t. 6. ſub qua comprehendit etiam rationalem, ex l. 2. de anima t. 18. 23. 24. nomine actus corporis organici intelligitur informans, ideo enim tex. 2. ponit diuiſionem ſubſtantiæ in materiam, formam, compoſitũ, & materiam dicit potentiam, formã actum. & t. 4. deducit animam eſſe formam ſubſtantialem corporis naturalis, quod poteſt viuere. & text. 5. 6. 7. eſſe actum primum, ideo non eſſe quærendum, cur ex eo, & materia fiat vnum per ſe. & tex. 8. animam eſſe ſubſtantiam ſecundum rationem, & quod quid corporalis naturalis. & t. 9. & 10. ob id animam reſpectu corporis ſe habere veluti potentiam viſiuam reſpectu pupillæ; qua facultate viſiua ſublata, pupilla non eſt amplius oculus, niſi æquiuocè. Tum quia tex. 29. vult per intellectum conſtitui genus viuentis. Tum quia ex l. 1. eth. c. 2. fælicitas hominis conſiſtit in operatione, ſecundum quam homo quatenus homo diſtinguitur ab aliis animantibus, nempe ſpeculatione, & operatione virtutis, vt oſtendit, l. 10. cap. 6. 7. At ſi intellectus non eſt forma hominis informans, non poterit contemplatio eſſe fælicitas hominis, ſed ſolum ipſius intellectus, qui ponitur ſeparatus; & aſſiſtens.

THEOREMA 144.

ANima rationalis pro corporum, quibus infunditur, multitudine, ſingulariter multiplicatur, vt definit Clemens V. in Conc. Viennenſi, & Leo X. hoc loco, & docet S. Thom. l. 2. contra gent. cap. 70. & ſeq. & 1. p. quæſt. 76. artic. 1. Alber. l. 3. de anima tr. 2. cap. 12. Tum quia intellectus noſter, vt diximus præcedenti Theoremate, non eſt tantùm aſſiſtens, &

& qui se humano corpori ad cognitionem coniungat. Quomodo enim cognoscit corpus, cui debet se coniungere? quomodo tempus, quo illi debet vniri, ne id faciat solum in senio, aut antequam infans rationis vsum habeat? si per phantasmata, ergo extra corpus habet operationem cum phantasmate, quod Aduersarius pernegat. Si sine hoc, ergo habet operationem independentem à corpore, non igitur erit corpori vnitus, cum modus operandi sequatur modum essendi. Quin etiam si potest extra hominem sine phantasmate intelligere, non est vlla ratio, cur in homine intelligat per phantasmata, cum ea, quæ per pauciora possunt fieri, non sint facienda per plura. Est igitur necesse, vt humanus intellectus sit vera hominis forma. Est enim homo essentialiter animal rationale; & consequenter multiplex; aliàs si vnicus tantùm esset, omnes homines vnicus esset homo; quorum enim ex Aristotele l. 7. Met. t. 45. quod quid erat esse est vnum, necesse est & ipsa esse vnum, quod tamen asserere esset hominis fatui.

Confirmatur, quia sicut omnia membra viuentis eò quod habeant vnam vltimam formam, faciunt vnum viuens, ita omnes homines vnum constituerent hominem, cum entia vnum sint per formam. Tum quia, vt dicebamus, tunc non posset vnus rem diuerso modo apprehendere, quàm alius, ne eadem anima de eadem re contrarias habeat sententias eodem temporis momento. Tum quia non est vna, eadémque voluntas hominum singulorum, cum vnus sit bonus, & alius malus, ergo nec vnus intellectus, aut anima rationalis. Probatur consequentia, quia voluntas sequitur intellectũ, sicut appetitus sensitiuus sensũ, & sunt potentiæ eiusdem animæ. ergo si voluntates sint diuersæ, intellectus quoque & animæ rationales erunt diuersæ.

Ex his sequitur, falsam etiam esse opinionem Bernardi Mirandulani. l. 13. de Euersi. sing. cert. sect. 3. & l. 32. sect. 1. & Achillini quodlib. 3. de Intellig. dub. 4. asserentium ex Aristotelis sententia, & naturæ lumine animam rationalem esse quidem vnicam in omnibus hominibus, sed esse informantem. Tum ex dictis contra vnitatem animæ, seu intellectus assistentis, nam pugnant etiam contra hanc vnicam informantem pænè omnia. Tum quòd impossibile sit, vt eadem forma tam multa, & distincta informet corpora, interiecto spatio, in quo ipsa non est, quippe cum spatium non sit corpus organicum. Tum quod Aristoteles omnino doceat oppositum. Lib. enim. 12. Met. t. 17. apertè dicit rationalem animam non præcedere corpus, licet post corporis interitum remaneat.

THEOREMA 145.

RAtionalis anima vnius post mortem non migrat in aliud corpus humanum, aut ferinum, vt finxerunt Ægyptij, Pythagorei, Platonici, & alij de quibus Lactantius l. 7. Epiphanius hæresi 3. Irenæus l. contra hæreses c. 59. Athanasius l. 6. de beatit. fil. Dei, Castro. l. 2. hæresi 8. Herodotus, & alij, irrisitque huiusmodi figmentum etiam Aristoteles l. 1. de ani-

ma tex. 53. qui etiam inficiatur vllam formam præcedere corpus. l. 12. met. t. 16. 17. & l. 2. phyt. t. 26. vult animam habere ordinem ad determinatum corpus. idque rectè, sicut enim forma in specie requirit materiam determinatam in specie, ita hæc forma numero habet ordinem ad tale corpus numero: non debet igitur esse forma aliorum corporum. Tum quia sequeretur esse determinatum numerum hominum, cum per aduersarios sit determinatus numerus animarum, & totidem mori homines, quot nascuntur, cum tamen videamus numerum hominum augeri. Tum quia si quis iustus, & sapiens moriatur, aut potitur beatitudine, aut non. Si non potitur, nulla esset Dei iustitia; quippe qui rectè viuentibus præmia non conferat, melióreque esset conditio improborum, cum eis in hac vita omnia fluant ex sententia. Si potitur, vel iterum postea detrudetur in corpus, & sic eadem de causa nulla apparebit Dei iustitia: si non, quotidie minuetur hominum numerus. Mali quoque & scelesti si non ducuntur ad supplicia, nulla videtur Dei iustitia; si ducuntur, minuetur etiam hominum multitudo. Quare intra paucos annos vniuersum genus humanum defecisset. Tum quia cum forma det esse, & vnitatem rei, si detur hæc animarum transmigratio, plures homines, vel etiam bestiæ nactæ huiusmodi vagantes, & transmigrantes animas, essent vnus homo, quin & bestiæ huiusmodi simul bruta essent, & homines, quæ sunt digna risu. Videatur Nyssenus l. 1. de anima cap. 7. & 8. quare Leo X. hic §. 2. pro corporibus, quibus infunditur, numero singulariter multiplicari animas dicit.

THEOREMA 146.

NOn est aliquid diuinæ substantiæ anima rationalis hominis, vt senserunt Stoici apud Epiphanium, l. 1. hæresi 5. Carpocrates apud Irenæum l. 1. cap. 24. Gnostici, & Manichęi apud S. Hieronymum in epist. ad Marcellinum, & Philo. l. quod deterius insidiatur potiori. sed à Deo ex nihilo creatur, & immediatè infunditur corpori. Tum quia Deus nō est diuisibilis, & mutabilis, tum quia anima iam non esset creatura, sed Deus, & ab æterno, & beata, nec posset esse forma humani corporis, quam tamen esse docet §. 2. huius sanctionis Leo, damnátque errorem hunc Concilium Bracarense 1. cap. 5. Tolet. 1. cap. vltimo. S. Leo ep. 91. cap. 1. August. l. de orig. animæ cap. 3. & 4. & Irenæus loco cit.

Neque est eiusdem speciei cum Angelis, vt voluit Origenes lib. 1. periarchon cap. 5. & 8. quia non posset esse forma hominis: esset enim ens completum, & non dicens ordinem ad corpus.

Neque ante corpus creata ab initio, vt voluit Origenes loco cit. cap. 7. & apud D. Hieronymum in epist. ad Pammachium, & Epiphanium hæresi 64. & August. ep. 28. & l. 3. de lib. arbit. cap. 21. Tum quod in 6 Synodo act. 11. & à Leone ep. 91. cap. 5. id damnatur. Tum quod sit absurdum alicubi tandiu mansisse nihil acturam. Tum quod repugnat etiam Aristoteli l. 12. met. t. 16. 17.

Neque creatur ab Angelis, vt putauit

putauit Auicenna, Hermias, Seleucus, & alij, ex tripart. hiſt. l. 7. cap. 11. cum creatio arguat infinitatem virtutis, quæ non eſt in angelis. Sed à ſolo Deo creatur, & immediatè corpori infunditur, vt ſtatutum eſt in Synodo 6. Conſtantinop. Lateranenſi ſub Inn. III. Viennenſi cap. firmiter. Auguſtino, & Leone locis cit. Hierony. ep. ad Marcellinum, S. Thom. l. 2. contra gent. cap. 86. quippe cum ſolus Deus creare poſſit, ob potentiam infinitam. Idémque colligitur Gen. c. 2. *Inſpirauit in faciem*, &c. Eccl. c. vltimo. *Et ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* & l. 2. Machab. c. 7. *neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis, neque enim ego ſpiritũ, & animam donaui vobis, & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi, ſed enim mundi creator, &c.*

THEOREMA 147.

IN homine vnica tantum eſt anima, non autem aut duæ, vt voluit Ocham quodlib. 2. quæſt. 1. qui rationalem poſuit, & ſenſitiuam, quæ etiam exequeretur munera vegetatiuæ; aut tres, vt putauit Plato apud Ariſtotelem l. 1. de anima t. 90. 91. 92. & in Timæo. Philo. l. quod deterius inſidietur potiori, Manichæi apud D. Auguſt. l. 10. de gen. ad literam cap. 12. & 14. & alij. Eſt enim vnica tantum anima in ſingulis, eáque rationalis, quæ ſimul etiam dat eſſe ſenſitiuum, & vegetatiuum, vt docet S. Aug. loco cit. & l. 83. qq. q. 40. l. 6. contra Iulianum. l. de duab. anim. contra Manich. cap. 1. & 13. l. de quant. animæ cap. 33. l. de ſpiritu, & anima cap. 9. Damaſcenus l. 2. de fid. cap. 12. Baſilius in conſtit. Monaſt. cap. 2. S. Thom. 1. p. quæſt. 76. art. 3. l. 2. contra gent. cap. 58. Ariſtoteles l. 1. de anima tex. 65. vbi ſupponit animam rationalem, & extrinſecus aduenientem eſſe eandem, qua homo videt. Ideóque ſenem ſi oculum iuuenis reciperet, viſurum vt iuuenem, eò quod anima nihil paſſa ſit. Tex. 92. docet non eſſe plures animas in corpore. Lib. 2. de anima t. 31. vult vegetatiuum contineri à ſenſitiuo, & ſenſitiuum à rationali, vt triangulum in quadruplo. Lib. 3. de anima t. 37. 38. animam rationalem eſſe quodammodo omnia, quia ratione ſenſuum eſt quodammodo omnia ſenſibilia, & ratione intellectus omnia intelligibilia. Lib. de iuuent. & ſen. cap. 1. vnam, & eamdem eſſe particulam, qua homo viuit, & eſt animal. Lib. 2. de gen. anim. cap. 4. mentem, quæ extrinſecus aduenit ex meliori, vel minus bona ſubſtantia, magis, aut minus præcipuas corporis partes, quaſdam etiam ex excrementoſa materia, fœtu iam formato, & grandi, vt etiam natura primum fecerat in formatione, ſuſtentare, ſicut prudens patet familias, optimum cibum dat filiis, deteriorem ſeruis, viliſſimũ animalibus, Themiſtius, l. 1. de anima cap. 5. Simplicius l. 1. de anima t. 9. & 89. Auicenna l. 6. nat. p. 1. cap. 3. Alexander, l. 1. de anima cap. vltimo probatur, tum quia, vt argumentatur Auicenna, actiones animæ in eodem viuente ſeſe inuicem impediunt. vehemens enim, & attenta contemplatio minuit, & impedit operationes nutritiuæ, & ſenſitiuæ, vnde ſæpe non percipimus obiecta exteriora; & hæc pariter impediunt illam: at hoc non aliun-

de venit, quàm quod harum actionum ſit vnicum principium. Anima enim valdè attenta vni operationi, nequaquam alteri exactè vacare poteſt: At ſi plures eſſent animæ illarum principia, dum vna vni operationi vacaret, altera poſſet alteram exequi, etiam perfectè. Tum quia ſi plures eſſent in homine re ipſa diſtinctæ animæ, poſſet anima vna ab aliis ſeparari, cæteris conſeruatis, idque non ſolum à Deo, ſed etiam ab agente naturali corrumpente gradum diſpoſitionum illius ſolius animæ; non item reliquarum: immo in morte naturali id re ipſa eueniret. quia cum perfectior ſit ſuperioris, quàm inferioris animæ diſpoſitio, vt ad illam ſenſim progreſſa eſt natura producendo, ita paulatim ab illa demoliendo recederet. Ob id ab homine primum recederet anima intelligens, diſpoſitionibus eius aboliris, deinde ſentiens, denique vegetans. Idque non ſolum in homine, ſed etiam in beſtiis. Tollerentur enim prius diſpoſitiones ſentientis, & poſtea vegerantis. Quare homo viueret ſeparata rationali, & brutum corrupta ſenſitiua. Quodnam igitur animal erit tunc homo? & quæ planta brutum?

Meritò igitur ſic eſt in octaua Synodo generali act. 10. can. 11. definitum. *Apparet quoſdam id temporis in tantum impietatis deueniſſe, vt duas (adde, ſi vis, tres) in homine animas imprudenter dogmatizent, quos & ſimilia ſapientes vniuerſalis Eccleſia anathematizat.* Porrò canon non ſolum damnare videtur ponentes duas intellectiuas animas in eodem homine, vt aliqui putant, ſed ſimplicirer ponentes plures animas. cum & D. Auguſt. l. 1. de Gen. ad literam. cap. 14. recenſeat tanquam hæreſim opinionem Manichęorum ponentium in homine intellectiuam, & ſenſitiuam, idémque Leo X. in hac Conſtitutione manifeſtè ſupponit.

THEOREMA 148.

IVbet etiam §. 3. vt Doctores inter legendum ſoluant, quippe quæ ſolubilia ſint, & confutent, quæ ſint contra fidem, tam in moralibus, vt ſunt peccata, quàm in ſpeculatiuis. v. g. mundum ab æterno fuiſſe, vt tenuit Ocellus. l. de vniuerſo, cap. 1. Ariſtoteles eum ſequutus l. 8. phyſ. à t. 4. ad 16. Chrytolaus apud Philonem. l. de æternitate mundi. Proclus l. de æternitate mundi. Simplicius l. 8. phyſ. Auer. l. 4. phyſ. com. 6. l. 1. de cælo, com. 22. 92. l. 8. phyſ. com. 15. & alij. Oppoſitum tamen naturæ lumine docuerunt Triſmeg. in Pimand. cap. 6. & 11. & apud Cyrill. Alex. l. 1. contra Iulianum, Thales Mileſius apud Laërtium l. 1. Anaxagoras, Democritus, Empedocles, Plato apud Ariſtotelem l. 1. de cælo t. 102. M. Tull. l. 2. de nat. deorum, Seneca l. de prouidentia Philoponus in libris hac de re contra Proclum. Auic. l. 9. Met. & alij apud Philonem. l. de Monarchia, & apud Auguſtinum Engubinum. l. 7. de perenni philoſophia à c. 8. ad 22. vbi teſtimonia profert. & Ariſtoteles ipſe. l. de mundo ad Alexandrum cap. 7. dicit eſſe communem, & antiquam famam.

Et ſanè cum Ariſtoteles l. 3. phy. t. 41. exiſtimet implicare dari, aut poſſe dari infinitum in numero, vel quantitate continua, viderit quomodo potuerit mundus eſſe ab æterno.

æterno. eſſent enim nunc infinitæ animæ, & tranſiſſent infiniti anni, & multo plures menſes, hebdomadæ, dies & horæ, quæ impliplicant, cum vnum infinitum non ſit altero maius, aliàs enim eſſet finitum.

Quin etiam Patres ſentiunt, eſſe impoſſibile, vllam creaturam poſſe eſſe ab æterno, & conſequenter diuinum Verbum, quippe quod fuerit ab æterno Patri coæternus, haud eſſe creaturam, ſed Deum. Ira D. Baſilius l. cõtra Eunomium. Amb. l. 1. Hexam. cap. 3. Auguſt. l. de fid. ad Petrum. l. contra Felicianum. cap. 19. l. 12. de ciu. cap. 15. Fulgent. l. 1. de dupl. prædeſt. Iuſtinus l. de euerſ. dog. Ariſt. & in Apolog. Tertull. l. aduerſus Hermogenem. Athanaſius or. 8. aduer. Arianos. & in diſp. contra Arium in Conc. Niceno. Cyrillus Alex. l. 6. theſauri. cap. 12. & l. 12. cap. 9. 10. 13. Damaſc. l. 1. de fid. cap. 9. & Hugo de S. Vict. l. 1. de ſacram. cap. 10. vbi air: *Hoc fugit diuinam virtutem, vt poſſit aliquid ſibi coæternum facere.*

Argumenta autem Aduerſariorum rectè ſoluunt Valeſius l. hiſtoriæ ſacræ, & Philop. in lib. contra Proclum. & omnia fundantur in aliquo ex his falſis principiis. Primò, ex nihilo nihil fieri poſſe, etiam diuina virtute, quod falſum eſſe vidit etiã Pythagoras, ex Calcidio com. 2. in Timæum Platonis, Triſmagitus apud Cyrill. Alexand. l. 2. contra Iulianum, & alij. Videatur Franciſcus Petrarcha lib. de ſui ipſius, & multorum ignorantia. Secundò, nihil poſſe fieri, niſi per naturalem motum, & mutationem, non autem per creationem. Tertiò ſi Deus de nouo feciſſet mundum, mutatus eſſet. Quartò, Deum eſſe finitæ virtutis, agere neceſſariò, & quantum poteſt. Quintò, æternitatem mundi arguere maiorem Dei bõnitatem. Sextò, omne nunc, eſſe principium, & finem temporis.

EIVSDEM LEON. X.

Conſtitutionis 5. olim 8. editæ anno 1515. quæ incipit.

Regimini.

EPITOME 54.

Exempti vt coërcẽdi. cauſæ fori Eccleſiaſtici cognoſcendę in prima inſtãtia ab Ordinario. Innouãtur pænæ violantium libertatẽ Eccleſiaſticam & perſonas Eccleſiaſticas non ſoluẽtes decimas, incẽdiariorũ, depopulatorũ, & moleſtãtiũ Prælatos ad conferẽda beneficia. feuda, Emphyteu-

MANDAT §. 2. vt iudices, quibus à Sede Apoſt. correctio, & punitio exemptorum delinquentium demandata eſt, debitum officij ſui diligenter exequantur.

Et §. 3. ſi moniti, fuerint in hoc negligentes, cognitione huiuſmodi ea vice ſint priuati, & procedant ipſi locorum Ordinarij.

§ 8. Statuit cauſas Eccleſiaſticas, tam ſpirituales, quàm ciuiles ac mixtas in prima inſtantia cognoſcendas coram Ordinario.

§. 11. Innouat quaſcumque Conſtitutiones editas de pænis contra impedientes libertatem Eccleſiaſticã & non ſoluentes decimas, raptores, violatores, Eccleſiarum incendiarios, depopulatores agrorum, capientes Cardinales, Epiſcopos, & alias perſonas

ses pro sua volũtate, & præstantium inhis auxiliũ, consiliũ, fauorem. collatio nulla, & inhabilitas ad alia.

nas Ecclesiasticas, ac detinentes, eorúmque iura quomodolibet indebitè occupantes, vel eos in suæ iurisdictionis exercitio perturbantes, seu molestantes ad conferenda beneficia, feuda, Emphyteusim personis pro ipsorum voluntate, aut vendenda. Facientes statuta contra libertatem Ecclesiasticam, & ad præmissa auxilium, consilium, & fauorem præstantes. Decernítque collationes de dictis beneficiis sic factas, irritas esse, & nullas, & qui illis vtuntur, redduntur inhabiles ad alia beneficia.

THEOREMA 149.

EXemptio nihil est aliud, quàm liberatio à potestate sæculari, aut Ecclesiastica. ob id exemptio, de qua agitur hoc §. 2. est liberatio à potestate Ordinarij inferioris Papæ, stante immediata subiectione Pontifici Romano. Quare cum sum. Pontifex religionem aliquam exemptam facit, solet apponere huiusmodi clausulam. Ipsámque (religionem) & vniuersa illius personas, ac bona quæcumque, ab omni superioritate, iurisdictione, correctione quorumcumque Ordinariorum eximimus, & liberamus, ac sub nostra, ac præfatæ sedis Apostolicæ protectione suscipimus. Exemptus verò dicitur, qui huiusmodi exemptione potitur, seu qui non subest iurisdictioni Ordinarij, vt constat ex cap. eum personæ. cap. ne aliquis. de priuileg. l. 6. solúsque Papa, vel legatus à latere potest cognoscere de huiusmodi causis contra exemptum. cap. veniens. de verb signif. l. 6. Quintiliano Mandosio de sig. grat. exempt. ab Episc. & Sylvest. v. exemptio n. 1.

Porrò etsi olim iure communi Regulares subiecti essẽt Episcopo (certum est enim in eos nihil posse iudicem sæcularem, ex Authent. apud quos oport. monach. caudicere. & Authent. statuimus. Cod. de Epis. & Cler. & cap. non dubium de sent. excom. cap. 1. de for. comp. cap. & si Clerici. de iudiciis.) Episcopo, inquam, loci, in cuius diœcesi situm erat Monasterium, ex Concil. Chalcedonensi cap. 4. & habetur 16. q. 1. cap. qui verè. Tolet. 4. cap. 50. Tolet. 10. cap. 3. Aurelian. 1. cap. 10. & habetur 16. quæst. 1. cap. monasteria. & tradit Panorm. cap. porrectum. de regul. & Syl. v. religiosus 3. n. 4. Qui etiam creabat Abbates, & eos ex causa deponebat. ex cap. si quis Abbas 18. quæst. 2. Postea tamen regulares ab Episcoporum iurisdictione fuerunt exempti, & Monasteriis commissa est Abbatum electio. Quare iam Episcopi ordinariè procedere non possunt contra Regulares delinquentes, sed tantum eorum iudex ordinarius, qui est prælatus, vt Abbas, Prior, &c. ex priuilegiis illis concessis directè, aut per communicationem à Nicolao IV. Benedicto XI. Clemente IV. Sixto IV. & aliis, de quibus in Mari magno Carmelitarum, Prædicatorum, Augustinianorum, & in collectione priuilegiorum Mendicantium, v. exemptio. & quoad religiosos Societatis Iesu à Paulo III. in bulla, quæ incipit.

incipit. *Licet debitum.* & Gregorio XIII. in bulla, quæ incipit. *Ascendente.* Etenim illorum Prælatus multò melius nouit subditorum defectus,ac regulas, & cõstitutiones religionis, quàm Episcopi, & correctio citius fit, & cum minori scandalo.

Quo etiam posito Bonifacius VIII. concessit Prælatis Minorum, vt in punitionibus Fratrum procederent non seruatis apicibus iuris (qua de re videndum cap. qualiter. cap. quando. 2. de accusat. Panorm. cap. si quis, contra. & c. cum contingat. de foro comp. Lupus alleg.33. Felin. de modis procedendi contra Monachos nu.19. 20.) sed solum secundum approbatam eorum consuetudinem. & Nicolaus V. concessit Ministro generali dicti Ordinis,vt possit iuxta instituta antiqua regularia dicti Ordinis corrigere, & punire subditos, & in criminibus maioribus, si res exigeret (cum moderamine) eos torturæ subiicere.

Debent igitur regularium superiores procedere iuxta officium contra delinquentes, ne scelera impunita remaneant, & consequenter multiplicentur, vt etiam notat Conc. Trid. sess.6. cap.3. de refor. Vmbertus in reg. D. Augustin. cap.164. & Bernard. Dial in pract. crim. cap.79. Quod si superiores sint in hoc negligentes,postquam fuerunt admoniti, priuantur ex hoc §. 2. ea vice huiusmodi cognitione, & substituuntur Ordinarij locorum.

In Concilio etiam Tridentino sess.7. cap. 14. de refor. statutum est, vt in ciuilibus causis mercedum, & miserabilium personarum regulares extra clausstrum degentes possint coram Ordinario conueniri tanquam sedis Apostolicæ delegato. Et sess.25.cap.14. de regul. in causis criminalibus puniri posse regulares extra clausstrum degentes ab eodem Ordinario, vt colligit indirectè Nauarr. com.2. de regul.num.63. & Emanuel Rodericus to.2. quæst.2. art.3. regulares autem degẽtes in clausstro ab Ordinario puniri non posse, nisi extra clausstrum ita notoriè deliquerint, vt populo sint scandalo; & instante Episcopo intra tempus ab eodem præfigendũ, non puniatur à superiore, eo enim casu delinquens punietur ab Episcopo,& superior priuabitur officio. extat hac etiam de re Constitutio 39. quæ incipit. *Suscepti muneris.* Clementis VIII. de qua inferius, Theor.401.

THEOREMA 150.

EA, quæ §.8. habentur, fuerunt etiam postea statuta à Concilio Tridentino sess.24. cap.20. ita vt saltem intra biennium à die motæ litis terminetur. Alioquin post illud spatium liberum sit partibus,vel alteri earum, Iudices superiores (competentes tamen)adire, qui causam in eo statu assumant, in quo fuerit, & quam primum terminari curent; nec antea aliis committantur, nec auocentur,neque appellationes ab eisdem interpositæ per superiores quoscumque recipiãtur:eorúmue commissio, aut inhibitio fiat, nisi à diffinitiua, vel à diffinitiuæ vim habente, & cuius grauamen per appellationem à diffinitiua reparari nequeat.Exceptis causis,quæ apud sedem Apostolicam sunt tractandę

iuxta canonicas ſanctiones, & quas ex vrgenti cauſa ad ſe auocauerit Pontifex, vt etiam ſeſſ.25. cap.10. de refor. eadem ſancta Synodus Epiſcopos monet, vt curent perfici.

THEOREMA 151.

INnouantur deinde §. 11. quæcumque pœnæ latæ contra delinquentes principales, & auxilium, conſilium, & fauorem præſtantes in ſequentibus criminibus. Primò violando, vel impediendo libertatem Eccleſiaſticam, qua de re nõnulla præmiſimus Theor.15. 16.17. & 77. ac 78. dum Honorij III. & Bonifacij IX. bullas explicaremus. Conſiſtit autem hæc libertas, vt docet Suarez t.5. d. 21. ſect.2. num.90. in excellentia poteſtaris tum ad ordinem, tum ad iuriſdictionem pertinentis,& conſequenter in omnibus exemptionibus à ſubiectione, vel coactione temporalis poteſtatis, & priuilegiis conceſſis Eccleſiæ, ſiue à Deo, vt ex Antonino 3 p.t.25. cap.17.& aliis, quod Clericis ſoluantur decimæ.cap.reuertimini.16.quæſt.1. quod Eccleſia ſola res Eccleſiaſticas adminiſtret. cap. ſi Imperator. d.96. quòd Eccleſia de ſpiritualibus ius condere,& iudicare poſſit. cap. cum ad. & cap. bene d.96. & ſimilia. ſiue à Papa, vt cap. ſi quis ſuadente 17. quæſt. 4. ne clericis manus iniiciantur,cap ſi diligenti. de foro comp. ne clerici conueniantur coram iudice ſæculari. c. relatũ. de teſt. vt in legatis ad pias cauſas ſufficiant duo teſtes. ſiue ab Imperatore(Reges enim ſolum concedere poſſunt Eccleſiis in ſuis dominiis, ex Inn. cap. nouerit. de ſent. excom.) vt v. g. quòd nullus iudicet perſonas Eccleſiaſticas,niſi ſui Prælati. vel quòd quilibet liberè donare poſſit Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticis perſonis. l.1. & l. illud.l.fin.Cod.de ſacroſan. Eccl.vel quòd ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam nulla ſint. l. caſſa. Cod. de ſacros. Eccl. & ſimilia, de quibus Caiet. v. excom. cap. 31. & nunc violantes immunitatem, vel lib.Eccleſiaſticam, incidunt in excommunicationem bullæ cœnæ. §. 15. & Gregorij XIV. bullæ 7. Sumitur autem Eccleſia in huiuſmodi difficultate, non prout opponitur infidelibus, éſtque fidelium congregatio, ſed prout opponitur parti fidelium, quæ diuinis vſibus, & miniſteriis non eſt mancipata.

Secundò, incendendo, violando, ſpoliando, depopulando Eccleſias. cap. canonica. 11. quæſt.3. c. cum deuotiſſimam. 12. quæſt.2. cap. omnes Eccleſiæ.17.quæſt.4.c. peſſimam.23.quæſt.8.cap. tua nos. de ſent. excom. & cap. conqueſti, ibidem.Panor.in idem. c. Aſtenſis. p.2.l.7.t.13.§.18. Piſanel.excom.4. Angel. excom.5.caſu 5.& 6.Antonin.3. p.t.25. c.11.12. Syl. excom. 7.n.11.16 Ledeſma 2.4.q.26.art.2. Nauarr. cap.27. num.94. vt etiam diximus Theor.77. §.7. etſi lis ſit, an excommunicatio ſit lata, vel ferenda. & denunciati ſunt pro abſolutione mittendi ad ſedem Apoſtolicam.

Tertiò, non ſoluendo decimas, vt etiam cap. denique. cap. reuertimini.16. quæſt.1. & extra. toto tit. de decimis, & tit. eodem l. 6. S.Thom. quæſt.2. artic.8. quæſt.6. art.10. 2.2. quæſt.87. art.1. Caiet. ibid. Nauarr. cap.21. num.28. & ſeq.

ſeq. & Concilium Tridentinum ſeſſ.25. cap.12. de refor. vbi præcipitur, vt qui decimas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec abſoluantur, niſi reſtitutione ſequuta. Tolet. l. 6. cap.20. Leſſius l. 2. cap. 39. Azor t.1.l.7.cap.34. Emanuel Rodericus t.2.quæſt.45. Porrò nomine decimæ ex Hoſtienſi in ſum. tit. de decimis. §.1. intelligimus partem illam omnium bonorum mobilium, ſiue fructuum iure quæſitorum, quæ Eccleſiæ miniſtris quotannis iure taxata eſt, in eorum debitum ſubſidium propter miniſterium ſpiritualium, iuxta 1. Cor.9. *ſi nos vobis ſpiritualia*, &c. & 1. ad Tim.5. *qui bene præſunt*, &c. Lucæ 10. *dignus eſt operarius*, &c. ideo obſeruant S.Thom.2.2. quæſt.87. art.1. Rebuffus de decimis. quæſt.1. & 2. Couarr. l.1. var. reſol. cap. 17. aliíque Theologi, & iuris canonici interpretes, hoc non tantùm eſſe iuris Pontificij, ſed etiam naturalis, cum recta ratio dictet, vt eum alamus, qui nobis in diuinis inſeruit; & diuini, ex locis præcitatis. & ob id merito damnata eſt in Conc. Conſtantienſi ſeſſ.8 opinio VVicleffi aſſerentis decimas non eſſe vllo iure Eccleſiaſticis debitas, ſed eſſe meras eleemoſynas, & poſſe propter eorum peccata illis negari. Difficultas tamen eſt de quota parte; Innoc. enim cap.vltimo de paræciis. Gloſſa c.1. de decimis l.6. Ancharan. ibid. Io. Andr. cap. à nobis de decimis. Butrius cap. Parrochianus, Panorm. Hoſtienſ. §.7. de decimis in ſum. dicunt eſſe etiam iuris diuini, & non tamen canonici, vt ſit decima pars fructuum; tum ob cap. tua de decimis, vbi dicitur deberi decimas Conſtitutione diuina. & cap. tua nobis.ibid. Deum præcepiſſe ſolui decimas; ideóque non poſſe minui. & cap. fin.16. q.1.eas eſſe iuris diuini, & deberi Deo. Tum quod Matth.23.Chriſtus decimantibus dixerit: *oportet hæc facere, & illa non omittere*. At S.Thom. loco cit. Alenſ.3.p. q.51. nu.1.2.3. Henricus quæſt.4. q.21. Sotus l.9. de iuſt. quæſt.4.art.1. Nauarr.c.21. num.28. Couar.vbi ſupra. Leſſius, Azor, & alij, quos citauimus, l.2. de Miſſæ ſacrif.quotam hanc tempore Euangelij ſolo iure Eccleſiaſtico (antiquiſſimo tamen, vt patet ex Clem. l. 2. cap.29. 38.39. l.8. cap.36.) deberi dicunt. Tum quia in lege Euangelica nullum aliud extat præceptum, quàm miniſtrãtibus ſpiritualia deberi congruam ſuſtentationem. Matth.10. 1.Cor.9. De quota autem nihil ſtatuitur. Tum quod quæ dicuntur Exod. 22. Leuit. 28. Num.18. de decimis. ſpectãt ſolum ad Leuitas, & Sacerdotes Aaronicos, qui cum eſſent vna ex 12. tribubus, erant ferè decima pars, & non acceperat partem ſuam in diuiſione terræ, & habebant vxores, & liberos. at iam alia eſt lex noſtra, aliud ſacerdotium, alia ratio gubernandi. Tum quod hæc quota conſuetudine tolli poſſit, cap. in aliquibus.de decimis. & alicubi decima multorum fructuum eſt ſublata, quod fieri non poſſet, ſi eſſet iuris diuini, & in pluribus Prouinciis aliter prouiſum eſt Eccleſiaſticis, ex Couar. loco citato. num.9. Tolet. l.6. cap.20. num. 5. Dicuntur autem decimæ deberi conſtitutione diuina, eò quòd in lege veteri Deus id conſtituerit, ad cuius imitationem idem in noua ſtatuit Eccleſia,

& sic debentur solum ex lege diuina mediatè, non immediatè, & ideo quandiu lex Ecclesiæ viger, itreuerentiam Deo primo institutori facit, qui imminuit. Et patiter quoque dicuntur iuris diuini, quia Deo consecrantur pro ministris. Dictum autem Domini Matth. 23. intelligitur de tempote illius legis.

Quærenti autem quotuplex sit decima, Dicendum est cum Hostiensi sum. tit. de decim. §. 3. esse triplicem; prædialem, quæ soluitur ex fructibus, frumento, vino, oleo, &c. qui proueniunt ex prędiis. cap. peruenit. cap. pastoralis. cap. Apostolica. de decimis. Personalem, quæ soluitur ex acquisitis, mercatura, militia, opificio, venatione, & arte. cap. decimæ 16. quæst. 1. c. ad Apostolicæ. cap. non est. de decimis. Mixtam, quæ soluitur ex acquisitis ex animalibus, quæ in pascuis nostra cura, & diligentia nutrimus, fætibus pecorum, porcorum, boum, & eorum fructibus, caseo, lacte, butyro, lana, pelle. cap. non est. de decimis. horum enim fructus partim ex prædiis, partim ex industria hominis proueniunt. ex his igitur omnibus decimæ soluendæ sunt, alioquin ex D. August. serm. 219. de temp. *Hæc est Domini iustissima consuetudo, vt si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris.* & hom. 48. ex 50. *Maiores nostri ideo omnibus copijs abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant, modo autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio Fisci, noluimus cum Deo partiri decimas, modo autem totum tollitur; hoc tollit Fiscus, quod non accipit Christus.* Denique in Clementina. *Cupientes.* de pœnis, excommunicantur religiosi, qui præsumunt in suis sermonibus, vel alibi proferre, quæ retrahant audientes à decimarum debitarum Ecclesiis solurione. Qua de re Astensis p. 2. l. 7. tit. 2. casu 99. Angel. excom. 7. casu 44. Syl. excom. 9. num. 88. §. 45. Ledesma 2. 4. q. 26. art. 2. Nauarr. cap. 27. num. 145. Ibíque etiam religiosi, qui scienter postposuerunt suis confitentibus conscientiam facere de soluendis decimis, ab officio prædicationis tandiu ipso facto suspensi manent, donec ipsi confitentibus (commodè facultate habita) conscientiam fecerint; quod si præsumpserint prædicare, prædicta negligentia non purgata, incurrunt ipso facto excommunicationem. Vidéndus Sayrus l. 3. cap. 33. num. 41. & seq. Nauarr. cap. 27. num. 145. 146. Caiet. excommunicatio c. 65. 66. Syl. excom. 9. num. 89. Rodericus t. 2. quæst. 45. art. 8. addens ex supplemento ord. fol. 26. concessionem 82. ex Eugenio IV. communicantes in priuilegiis Minorum non incurrere dictam excommunicationem, omittentes conscientiam facere confitentibus, nisi fuerint requisiti à Parrochianis, ídque tantùm temporibus in dicta Clementina expressis, & si tunc, prædicabunt.

Quartò, capiendo, & detinendo Cardinales, Episcopos, & alias Ecclesiasticas personas, de qua re 11. q. 1. per totam 17. q. 4. si quis suadente. Honorij III. bulla, quæ incipit. *Has leges.* Bonifacij IX. bulla. *iustis,* vt diximus Theor. 78. cap. fælicis. de pœnis l. 6. Pij V. bulla 93. cœnæ. Gregorij XIII. Clementis VIII. Pauli V. §. 11. Caiet. excom. cap. 11. 12. Antonin. 3. p. t. 25.

t.25. cap.2.& 3.Syl.excom.7.n.22. Sayrus l.3. cap.15.

Quintò, eorum iura occupando, & iurisdictionem perturbando. prior pars habetur etiam §.15. & 17. bullæ cænæ. & Conc. Tridentino sess.22. cap. 11. de refor. Videndus Syl.excomm.7.nu.73.in excom. 28. Caiet. excom. cap.28. 27. Ledesma 2. 4. quæst.26. arr.1. Soto 4. d.22. quæst.2. art. 3. post concl.5. Nauarr. cap.27. num.69. 70. posterior verò in bulla cænæ. §.17. Sed non ita ampla, vt hoc loco, vbi specificantur qui Prælatos molestant in conferendis beneficiis, & alienandis feudis,& rebus Emphyteoticis. Quorum simul collationes decernuntur irritæ, & nullæ, illisque vtentes inhabiles ad beneficia, vt etiam c.1. & c quoniam. de immun. Eccl.l.6.

Sextò, faciendo statuta, aut ordinationes contra libertatem Ecclesiasticam. Quod etiam habetur. cap. nouerit. de sent. excom. & in bulla cænæ. §. 15. & in Constit. Feder. II. approbata ab Honorio III. & l. cassa. Cod.de sacros. Eccl. vt dixi Theor.15. 16.17.77.78. & & dicitur 424.426. Porrò statutum illud contra libertatem Ecclesiasticam censetur, quod vel directè, & sua natura, ac ipsa materia iuri Ecclesiastico aduersatur, aut derogat. vt si v. g. contineat non soluendas decimas. vel quod etiam obliquè, & moraliter illi præiudicet. vnde dicitur cap. vltimo de Imm.l.6. præsumi esse contra libertatem Ecclesiasticam statutum, ne subditi vendant, molant, coquât panem Ecclesiasticis. indirectè enim præiudicatur illis, & fit fraus libertati, & immunitati eorum ex Anton.3.p.tit.24.c.18. Suarez t.5. d.21. num. 91. Reginaldo l.9. num.359. ideo rectè Felinus,cap. nouerit.de sent. excom. sentit statuta omnia, quibus personis Ecclesiasticis aliquid prohibetur, quod nec diuino nec humano iure est illis prohibitum (adde, vel imponitur aliquid,quod neutro prædictorum iurium præceptum est) esse contra libertatem Ecclesiasticam,idque colligi potest ex libertatis definitione, quæ est: *naturalis facultas faciendi quodlibet, nisi iure prohibeatur.* l. libertas. ff.de statu hominum. & Bartolus in l.1. §.2. ff. quarum rerum actio non detur.num.3.& in l.Cassa. Cod.de sacros. Eccl. Baldus in Margarita v. Ecclesia. Panorm. in cit. cap. nouerit. Angel. excom.7. num.12. Tab. excomm.5. cap.20. Syl. excom.9. num.31. Suarez t.5. d. 21. sect.2. n.93. Reginaldus l.9.n.358. docent esse etiam contra Ecclesiasticam libertatem quodcumque statutum, quo clerici efficiuntur timidiores, quamuis non videatur directè contra libertatem Ecclesiasticam, vt si Princeps statuat, vt qui laicum percusserit, exilio mulctetur:qui verò Clericum 25. aureos soluat. Videndus etiam Caiet.V.excommunicatio casu 31. & Nauarr. c.27.n.119.120.

EIVSDEM LEON. X.

Constitutionis 11. olim 9. editæ anno 1515. quæ incipit.

Inter multiplices.

EPITOME 55.

ONCIONANTES, & disputãtes montes pie- Asserentes pietatis mon-

tes illicitos eſſe, excommunicãtur. iuuãtes conſequuntur Indul.

tatis eſſe illicitos, ſi quid ſolùm ſumatur, pro indemnitate, & conſeruatione montis, ſiue id ſcripto, ſiue verbo faciãt, excommunicationem incurrunt. Iuuantes autem montes prædictos indulgentias conſequuntur.

THEOREMA 152.

CVm pecuniarij montes non vnius ſint generis, vt videre eſt apud Toletum. l.5. cap. 38. 39. Azorem t.3.l.5.cap.8.quæſt.10.11. nobis hoc loco eſt tantùm difficultas de pecuniariis montibus pietatis de quibus diſſerunt Nauar. cap.17. num.217. & Comm. de vſuris numer.59. & ſeqq. Medina tr.de rebus per vſur.acq.q.10. Sotus l.6. de iuſt. quæſt.1. artic.6. Caiet. opuſc. hac de re. Syl.v. vſura.5.quæſt.4. Azor loco citato c.8. Leſſius l.2. cap.20. dub.23. Tolet. cap. 38. citato. Valentia 2.2. q.23. p. 4. poſt 5. concluſio. Molina d. 325. Salas tr. de vſur. dub.33. Rebell. 2. p. l.8. q.13. Reginal. l.25. num.207. Bannes q.78.art.4. Paul. Comit. l.3. quæſt. 35. Suarez t.5. d.22. ſect. 6. Quaranta v. Mons pietatis. Et dicuntur montes pietatis, eò quod huiuſmodi pecunia in vtilitatem pauperum fit deſtinata, & perpetuò conſeruetur, ideóque Conc. Tridentin. ſeſſ.22. cap. 8. 9. 11. numerat huiuſmodi montes inter pia loca. Fuerúntque in Italia inſtituti ante centum, & ſeptuaginta annos, & approbati à Paulo II.

Eſt autem eorum praxis huiuſmodi. Deſtinatur ſiue ex publico ærario, ſiue aliunde certa pecuniæ quantitas in refugium pauperum, ne cum magnis vſuris aliunde cogantur quærere, eis mutuanda iis legibus. Prima, vt ipſi mutuatarij paruum aliquod auctuarium vltra ſortem pendant ſingulis menſibus, pro conductione domus, miniſtrorum eius ſtipendio, cum debeant pecuniam, & pignora cuſtodire, ſcribere rationes dati, & accepti, cæteráque neceſſaria præſtare. Secunda, vt mutuatarij pignus deponant idoneum, aliàs multis poſtea non ſoluentibus, mõs facile exhauriretur, & finiretur. Tertia, vt ex huiuſmodi pecunia detur ſingulis indigentibus vſque ad certam ſummam, v. g. viginti quinque aureos. & vt poſſit pluribus indigentibus ſubueniri, ad certum etiam tempus, v.g. ad duos annos. Quarta, vt ſi præſcripto tempore non ſoluerint quod mutuò acceperunt, vendatur pignus, quodque ex pretio, detracta ſorte, & auctuariolo, ſuperfuerit, domino reſtituatur vt docent Medina, Nauarr. Tolet. & alij locis citatis.

THEOREMA 153.

ESt igitur difficultas an huiuſmodi montes pietatis cenſendi ſint liciti? & quidem Caiet. opuſc. de monte pietatis, & Sotus l.6. de iuſt. quæſt.1. art.6. eos tanquam vſurarios condemnarunt. & videtur etiam dubitare Syl. v. vſura.5. num. vltimo. Tum quia mutuans, aliquid palam accipiat vltra ſortem mutuo datam. Tum quod non teneantur pauperes compenſare onera ſuſcepta in pecunia montis conſeruanda, eò quod ipſi non ſint illius pecuniæ domini, ſed

ſed ad illud teneatur Cómunitas, vel is, ad quem eius dominium pertinet. Tum quod quò quis diutius vtitur illo mutuo, plus vltra ſortem ſoluit, ergo non pro oneribus, ſed pro tempore petitur, atque ideo vſurarię.

Oppoſitum autem meritò docent Medina, Nauarr. Valentia, Azor p.2.l.5. cap.3.quæſt.5. & vbi ſupra, Leſſius, Tol. locis allegatis, Molina tr.2. diſp. 325. Ferdinandus Rebellus. p. 2. de oblig. iuſt. lib.8.cap.13. Reginald.l.25.n.207. Paulus Comitolus l.3. quæſt.35.& cæteri. Tum quia licet olim id fuerit dubium, id tamen poſtea eſt definitum in Conſtitutione hac in Lateranenſi Concilio ſeſſ. 10. à Leone X.ait enim. *Declaramus, & definimus montes pietatis, in quibus pro eorum impenſis, & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad illorum conſeruationem pertinentium pro eorum indemnitate dumtaxat vltra ſortem, abſque lucro eorumdem montium recipitur, nec mali ſpeciem præferre, nec vllo pacto improbari.* Qui etiam conceſſit indulgentias porrigentibus manus adiutrices ad huiuſmodi montes erigẽdos. Quare vt detur Caietano venia, cum 18. annos ante hanc Conſtitutionem opuſculum illud ſcripſerit, Sotus certè cum ſcripſerit poſtea, omnino liberius, quàm par fuerit, ſcripſiſſe videtur, cum dicat non pertinere ad Concilium huiuſmodi quæſtiones definire. Nam Concilium cum ſuo capite errare non poteſt, & ad illud pertinet definire omnia, ex quibus ſalus animarum dependet. Tum quod montes eoſdem approbarint eodem Leone teſte, Paulus II. Sixtus IV. Inn. VIII. & Iulius II. & Concil. Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 11. de refor. vbi excommunicat occupantes illorum bona, cuiuſcumque ſint dignitatis, à ſolo Papa abſoluendos. Qua de re Azor p. 1. l. 9. cap. 27. q. 10. Zerula in pract. Epiſcopali. p. 1. verbo, bona. Comitolus l. 6. quæſt. 23. Suarez t. 4. d. 22. ſect. 6. num. 22. Salicetus in pract. crim. cap. 3. Tum quod onera illa ſuſcipiantur in vtilitatem pauperum: meritò igitur ab eis petitur compenſatio, vt etiam palam ſentit idem Leo, & Conc. Later. in d. ſeſſ. 10. dum pro ratione ſuæ deciſionis ſubiicit illa verba. *Qui commodum ſentit, onus quoque ſentire debet.* quæ eſt vna pars illius regulæ iuris. l. 6. *qui ſentit onus*, &c. & ſecundum etiam ius ciuile, *cuſtodia rei ad illum pertinet, ad cuius commodum, & vtilitatem cuſtoditur, & cui perit, aut lucrifit.* l. 1. & l. neceſſariò. ff. de peric. & com.

Non igitur tenetur Ciuitas, aut ipſe mons, vel dominus illius propriis expenſis alere eos, qui conſtituti ſunt ad mutuandum, ſcribendum, &c. ſed ipſimet, qui commodum ſentiunt. Et argumenta contraria facilè ſoluuntur. Primum, quia nihil ſoluitur vi mutui, ſed quid ſolùm ratione damni emergentis pro impenſis, & ſtipendiis miniſtrorum montis, vt ait Leo. Secundum, licet pauperes non ſint domini illius pecuniæ, non tamen liberi eſſe debent à compenſatione onerum ſuſceptorum cauſa conſeruandæ pecuniæ. Satis enim eſt, vt innuit Pontifex, ea onera ſuſcipi in vtilitatem pauperum. Tertium, quia non plus petitur ob maius tempus formaliter, ſed quia quo quis diutius illam

lam pecuniam retinet, maius beneficium mutui participat, & diutius, & consequenter maiora onera propter illud suscipiuntur, & ministri diutiùs obnoxij sunt laboribus, curam diuturniorem pignorum habent, & sunt expositi eorum periculo.

Quærenti verò cui sit restituendum, si quid v. g. in fine anni superfit stipendiis, & expensis necessariis, iam solutis? Respondeo cum Azor cap 9. l. 5. tom. 3. Mutuatariis singulis, à quibus est acceptum, si id certò sciri potest, quia soluerunt vltra id, quod soluere tenerentur. Sin minus, pauperibus, vel conferendum in vsus pios, vt fit in restitutione incertorum, vt obseruari vidi in pietatis monte Veronensi.

EIVSDEM LEON. X.

Constitutionis 12. olim 10. editæ anno 1515. quæ incipit.

Inter solicitudines.

Non imprimédi absque licentia gratis sub excommunicatione dãda, libri, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, librorũ publicæ combustionis, &c.

EPITOME 56.

NEMO ex §. 1. librum, aut scripturã aliquam præsumat imprimere, vel imprimi facere, nisi prius in Vrbe per Vicarium Pontificis, & Magistrum Sacri Palatij; in aliis verò diœcesibus per Episcopum, vel ab eo deputatum peritum, & inquisitorem loci approbetur, per illorum manus propriæ subscriptionem, sine dilatione gratis, sub pœna excommunicationis, faciendam.

§. 3. Qui secus facere præsumpserit, librorũ publicam combustionem, & 100. aureorum applicandorũ fabricæ S Petri mulctam, & suspẽsionem per annum ab impressione, & excommunicationem latam incurrat; & crescente contumacia castigetur per Episcopum secundùm iuris remedia.

THEOREMA 154.

QVæ in hac Constitutione habentur de omnibus libris, & scripturis imprimendis, fuerunt etiam sub eodem Leone in Conc. Later. sess. 10. decreto 3. definita, & præscribuntur in regula 10. indicis; & est vsus, vt etiam ipsæ Theses, Orationes, Carmina, & similia ante impressionem examinentur, & probentur, idque etiam Romæ, teste Toleto l. 1. cap. 42. num. 3. Azore t. 1. l. 8. cap. 17. q. 2. & in Lusitania ex Roderico mox citando. Sed num huiusmodi pœnæ, & Censuræ Concilij etiam ligent, non est ita apud omnes certum, eò quod parum cognitæ fuerint, & haud vsu, & consuetudine receptæ, vt testantur Caiet. V. excommunicatio in fine, Bartholomæus Caran. in fine summæ Concilij Later. Nauar. cap. 17. n. 148. Emanuel Rodericus p. 2. q. 105. art. 1. Suarez t. 5. d. 22. in fine, & d. 23. sect. 7. num. 1. sed quod à Leone hic, & à Concilio Lateranensi de omnibus scripturis statutum fuerat, fuit quoad res sacras innouatum

uatum in Conc. Tridentino seſſ.4. in decreto de editione, & vſu ſacrorum librorum. nempe vt nemo imprimat, vel imprimi faciat quoſuis libros de rebus ſacris, ſine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud ſe retinere præſumat, niſi primùm examinati, approbatique fuerint ab Ordinario, ſub pæna anathematis, & pecuniæ in canone Concilij nouiſſimi Lateran. appoſita, addito, ſi regulares fuerint vltra examinationem, & probationem huiuſmodi, licétiam quoque à ſuis ſuperioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris iuxta formam ſuarum ordinationum in fronte libri authenticè ponendam, quod etiam fit in inſtructione Clementis VIII. indicis. tit. de impreſſione librorum §. 2. Extenditque Concilium Tridentinum Impreſſorum pænas, ad eos, qui ſcriptos libros euulgant, niſi antea probati fuerint. & qui eos habuerit, vel legerit, niſi prodiderit auctorem, habebitur pro auctore.

Notat autem Azor loco cit. q.3. ſufficere, ſi ſcriptura, aut liber typis mandetur ſub nomine certi Collegij, Conuctus, aut Vniuerſitatis, ſiue præfecti illius, cum in iure Conuentus, Collegium, Ciuitas, perſona ficta cenſeantur. & in eos poſſet inquiri, & animaduerti, vt in priuatas perſonas, & ineamus cum illis contractus. & factum videmus in operibus Conymbricenſium.

Quin etiã in aliquibus Regnis, vt Galliæ, & Hiſpaniæ libri, non ab Ordinariis, ſed à Regio Conſilio examinantur, & probantur, vt docet Suarez, vel annuentibus Pontificibus, vel Ordinariis talem approbationem, vt ſufficientem, admittentibus. Videndi circa hoc decretum Concilij Tridẽtini, Caſtro l.1. de leg. pæn. cap.8. Couar. l.4.var. reſol. cap.17. num.1. Azor t.1. l.7. cap.17. q.1. 2. 3. 4. Suarez t.5.d.23. ſect.7. num.1.2.3. Rodericus. t.2. q.105. Nauarr. cap.17. num.148. Fuſcus l.2. de viſit c.31. num.9. Felicianus de cenſuris. tit. de excommunicatione cap.24. Andreas Gambarus. l.2. de off. & poteſt. legati à latere. num.430. Reginald. l.9. num.259. 257. Toler. l.1. cap.42.

In inſtructione quoque Clementis VIII. citata. tit. de impreſſione, §.6. præſcribitur, vt Typographi, & Bibliopolæ coram Epiſcopo, vel Inquiſitore, & Romæ coram Magiſtro ſacri palatij iureiurando ſpondeant, ſe munus ſuum Catholicè, ſyncerè, ac fideliter exequuturos, ac regulis, & decretis indicis Epiſcoporum, & Inquiſitorum obtemperaturos, & ſi eruditi ſint, fidem profiteri debent. vt etiam ſtatutum reperimus in Concilio Salzburgenſi c.5. Impreſſores autem librorum hæreticorum incurrunt primam excommunicationem bullæ cænæ.

THEOREMA 155.

ILlud etiam hoc loco quæri poteſt, an poſſit quis tuta conſcientia Conciones, prælectiones Theologicas, obſeruationes de rebus ſacris ſcriptas, nec adhuc ab Ordinariis approbatas, alicui communicare? Et dicendum videtur ex Suarez loco citato num. 3. Azor quæſt.4. Reginaldo num. 235. & Roderico ſupra, poſſe; tum quia hæc propriè non dicuntur liber

iuxta sensum Concilij, tum quia hæc scripta sunt dictata quædam inferioris ordinis, quæ vix in communicatione literatorum hominum vitari possunt, & vbique locorum vsus habet, vt aliis communicentur. Tum quia non per se scribuntur, vt diuulgentur instar librorum, sed solum ad proprium vsum, & priuatam vtilitatem, ac per accidens communicantur. vnde non censentur sub hac clausula comprehendi; nec Prælati tanquam illicitum reprehendunt. Tum quia cùm hac de re orta esset inter religiosos perturbatio, sacra Congregatio Cardinalium decrauit, supradicta esse rantum intelligenda, quando dantur, vt typis mandentur, & euulgentur, vt docet Roder. dicta quæst. 105. & Sorbus in Addit. ad Compendium Mendic. tit. Imprimere libros, in fine, qui ait seruari authenticum Romæ in archiuio fratrum Capucinorum.

EIVSDEM LEON. X.

Cõstitutionis 16. editæ anno 1516. quæ incipit. Temerariorum.

Cardinalium, eorúmque cõdium, & familiarũ violatores, & complices dãnantur Censuris excommunicationis. priuat. infamiæ.

EPITOME 57.

INNOVAT §. 2. censuras Honorij III. Bonifacij VIII. & superiorum contra hostiliter insequẽtes Cardinales, & illis præsentia, consilio, fauore assistentes, ac scienter tales delinquentes receptantes, aut defendentes.

§. 3. eorúmve Cardinalium domos, etiã Conclauis tempore inuadentes, & bona diripientes, quamuis Cardinalis fuerit electus in Papam, aut vulnerantes aliquem ex ibidem existentibus, socios, mandantes, ratum habentes, eorum nomine factum, consilium, & fauorem præstantes, & defendentes. quæ Constitutio vbique & perpetuò valeat.

THEOREMA 156.

STatuta in hac Constitutione contra hostiliter insequentes Cardinales (nam difficulas non est de percussione ipsa, & captione, id enim clarum erat ex canone. *Si quis suadente.* 17. quæst. 4. Sed de insecutione, cum non incidat quis in Can. *si quis suadente.* ob solam insecutionem Clerici, ex Glossa. c. *si quis pulsatus.* de pœnit. d. 1. & in cap. fælicis. de pœnis. l. 6. & Archidiac. cap. sunt qui. 17. quæst. 4. licet eodem cap. sicut qui. iudicentur sacrilegi, qui sacerdotes insequuntur) insequentes, inquam, hostiliter. id est ex D. Antonino 3. p. t. 25. c. 2. Syl. excom. 7. num. 23. Sayro l. 3. cap. 15. num. 7. Reginaldo l. 9. num. 313. sicut hostes, & inimicos capitales, & animo grauiter offendendi S. R. E. Cardinales lata sunt à Bonifacio VIII. in cap. Fælicis. (quod hic etiam innouatur) de pœnis. l. 6. vbi fiunt rei læsæ Maiestatis, infames; diffidati, banniti, intestabiles actiuè, & passiuè, priuati beneficiis, & Officiis, etiam temporalibus, feudis, locationibus, inhabiles ad testandum,

ſtandum, bona eorum non tranſmittuntur ad poſteros, ſed applicantur Fiſco, domus diruuntur, nullo vmquam tempore reædificandæ, debitores eorum non renentur ſoluere eis, aut in iudicio reſpondere, ac denique incidunt prædicti delinquentes in excommunicationem reſeruatam Papæ.

Eorum autem filij, ac nepotes per lineam rectam deſcendentes priuantur beneficiis, dignitatibus abſque ſpe vlla promotionis in poſterum, fiunt inhabiles ad dicendum teſtimonium, ad officia, beneficia, & actus legitimos, immo in d. cap. fælicis. ad collaterales offendentium Cardinales pænæ extendi poſſunt. Qua de re Menoch. l. 2. de arb. iud. caſu 552. n. 8. ne ſcilicet agnati tepidi, remiſſi, ac negligentes ſint circa collateralium ſuorum inſolentias reprehendendas, vt ſcribit Bartholus in l. iure prouiſum. Cod. de fabricenſibus. Ancharan. in cap. 1. de Conſtit. Decius conſ. 64. Baldus in conſilio. *In Chriſti nomine, amen. Videtur quod vigore dicti*, &c.

His non diſſimilia extant in bulla 93. Pij V. in qua cenſuræ extenduntur etiam ad qualitercumque ſcientes, & non reuelantes huiuſmodi delinquentes, & Complices, eſtque etiam caſus bullæ cænæ. §. 11. vbi extenduntur etiam ad hoſtiliter inſequentes cæteros Prælatos, iuxta Clementinam. *Si quis ſuadente*. tit. de pœnis. & fortè idem Leo X. fecit hunc caſum bullæ cænæ, cum nullus antiquior Caietano eius meminerit.

Similiter extenduntur hoſtiliter inſequentium Cardinales pænæ etiam ad eos, qui præſentia, conſilio, aut fauore illis aſſiſtunt, eóſve ſcienter receptant, aut defenduut. Porrò inſequutio hæc aduerſus Cardinales non eſt moralis. v. g. per calumnias, iniurias, falſa teſtimonia, & ſimilia, ſed phyſica, cum quis inſequitur per motum corporalem ad eum capiendum, percutiendum, &c. vt ex verbis huius bullæ, & cap. fælicis. & Clementinæ citatæ conſtat, vt notauit etiam Suarez 10. 5. d. 22. ſect. 3. num. 12.

THEOREMA 157.

FIt etiam §. 3. extenſio prædictarum pœnarum ad innadentes armata manu, tam tempore Conclauis, quàm quouis alio, alicuius Cardinalis, etiã in Pontificem electi, domum hoſtiliter, inde aliquid diripientes, aut quempiam ex mibi exiſtentibus vulnerantes, & Socios, quippe qui pari pœna puniantur. l. ſi quemquam in fine. Cod. de Epiſc. & Cler. & cap. quantæ. extra de ſent. excom. cum & ipſi faciant, nedum faueant; ac mandantes, ſubſequuto tamen effectu, vt ſi mandata inſequutione alter inſequitur, licet non perueniat ad capiutam, aut percuſſionem.

Puniri autem mandantem delictum aliquod, conſtat ex. l. non ſolum §. mandato. ff. de iniuriis, vt pluribus docet Menoch. l. 2. de arb. iud. caſu 352. 353. & ſuo nomine factum ratum habentes, & in præmiſſis conſilium, & fauorem illis præſtantes, ac eos defendentes. iuxta notata à Gloſſa in c. 1. de officio delegati. Similia habentur in bulla cænæ §. 11. & citato cap. Fælicis. & Clementina. *Si quis ſuadente*.

Porrò rectè dictum eſt. *& ſuo*

nomine factum ratum habentes, quia ex cap. cum quis. de ſent. excom. l.6.& ex regula 9.iuris in 6. Gloſſa ibidem.& in cap. fælicis. & Clem. citata.Io.Andr.in cap. fælicis. Anton.3. p. tit.25. capite 2. & 3. Syl. excom.7. num.23. Tabien. excom. 5. caſu 2.num.6. Sayro l.3. cap.15. num.11. Suarez t.5. d.21.num.71. Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine geſtum non eſt, vnde conſenſus in alienum factum, vt alienum eſt, non eſt ratihabitio, cum nullo modo influat in talem actionem. At ex regula 10. ibid. & cap. cum quis. de ſent. excom. l. 6. ſi eius nomine geſtum eſt, licet ipſe neſciret, ſed poſt factum ratum habuit, & laudauit. non eſt dubium ratihabitionem retrotrahi, & comparari mandato. quia eſt mandatum quoddam virtuale. & ob id ratum habere, non eſt vtcunque conſentire, & laudare factum, cum ſine vllo influxu id poſſit fieri, ſed virtualiter, & cum influxu conſentire, & laudare, vt dicitur etiam Theor.420.

EIVSDEM LEON. X.

Conſtitutionis 43. olim 38. editæ anno 1521.quæ incipit.

Honeſtis.

Maleficí, Sortilegi, Apoſtatę à fide ab Inq. puniendi, & eorũ proceſſus non reuidẽdi ab Officialibus ſæcularibus.

EPITOME 58.

TRIBVIT Conſtitutio §. 2. Inquiſitoribus facultatem procedendi contra Maleficos, Sortilegos, & Apoſtatas à fide.§. verò 3.habet, teneri Officiales ſæculares abſque reuiſione proceſſus, exequi Inquiſitorum ſententias.

THEOREMA 158.

CVm antea iure canonico ſancitum eſſet, ne Inquiſitores ingererent ſe in cauſis de ſortilegiis, & diuinationibus, niſi manifeſtè ſaperent hæreſim, & talia exercentes ſuis iudicibus puntendos relinquerent. cap. accuſatus. §. ſanè. de hæreticis.l.6. Innocentius VIII. bulla 1. quæ incipit. *Summus*. Iulius II. & Leo X. præſenti Conſtitutione, quos ſequutus eſt Adrianus VI. bulla 2. & Sixtus V. bulla 17. olim. 21. ius procedendi contra huiuſmodi delinquentes eis etiam tribuerunt. ob id crimen hoc eſt mixti fori, vt notat Clarus § hæreticos num.23. cum Abbate.cap.1. num.3. & 4.de ſortileg. quem communiter ſequũtur Doctores.Quare & vtrumque ius in ſortilegos pœnas legibus decreuit. de quibus Carrerius in pract.crim.& Martinus Delrius. l.5. diſp. Mag. ſect.15. & 16. Ciuile enim ius exilij, & capitis.nam.l. artem. Cod. de Maleficis, & Mathematicis. *Ars*, inquit, *Mathematica damnabilis eſt, & interdicta omnino.* & ob id huiuſmodi homines Marco Popilio, & Cn. Calpurnio Conſ. publica lege, vrbe, & Italia amotos conſtat. idémque factum anno 721. & iterum Tauro, & Labeone Conſulib. Quare meritò, dixit Turtull. l.2. de idolol. expelluntur Mathematici, ſicut Angeli deſertores eorum Magiſtri, Vrbs, & Italia interdicitur Mathematicis, ſicut cælum Angelis eorum, eadem pœna eſt exilij diſcipulis, & Magiſtris. Quin etiam omnibus

Ciuita

Ciuitatibus depelli mãdarunt Honorius,& Theodoſius, & non tantum vrbe Roma, & Italia.ita enim ſanxerunt. l. Mathematicos. Cod. de Epiſc. aud. Mathematicos niſi parati ſint Codicibus erroris proprij ſub oculis Epiſcoporum incendio concrematis catholicæ religionis cultui fidem tradere,numquam ad errorem primum redituri,nõ ſolum vrbe Roma, ſed etiam omnibus Ciuitatibus depelli decernimus. Quod ſi hoc non fecerint,& contra clementiæ noſtræ ſalubre conſtitutum in Ciuitatibus fuerint deprehenſi, vel ſecreta erroris ſui, & profeſſionis inſinuauerint, deportationis pœnam excipiant.

Eoſdem capite puniendos, & non tantùm exilio, docuit Conſtantinus.l.eorum eſt ſciẽtia. Cod. de Malef.vbi iubet ſeueriſſimis legibus hoc crimen vindicari.l. & ſi. tit. eod. Conſtantius rectè ſtatuit, homines Magos in quacumque ſint parte terrarum, humani generis inimicos eſſe credendos, ſed ſi quis eorum fuerit deprehenſus in Comitatu Imperatoris, vel Cæſaris,exutus præſidio dignitatis cruciatus, & tormenta non effugiat, licet aliàs ſint excepta tormentis corpora honoribus prædictorum.

Idémque enm Iuliano. l. nemo ibidem. *Nemo Aruſpicem conſulat, aut Mathematicum, nemo Ariolum, Augurum, & vatum praua confeſſio conticeſcat. Caldæi, ac Magi, & cæteri, quos Maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuò diuinandi curioſitas. Etenim ſupplicio capitis feretur gladio vltore proſtratus quicumque inſſis noſtris obſequium denegarit.* Iulius item Paulus l. 5. ſentent. recept. tit.25. *Magicæ*, inquit, *artis conſcios ſummo ſupplicio affici placuit.* id eſt beſtiis obiici, aut cruci ſuffigi. ipſi autem Magi viui exuruntur. Ipſe etiam Tiberius Cæſar, morte peregrinos Magos affecit, ciues autem Romanos in exilium egit, vt teſtatur Xiphilinus in epit. Dionis in Tiberio. Denique extat. leg. 54. in legg. 12. Tab. in hæc verba. *Qui malum carmen incantarit, frugeſq; excantarit, coërcitor.* de qua Baldninus ibidem, & Coraſ. in arreſto Toleſano 71. videatur etiam Plinius l.17. c.25.

Ius autem canonicum fori externi,ſi maleficium hæreſim manifeſtè ſapiat, vt hæreſis crimen punit, vt docet Paulus Grillandus tr. de ſortileg. quæſt.11. num.1. & 6. Menochius. l. 2. de arb. iud. caſu 388. Martinus Delrius. l. 5. diſq. Mag. ſect.15.16. & Pegna in directo com.67. ſi hæreſim manifeſtè non ſapiat, ſi delinquens eſt Clericus, aut ex bono zelo, vel ſimplicitate ſortilegium commiſit, & tunc ſuſpenditur à diuinis per annum, & vltra ſecundum turpitudinem facinoris iudicis arbitrio cap. 2. de ſortileg. & Gloſſa ibidem. v. viſum. Abbate, numer.4. Grillando, loco citato n.3. & 10. aut dolo, & impiè, & eo caſu deponitur ab ordine, priuatur beneficiis, & includitur in monaſterium.26.quæſt.5. cap. ſi quis Epiſcopus. & quæſt.7. cap.admoneant. vt etiam declarat idem Grillandus loco citato quæſt. 14. Sin autem delinquens fuerit Laicus; aut vilis eſt, & fuſtigari poteſt, vel inſigniri mitra; aut honeſtus, & relegabitur, aut mãcipabitur carceri, ex cap. contra Idolorum. 26. Ro-

man. ſingul. 560. Grillando dicta quæſt. 11. num. 4. Menochio loco citato num. 17. Pegna vbi ſupra. Sed an in foro interno ſit contra huiuſmodi Maleficos excommunicatio ſententiæ latæ, an tantum ferendæ, diſſerui Theor. 65. vbi hac eadem de re diſputatum eſt.

THEOREMA 159.

EOdem §. 2. Maleficorum nomine intelliguntur ij, qui incantationibus, & malis artibus aliquem occidunt, ex Claro in addit. ad §. 1. & l. multi. Cod. de Malef. & Mathem. & l. Nemo. dicitur ob facinorum multitudinem vulgò Maleficos appellari. Sortilegorum verò illi, qui ſub nomine fictæ religionis per ſortes. v. g. Taxillorum, chartarum, granorum, ſcripturarum inſpectionem aliquid diuinare, occultáque cognoſcere profitentur, ex D. Aug. l. de nat. Dæmonum. Conc. Agathenſi. cap. 42. Iſidoro. l. 8. ethym. cap. 9. Sæpè tamen latiùs ſortilegi nomen capitur, vt ſit ſynonimũ Malefici, Incantatoris, Venefici, vt 26. q. 5. cap. ſortes. cap. non peruenit. cap. licet cap. contra. Menochio. l. 2. de arb. iud. caſu. 388. Azor t. 1. l. 9. cap. 21. qui ſi ſint laici, ſubiacent excommunicationi, ex paulò ante dictis, & bulla 7. §. 41. eiuſdem Leonis X. quæ incipit. *Superni.* quam ſi quis interpretetur, incurrit ſententiam excommunicationis. & Gloſſa extra de ſortileg. c. 1. & 2. & 26. quæſt. 5. cap. ſi quis Epiſcopus. cap. aliquanti. cap. ſi quis Clericus. Diaz in pract. crim. cap. 100. Menochio, Grillando, Delrio, locis ſupra citatis, qui poſtremus multa diſputat de ſortilegiorum qualitate, vt facit etiam Azor loco citato cap. 21. Emericus. p. 2. direct. q. 42. 43. & Pegna ibid. com. 67. 68.

Apoſtatæ verò à fide, vt aliàs dixi, ſunt fidei deſertores, & tranſfugæ, ſeu à Chriſtiana religione totaliter recedentes, ex S. Thom. 2. 2. quæſt. 12. art. 1. Hoſtienſi, & cæteris iuris interpretibus in cap. 1. de Apoſtaſis. Syl. v. Apoſtata. n. 1. Azor loco citato. Simanca t. 7. Caiet. v. Apoſtaſia. Valentia 2. 2. d. 1. quæſt. 12. p. 1. Sanchez l. 2. decal. cap. 7. Caſtro l. 1. de iuſt. hær. punit. cap. 23. Menoch. l. 2. de arb. iud. caſu. 546. vnde meritò puniuntur vt hæretici. Hoc tamen loco per Apoſtatas à Pontifice ſpecialiter intelligi mihi videntur illi, qui, vt ait Adrianus VI. bulla 2. quæ incipit. *Dudum.* à fide Catholica deuiantes, certam facientes ſectam, fidem, quam in ſuſceptione baptiſmi ſuſceperant, abnegantes, ſanctam Crucem pedibus conculcantes, & ſuper eam opprobria perpetrantes, Eccleſiaſticiſque Sacramentis, præſertim Euchariſtiæ, abutentes, diabolum in ſuum dominum, ac patronum aſſumentes, eíque obedientiam, & reuerentiam exhibentes, ſuis incantationibus, & ſortilegiis, nefanda crimina, & exceſſus eodem diabolo inſtigante committebant. & faciunt etiam ad hoc, quæ habentur in direct. inquiſ. p. 2. q. 43. §. 7.

Sunt igitur Apoſtatarum à fide pænæ vti Hæreticorum, ex Hoſtienſi, Io. And. & Abbate in cap. 1. de Apoſtat. Azor t. 1. l. 8. cap. 21. q. 7. Syl. Aug. Tab. v. Apoſtaſia. Menoc. vbi ſupra. & poteſt ex citata bulla 2. §. 3. Adriani VI. quarum hæc præcipuæ ſunt. Prima, mors

mors corporalis. cap.contra Chriſtianos.de hær. l.6.Inn.IV. bulla 1. §.6. vbi approbat leges Feder. II. Socin.cap.1. n.3.de Apoſt. Alciat. reſp.478.num.1. Secunda, excommunicatio, cap. ad abolendam. de hæretic. Tertia, priuatio obedientiæ, quam ſubditi, ſi quos habent, præſtabant. l. ſi qui Orthodoxæ. Cod. de hæret. in fine. cum dicitur. *Omni ſplendore priuari, nullis populorum,* &c. Decian. in tr. crim. l.5. cap.71.72. S.Thom.2.2. q.12. art.2. Quarta, bonorum confiſcatio.l.1. Cod. de Apoſtat. Authent. Gazaros. Cod. de hæret. & cap. cum ſecundum.de hæret.l.6.Quinta, inhabilitas ad dicendum teſtimonium ob infamiam. l. 3. Cod. de Apoſtat. Sexta, inhabilitas faciendi actiuè, & paſſiuè teſtamentum. l.2. 3.4. Cod. de Apoſtat. Septima, priuatio humani conſortij l.3. citata. vbi Theodoſius, Valens, Arcadius ita ſtatuerunt. quos etiam præciperemus procul abiici, & longiùs amandari, niſi pœnæ viſum fuiſſet eſſe maioris, verſari inter homines, & hominum carere ſuffragiis. Sed nec vnquam in ſtatum priſtinum reuertantur. Videndus Menoch. l. 2. de arb. iud. caſu 546.n.15. & ſeq.

THEOREMA 160.

DEcernitur tandem §.3. vt officiales ſæculares, abſque reuiſione proceſſuum, exequantur ſententias Inquiſitorũ,quod etiam in materia hæreticorum ſtatuit Bonifacius VIII. c. vt inquiſitionis.de hæret.l.6. Innoc.VIII. bulla 10. quæ incipit. *Dilectus.* §.2. & colligitur ex Inn. IV. bulla.9.§.24. vbi ab Inquiſitoribus damnati ſcipiuntur à ſæcularibus Magiſtratibus ſeruaturis Conſtitutiones editas in hæreticos,intra quintum diem. Extat item reſcriptum Alexandri IV. poſt direct. inquiſ. pag.34. quod incipit. *Ad audientiam.* vt Inquiſitores cogere poſſint per excommunicationem,priuationem officij,& interdictum in terras, vt ſublata omni dilatione ſæculares Magiſtratus executioni mandent latas ab Inquiſitoribus ſententias. Hæc enim meritò in huiuſmodi criminibus ſtatuta ſũt, eò quod ſint cauſæ fori Eccleſiaſtici, quippe cum huiuſmodi delicta ſint contra fidem, & religionem, & ob id in eis nulla ſit laicis conceſſa facultas, cum obſequendi, & exequendi eos maneat neceſſitas, non auctoritas imperandi, vt ait Inn. VIII. loco citato. Leo X. hoc loco. Ancharanus in cap. At ſi Clerici.de iudiciis. Imola. cap.1. de officio ordin. Cagnolus in l. cum quædam. num. 33. ff. de iuriſd. om. iud. Boſſius tit. de hæret. num.35. Clarus §. fin. q.96. num.7. Simancas t.36.num.1.& 5. Abbas in cap. cùm ſit generale. de foro comp. Zanchinus cap.8. Alciatus in cap. 1. de officio. ordin. num.73. Manſuerus in pract. for. tit. de remiſ. ad finem. ſdque ſeruari in praxi ſemper vidiſſe teſtantur Simancas, & Clarus. quicquid Bartholus in l. Magiſtratibus num.4. ff. de iuriſd. om. iud. cum aliquibus aliis ſenſerit,de quibus Pegna in direct. p. 3. com.85.

CLEMEN

CLEMENTIS VII.

Conſtitutionis 30. aliàs 36. editæ anno 1530. quæ incipit.

Ad canonum.

EPITOME 59.

Filij preſbyterorum nati ex fornicatione nũquam obtinere poſſunt beneficia parentũ.

STATVITVR in 1. §. vt filij presbyterorum nati ex fornicatione, nullo vnquam tempore poſſint obtinere beneficia Eccleſiaſtica, cum cura, vel ſine cura, ſæcularia, vel regularia quorumcunque ordinum, quæ Patres eorum obtinuerunt, in Commendam, vel Titulum, vel adminiſtrationem, etiam ad tempus, non habentibus, &c.

THEOREMA 161.

DE presbyterorum filiis pluribus agitur, non tantùm hic à Clemente VII. ſed etiam d. 56. & extra, ac etiam l. 6. ſub titulo de presbyterorũ filiis. Conc. Tridentino ſeſſ. 25. c. 15. Rebuffo in praxi beneficiorum. Summiſtis v. Illegitimus. Maiolo l. 1. 6. cap. 6. Aſtenſi p. 2. l. 6. tit. 22. Antonino 3. d. t. 29. Nauarr. cap. 26. num. 117. & in c. ſi quando. tit. de reſcript. t. 5. Azor t. 2. l. 6. cap. 3. & cap. 4. quæſt. 15. & ſeqq. Leſſio l. 2. cap. 34. dub. 18. Sayro l. 6. cap. 10. & interpretibus iuris can. in cit. tit. de filiis preſbyt. Et quia presbyterorum filij, alij legitimi eſſe poſſunt, vt qui ex legitimo matrimonio ante ſuſceptos ordines geniti ſunt, alij illegitimi, vt qui poſt ſuſceptos ſacros Ordines à parentibus procreantur, quid liceat, vel non liceat vtriſque, explicemus.

Quo ad legitimos igitur. Primò, certum eſt, poſſe licitè ad ordines promoueri, ex c. ad hæc. extra de filiis presbyt. Gloſſa in cap. presbyterorum d. 56. Gratiano. §. cum ergo. d. eadem, Hoſtienſi in ſum. l. 1. tit. de filiis presbyt. num. 5. Aſtenſi p. 2. l. 7. tit. 22. art. 3. & conſtat ex Gelaſio I. Syluerio I. & aliis, qui fuerunt ſummi Pontifices filij parentum promotorum ad ordines, poſt natos filios. idque docet ratio, cum non timeatur in eis, quod timetur in illegitimis, nempe paterni criminis exemplum.

Secundò certum, tales filios habere poſſe beneficium, aut dignitatem in Eccleſiis, vbi eorum patres habent, vel habuerunt beneficium, vel dignitatem, vt filium legitimum eſſe Canonicum, vel diaconum in Eccleſia, in qua pater eſt, vel fuit Epiſcopus. cap. Ad hæc. de filiis presbyt. Io. And. Hoſtiens. Abbate in cap. ad extirpandas. de filiis presbyt. Azor loco citato quæſt. 16. Leſſio l. 2. cap. 34. dub. 18. num. 90. Sayro l. 6. cap. 10. num. 45. Dummodo tamen tales dignitates, & beneficia non ſe inuicem repræſentent, vt eſſent Epiſcopatus, & Vicariatus eius perpetuus. Nam ſi patre exiſtente Epiſcopo, filius ſit eius perpetuus Vicarius, aut è contra, apparet turpitudo ex repræſentatione paterna, cum Vicarius Epiſcopum repræſentet. Item ſi pater perſonatum poſſideat, eius Vicariam poſſidere non poteſt filius, cap. ad extirpandas. cap. Michael. de filiis presbyt. Hoſtienſi in ſum. l. 1. tit. de filiis presbyt. num. 5. Aſtenſi 2. p. l. 6.

p.l.6.t.22.quæſt.1. Anton.3.p.t.29. cap.4. in fine. horrent enim Canones in beneficiis hæreditarias ſucceſſiones. c. ex tranſmiſſa. cap. ad extirpandas. cap. conquerente. extra de fil. presbyt. & Conc. Tridentino ſeſſ.25. c.7. de refor.

Tertiò, certum filios legitimos non poſſe immediatè in beneficio patri ſuccedere, cap.ex tranſmiſſa. cap. tua. cap. quoniam. cap. ad extirpandas. cap. ad hæc.c. Michael. cap. dilectus. de filiis presbyt. ne ſcilicet detur hereditaria ſucceſſio in beneficiis. mediatè verò, id eſt ſi mediet tertia aliqua perſona, ſuccedere poſſunt, cum iam illa hæreditariæ ſucceſſionis ſpecies videatur abſterſa, cum non ſuccedant patri, ſed immediatè illi tertiæ perſonæ. ideo ſine diſpenſatione poſſunt beneficium illud obtinere. cap. ex tranſmiſſa.citato.Panorm. in cap. ad extirpandas cit. Gloſſa. cap. Apoſtolica.8. quæſt.1. Leſſio num.91. Sayro.n,45.Nauar. in cap. ſi quando. de reſcript. in auctuario numer. 3. Sylu. v. Illegitimus. num. 3. & v. beneficium. num.10. Quin etiam ſi pater fuerit Vicarius, non quidem perpetuus, ſed ſolum ad tempus, filius poterit beneficium illud immediatè obtinere in titulum. cap. conſtitutus. iuncta Gloſſa. v. perpetuus. de filiis presbyt. quia cum pater nullum habuerit titulum, vel ius in re, ceſſat ſucceſſionis hæreditariæ ratio. Adde Patrem poſſe ſuccedere filio in beneficio (quicquid ſenſerit Hoſtienſ. in c. Apoſtolica. 8. quæſt. 1. ex Panor. in cap. ex tranſmiſſa num.3. de fil. presb. Io. And. in cap. in pœnis. de reg. iur. l.6. Rebuffo in praxi benef. tit. de diſpen. ſup. def. natal. n.29. Emanuele in ſumma. cap. 29. num. 4. Nicolao Garzia de benef. p.7. c.3. num.28. Leſſio n.91. Sayro n.45. Azore loco citato.q.18. tum quod hæc non ſit imago hæreditariæ ſucceſſionis. tum quod iura ſolum vetuerint filio habere beneficium quod habuit pater. Pœnæ autem ſunt potius reſtringendæ, quàm ampliandæ. Idem iuris eſt de fratribus; nullibi enim prohibetur frater habere beneficium quod habuit frater, idque docet Gloſſa & Abbas in cap. ad extirpandas. de fil. presbyt. vt etiam Gloſſ. in cap. Apoſtolica 8.quæſt.1. Syl.benef.3. num.10. Azor t.2. l.6. cap.4. q.18. Maiolus l.1.cap.6.num.13.Sayrus. l.6. cap.10. num.45. Videmúſque. B.Iſidorum in Epiſcopatu ſucceſſiſſe Leandro fratri, & Stephanum II. Paulo I. fratri in Pontificatu,ex Platina in vita Pauli I.

Sed quid de Nepotibus, obtinere ne poſſunt immediatè ſuorũ beneficia? Sunt hac de re tres ſententiæ. Prima, Gloſſæ in cap. ad extirpandas. de fil. presbyt.& cap. Apoſtolica 8. quæſt. 1. negantis, eò quod etiam in his reperiatur imago hæreditariæ ſucceſſionis, cum de iure nepotes ſuccedant in hæreditate Auo. Secunda, Hoſtienſis in ſum. de filiis preſbyt. Syl.v.beneficium 3.num.10. Leſſij num.91. diſtinguentium. Nepos aut beneficium aui obtinet adhuc viuente patre, & id licet, quia res vacat omni ſuſpicione hæreditariæ ſucceſſionis, cum nepos non ſuccedat auo viuente patre; aut mortuo patre, & tunc non licitè conſequetur beneficium, quia viget ſucceſſionis ratio.Tertia,Gloſſæ in cap.presbyterorum. d.56. Io. And. Abb. Cardinalis, Ancharani

in c. ad extirpandas. de fil. presbyt. Sayri num. 46. ſummæ Confeſſorum. quæſt. 8. Antonini 3. p. tit. 29. cap. 4. fin. Alexand. conſil. 32. n. 20. volum. 6. Decij conſil. 95. Archidiac. in cap. Apoſtolica. 8. quæſt. 1. Azoris q. 17. Nauar. t. 1. conſil. in impreſſ. Lugdun. an. 1594. conſil. 9. & 10. de fil. presbyt. vbi id fusè probat, dicentium abſolutè licitè poſſe obtinere, cum neque in iure communi, neque in hac Clementis VII. conſtitutione, neque in Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. extendatur caſus filiorum ad nepotes, & leges pœnales nõ ſint ampliandæ. Decretumque fuit ab Illuſt. Cardinalibus Congregationis ſacri Conc. Tridentini ex cõmiſſione Greg. XIII. die 12. Febr. anni 1574. idem valere in legitimo nepote, etiam ſi filius illegitimus fuerit, cum talis nepos in iure non prohibeatur auitum beneficium obtinere, vt videre eſt apud Nauar. conſil. 10. citato & Stephanum Gratianum. diſcept. forens. cap. 397.

THEOREMA 162.

QVoad illegitimos verò eorumdem presbyterorum filios. Primò, certum eſt, eos eſſe inhabiles ad ordines ſuſcipiendos, multóque difficiliùs diſpẽſari cum iis, quàm cum cæteris, ex Panorm. in cap. per venerabilem. qui filij ſint legit. cap. presbyterorum d. 56. cap. vt filij, de filiis presbyt. cap. 1. & 2. de filiis presbyt. l. 6. cap. cum in cunctis. cap. innotuit. de elect. cap. accedens. de purgat. cap. niſi cum pridem. de renunciat. idque meritò vt docet Hoſtienſ. in ſum. tit. de filiis presbyt. §. quæ eſt cauſa. Rebuffus in prax. benef. p. 2. §. de diſp. ſuper def. nat. nu. 3. Azor. t. 2. l. 6. cap. 3. quæſt. 19. quod in eis paterni, & hæreditarij criminis exempla metuantur. Solent enim filij tales eſſe, quales fuerunt parentes ex Tiraquello l. 7. connub. p. 7. gloſſ. 1. Chaſſaneo de glor. mundi. p. 11. conſid. 25. Fabro inſtit. de nuptiis rubri. num. 2. Fulgoſo conſil. 159. num. 1. Caſtro l. 2. de iuſt. hær. pun. & colligitur ex l. quod ſi nolit. §. qui mancipia. ff. de ædilitio edicto. Ariſtotele l. 1. polit. cap. 4. vbi ſcribit. *Vt ex hominibus hominem, & ex beſtijs beſtiam, ſic ex bonis bonum generari: & naturam quidem hoc velle, attamen plerumq; non poſſe.* Theognide, qui in exhortatione ad filium, ſcribit. *E ſquilla non naſcitur roſa, aut hyacintus, neque ab ancilla ingenuus: probam prolem haud pater gignet improbus.* Quare rectè vt plurimum concluſit Nicetas in orat. 42. Nazianzeni. Paternæ naturæ compendioſa demonſtratio eſt filius. dixi hac etiam de re Theor. 33.

Secundò, certum, eoſdem inhabiles eſſe ad beneficia niſi cum eis diſpenſetur. cap. 1. & 2. de fil. preſbyt. l. 6. & extra. cap. 1. cap. propoſuit. cap. litteras. tit. eodem. poteſt tamen Epiſcopus cum eis diſpenſare quoad ordines minores, & quoad beneficia ſimplicia. cap. 1. de filiis presbyt. l. 6. Gloſſ. & DD. ibidem, non autem quoad ordines ſacros, & ad dignitates, perſonatus, beneficiáque curata. c. vltimo extra de filiis presbyt. Rebuff. in praxi benef. §. de diſpens. ſup. def. natal. Azore t. 2. l. 5. cap. 3. quæſt. 3. 4. 5. Leſſio l. 2. cap. 34. dub. 18.

Tertiò, certum, illegitimos preſbyterorum filios prohiberi à beneficio

neficio quod habuit pater. cap. ad præſentiam. cap. præſentium. cap. conquerente. cap. dilectus. de fil. presbyt. idque etiam mediatè, ex præſenti Conſtitutione Clementis VII. & Concilio Tridentino. ſeſſ. 25. c. 15. de refor. alioquin enim induſtria parentum pleraque beneficia ad illegitimos deuenirent.

Quartò, certum, talem illegitimum in Eccleſia, in qua pater beneficium habet, aut habuit, obtinere non poſſe vllú Eccleſiaſticum beneficium etiam diſſimile, nec ibi miniſtrare, nec penſiones habere ſuper beneficiis, quæ parentes habent, vel habuerunt, vt ſancitum eſt in Conc. Tridẽtino loco cit. verbis illis. *Non liceat filijs clericorum, qui non ex legitimo nati ſunt matrimonio, in Eccleſijs, vbi eorum patres beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam diſſimile beneficium obtinere, nec in dictis Eccleſijs quocumque modo miniſtrare, nec penſionem ſuper fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere. Quod ſi in præſenti pater, & filius in eadem Eccleſia beneficia obtinere reperiantur, cogatur filius ſuum beneficium reſignare, aut cum alio permutare extra Eccleſiam, intra trium menſium ſpatium, alias ipſo iure eo priuatus exiſtat, & ſuper ijs quæcumque diſpenſatio ſubrepitia cenſeatur.* Quare neque ibi Miſſam celebrare, aut Epiſtolam, vel Euangelium cantare, nec Sacriſtæ, aut Cantoris officio fungi poteſt talis illegitimus, ex Nau. conſil. 1. q. 17. ſub. tit. de conſtitut. Aloyſio Riccio in Collect. deciſionum. p. 4. collect. 1367. Stephano Gratiano diſcept. forenſ. c. 397. n. 26. & ſeq.

Quin etiam Cõgregatio Illuſt. ſuper Conc. Tridentino apud Barboſam. pag. 158. cenſuit, in ea Eccleſia, in qua pater habuit tantùm ſedem in Choro ratione dignitatis, quam habebat in alia Eccleſia, illegitimum eius filium non poſſe habere beneficium, aut miniſtrare. Fædum eſt enim in eadem Eccleſia parentem, & filium nothum miniſtrare, totíſque mundo exemplum paternæ incontinentiæ veluti cum dignitate, & præmio oſtentari in prole. Præterquam quòd etiam hoc genere pœnæ plectuntur crimina parentum, vt notarunt Abulens. in illud Exod. 34. *qui reddis iniquitates patrum*, &c. Auguſt. in Pſal. 108. & Greg. c. Eccleſiæ 1. q. 4. vehementer enim parentes cruciantur ob filiorum pœnas, propter ſummum amorem in ſobolem. vt vidit etiam Cic. l. 1. epiſt. ep. 12. ad Brutum, *nec verò* (ait) *me fugit, quàm ſit acerbum parentum ſcelera filiorum pœnis lui, & hoc præclarè legibus comparatum eſt, vt charitas liberorum amiciores parentes Reip. redderet.* Immo magis cruciantur parentes filiorum pœna, quàm propria, vt expreſsè dicitur. l. iſti quidem. ff. de eo, quod metus cauſa.

Eiuſdem

CLEMENTIS VII.

Conſtitutionis 39 olim 42. editæ anno 1533. quæ incipit.

Romanus.

EPITOME 60.

Impedientes executionẽ literarum Apoſto-

CONFIRMAT Pontifex Bonifacij IX. Martini V. Leonis X. & prædeceſſorum Conſtitutiones, ac

licarum in complic. excommunicãtur. & reſeruatur abſolutio Papæ, & interdicũtur loca, in quibus manent, & attentata in contrariũ ſunt irrita.

bullas contra impedientes executionem literarum Apoſtolicarum, eóſque §. 8. & 11. ipſo facto excõmunicat, eíſque dantes auxilium, conſilium, & fauorem, directè, vel indirectè: & reſeruat abſolutionem Papæ. Ciuitates autem, & loca, in quibus inobedientes manent, vel ad quę declinant, ſupponit Eccleſiaſtico interdicto, donec tranſgreſſores facta ſatisfactione meruerint à Sede Apoſtolica relaxationem. Et quicquid ab Ordinariis, aut Officialibus illorum contra iudices, & executores dictarum litterarum Apoſtolicarum attentatum fuerit, irritum eſt & nullum. Sed iam caſus eſt bullæ cænæ. §. 13.

THEOREMA 163.

Hoc ſacrilegium, quo auctoritas ſedis Apoſt. offenditur, impediendo executionem litterarum Apoſt. à Clemente VII. hoc loco vetitum, prohibitum etiam eſt à Bonifacio VIII. cap. quoniam. de immunit. l. 6. Martino V. bulla 2. in Concil. Conſtantienſi. Inn. VIII. vt Epit. 46. & Theor. 126. 127. dictum eſt. Leon. X. bulla 30. quæ incipit. *In ſupremo.* & Greg. XIII. bulla 19. aliàs 24. factúmque eſt caſus bullæ cænæ ab ipſomet Clemente VII. vt hoc loco §. 11. docet idem ipſe. & cum in bulla cænæ Pauli III. eſſet articulus 10. apud Rebuffũ in explicatione eiuſdem, iam nunc eſt articulus 13. Hic tamẽ, & in bulla Leonis X. excommunicatio extẽditur ad dantes directè, vel indirectè auxilium, conſilium, fauorẽ, & imponitur interdictũ Ciuitatibus & locis, in quibus trangreſſores manent, aut ad quæ declinant, quouſque ibi fuerint, quod non fit in bulla cænæ.

Huiuſmodi autem genus interdicti, donec tales ibi morantur, vel à contumacia ceſſauerint, ſatisfecerint, &c. cuius etiam extat exemplum. d. 81. cap. ſi qui ſunt presbyteri, & cap. non eſt vobis. de ſponſalibus. & cap. dilectis filiis. de appellat. facta ſatisfactione, vel reſtitutione, depoſitáue contumacia, vel ſtatim, ac diſceſſerit delinquens, ſeu cauſa ceſſauerit, ſine vlla alia abſolutione, ipſo facto ceſſat, & licitè poſtea celebratur, ex Gloſſa in d. cap. non eſt vobis. v. docet. Panorm. ibid. n. 7. Aſtenſi. p. 2. l. 7. tit. 13. art. 9. Angel. interdictum 8. initio. Syl. interdictum 3. quæſt. 9. verſ. 2. March. Ant. Cuccho. l. 4. Inſtit. iuris canonici tit. 12. Vgolino tab. 4. cap. 4. §. 3. num. 1. & tabul. 5. cap. 4. num. 3. Henriquez l. 13. cap. 47. n. 1. & c. 50. §. 4. Tab. interdictum 3. num. 4.

Eiuſdem

CLEMENTIS VII.

Conſtitutionis 41. olim 46. editæ anno 1534. quæ incipit.

Admonet.

EPITOME 61.

Collationes à Germanis cõtra concordata factorum,

Irritat §. 2. Collationes, ac diſpoſitiones quoruncumque beneficiorum Sedi Apoſt. reſerua-

Etæ ſunt irritæ, & prouiſi ſunt intruſi. & tenentur reſtituere fructus.

torum,cũ cura,vel ſine cura, facta per Prælatos, vel Principes Germaniæ contra concordata, quibuſcũque perſonis,niſi ſint ab Apoſtolica Sede approbatæ,& nullum conferunt Titulum. Eaſque poſſidentes vetè dicendi ſunt intruſi, & tenentur in vtroque foro reſtituere fructus, nec vlla tolerantia præſcribi poteſt.

§.3 .Reſeruat prouiſis à Sede Apoſtolica iuxta tenorem concordatorum,licet per Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum mandata impeditis, quæcũque iura agendi quandocumque iudicialiter contra prædictos intruſos. non obſtantibus, &c.

THEOREMA 164.

REſeruatio beneficij eſt beneficij vacaturi auocatio ad ſe facta ab habente ad id poteſtatem, vt definit Æneas de Falconibus.tr. de reſeruationibus, apud Azorem t.2. l.6. cap. 34. quæſt.1. vnde ea beneficia Romano Pontifici reſeruata dicuntur, quæ ita ſibi Pontifex obligata retinet, vt nemo alius ea conferre poſſit. & licet .Concilium Baſilienſe ſeſſ.23. huiuſmodi reſeruationes haud probare viſum ſit,ídque in Gallia auctoritate Caroli VII. ſit in praxim deductum, vt conſtat ex eius Pragmatica ſanctione, quam explicarunt Duarenus, & Coſmas; Romanus tamen Pontifex haud dubiè ea ſtatuere poteſt, cum ex cap. propoſuit. extra. de conceſſ. presb. & cap.licet. de præbend.in 6.& Clementina 1. vt lite pendente. plenam, & libetam habeat poteſtatem diſponendi de Eccleſiaſticis beneficiis. & Concilium nõ ſit ſuper ſum. Pontificem, vt eius auctoritatem reſtringere poſſit; & Concilium illud confirmatum non fuerit, & ratio ipſa exigat, vt benemeritis de Eccleſia, & Romana curia, ac litteratis poſſit Papa de beneficiis prouidere. præſertim cum ſæpe Clerici pauperes repellantur à beneficiiis ab Ordinariis,vt ſuis amicis, & conſanguineis conferant.

Quænam verò beneficia ſint reſeruata Romano Pontifici, & quæ non, videri poteſt apud Azorem t.2.l.6. cap.34. à quæſt.6. ad 13. incluſiuè, quæ ad rem noſtram non pertinent. Percunctanti autẽ quid ſit diſcriminis inter beneficia affecta,& beneficia reſeruata.Reſpondeo, aliquos nullum diſcrimen inter ea poſuiſſe; alios velle beneficium reſeruatum eſſe, quod nunquã amplius Ordinarius loci conferre poteſt; affectum verò, cuius conferendi poteſtas ita ſemel ad Papam pertinet, vt tunc quidem illud Ordinarius conferre non poſſit, etſi aliàs futurum ſit, vt poſſit, quod ſcilicet ſolum tunc ſit addictum, & obligatum Papæ. v. g. quod contulerit alicui, ſed ob canonicum clerici impedimentum collatio non valuerit, & eſt denuo Papæ, & non Ordinarij, poteſtate conferendum. cap. inter dilectos. de exceſſ. præl. aut cum Papa electoribus præcepit, ne ad certam Eccleſiam quemquam eligant. cap. ſi eo tempore de elect. l.6.vel cum Papa iubet beneficium proximè vacaturum Titio conferri

extrauag. vlt. de præb. inter communes. Talia enim beneficia affecta dicũtur, eò quod tunc tali conditioni subdantur, vt ea vice solus Papa de eis possit disponere. etsi non adimatur Ordinariis potestas disponendi de eis in futuro. quod non euenit in reseruatis.

THEOREMA 165.

IAm verò Nicolaus V. ann. 1447. pro Ecclesiæ pace, & vnione in bulla 1. quæ incipit. *Ad sacram.* concordauit cum Prælatis & Principibus Germaniæ super reseruatione, & collatione beneficiorum Ecclesiasticorum (de quibus etiam c. licet. de præbend. l. 6. & ibidem. cap. statutum. & cap. in præsenti. & in extrauag. Benedicti XII. *Ad regimen.* & Io. XXII. *execrabilis.* & in regul. Cancellariæ) vacantium in mẽsibus Papæ reseruatis, scilicet Ianuario, Martio, Maio, Iulio, Septembri, Nouembri, & mensibus Ordinariorum, videlicet Februario, Aprili, Iunio, Augusto, Octobri, & Decembri, in quibus, quæ vacant beneficia conferuntur à Prælatis, vr conferuntur à Papa; quæ in eius mensibus vaçare contigerit. Addito etiam vt iidem Ordinarij disponere possint de beneficijs vacantibus in dictis mensibus Papæ, nisi apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficij Apostolica auctoritate fuisse alicui de illo prouisum. Ac denique super taxatione, & solutione Annatarum. Verum cum in huiusmodi concordatis Germani non persisterent, & pro libito beneficia conferrent, coactus est Clemens VII. præsenti sanctione declarare collationes huiusmodi contra concordata, esse nullas, & irritas; nullúmque ius conferre. & hoc modo possidentes beneficia verè esse intrusos, & non facere fructus suos. Idque meritò, quia qui beneficium dedit, non habuit auctoritatem conferendi. Itémque reseruare prouisis à sede Apostolica iuxta concordata intacta quandocumque iudicialiter agendi, sua iura.

Porrò in iure, is in beneficium intrusus dicitur, qui sine auctoritate illius, cuius est ius conferendi, sibi illud sumit, vel propria auctoritate vendicat. cap. ad aures. de excess. Prælar. aut sine canonico Titulo, vel colore possider. c. quia diuersitatem de concess. præbend. Glossa in cap. bonæ 1. de electione ver. *Metuebant.* Calderino consil. 7. aliàs 13. de verb. sig. Parisio consil. 47. num. 40. l. 4. Felin. cap. qualiter, & quando. 1. de accusat. n. 15. & cap. in nostra. de rescript. Dominico in cap. propter. d. 19. Azore t. 2. l. 5. cap. 4. quæst. 27. Tuscho verb. *Intrusus.*

Inter pœnas autem intrusi est inhabilitas ad illud beneficium, in quod se intrusit, ex Ancharano. consil. 397. n. 3. & 4. & consil. 405. in fine. Felino. cap. postulasti, ad finem de rescript. Sylua beneficiorum p. 3. quæst. 11. Rebuffo in prax. benef. p. 2. in regul. de subrogan. collitig. Glossa 4. num. 26. Tuscho verb. *Intrusus.* num. 23. Azor vbi supra. quare si illud impetrat nulla facta mentione de intrusione, impetratio est nulla.

Item teneatur ad restitutionem fructuum, qui percepti sunt, & potuerunt percipi, cum sit malæ fidei possessor, vt hoc etiam loco §. 2. & 3. docet Clemens, & Tuschus. n. 16.

Et

Et lite pendente, non eſt citandus, nec mutatur regula de triennali poſſeſſione, ex hac eadem bulla, & Tuſcho nu. 10. Qui etiam Verbo. *Ianuæ ciuitas.* num. 1. docet ex Geminiano conſil. 36. & 56. Archiepiſcopos Genuenſes eadē habere priuilegia, quæ ſunt Germanis conceſſa in concordatis quoad Genuenſem ciuitatem citca beneficiorum reſeruationes Papæ.

THEOREMA 166.

POrrò cum in bulla Nicolai V. clauſula illa. *Niſi apparuerit intra tres menſes*, &c. de qua ſupra, difficultatem haberet, quomodo intelligenda eſſet. Gregorius XIII. anno 1576. bulla 41. olim 42. quæ incipit. *Quæ.* §. 2. declarauit Nicolai mentem fuiſſe, vt diſpoſitio beneficij intra tres menſes à die notæ vacationis à Sede Apoſtolica fiat, & appareat de gratia alicui facta. non autem, vt Ordinarij, aut alij collatores poſt lapſum trium menſium à die notæ vacationis in loco beneficij, de eo poſſint diſponere. Vix enim daretur caſus, ob examen, litterarum expeditionem, itinerum longitudinem, aliáque impedimenta in tanta temporis anguſtia, in quo tam breui tempore prouiſus de beneficio rem poſſet expedire. Ideóque ſufficere, ſi prouiſus à ſede Apoſtolica conceſſionis fidem, & teſtimonium intra tres menſes à die notæ vacationis in loco beneficij dictis collatoribus exhibeat, vel in ipſo beneficij loco publicet prouiſionē. & §. 3. & 4. decernit nullas eſſe diſpoſitiones aliter factas, ipſóſque contra facientes eſſe à collatione officiorum, & beneficiorū ſuſpenſos.

PAVLI III.

Cōſtitutionis 42. editæ ann. 1545. quæ incipit. Accepimus nuper.

EPITOME 62.

CONFIRMATVR §. 1. bulla 20. quæ incipit. *Romanus.* Iulij II. & prohibetur, ne quis in portubus, ripis maris, fluminibus locorum S. R. E. occupet bona naufragantium. innouantúrque leges, & canones tale delictum punientes, imponitúrque tranſgreſſoribus pœna excommunicationis, & confiſcationis bonorum, quæ etiam excōmunicatio infligitur locorum Dominis id permittentibus fieri. E contra verò ferentes naufragis auxilium, annorū 10. totidémque quadragenarū indulgentias conſequuntur. & nunc eſt caſus bullæ cœnæ § 4.

Occupātes naufragorū bona & domini id fieri permittentes in ditione Eccl excommunicātur, &c. & auxilium ferentes indulgētias conſequuntur.

THEOREMA 167.

HAc de re egimus ſuperiùs in Honorio II. Epit 3. Theor. 6. & 7. & in Honorio III. Epit. 7. § 8. Theor. 21. vbi etiam leges ciuiles, & canonicas contra tale delictum, & hāc ipſam Pauli III. Conſtitutionem, in qua prædictæ confirmantur, & innouantur, attulimus. aliáque poſſunt videri apud Petrum Greg. Syntag. l. 37. cap. 3. Farinacium 3. p. t. 2. quæſt. 168. n. 71.

nu.71. & seqq. Sed Pontifex nunc duo addit, nempe primò excõmunicationem contra locorum dominos id fieri permittentes, cum ex iustitia, & officio teneantur cohibere subditos, ne aliena rapiant, aut vim Naufragis inferant, ex communi Doctorum sententia. vnde dicitur cap. quantæ. de sent. excom. eos fauere delinquentibus, qui cum possint, manifesto facinori desinunt obuiare. & d. 83. initio scribit Symmachus Papa. *non est grandis differentia an lethum inferas, an admittas.* & Inn. ibid. cap. 3. *Error, qui non resistitur, approbatur & veritas, cum minimè defensatur, opprimitur. negligere quippe, cum possis, deturbare peruersos, nihil aliud est, quàm facere; nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.* & denique Greg. ibidem. cap. 5. consentire videtur erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non accurrit. videatur etiam 23. quæst. 3. cap. 7. & 11. & l. necare. ff. de agn. & al. lib. Cum enim hæc naufragorum bona non sint ἀδέσποτα, id est, quæ possessore careant, nec Dominus territorij, nec alij ea occupare possunt, cum ex l. Pomponius. ff. de acq. dom. quælibet res nostra quantuncumque periclitetur, manet nostra, quandiu non est consumpta; si cupimus eam nostram manere.

Et secundò ex altera parte naufragis auxilium ferentibus, decem annorum, & totidem quadragenarum indulgentias concessit, ad hoc vt populos ad hoc promptiores redderet. quod etiam confirmauit Iulius III. in bulla, quæ incipit. *Cum nobis*, & Pius V. bulla 7, quæ & ipsa incipit. *Cum nobis*. Tertium addit idem Paulus III. in bulla 57. quæ incipit. *Accepimus per statuta*, quæ est declaratio huius, quam præ manibus habemus. nẽpe concessionem quartæ partis bonorum recuperatorum auxilium præstantibus naufragis, dummodo tamen à nauium dominis, vel personis curam, & gubernium illarum habentibus, super tali naufragio vocati fuerint in auxilium, & ab imminentis, & præsentanei naufragij periculo seruarint, aut bona iam deperdita recuperarint, si dictæ recuperationi actualiter cum eorum personis (non per præsentiam tantùm) incubuerint, & recuperauerint. exceptis cæteris personis, siue dominis locorum, siue aliis, quacumque fulgeant dignitate. Pius V. tamen postea loco citato dixit solũ illis dandum, quod iustum erit. Dicetur hac etiam de re Theor. 413.

IVLII III.

Cõstitutionis 7. in bullario veteri, nam in nouo deest: quæ incipit. Cum meditatio. *edita anno 1550.*

EPITOME 63.

Libri prohibiti nõ legẽdi, aut tenendi, sed consignandi Inquisitoribus. excommunicatio, &c.

REVOCAT Pontifex hactenus cõcessas legendi, aut apud se retinendi libros hæreticos, seu de fide suspectos, licentias, & illos iubet consignari Inquisitoribus, iisdem tantum, & Commissariis à sede Apost. deputatis super hæretica prauitate, durante officio exceptis, & contrafacientes cuiuscumque

que ſint dignitatis, & conditionis, incurrunt cenſuras contra hæreticos latas.

THEOREMA 168.

COnſtitutio hæc ligat quaſcunque perſonas cuiuſcunque ſint gradus, ſtatus, & conditionis, etiam ſi Epiſcopali, & Archiepiſcopali aut alia maiore dignitate Eccleſiaſtica, vel ſæculari fulgeant, Inquiſitoribus, & Commiſſariis Inquiſitionis exceptis, durante officio vt obſeruat etiam Pegna in direct. Inq. p. 2. cap. 4. com. 3. Quod etiam poſtea ſtatuit Paulus IV. in Conſtitutione quæ incipit. *Quia in futurorum euentibus.* & Pius IV. in bulla 76. olim 98. quæ incipit. *Cum pro munere.* diſtrictiùs inhibentes quibuſcunque perſonis, ne de cætero facultatibus, & licentiis obtentis vti, vel earum prætextu, aut aliàs quomodolibet libros huiuſmodi legere, aut tenere præſumant. Idémque Iulius III. primus fuit, qui hunc caſum in bullam cænæ induxit. qui abſque lata excommunicatione vetitus antea fuerat in cap. nullus 3. quæſt. 4. & cap. fraternitatis. extra de hæret.

Quare nec Ordinarij concedere poſſunt facultatem tenendi, vel legendi libros hæreticos, aut de fide ſuſpectos, cum huiuſmodi prohibitio ſit auctoritate Romani Pontificis ſancita, & inferior ius, & authoritatem non habeat in iis, quæ ſuperioris lege ſunt conſtituta. Vt neque inquiſitores, cum per Pontifices nequaquam ſit poteſtas hæc eis commiſſa, vt notat in direct. p. 2. cap. 4. com. 3. Pegna. etſi poſſint licentiam concedere, legendi hæreticorum libros, qui de fide, & religione non tractant. iuxta ea, quæ in ſecunda reg. indicis lib. prohibitorum editi à Concilio, & Pio IV. ſtatuta ſunt, vt aduertit etiam Azor t. 1. l. 8. c. 16. quæſt. 12. & Pegna vbi ſup. ſine licentia enim neque hi legi poſſunt, cum damnato auctore tanquam hæretico, etiam libri, & ſcripta eius cenſeantur damnata ex Gregorio l. 7. regiſtri epiſt. 47. & Gelaſio. d. 15. cap. ſancta Romana. §. cæterum. Hoſtienſi in cap. fraternitatis citato. Tutrectem. in cap. ſancta d. 15. Vincentio Lerinenſi. l. contra profanas hæreſum nouationes. Simanca t. 38. num. 17. 18. tum quia periculum eſt, ne inter vtilia hæreſes lateant, tum quia lector paulatim afficitur erga auctorem.

THEOREMA 169.

PRæcipitur etiã in præſẽti Conſtitutione cõſignati libros huiuſmodi hæreticos, & de fide ſuſpectos Inquiſitoribus, dum dicitur: Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis in ciuitatibus in quibus huiuſmodi libri exiſtunt, conſignaſſe debeant realiter, & cum effectu. ob id non debent propria auctoritate corrumpi, ſed tradi Inquiſitoribus. quod monuit etiam Campegius apud Zanchinum. cap. 7. Vmbertus Locatus. v. *libri.* Pegna loco cit. com. 3. & Azor t. 1. l. 8. cap. 16. quæſt. 11. vt ab eis comburantur ritu veteri Conc. Nicæni 1. act. 19. Sextæ Synodi. c. 63. Conc. Conſtantienſis ſeſſ. 8. & 15. Athanaſij lib. de Incarnatione Verbi. Nazianzeni orat. 19. & l. damnato. & l. quicumque. §. 5. Cod. de hæret.

& Nouella constit. 42. Iustiniani. cap. 1.

Quod etiam seruarunt Athenienses, qui libros, in quibus Protagoras disputabat, an Deus esset; præconis voce ab singulis habentibus exhiberi mandarunt, & in foro combusserunt, vt testatur. M. Tullius, l. 1. de natura deorum, & Lactantius. l. de ira Dei. & Romani, ex Plutarcho, in Numa. Plinio. l. 13. cap. 13. Liuio. l. 25. 39. 40. Lactantio, l. 1. instit. cap. 22. Augustino, l. 7. de Ciuit. cap. 34. vt cæteros taceam.

Pœnæ autem hic in Transgressores statutæ, sunt eædem, quæ in hæreticos latæ sunt, & in reos læsæ Maiestatis, vt etiam decreuerat Leo X. bulla 35. & 37. in tenentes, vel legentes Lutheri, & aliorum hæreticorum scripta. Et sanè Catholicè olim Constantinus, Honorius, & Arcadius Arij quoque aliorúmque hæreticorum libros retinentes, supplicio capitis damnarant; Valentinianus, & Marcianus, perpetua deportatione; Theodosius, & Valentinianus bonorum publicatione, Iustinianus Nouella 42. citata. transcribentem hæreticorum libros, dexteræ amputatione, retinentem graui periculo. Videatur l. damnato. l. quicumque. §. 5. Cod. de hæret l. vltima tit. 16. lib. 9. l. 24. tit. 4. lib. 16. Cod. Theodosiani. Socrates. l. 2. cap. 15. Niceph. l. 8. cap. 25. l. 17. cap. 19. Num autem transgressores debeant ipso facto censeri hæretici, aut suspecti de hæresi, est difficultas, de qua consule Simancam. t. 38. Pegnam com. 3. citato. Azorem. l. 1. l. 18. cap. 16. quæst. 10. & quæ dicuntur inferius Theor. 200. & 410.

EIVSDEM IVLII III.

Constitutionis 7. olim 9. editæ anno 1550. quæ incipit.

Cum sicut.

EPITOME 64.

Fructus beneficiorum non exacti sunt successoris. Ornamenta capellæ Cardinalis Cameræ Apostolicæ cui etiã hæredes 500. soluent ducatos pro annulo.

STATVITVR §. 1. vt beneficiorum fructus, pecuniæ, & res tempore obitus beneficiatorum inexacti, etiam si per eos non steterit, quin exigerent, vel sponte oblatos non perceperint, spectãt ad successores in beneficiis, non ad hæredes. ex quibus tamen bonis successor soluat debita, & legata facta ad pios vsus, si aliunde ex aliis bonis beneficiatorũ solui non possint.

§. 2. Ornamenta capellæ Cardinalis defuncti, cruces, candelabra, imagines, calices, iocalia, & paramenta, vtensilia, & alia pertinentia ad capellas Cardinalis, & Ministrorũ circa Altaris ministerium, ad Cameram Apostolicam spectant, & hæredes Cardinalis tenentur persoluere Apostolicæ Cameræ ducatos quingentos pro pretio annuli Cardinalis. Quam etiam Constitutionem idem Pontifex post dies 40. declarauit alia, quæ incipit. *Dudum.*

THEO

THEOREMA 170.

NOn est in §. 1. sermo de fructibus inexactis pensionum, aut etiam distributionum quotidianarum, quæ dantur inseruientibus horis diuinis, sed de illis tantum qui Prælato, vel Clerico obueniunt ratione Tituli prælaturæ, aut beneficij, in quo est institutus, & decurrunt in vita eius, & per superuenientiam obitus, beneficiatus exactionem inchoatam ad finem perducere non potuit. & ideo res tales manserunt inexactæ (de illis enim, qui maturantur à die obitus vsque ad diem apprehensæ possessionis à successore, alibi erit sermo) vt notauit Guilielmus Redoanus Genuensis, Episcopus Nebij. tr. de spoliis Ecclesiasticis. quæst. 5. vbi ex professo hanc eandem Constitutionem explicat, cuius etiam meminit Azor t. 2. l. 8. cap. 4. quæst. 13. Iulius igitur Tertius ad tollendas controuersias inter hæredes ex testamento vel ab intestato Prælatorum defunctorum, & successores in beneficiis, hoc loco statuit, vt fructus inexacti spectare non debeant ad hæredes, sed ad successores in beneficiis, iuxta prius sancita in iure communi. cap. quia sæpè. de elect. in 6. & cap. præsenti. de officio Ordinarij l. 6. & cap. illud. & c. nō liceat. 12. q. 2. & c. placuit. & c. Pontifices. 12. quæst. 3. & communem doctrinam Antonij de Butrio, & Abbatis. cap. fin. ne prælat. vic. suas. Glossæ in cap. hæc huius. 12. quæst. 2. Hostiens. cap. fin. de pecul. cler. Calderini consil. 2. de pecul. cler. Alexandri cons. 157. vol. 2. Caccialupi tr. de pension. quæst. 25. Gigæ quæst. 53. Ioannis Copi tr. de fruct. l. 4. tit. 3. cap. 2. Redoani loco cit. quæst. 5. num. 4. 5. 9. & seqq. & quæst. 1. num. 14. 15. Ea tamen conditione adiecta, vt successor soluat debita, & legata ad pios vsus, si ex aliis bonis beneficiati defuncti solui non possint.

Theor. 198.

Primò tamen in Constitutione *Dudum.* 1. data post dies 40. declarat, per legata pia, se intelligere, quæ per beneficiatos, dum essent in sanitate, facta fuerant, & per debita, ea, quæ occasione ipsorum beneficiorum contracta fuerant, de quibus successores in beneficiis verisimiliter informationem habere poterant, & debebant (hæredes enim diuersa debita iam extincta pro veris, & validis supponebant, vt fructibus non exactis, aliisque rebus successores priuarent) non autem alia, ad quæ soluenda vigore prædictæ constitutionis cogi, & compelli non possunt. Quod etiam vniuersaliter docuerat Abbas in cap. cum esses. de testam. cap. 1. & cap. ex præsentium. de pignor. Io. And. d. cap. 1. de pignor. Butrio, & Imola. cap. peruenit. de fidciuss. & Azor. t. 2. l. 7. cap. 9. quæst. 6. & l. 8. cap. 3. q. 3. Ratio est, quia cum debita facta non sint in rem, & vtilitatem Ecclesiæ, sed. v. g. vt beneficiatus paternam domum reædificaret, vel agros coleret, Ecclesia non est creditoribus obligata. Ob id rectè. cap. 1. de solution. successor in Ecclesia prioris beneficiarij non cogitur soluere debita, nisi fuerint contracta in ipsius Ecclesiæ vtilitatem. cætera enim, cap. ex præsentium. de pignor. & Gloss. ibid. hæres beneficiarij soluere tenetur, non Ecclesia, aut successor in beneficio aut Camera Apostolica,

quando in Ecclesiæ, aut successoris locum substituitur in acquisitione spoliorum beneficiarij defuncti, eó quod Fiscus Apostolicus eo iure teneatur, quo successor, aut Ecclesia olim iure communi tenebatur, cum in eius locum subrogetur, vt rectè notauit ex decisionibus Rotæ Redoanus. q.1. num. 7. de spol. Eccl. & Azor l.8. cap.3.q.3. citata.

Secundò declarat in alia Constitutione data anno 1551. quæ incipit. *Dudum*. 2. aliàs *Cum autem*. prædictam constitutionem comprehendere solum Ecclesias, monasteria, & beneficia Ecclesiastica in locis, in quibus collectores Cameræ Apostolicæ esse, aut deputari non consueuerant, non in quibus esse, & deputati solent, non obstante quacumque consuetudine, aut particulari priuilegio loci. cum in huiusmodi fructibus tanquam spoliis Ecclesiasticis, ibi meritò succedat Camera Apostolica. Etenim huiusmodi fructus inexacti, & res, non sunt hæredum, vt antea definitum est; nec successorum in beneficio ex secunda restrictione, quippe cum iure canonico, scripto tantum, & non diuino, aut naturali, Ecclesiæ, vel successoribus debeantur, quod potuit à Romano Pontifice antiquari; nec per aliquam aliam consuetudinem, priuilegium, aut ius ab aliquo vindicari possint, ex hac eadem Constitutione, necessariò ad Apostolicam Cameram pertinebunt, cuius contemplatione emanauit noua hæc reformatiua constitutio, vt pluribus docet Redoanus loco citato, quæst.5. n.10. & seq. & Azor p.2. l.7. cap.9. q.9. & l.8. cap. 1. & ad cauillationes tollendas in iure scripto, expressè declarauit Paulus III. bulla 31. anno 1541.3. Non. Feb. quæ incipit. *Romani Pontificis*. antea enim Camera Apostolica, consuetudine, & vsu recepto, non iure scripto, sibi ea vendicabat, quare vt bona Cameræ per Collectores in dictis locis erunt colligendæ.

Sunt autem spolia, vt colligitur ex Redoano ibidem. quæst.1. n.7. Nauarr. comm. de spoliis. §.1. Azore t.1.l.8. cap.1. quæst.2. bona quæcumque ab Ecclesiasticis personis ratione, & iure Ecclesiæ acquisita, vel ex negotiatione contra canones comparata, tempore obitus illarum relicta, à Romano Pontifice Cameræ reseruata. Bona sunt tanquam genus, & generatim comprehenduntur bona tam mobilia, quàm immobilia, & se mouentia, iura item, & actiones, quocumque nomine censeantur. l. bonorum. ff. de verb. signif. Dicitur, ratione & iure Ecclesiæ acquisita, ad excludenda, quæ ex patrimonio, vel hæreditate, arte, industria, opera, labore suo, vel donatione aliorum, sunt parta. Ponitur etiam. *Vel ex negotiatione*, &c. vt inclusa intelligantur, quæ beneficiarius lucratur contra canones negotiando, quæ ampliatio introducta est iure nouo in extrauag. Pij IV. anno 1560. Non. Feb. & Pij V. n.42. quæ incipit. *Romani*. §.6.

Perantiquam autem esse huiusmodi spoliorum, & Collectorum eorumdem institutionem constat ex Cardinali in cap. nisi cum pridem. § intueri. de renunciatione. Decisione Rotæ 41. Sarnensi in tr. Breuium. §. facultas. num.17. Calderino consil.1. de pecul. Cler. Boërio decisione 124. Redoano

loco

loco cit. Sed quædam, quæ ante Pium V. pertinebant ad ſpolia, per citatam Conſtitutionem Pij V. iam amplius non pertinent.

Illud addo circa §. 2. localium nomine apud Iuriſperitos. Cod. de donat. ante nupt. & Cod. de iure dotium, & apud Summiſtas. v. *donatio*, venire aureas catenulas, annulos, vniones, coralia, paruula horologia, quæ collo ſuſpenſa geſtantur in ſinu, & ſimilia. déque his haberi etiam mentionem in Leonis X. bulla 36. quæ incipit. *ſicut prudens.* Adriani 6. num. 1. quæ incipit. *Nuper.* Pauli IV. n. 11. quæ incipit. *Incumbentia.* Pij IV. num. 4. olim 9. quæ incipit. *Paſtoralis*, & alibi. De ornamentis autem, ac paramentis Capellæ Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & inferiorum, Pius V. bulla 42. addixit Eccleſiis, in quibus reſederint, remanente firma quoad Cardinales, bulla Iulij III.

EIVSDEM IVLII III.

Conſtitutionis 11. aliàs 12. editæ anno 1551. quæ incipit. Licet à diuerſis.

EPITOME 65.

Impedientes Inquiſitores in officio ſuo, & in hæreſis criminis cognitione ſe ingerentes laici, & Epiſcopi &

MONET §. 1. ſæculi poteſtates, temporales dominos, & quaſuis perſonas publicas, & priuatas, ne ſe ingerant in inquiſitionis negotio, & abrogēt ſine mora omnes leges, & ordinationes in contrariū factas, quas tanquā contra libertatem Eccleſiaſticam declarat irritas, & nullas.

§. 2. deinde excommunicat, reſeruando Papæ abſolutionem, inobedientes, qui impediūt Inquiſitores in munere ſuo, ſéque ingerunt in cognitione criminis hæreſis (niſi ab Inquiſitoribus requiſiti fuerint) cum ſuis auxiliantibus, conſulentibus, & fauentibus.

Inquiſitores id permittētes excommunicantur, & abſolutio Papæ reſeruatur.

§. 3. Eaſdem pœnas infligit Diœceſanis Epiſcopis, & Inquiſitoribus, ſi permiſerint laicos ſecum quomodocumque de hæreſis crimine cognoſcere.

THEOREMA 171.

IN hac Conſtitutione vetita, ſunt etiam prohibita in cap. accuſatus. §. vltimo. cap. ſtatutum. 1. cap. vt officium. §. vltimo. & cap. vt Inquiſitionis. §. prohibemus de hæreticis. l. 6. iuſtéque ſancita ſunt. Tum quia crimen hoc eſt merè fori Eccleſiaſtici. cap. vt Inquiſitionis citato. ideo ab Eccleſiaſtica poteſtate; quæ à ſummo Pontifice delata eſt Inquiſitoribus, non à ſæculari iudicandum. vt pluribus docet Clarus. §. hæreſis. num. 15. Rolan. conſil. 20. num. 10. lib. 3. & Alciatus in cap. 1. num. 13. de officio Ordinarij. qui dicunt eſſe ſententiam communem. Tum quia niſi iudices fidei liberi ſint ab omni impedimento, quod poſſit impedire eorum munus, hæreſes extirpari non poſſent, vt rectè docet Zanchinus. cap. 31. Repert. Inquiſ. v. impediens. Turrecrem. ſum. de Eccl. p. 2. l. 4. cap. 21. Simancas

tit. 15. num. 10. & tit. 23. num. 6. Tabiena v. Inquiſitor. §. 28. Emericus p. 2. quæſt. 54. Pegna ibid. com. 79.

Quin etiam præcipitur temporalibus Dominis, vt inquiſitorum officium requiſiti foueant, & ad id cenſuris ab Inquiſitoribus compelli poſſunt. ita enim habetur in litteris Apoſtolicis anni 1262. Vrbani IV. quę incipiunt. *Licet.* §. Cæterum. *Cæterum ſi fortè (quod non credimus) aliqui cuiuſcumque conditionis huic negotio, vobis* (Inquiſitoribus) *commiſſo ſe opponere, ſeu illud præſumpſerit aliquatenus impedire, vt non poſſit procedi liberè in eodem: immò niſi inquiſiti, ſeu requiſiti illud fouerint, & iuxta officium & poſſe ſuum ſinguli iuuerint ſtudioſè, contra eos tanquam contra hæreticorum fautores, & defenſores ſecundum ſanctiones canonicas freti eadem auctoritate procedatis.* Videndus etiam Inn. IV. bulla 9. quæ incipit. *Ad extirpanda.* §. 20. & alia, quæ incipit. *Ex commiſſi.* & eiuſdem bulla 16. *Quia.* & bulla *Præ cunctis.* Clem. IV. & Conſtitutio Feder. II. Imp. *ſtatuimus.* Cod. de Epiſc. aud. & Conſtitutio. *Si verò.* Cod. de hæreticis. de quibus diximus Theor. 34. & dicitur 387.

THEOREMA 172.

QVæ de abrogandis legibus, & ordinationibus in cõtrarium ſtatutis, tanquam contra Eccleſiaſticam libertatem, eodem §. 1. dicuntur, ſancita ſunt etiam anno 1252. ab Inn. IV. bulla 9. quæ incipit. *Ad extirpanda.* §. 38. & anno 1257. ab Alexandro IV. in bulla, quæ incipit. *Implacida.* verbis illis. *Statuta huiuſmodi (per quæ directè, vel indirectè negotium fidei impeditur) quæ à Mantuanis, vel quibuſlibet aliis hominibus ordinata, & facta dicuntur Mantuæ, ac in toto ipſius diſtrictu, per quæ ipſi negotio poſſit obſtaculum prouenire, diligenter inquirere, ac etiam inuenire; & quæſita, & inuenta ad tale reducere, ac reduci facere moderamen procures, quod per ipſa dictorum Inquiſitorum proceſſus non impediatur in aliquo, vel quomodolibet retardentur: facies nihilominus quod ſtatuta quælibet ipſi negotio contraria, in quibus poſſet impedimentum aliquod Inquiſitoribus afferri, eiſdem, quo minus per eos, iuxta formam ſibi à prædicta ſede traditam, procedi liberè valeat in eodem, in ciuitate præfata, & alibi in ipſius diſtrictu nullatenus obſeruentur: Poteſtatem, Antianos, & Concilium Ciuitatis eiuſdem per excommunicationem in perſonas eorum, & commune prædictum, per interdicti in Ciuitatè ipſam, ſententias, ad id appellatione poſtpoſita, compellendo.* Idémque videmus decretum ab Vrbano IV. cap. ſtatutum. 1. de hæret. l. 6. vbi ſtatutum, quo Inquiſitionis negotium directè, vel indirectè retardari, aut impediri poteſt, nullius eſt firmitatis, & ſtatim reuocandum, vel moderandum, ne impedire poſſit, decernitur. Videatur etiam Authent. Caſſa. Cod. de ſacroſanct. Eccl. Emericus. p. 2. quæſt. 54. & 3. p. quæſt. 34. Pegna ibid. Zanchinus cap. 31. Carrerius tr. de hæret. n. 93. Locatus v. *ſtatutum.*

Porrò quoad pœnas §. 2. latas in contrafacientes, conſulentes, auxilientes, & fauentes, cum in c. Vt Inquiſitionis. §. vltimo. de hæret. l. 6. non eſſet excõmunicationis abſolutio reſeruata Papæ, Iulius III. §. 2. ſummo Pontifici reſeruat.

&

& extendit §. 3. excommunicationem eandem ad Episcopos, & inquisitores ipsos, si permiserint laicum secum cognoscere de hæresis crimine, cum laicus non sit capax, ex Abbate, & cæteris in cap. cum sit generale. de foro competenti. Concessit autem iisdem Inquisitoribus. Io. XXII. bulla, quæ incipit. *Exigit ordinis vestri*, vt familiares armatos haberent pro securitate inquisitionum, qui tamen sint laudabilis vitæ, & conuersationis.

EIVSDEM IVLII III.

Constitutionis 42 in bullario vet. editæ anno 1553. quæ incipit.
Et si ea.

EPITOME 66.

Deferentes ab infidelibus alumina, & mercantes excõmunicãtur & sũt inhabiles ad quoſuis actus legitimos à ſolo Papa ſoluendi, & loca interdicũtur, & extẽduntur pœnæ ad Complices.

PROHIBET hoc loco Pontifex sub pœna excommunicationis latæ sententiæ reseruatæ, & inhabilitatis ad testandum, succedendum in hæreditatibus, ad officia publica, & quoscumque actus legirimos, à partibus infidelium deferri alumina, & quemquam ea delata mercari. Oppida autem, ad quæ declinant, si Officiales habita notitia termino vnius diei non eiiciant prædictos, deferentes, sunt interdicta, & relaxatio pertinet ad sum. Pontificem solùm. & extenduntur prædictæ pœnæ ad complices, socios, sequaces. vendentes, & ementes, &c.

THEOREMA 173.

OCcasio Iulij III. Constitutionis, fuit inuentio insperata aluminis Tulfæ in patrimonio S. Petri tempore Pij II. dum bellum Turcis cogitaret inferre. quasi Deus nõui aluminis inuentione Pontificem nouis redditibus potentiorem reddere, & inimicos Turcas veteribus aluminis, quod ab eorum ditione deferebatur, prouentibus infirmiores efficere voluisset. Antea enim alumen, cuius vsus non tantùm in humanis corporibus medendis, sed in staminibus etiam inficiendis, & tingendis, vtilis est, aduehebatur in Christianorum prouincias ex infidelium terris Ægypto, Melo insula, Hierapoli, Armenia, Phrygia, Macedonia, Africa, in quibus nascitur, ex Dioscoride l. 5. c. 82. Quare cum Pontifex huiusmodi inuenti aluminis in Tuscia redditus, & prouentus in fidei defensionem dedicasset, & consecrasset, meritò Iulius II. vetuit alumina ex infidelium terris adduci, & Christianos ea mercari. vt ita solùm venderetur, & emeretur inter Christianos, quod in terris Romanæ Ecclesiæ insperatò fuerat adinuentum, vt constat ex Leonis X. bulla 36. & Pauli III. n. 48.

Iulius itaque III. imitatus Iulium II. qui primus hanc excommunicationẽ tulit, & Paulum III. qui eandem confirmauit, renouat in hac Constitutione in contrafacientes, & complices, vectores, ementes, vendentes, laborantes, sese in his immiscentes, naues, & alumina assecurantes, Iulij II. & Pauli III. excommunicationem, & aggrauando pœnas, eosdem reddit

intesta

inteſtabiles, & incapaces hæreditatum, officiorum publicorum, eíſque omnes actus legitimos interdicit. Oppida verò, & Ciuitates, ad quas declinauerint, niſi inde eos expellant intra diem vnum poſt habitam de his notitiam, ſupponit interdicto Eccleſiaſtico vr Leo X. bulla 12. & alij in rebus grauibus fecerant. & reſeruat tam abſolutionem illius, quàm relaxationẽm huius Pontifici Romano. Hanc andem Conſtitutionem confirmauit poſtea Pius IV. bulla 43. quæ incipit. *Ex Apoſtolicæ*, & Greg. XIII. num. 2 f. quæ incipit. *Muneris*.

PAVLI IV.

Conſtitutionis 4 olim 7. editæ anno 1555. quæ incipit. Cum quorundam.

EPITOME 67.

Negãtes Trinitatem perſonarum diuinarũ & vnitatem ſubſtantiæ, Chriſti diuinitatẽ, conceptionẽ de Spiritu ſãcto, mortem pro nobis in Cruce, & Virginitatem B. Mariæ vt relapſi puniendi.

STATVIT §. 3. vt quicumque Chriſtianus, qui Sanctiſſimam Trinitatem & Vnitatem diuinæ ſubſtantiæ, vel Ieſu Chriſti Domini noſtri Diuinitatem, vel eius de Spiritu ſancto conceptionem, vel mortẽ eius in Cruce, vt nos redimeret, vel perpetuam B. Virginis Mariæ Virginitatem negauerit, habeatur pro relapſo in hæreſim, & vt talis tradatur ſæculari Curiæ, à qua relapſorum pœna puniatur.

THEOREMA 174.

IMitatus Paulus IV. Iulium III. in Conſtitutione quæ incipit. *Illius qui miſericors*, edita ann. 1550. qui non inquiſitis, vel denunciatis ſponte intra ſex menſes ſuas hæreſes confitentibus, pœnas omnes à iure, & ab homine remiſit, eóſque abſoluit ab irregularitate; conceſſitque ad ſactos Ordines poſſe promoueri, eorumdémque filios ad officia, & beneficia, decretis ex altera parte grauibus pœnis contra impœnitentes, præſenti Conſtitutione pœnitentes, & errores hic expreſſos abiurantes (dummodo delati non ſint, aut relapſi) intra tres menſes, & docentes intra tres alios à die abiurationis, de eadem abiuratione coram Inquiſitoribus Generalibus, abſoluit ab irregularitate, ac cæteris cenſuris, ac pœnis, tam in eos, quàm in filios, nepotes, ac deſcendentes decretis. Impœnitentes autem, & alios de cætero errantes in aliquo ex his articulis, relapſorum pœnis ſubiecit ob eorum atrocitatem, cum repugnent præcipuis dogmatibus Catholicæ religionis, latiſſimè explicatis in diuinis litteris, in Symbolis Apoſtolorum, Conſtantinopolitano, & Athanaſij. Concilio Later. ſub Innoc. III. anno 1215. in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. anno 1311. in Conc. Florentino anno 1439. ab Eugenio IV. in inſtructione Armenorum, & Iacobitarum; à Patribus, vt Leone epiſt. 13. Hieronymo 9. Romanæ impreſſionis epiſt. 17. Auguſtino, de fide ad Petrum, ac cæteris; à Theologis Scholaſticis in libris ſentẽtiarum; iuris canonici Interpretibus extra

de

de ſum. Trin. & Fid. Cath. cap. 1. & 2. & in Clem. 1. eodem titulo. ac ſingularum Eccleſiarum particularium Catechiſmis. Hanc eandem Conſtitutionem quoad pœnas in ea contentas innouauit, & perpetuò confirmauit Clemens VIII. bulla 97. quæ incipit. *Dominici gregis.* anno 1603. die 3. febr. & iuſſit publicari ab Ordinariis in propriis locis.

Relapſi autem quaſi iterum lapſi in hæreſim (poſt ſolemnem tamen, & iudicialem abiurationem, ex Ancharano in cap. accuſatus. de hærer. l. 6. Caſtro. l. 2. de iuſt. hær. pun. cap. 2. Simanca. tit. 57. num. 2.) etiam pœnitentes traduntur brachio ſæculari ſine vlla audientia, animaduerſione debita puniendi, ex cap. ad abolendam. extra. de hæret. Emerico. p. 2. quæſt. 58. num. 6. Pegna ibid. Zanchino de hæret. cap. 16. & 17. Bernardo Comenſi. in lucerna Inquiſitorum. v. relapſus. Simanca tit. 57. num. 10. Azore tom. 1. l. 8. cap. 14.

Cur autem Eccleſiæ miſericordia non iterum recipiat relapſos, ea eſt ratio, quòd, qui ſecundò labitur, non præſumitur prius bene conuerſus, vt dixi Theor. 36. & docet Concilium Narbonenſe capit. 11. his verbis. *Et illos, qui poſt alienationem erroris, ſeu purgationem deprehenſi fuerint in abiuratam hæreſim reincidiſſe, ſæculari iudicio ſine vlla penitus audientia relinquatis animaduerſione debita puniendos, cum ſufficiat tales per falſam conuerſionem ſemel Eccleſiam decepiſſe.*

Scortia.

EIVSDEM PAVLI IV.

Conſtitutionis 11. aliàs 25. editæ anno 1556. quæ incipit.

Incumbentia.

EPITOME 68.

CONFIRMAT §. 9. & 10. Conſtitutiones, & pœnas in illis contentas Gregorij XII. Alexandri V. Pij II. Innoc. VIII. & Iulij II. inter quas eſt excõmunicatio cuius abſolutio reſeruatur Papæ, priuatio feudorum, prælaturarum; & beneficiorum ipſo facto, & inhabilitatio in futuro contra occupatores terrarum, bonorum, feudorum, iocalium, & debitores cenſuum, Annatarum, Quindenniorum, ſeu in alio aliquo debitores Cameræ Apoſtolicæ & non ſoluentes, ſeu reſtituentes. Sed nunc ferè omnes comprehendũtur in bulla cænæ §. 17. & 20.

Occupãtes terras, bona, cenſus, debita Cameræ Apoſtol. excommunicãtur, abſoluendi à Papa. priuãtur feudis, beneficiis, & fiunt inhabiles in futuro.

THEOREMA 175.

PRæſentis Cõſtiturionis materia eſt ſacrilegium, & rapina bonorũ Eccleſiæ Romanæ, de quo etiam dixi Theor. 72. 121. 122. 123. 131. quæ non ſunt hòc loco reperenda. Et ſanè decuit ſummos Pontifices vigilare, ne Chriſti patrimonium à perditis hominibus dilapidaretur, & iterum conuerteretur in vſus profanos, contra regulam iuris 51. *Semel Deo dicatum.* l. 6. & totã 12. q. 2. meritóque

factum eſt, vt Clemens VI. bulla 39. quæ incipit. *Et ſi.* Innoc. VII. bulla 1. quæ incipit. *Iniunctum.* Leo X. bulla 12 quæ incipit. *Inter graues.* Paulus IV. hoc loco, & Gregorius XIII. bulla 64. cuius eſt initium. *Ad Romani.* (eſtque caſus à tempore Martini V. apud S. Antonin. 3. p. t. 25. cap. 72. in bulla cœnæ) excommucarint, reſeruata ſummo Pontifici abſolutione, boníſque feudalibus, honoribus, dignitatibus priuarint inuadentes, & occupantes Ciuitates, ac loca Eccleſiæ, eorúmque ſucceſſores vſque ad 3. generationem reddiderint inhabiles ad beneficia, officia, perſonatus & dignitates, & interdixerint loca, ad quæ declinauerint.

Non ſoluentes verò cenſus, canones, talias, regalia, iura feudorum, & bonorum Emphyteoticorum præter excommunicationem in commiſſum cadere decreuit Alexand. VI. bulla 6. Innoc. VIII. bulla 1. quæ incipit. *Decet.* Gregorius XIII. bulla citata 64. debitores quoque Annatarum, & Quindenniorum excommunicauit, & priuauit beneficiis, ita vt ab aliis impetrari poſſent, Pius II. & Paulus II. bulla 8. aliàs 6. cuius principium eſt. *Decens.* Innoc. VIII. bulla 3. quæ incipit. *Apoſtolicæ.* Iulius II num. 3. *Ex debito.* & num. 4. *Romani.* Iulius III. nu. 20. olim 38. *Cupientes.* & 45. *Cum ſicut.* Paulus IV. bulla. *Quoniam.* & hac præſenti. num. 11. aliàs 25. & num. 14. *Cum aliàs.* & n. 41. *Decens.* & n. 43. *Apoſtolicæ.* Pius V. num. 174. nunc 38. quæ incipit. *Apoſtolicæ.*

Direptores, ac detentores bonorum Palatij Apoſtolici Epiſcopali, & alia maiore dignitate Eccleſiaſtica etiam Cardinalitia fulgentes, interdicit ab ingreſſu Eccleſiæ, reliquos excommunicat reſeruata Papæ abſolutione, Adrianus VI. bulla 1. incipiente. *Nuper.* Clemens VII. num 1. *Cogitur.* & num. 2. *Cum intellexerimus.* & Pius IV. num. 5. olim 9. *Paſtoralis.* Et extendunt ad ſcientes, & non reuelantes. Quod ſi intra 14. dies, non obediant Eccleſiaſtica dignitate præditi, ſuſpenduntur à Pio IV. à regimine Eccleſiarum, & tam ipſi, ſi alia beneficia Eccleſiaſtica habeant, quàm inferiores ab eis omnibus dignitatibus, beneficiis, & Romanæ Curiæ officiis; ſæculares verò feudis, dominiis, aliíſque iuribus, & priuilegiis per Eccleſiam Romanam, ſeu Imperialem, & Regiam dignitatẽ conceſſis, ſunt ipſo facto priuati, & inhabiles ad ſimilia, & cæteros legitimos actus, & inteſtabiles, & aliis pœnis ſubiecti.

Scripturarum denique Apoſtolicæ Cameræ detentores, itémque tales ſcientes, & non reuelantes excommunicantur à Iulio III. bulla 24. *Cum acceperimus.* & Pio IV. num. 4. *Paſtoralis.* reſeruata abſolutione Papæ. Pius V. verò bulla 70. quæ incipit. *Cum de litteris.* iuſſit dominos, ciuitates, capitula, conuentus, & perſonas particulares, ſcripturas, exemplaria, protocolla, & monumenta pœnes ſe exiſtentia ſiue ad ipſas legitimè pertinentes, ſiue commodato, vel depoſito, aut quouis alio titulo tenentes iurium Cameræ Apoſtolicæ reuelare, & conſeruare tanquam ipſorum fidei commiſſa, nec alienare ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ; & ſi ſurrepta, & extorta ſunt, ad Cameram Apoſt. referre. Contrafacientes ſingulæ perſonæ

perſonę excommunicãtur, & abſolutio reſeruatur Papæ; Ciuitates, Conuentus, &c. interdicuntur, & priuantur vſu ſcripturarum. Vide etiam cap. ſi quis de clericis documenta. 12. quæſt. 2.

EIVSDEM PAVLI IV.

Conſtitutionis 12. olim 33. editæ anno 1557. quæ incipit.

Inter cæteras curas.

EPITOME 69.

Qui ſe examini beneficiorum ſupponunt pro aliis, vel offerunt penſiones, impetrant pro aliis id ignorãtibus, vt ab eis commodum aliquod cõſequantur, vel pro ſe animo deinde reſignãdi, excõmunicãtur, reſeruata abſolutione Papæ, priuantur omnibus beneficiis, & inhabilitãtur in futuro.

QVI pro beneficiis obtinendis ſe ipſos pro aliis ſupponunt examini, aut impetrant beneficia pro perſonis id ignorantibus, aut pro ſe, aut aliis, cum oblatione alicuius penſionis annuæ, aut pro aliis cum ſpe annuam penſionem, aut aliud, quantumuis modicum temporale commodum ab eis conſequendi; vel pro ſe ipſis principaliter animo, & intentione ea poſtmodum in fauorem aliorum cum penſione, & commodo, aut etiam ſine eo, reſignandi, obtinere procurant, cuiuſcumque ſint dignitatis, etiam Cardinalatus. §. 1. excommunicantur, reſeruata abſolutione Papæ, priuantur ipſo facto non expectata ſententia omnibus beneficiis obtentis in titulum, vel commẽdam, vel quomodolibet, & inhabilitantur ad illa, & alia in poſterum.

§. 2. Prouiſiones autem ſic obtentæ ſunt irritæ, & nullæ, nullúmque ius tribuunt in beneficiis, vel ad beneficia nec eorum vigore quis facit fructus ſuos, & illorum beneficia poſſunt apud Sedem Apoſt. ab aliis impetrari.

THEOREMA 176.

CVm animarum regendi munus ſit etiam ipſis Angelicis humeris formidandum, vt docet Concil. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 1. de refor. viros, ac Paſtores quoſcumque, ſed omnino litterarum ſcientia, & integritate vitæ requirit inſignes. Ideo enim Prælatus quaſi præ cæteris latus dicitur, quòd ſicut cæteris præeſt dignitate, ſic etiam doctrina, & ſanctitate debeat eminere. iuxta illud Symmachi. 1. quæſt. 1. cap. viliſſimus. *Viliſſimus computandus eſt, niſi præcellat ſcientia, & ſanctitate, qui eſt honore præſtantior.* & Hieronym. in epiſt. ad Titum cap. 2. *Qualis ædificatio erit diſcipuli, qui ſe intelligat Magiſtro eſſe maiorem?* Percupiens igitur Paulus IV. digniſſimos eligi Paſtores, hanc edidit Conſtitutionem ad eludendas ſequentes fraudes, quibus ſæpè circumueniebantur in beneficiorũ diſtributione Collatores. Primò igitur verat ſub cẽſuris deſcriptis, ne quis ficto nomine ſe pro alio examini ſupponat, quod etiã fecit Benedict. XII. vt Epit. 25. & Theor. 70. retulimus. quarum abſolutionem & relaxationem meritò reſeruat Papæ ob criminis grauitatẽ, cum etiã l. falſi.

ff. ad leg. Corneliam. de falſis. falſi nominis, vel cognominis adſeueratio pœna falſi coërceatur.

Eſt autem pœna falſi ibid. l. pœna. §. 13. deportatio, & omnium bonorum publicatio. ídque in re grauiſſima & ex qua depẽdet regimen Eccleſiarum, ac ſalus animarum. vnde dictum eſt in Concilio Tolet. 4. cap. 24. *Ignorantiæ mater cunctorum errorum maximè in Dei ſacerdotibus vitanda eſt, qui docendi officium in populis ſuſceperunt.* & à Leone ep. 22. ad Clerum, & plebem Conſtantinopolit. *Si in laicis vix tolerabilis videtur iuſtitia, quantò magis in iis, qui præſunt, nec excuſatione digna eſt, nec venia?* Quare nullus aut ad Ordines eſt promouendus, niſi Epiſcoporum examine probatus. c. nullus. cap. quando. d. 24. & Concilio Tridentino ſeſſ. 23. cap. *Sancta Synodus.* de refor. aut ad beneficium curam præſertim animarum habens, niſi per concurſum aliorum fuerit ab examinatoribus examinatus, & tanquam magis idoneus iudicatus ab Epiſcopo, iuxta decretum Concil. Tridentini ſeſſ. 7. cap. 13. & ſeſſ. 24. cap. 18. de refor. & Pij V. bullam 35. olim. 32. quæ incipit. *In conferendis.* ſicut & promouendum in Epiſcopum videmus. cap. qui in aliquo. d. 51. in ſex, & viginti impedimentis examinatum.

Quærenti autem, an ſi omnino notum ſit aliquem vita, moribus, & ſcientia aptiſſimum eſſe ad Eccleſiam Parochialem, notitia hæc operetur, vt non ſubiiciatur examini? Reſpondeo ex Fuſco. l. 2. de viſitatione cap. 5. num. 10. nequaquam id operari, etiam ſi Epiſcopi eſſet Vicarius, ex declaratione ſacræ Congregationis, referente Pariſio. l. 8. de reſignat. benef. q. 9. num. 87. quia examen requiritur pro forma, aliàs collatio, ob bullam 33. olim 32. quæ incipit. *In conferendis.* Pij V. nulla eſſet. ob id non poteſt examinatio omitti. vt etiam notauit Lambertin. de iure patron. p. 1. q. 11. art. 3.

Sciſciranti quoque an ius examinandi ſolis Epiſcopis competat, adeo vt inferiores, ad quos Parrochiarum collatio pertinet, ab hoc excludantur? Reſpondendum eſt excludi, ex declaratione ſacræ Congregationis apud Pariſiũ loco cit. num. 98. Fallit tamen in illis, qui haberent omnimodam iuriſdictionem, & immediatè ſubiicerentur Sedi Apoſtolicæ, & nullius diœceſis eſſent, diſtinctúmque territorium haberent cum facultate congregandi Synodum.

Secundò, vetat quemquam impetrare beneficium pro perſonis id ignorantibus, id enim adeo paſſim fiebat, vt cum eis poſtea paciſci poſſent, & Simoniacè contractare, ſeu pro ſe, aut alio cum oblatione annuæ penſionis diuerſis perſonis, etiam familiaribus, & continuis commenſalibus Papæ, aut aliis, quos graros exiſtimabant Pontifici, vnde Simoniam incurrebant. qua de re Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 14. de refor. & cap. nobis. cap. de regularibus. cap. Matthæus. de Simonia. cap. vltimo de pactis. cap. quæſitum. de rerum permutatione. bulla 7. Eugenij IV. quæ incipit. *Cum deteſtabile.* vt Epit. 32. & Theor. 84. 86. & bulla 5. *Cum primum.* §. 8. Pij V. & eiuſdem bulla. *Intolerabilis.* Nau. c. 23. n. 107. 110. Leſſius. l. 2. cap. 35. dub. 16. num. 56. Azor t. 3. l. 12. cap. 8. quæſt. 7.

Tertiò

Tertiò, aut impetrare pro alio cum ſpe inde conſequendi aliquod temporale commodum, cum hæc ſit etiam Simonia, mentalis tamen, ſeu intentionalis, etſi non conuentionalis, nec realis. Videndus Nauarr. cap.23. num. 102. & ſeq. Sotus. l. 9. de Iuſt. quæſt. 8. Suarez.t.3.de religione.l.4.cap.41. & ſeq. Azor. t. 3. l. 12. cap. 2. & 7. Et cum dicatur, *quantumuis modicum temporale commodum*, complectitur hic caſus omnes tres modos contrahendi Simoniam, nempe à manu, ab obſequio, & à lingua. de quibus Gloſſa 1. quæſt. 1. initio S.Thom.22.quæſt.100.art.5. & Greg. homil.4.in Euang. & habetur 1. quæſt. 1. cap. ſunt nonnulli.

Quartò, beneficium procurare pro ſe animo, & intentione illud poſtmodum in fauorem aliorum eum penſione, & commodo, aut etiam ſine eo reſignandi, & dimittendi, vt ſæpè etiam cum pacto expreſsè firmato fiebat, quod erat manifeſta beneficiorum nundinatio, & in beneficio electio ſucceſſoris. Qua de re Nauarr. loco cit.num.110. Azor vbi ſupra. cap.8.quæſt.1. & ſex ſeqq. & c.10. idémque prohibetur bulla 85.aliàs 109.quæ incipit.*Romanum*. Pij IV. & bulla Pij V. n.87. aliàs 85. quæ incipit. *Intolerabilis*.

THEOREMA 177.

PÆnæ autem ſtatutæ hoc loco in violatores huius Cõſtitutionis eædem ferè ſunt cum latis in citatis bullis Pij IV. & Pij V. de Simonia confidentiali. nam Primò, ipſo facto excommunicantur, & reſeruatur abſolutio Papæ. Secundò, priuantur omnibus beneficiis, abſque alia deſuper facienda declaratione, ita vt conſtito ſolum ſummariè, & extraiudicialiter aliquem veniſſe contra tenorem præſentium, poſſit pro tali ab Auditore Cameræ Apoſtolicæ publicari. Tertiò inhabilitantur in futuro ad quæcumque beneficia. Quartò diſpoſitiones talium beneficiorum irritæ ſunt, & inanes, & poſſunt huiuſmodi beneficia apud Sedem Apoſt. ab aliis impetrari, vt etiam cætera omnia tanquam præmiſſo modo vacantiæ, ſed crimen eſt probandum, ex Leſſio. l. 2. cap. 34. num. 188. Aduerte tamen non idem iuris eſſe de beneficio ante crimen obtento, & de beneficio per Simoniam impetrato, cum Eccleſia aliquem non priuet abſque ſententia declaratoria criminis primo illo beneficio ex cap. cum ſecundum leges. de hæret. l. 6. impediat tamen, ne conſequatur ſecundum abſque alia declaratione, vt ex hoc loco colligitur, cũ aliud ſit priuare legitimè obtẽtis, aliud impedire ab obtinendis. Quintò, fructus talium beneficiorum non fiunt percipientis, ideóque ſunt Apoſtolicæ Cameræ reſtituendi.

Videndi circa huiuſmodi pænas ipſo facto incurſas, Simancas.tit.9. num.21. Repert. Inquiſ. v.*confiſcatio*. Pegna com.158. Thomas Sanchez l.2.decal.cap.14.& ſeq. Azor. t.1. l.8. cap.13. & t. 2. l.7. cap.16. quæſt.3. Sotus.l.1.de Iuſt. quæſt 6. art.6. Couarr. de matr. p.2. cap.6. num.10. Syl. v. pæna. num.25. & v. *Aſſaſſinus*. in fine. Angelus eodem. Proſp.Farinac.l.5.quæſt.183. num.39. & quæſt.190 num.2.3.& ſeq. Et quantum ad perſonas de-

linquentes Constitutio hæc comprehendit personas omnes, siue Ecclesiastica dignitate fulgentes, etiã Cardinales, siue sæculari Comites, Machiones, Duces, Reges.

EIVSDEM PAVLI IV.

Constitutionis 16. olim 38. editæ anno 1558. quæ incipit. Cum secundum.

EPITOME 70.

Papatum ambientes, summóque Pontifice viuente tractantes eo inconsulto de futuro eligendo incurrũt excommunicationẽ Papæ, crimen læsæ Maiestatis, Simoniæ, priuationem cuiuscumque dignitatis, beneficij, dominij, feudi, voce actiua, & passiua inhabilitatẽ ad honores, dignitates & omnes actus legitimos, & infamiã. quæ etiã extenduntur ad complices, & qui hanc bullã in aliquo iniustam asseruerit, licet Rex, & Imp. sit, excom. puniendus vt Schismaticus, & damnatur eius memoria.

PAVLVS in hac Constitutione. § 1. & 2. omnes, & singulas excommunicationes, suspensiones, interdicta, priuationes, & quasuis alias sententias, censuras, & pœnas à suis prædecessoribus, Conciliis, Canonibus, ordinationibus, &c. latas contra ambientes Papatum, & eo viuente, & inconsulto tractãtes per se, vel alios, verbis, scriptis, vel nunciis de eligendo futuro Pontifice, ita vt sint eo ipso excommunicati, & absolutio Papæ reseruata, incurrant crimen Simoniacæ hæreseos, & læsæ Maiestatis in primo capite, & priuationem cuiuscumque dignitatis Episcopalis, Archiepiscopalis, Patriarchalis, ac Cardinalatus, honoris, nec non Ducalis, Regalis, Reginalis, & Imperialis authoritatis, & excellentiæ, ac omnium, & singularum Ecclesiarum, Monasteriorũ, Prioratuum, aliorúmque beneficiorum, officiorum Ecclesiasticorum obtentorum, nec non quorumuis fructuum, redditumm, prouentuum Ecclesiasticorum, ac pensionum omnium super similibus fructibus, redditibus, & prouentibus reseruatorum, & assignatorum: ac regnorum, dominiorum, feudorum, & bonorum spiritualium, & temporalium, vel mixtorũ, etiam patrimonialium, & allodialium, necnon Iurispatronatus, & iurisdictionum quarumcumque. Careántque voce actiua, & passiua, sintque perpetuò inhabiles, & incapaces omnium dignitatum, honorum, bonorum, iurium, & legitimorum actuum, perpetuáque infamia sint vbique gentium notati, quæ ab eis aboleri non possit, nec vnquam ad vocem, dignitatem, bona, iura, &c. restitui possint, nisi ex speciali mandato Papæ.

§.... Similes sententias, censuras, & pœnas ipso facto, & iure, ac sine alicuius sententiæ prolatione, incurrant cuiusuis ordinis, sexus, & dignitatis existant, dantes auxilium, consilium, fauorem, seu operam, verbis, vel scriptis, aut nunciis, aut re, vel facto,

facto; ſeu promiſſione, pollicitatione, ſuaſione, vel quouis alio modo, directè vel indirectè, principaliter, vel incidentaliter; aut qui in præmiſſis mediatores, proxenetæ, nuncij, mandatarij, procuratores, ſeu trapezitæ fuerint, niſi reuelauerint per ſe, vel alios.

§. 5. Qui auſu temerario bullam hanc, vel aliquid eius, tanquam iniuſtam, illicitam, iniquam vllo vnquam tempore aſſeruerit, etiam ſi Cardinalitia, Regia, Imperiali excellentia fulgeat, ſit ipſo facto excommunicatus, & contra eum tanquam Schiſmaticum, & hæreticum inquiri poſſit, & tanquam talis puniri, eiúſque memoria damnari.

THEOREMA 178.

OPtimo iure damnat hoc loco Paulus ambitum Papatus, cum etiam ciuilibus legibus. ff. ad l. Iul. de ambit. l. 1. & l. vlt. Cod. ad l. Iul. repetund. ambientes Magiſtratus puniantur. Quod etiam de Epiſcopatibus ſæpè cautum eſt. nam 1. quæſt. 1. cap. nullus. ſtatutum eſt ex Symmachi ep. 1. cap. 5. *Nullus itaque per ambitum ad Epiſcopalem honorem permittatur accedere: nam cum hic exceſſus in laica conuerſatione culpetur, quis dubitat, quin religioſis, & Deo ſeruientibus incutiat opprobrium?* & 1. quæſt. 6. c. vltimo à D. Gregorio l. 7. ep. 110. *Sicut is, qui inuitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admouendus, ſic qui vltro ambit, vel importunè ſe ingerit, procul dubio eſt repellendus. Nam qui ſic nititur ad altiora conſcendere, quid agit, niſi vt creſcendo decreſcat & aſcendendo exteriùs, interiùs ad profunda deſcendat?* Cui & illud conſonat Auctoris imperfecti in Matth. hom. 43. *Quicumque deſiderauerit primatum in terra, inueniet confuſionem in cælo.* Et cap. in Scripturis 8. quæſt. 1. *Sicut locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, ita fugientibus eſt offerendus.* Imperatores etiam Leo, & Arthemius l. ſi quemquam. Cod. de Epiſ. & Cler. *Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus refugiat. Sola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi, profectò enim indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus inuitus.* & S. Petrus apud D. Clem. ep. 1. *Hæc cathedra cupientem ſe, & audaciter expetentem non requirit, ſed moribus ornatum, & verbis eruditum.*

Quare plures viri doctrina, & vitæ ſanctitate inſignes ab his Eccleſiaſticis muneribus quantum licuit fugerunt. Teſtis eſt Gregorius Nazianzenus, qui è patria diſceſſit, ne ad eum honoris gradum cogeretur aſcendere; & S. Ephrem, qui eadem de cauſa ſimulauit inſaniam. Teſtis S. Ambroſius, qui quantum potuit teſtitit, nocte diſceſſit, & ſe occultauit. Teſtis S. Auguſtinus, & Bonauentura, qui ob id cogendi fuerunt. & fæliciores S. Bernardus, & D. Thomas, cum omnino declinauerint. Teſtes illi, de quibus S. Auguſt. ep. 240. ad Donatum, & tamen tam multi vt Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inuiti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, pariuntur quæ nolunt, donec eis adſit voluntas

luntas suscipiendi operis boni. Et quoad summum Pontificatum id præclarè docuit suo exemplo D. Gregorius, qui ne summo omnium consensu delatum honorem acciperet, alieno vestitu in spelunca delituit; sed igneæ columnæ indicio deprehensus, coactus est onus suscipere. Timebant enim tanti viri, ne tanto muneri impares essent, cum & Saul antea bonus, honore sublimatus in regem pessimum degenerarit. l.1. Reg. cap.9. 18. & seq.

Portò *Ambitio*, ex S.Thom.2.2. quæst.131.art.1. Alensis.p.2.q.141. m.7. Nauarr. & aliis, *est inordinata cupiditas honoris, & dignitatis.* Estque appetitus hic inordinatus, cum vel quæritur dignitas malis, & vetitis mediis, vt Simonia, duello, rebellione, &c. vel ex officio quo indignus est, vel si dignus vult præferri dignioribus; vt si priuatus laicus sacerdotem, vel Episcopum velit præcedere. vel malo fine, vel certè si in eo honore poneretur vltimus finis, vt si homo, vt dignitatem consequatur, aut retineat, paratus est mortaliter peccare. Qua de re S.Thom. loco cit. Toletus. l. de 7. peccatis mort. cap.23. Valentia 2.2. q.185. art.1. p.2. Lessius.l.3. cap.2. dub.3. Azor t.1.l.4. cap.14. Nauarr. c.23. num.11.& 15. & quàm latè pateat vitium huiusmodi docet illis verbis. l.3. de consider. Bernardus. *O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens omnibus places?* Et alio loco. *Ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedys morbos creans, & medicina laborem generans.* Si verò appetitus sit moderatus, non dicetur ambitio. idcóque docet S.Thom.2.2.quæst.185.prælationem posse optari, & peti, cum aut nullus vult id onus subire, aut non est, qui ad illud sit idoneus. v. g. in regionibus, in quibus præualent hæretici, & catholici pauci sunt, vir pius, & doctus ob communem aliorum salutem peteret Episcopatum. id enim esset & suscipere munus non vt præesset, sed vt prodesset, vt intelligitur illud D.Pauli, Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Tunc enim commune bonum est anteponendum priuato, & fidendum de auxilio diuino. ideoque ex D. Petri sententia ait S.Clemens loco citato grauiùs peccare, qui in necessitate Ecclesiæ propter priuatum periculum Episcopatum reiicit, quàm qui populo Christiano in mediis fluctibus laboranti, cum possit, opem non ferret. Videatur etiam Valentia loco citato conc.3.

THEOREMA 179.

PApæ autem nomen, in hac constitutione positum, factum est à Græca voce πάππας id est *Pater* (etsi aliqui à voce *Pappus*, id est *Anus* deducant) quæ debet esse prima infantulorum vox, qua Patrem, seu Nutritium vocant. Vnde etiam & *pappare*, id est *blandulè patrem vocare*, dictum est à Iuuenali Sat.2. éstque vsus eius in hac significatione frequens: Consuetudine tamen factum est dignitatis & honoris nomen. Ideo Vualfridus. cap. 7. de rebus Eccl. scribit, id nomen transisse in cuiusdam paternitatis nomen; ita vt Clerici venerandi eo nomine appellaren

pellarentur. Postea cæpit esse peculiare Episcoporum, vt docent exempla multa apud Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, Prudentium, Sidonium, & alios, apud quos Episcopi, Papæ dicuntur. licet peculiarius cõsueuerit tribui Romano Pontifici, vt constat ex epistolis Cassiodori, & ex actis Synodi Toletanæ primæ sub Anastasio Papa 1. & Synodi 5. Tolet. sub Vigilio. Denique mos obtinuit sequentibus temporibus, vt hoc nomen tribuatur tantùm Romano Pontifici, vt colligi potest ex inscriptione epist. datæ ex Concilio Epiri ad Hormisdam Papam, quod manuscriptum asseruatur in bibliot. Vaticana, in qua & *Pater Patrum, & Episcoporum Princeps, & Papa* appellatur. Cum autẽ Schismatici in Pontificis odium illud sibi vendicarent, Gregorius VII. anno 1073. coacta Synodo Romæ inter alia constituit, vt Papæ nomen vnicum esset in vniuerso orbe Christiano, solique Romano Pontifici tribueretur, vt apparet ex Registro epistolarum Greg. VII. in bibliot. Vaticana, vt annotant etiam Baronius in Martyr. Rom. die 10. Febr. Azor t. 2. l. 4. quæst. 1. Nauar. com. de spoliis. §. 2. n. 1.

THEOREMA 180.

NOn licere Cardinalibus, aut aliis viuente Pontifice tractare de eius successore deligendo absque illius consensu (eo enim consentiente licet. cap. *si transitus.* d. 79.) constat etiam ex Symmacho in Synodo Rom. 1. cap. 3. & 5. & habetur d. 79. cap. 2. & seqq. vnde pars huius bullæ desumpta videtur, vbi dicitur. *Si quis Papa Scortia. superstite pro Romano Pontificatu aliquem quomodolibet fauorem præstare conuincitur, loci sui honore, vel communione priuetur. Si quis Presbyter, aut Diaconus, aut Clericus Papa incolumi, & eo inconsulto, aut subscriptionem pro Romano Pontificatu commodare, aut pyctacia* (quod etiam nomen in hac constitutione habetur, vt etiam 26. quæst. 7. cap. 16. & 30. quæst. 3. cap. 2. erántque chartæ, vel scripturæ continentes petitiones, aut promissiones obligatorias, à petendo, seu pingendo ita nuncupatæ, ex Glossa in d. cap. 2. d. 75. & d. 30. quæst. 3. cap. 2.) *promittere, aut sacramentum prabere tentauerit, aut certè aliquod suffragium polliceri, vel hac de causa priuatis conuenticulis factis deliberare, atque decernere, loci sui dignitate, atque communione priuetur.* Est enim reus læsæ Maiestatis qui absque Principis consensu de eius successore deligendo tractat, ex Baldo in l. quoniam liberi. Cod. de testibus, vbi etiam Innocentium citat. eò quod inde nascatur occasio optandæ, captandæque mortis Principis, vt etiam admonet hoc loco Paulus IV. quam omnes leges, & iura detestantur. & ob id ciuili, & canonico iure id omnino damnatur, videatur cap. 7. d. 79. Iam pœnæ tam ambientiũ, quàm tractantium de futura electione cuiuscumque sint sexus, & conditionis, quæ hic feruntur, & aliàs latæ, quæ etiam §. 2. innouantur, incurruntur ipso facto absque alia desuper ferenda sententia, & Papæ reseruatur absolutio, dispensatio, & rehabilitatio. Eædémque §. 3. & seq. extenduntur ad dantes auxilium, consilium, fauorem, operam quocumque modo, idque directè, vel indirectè,

rectè, principaliter, vel incidentaliter, id est ex proposito, vel casu. Itémque ad mediatores, proxenetas, procuratores, nuncios, nisi per se, vel alium, cum primùm poterunt, reuelauerint. Reuelantibus enim etsi complicibus, non tantũ venia, sed etiam remuneratio promittitur, vt etiam fit in citato c. 2. d. 79. eo quod ex Glossa ibidẽ crimen istud procedat ad instar criminis læsæ Maiestatis vt 15. q. 3. cap. sanè. in quo si socius criminis probat crimen, remuneratur. 6. q. 1. cap. si quis.

THEOREMA 181.

TAndem §. 5. excommunicantur, qui sanctionem hanc iniquam, aut iniustam, aut in toto, vel parte non valere, aut valituram vmquam dixerint, & inquiri, & puniri possunt, vt schismatici, & hæretici, eorúmque fama, & memoria damnari, vt etiam reorum læsæ Maiestatis. l. Maiestatis. l. meminisse. l. vltima. Cod. ad leg. Iulian. Maiest. & hæreticorum, atque apostatarum defunctorum memoria, & fama damnatur, tanquam extremæ impietatis argumentum. Cum in aliis criminibus, qui decedit, integri status decedat; & in morte reus liberetur crimine. l. 1. & 2. Cod. si reus, vel accus. mort. fuerit. Hoc autem fit ob criminis atrocitatem, vt sicut memoria iustorum sempiterna laude est digna, ita istorum impiorum nomen, & infamia sit immortalis, ideoque exultent iusti, & confundantur iniqui. Sic Conc. Constantiense sess. 8. memoriam defuncti VVicleffi damnauit, ossáque ipsius exhumari, & cremari præcepit. Sic hæreticorum aliorum 24. q. 2. cap. sanè 2. & cap. filij. & cap. accusatus. § in eo. de hæret. l. 6. Gloss. d. cap. filij. de hæret. l. 5. & in l. Manichæos. Cod. de hæretic. Clarus. §. hæresis. num. 19. & l. 5. §. fin. quæst. 51. num. 14. Simancas tit. 18. num. 15. Prosp. Farinacius. l. 5. quæst. 183. §. 4. num. 34. & seq. & quæst. 197. §. 3. num. 113. & seq. Penna in direct. Inq. com. 92. Non debet tamen procedi contra defuncti memoriam, nisi contra eum adsint clariores, & pleniores probationes, quàm contra viuum, vocandique sunt filij, & successores, & omnes, quorum interest, ad memoriam eius defendendam, cum defunctus se defendere nequeat, ex Simanca num. 12. 15. 19. Rota. tr. de hæret. p. 2. num. 30. & Farinac. cit. 197. §. 3. num. 120. Pœnitentis autem hæretici memoria nõ damnatur ex Vmberto Locato in Iudic. inquisit. v. *Cadauera.* n. 1. fin. & v. *filij.* n. 13. fin. & v. *Inquisitor.* nu. 25. Denique an post quinquennium à die mortis memoria defuncti damnari possit, nec ne, difficultas est inter Doctores, cùm aliqui solum vsque ad quinquennium id fieri posse concedant, alij vsque ad 40. annos, alij etiam postea. Videatur Farinacius. l. 5. q. 197. num. 114. 115. & seq. Menoch. de arb. Iud. casu 546. Penna com. 92. Maschardus de probatl. 1. concl. 112. Simancas n. 14. Clarus. §. hæresis. num. 19. & §. læsæ Maiestatis. num. 17. Baiardus ibid. Roias p. 1. de hæret. n. 493. Felinus, cap. *cum nobis.* de præscription. num. 52.

EIVS

EIVSDEM PAVLI IV.

Constitutionis 19. olim 42. editæ anno 1559. quæ incipit. Cum ex Apostolatus.

EPITOME 72.

Innouātur in hæreticos, & schismaticos, eorumque receptatores, defensores, & fautores excomm. priu. status, dignitatis, officior. beneficiorum. inhabilitatio, infamia, &c.

APPROBAT & innouat 2. §. omnes, & singulas sententias, censuras, & pœnas excõmunicationis, suspensionis, interdicti, priuationis, inhabilitatis, infamiæ, &c. à suis prædecessoribus, ac sacris Conciliis, Patrum decretis, canonibus, & ordinationibus contra hæreticos, & schismaticos, cuiuscunque sint dignitatis quomodolibet latas.

Insuper §. 3. quoad Prælatos, & Principes, qui subditos in officio deberent continere, & schismate, vel hæresi eos in puteum interitus secum trahunt, statuit hac perpetuò valitura constitutione, censuris prædictis in suo robore permanentibus, vt absque alio iuris, aut facti ministerio, si in hæresim, aut schisma incidisse deprehensi fuerint, aut conuicti, cum in hoc cæteris inexcusabiliores sint Episcopi, Archiepiscopi, & cæteri Prælati, priuati sint suis ordinibus (quoad executionẽ scilicet, ex S. Thom. 2. 2. q. 79. art. 3. & Valentia ibid. p. 3. cũ sint suspensi, character enim est indelebilis) Ecclesiis, Cardinalatu, legatione, munere, voce actiua, & passiua, omníque auctoritate, monasteriis, beneficiis, officiis Ecclesiasticis: Nec non quibusuis fructibus, redditibus, & prouentibus annuis super similibus fructibus, & redditibus reseruatis: Principes verò Comitatibus, Baroniis, Marchionatibus, Ducatibus, Regnis, Imperiis in perpetuum penitus sint priuati, & ad ea inhabiles in futuro. habeantúrque pro relapsis, ac si prius hæresim huiusmodi publicè in iudicio abiurassent, nec vllo vnquam tempore ad eorum pristinum statum, gradus, honores, dignitates, vocem, auctoritatem, Ecclesias, beneficia, aut dominia restitui, aut rehabilitari possint. Quinimmo relinquãtur sæcularis potestatis arbitrio animaduersione debita puniendi. & ab omnibus cuiuscumque sint conditionis, vt tales haberi, reputari, tractari, euitari, omníque humanitatis solatio destitui debeant.

§. 4. Ideo qui Iuspatronatus habent, aut ad huiusmodi beneficia Ecclesiastica nominationem, propter hæresim vacantia, tenentur inter

legitima tempora alios idoneos, præsentare, alioquin illorum dispositio ad Papam deuoluitur.

§. 5. Qui verò prædictos sic deprehensos, confessos, aut conuictos scienter quomodolibet receptauerint, aut defenderint, vel eis crediderint, fauerint, sint etiam eo ipso excommunicati, & infames, nec voce, persona, scripto, nuncio, aut procuratore aliquo ad publica, vel priuata officia, consilia, concilia, conclaue, aut aliam fidelium congregationem, aut electionem alicuius, vel præbendum testimonium admittantur. sint intestabiles, & inhabiles ad successiones hæreditatum, nullúsque cogatur eis super aliquo negotio respondere. & si fuerint iudices, sententiæ nullæ sunt, non deferantur ad eorum audientiam causæ; si aduocati, non recipiatur eorũ patrocinium. Et quidem Clerici omnibus Ecclesiis, dignitatibus, officiis, beneficiis, & tam ipsi, quàm laici quibuscumque dominiis, feudis, bonísque temporalibus priuati existũt; atque publicata sint, & efficiantur illorum, qui primò occupabunt, si Catholici, & Papæ obedientes sunt.

§. 6. Quod si vllo vnquam tempore apparuerit Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, Primates, Cardinales, seu etiam Romanum Pontificem ante eorum promotionem à fide deuiasse, vel in schisma incidisse, eorum promotio nulla est, & irrita, nec per susceptionem muneris, consecrationis, administrationis, possessionem, vel ipsius Romani Põtificis inthronizationem, & adorationem, &c. cõualidari vllo modo potest, sed omnia per eos quomodoliber gesta, & quæcũque inde secuta, nullius sunt roboris.

§. 7. Liceátque subditis tam clericis sæcularibus, quàm regularibus, ipsísque Cardinalibus, qui electioni ipsius Pontificis antea à fide deuij, aut hæretici, vel schismarici interfuerint, vel eum adorauerint, quàm laicis; nec non Castellanis, Præfectis, Officialibus Vrbis, & status Ecclesiastici, ac ipsorum sic promotorum, vel assumptorum obedientia impunè recedere, eósque vt Magos, & hæresiarchas euitare, iisdem tamen subditis fidelitati, & obedientiæ futurorum Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, Primatum, Cardinalium, & Romani Pontificis canonicè intrantis remanentibus adstrictis.

THEO

THEOREMA 182.

AD ſchiſmata, & hæreſes ab Eccleſia Dei eliminandas Paulus IV. §.2. huius Conſtitutionis, quàm in omnibus confirmat etiam Pius V. num. 22. olim 27. quæ incipit. *Inter multiplices*, approbat, & innouat cenſuras, & pœnas in ſchiſmaticos, & hæreticos ſtatutas ſiue à prędeceſſoribus, v. g. Inn. III. bulla 1. *his quæ.* Honorio III. *Has leges.* Gregorio III. nu.3. *excommunicamus.* Innoc. IV. num.1. *Cum aduerſus.* num.8. *Cum fratres.*n.9.*ad extirpanda.*n.18.*nouerit.* Alex.IV.n.7.*Felicis.* Clementis IV. num.3. *ad extirpanda.* Nicolao III. n.2. *nouerit.* Honorio IV. n.2. *exhibita,*& in bullis cœnæ Domini. §.1.ſiue à ſacris Conciliis,vt Lateranenſi ſub Alex.III. c.27. Lateranenſi ſub Inn.III.cap.3. & reliquis pœnè omnibus.ſiue Patrũ decretis, & Canonibus, vt c. Achatius.24. q.1. c. quæ dignior. c.quicumque. cap.didicimus.cap.qui contra. ibidem. & tit. de hæret. tam extra, vt cap. ad'abolendam. cap. excommunicamus 1. quàm in 6. & de ſent.excom. c.quicumque. & alibi leguntur. ſiue etiam ordinationibus Principum ſæcularium ſcribuntur, vt tit.1. Cod de ſum.Trin. & fid. Cath. & tit.5. Cod. de hæret. Manich. Samarit.in Nouellis, & Conſtitutionibus Feder.II. Caroli IV. & aliorum.

Porrò ſchiſma, quod Græcum eſt nomen ſciſſuram ſonans, 24. quæſt.1. cap. ſchiſma. & q. 3. cap. inter. eò quod Schiſmatici vnionem ſcindant, nolentes ſe vero Chriſti Vicario ſubiicere, & ex S. Thom.2.2. quæſt.39. art.1. Turrecrem. in dicto.cap.inter. Hoſtienſ. in ſum. tit. de ſchiſmaticis. Felino in c. firmiſſimè. de hæret. Marian. Socin. rubr. de ſchiſmat. & Rubr. de hæret. num.11. & ſeq. Vmberto Locato v.*hæreſis.*nu.5. v. *ſchiſma* num.1. Simanca 458. num.5. Valent.2.2. in quæſt. 39. artic.1. proptiè, & directè opponitur charitati, cuius eſt vnire, ſicut hæreſis opponitur fidei. Ideo D. Auguſt. contra Fauſtum ait. *Schiſma eſt eadem opinantem, ac eodem ritu colentem, quo cæteri, ſolo congregationis delectari diſſidio.* & lib.de fide,& ſymbolo cap.10. *Schiſmaticus diſciſſionibus ſuis à fraterna charitate diſſoluit, quamuis ea credat, quæ credimus.* Videatur idem in ep. D.Ioannis tr.7. Quamquam ſæpiſſimè ſchiſma cum hæreſi ſit coniunctum,ex Panor. in Rubr. de Schiſmat. ſi enim non voluntas tantùm renuat ſe ſubiicere Chriſti Vicario, ſed etiam erret intellectus, & veniat contra illum fidei articulum. *Vnam ſanctam Eccleſiam.* non erit ſolùm ſchiſma, ſed etiam hæreſis. & ideo citato cap. Inter. S. Hieronymus dicit. nullum ſchiſma non aliquam ſibi fingit hæreſim, vt rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur.

Hæreſis autè ab electione Græcè dicitur, 24. quæſt.3. cap.27. cò quod quiſque ſibi eam eligat opinionem, quam putat eſſe meliorem. & ob id eſt error cum pertinacia circa fidem in eo, qui Chriſtianam fidem profeſſus eſt, vt diximus Theor.8. & docet S.Thom. 2.2. quæſt.11. art.1. & 2. Turrecrem. l.4. ſum. p.2.cap.1. Albertinus in 6. quæſt.1. num.19. Valentia 2.2. d.1. quæſt.11. p.1. Vmbertus Locatus in iuriſdictionali inquiſit. v. *hæreſis.* Simancas, & alij.

Vtrumque autem vitium eſt grauiſſimum, & ex Simanca ſunt tanquàm ſorores. & Chryſoſt. hom. 11. in epiſt. ad Epheſios. inter cætera dicit non eſſe minus peccatum Eccleſiam ſcindere, quàm incidere in hæreſim.

Plura de ſchiſmatis grauitate diſputat Cyprianus. c. denique. 7. quæſt. 1. Aug. l. 2. de bapt. contra Donat. cap. 6. Optat. l. 1. aduerſ. Parmenianum, Petrus Georgius in Syntag. iuris. l. 33. cap. 11. Decianus in tr. crimin. l. 5. cap. 63. Ignatius Lopez in addit. ad Diaz. in pract. crim. in verb. ſchiſmatici. cap. 12. vbi dicit, ſchiſma à Deo punitum, pluſquam particidium, & idololatriam. & ſanè terra dehiſcens Dathan, & Abiron cum ſuis viuos abſorbuit. Num. c. 16.

THEOREMA 183.

IN particulari verò §. 3. Sanctio in Prælatos, & Principes in hoc peccantes animaduertit, cum ſint tanquam cæterorum duces, & rectores populorum: dixit enim Eccl. cap. 10. *Qualis rector ciuitatis, tales inhabitantes in ea.* & Claudianus.

——Totus componitur orbis
Regis ad exemplum.

Et Iuuenalis ſat. 8.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior, qui peccat habetur.

Et Demoſthenes orat. 2. contra Ariſtogitonem: *Per hos enim & maximas clades Reſpublica accipit, ſi mali ſint, & viciſſim iuuatur plurimum, ſi ſint boni viri & legum ſtudioſi.* & Plato. l. 4. de legibus. M. Tullius. l. 3. de legibus, & Plutarchus in Lycurgo docent Principum exemplo reliquorum mutari mores. Quod inde fit, vt ſcribit Herodianus, quia ſolent plerumque homines vitâ Principis æmulari. Idémque apud Paulum Æmilium in Ludouico IX. Clemens Pontifex intellexit, cum dixit. *Non antea ſanctis iuuatur moribus, quàm magiſtri morum ſint ipſa ſanctitate imbuti.* Iuxta igitur Theodoſij, & Valentiniani legem 53. tit. de his, qui ſuper relig. contend. in Cod. Theodoſ. latam contra hæreticos, & ſchiſmaticos, qua dicitur. *Circa hos autem maxime exercenda commonitio eſt* (ſcilicet vt expellantur ab vrbe Roma vſque ad centeſimum lapidem) *qui prauis perſuaſionibus a venerabilis Papæ ſeſe communione ſuſpendunt, quorum ſchiſmate plebs reliqua vitiatur.* Paulus IV. pœnas, & cenſuras in quoſcumque Prælatos, & Principes decernit, ita vt ſi in hæreſim, ſeu ſchiſma incidiſſe conuicti fuerint, tanquam cæteris inexcuſabiliores excommunicati ſint, ſuſpenſi, priuati Eccleſiis, Officiis, beneficiis, redditibus, dignitatibus, voce actiua, & paſſiua, dominiis, regnis, Imperiis, & ſint inhabiles in futuro. Quod etiam exemplis illuſtrat Decianus tr. crim. l. 5. cap. 62. num. 21. eóſque licet non habeant errorem in mente, ſed habeãt tantum ſchiſma, declarat de hæreſi vehementer ſuſpectos, & pro hæreticis relapſis habendos, tractandos, & puniendos, vt etiam præcipit Pellagius 23. quæſt. 5. de liguribus, etiam corporaliter. Quod etiam confirmat Decianus. l. 5. tr. crim. cap. 18. Carrerius tr. de hæret. nu. 32. Menoch. l. 5. præſump. 6. num. 24. Bernard. Diaz in pract.

c. 105. Petrus Greorgius Syntag. iuris. l. 30. cap. 5. & l. 33. cap. 11. Simancas tit. 58. Sanchez. l. 2. decal. cap. 36. Azor p. 1. l. 8. cap. 20. Valentia 2. 2. quæst. 39. art. 3. & 4. Pegna com. in 3. p. direct. q. 109. 110. & quæ hoc loco ponuntur de excõmunicatione, priuatione beneficiorum, officiorum, dignitatum, confiscatione bonorum, &c. habentur etiam cap. didicimus 24. quæst. 1. cap. nulli. d. 19. cap. licet. de electione. cap. 1. de schismat. lib. 6. verbis illis. *Quæ rationabiliter nos mouerunt, de fratrum nostrorum consilio deposuimus*, &c. Glossa initio. §. nota principalem effectum. Et posteri schismaticorum vsque ad 4. generationem fiunt inhabiles ad honores, officia, beneficia, eodem. cap. 1. de schismaticis. l. 6. & Deciano. l. 5. cap. 67. n. 2. Eosdem schismaticos vitandos, non tantum hic §. 3. sed etiam 24. quæst. 3. cap. 36. habemus. Nisi tamen crimen sit notorium, schismatici irregularitatem non incurrunt, cum id non habeatur in iure, vt obseruant etiam Suarez de censuris. d. 43. sect. 2. num. 7. Sanchez loco citato num. 20. Sayrus lib. 7. cap. 12. num. 16. Bonacina de schismate d 3. quæst. 4. num. 12. contra Maiolum. l. 5. cap. 46. Duardum. l. 2. quæst. 56. num. 11. Azor 1. p. l. 8. cap. 20. q. 8.

THEOREMA 184.

QVantum etiã ad fautores, defensores, & sequaces Schismaticorum. §. 3. sunt etiam excommunicati, & pari pœna cum ipsis schismaticis puniẽdi, vt etiam sit contra fautores hæreticorum, vt docet etiam Nicolaus II. in cap. in nomine Domini. d. 23. verbis illis. *Sed ab omni Ecclesiastico gradu in quocumque fuerat prius sine retractatione deponatur, cui quisquis adhæserit, vel qualemcumq; tamquam Pontifici reuerentiam exhibuerit, aut in aliquo eum defendere præsumpserit, pari sententia sit mancipatus.* & Cyprianus 1. quæst. 1. cap. 20. §. quare. *Qui*, inquit, *hæreticis, & schismaticis patrocinantur, censura diuina in eorum probantur facinore & pœnis non solum duces, & auctores, sed etiam participes destinari, nisi se a malorum cõmunione separauerint.* & post multa. Ostendens omnes omnino cum auctoribus supplicio coniungi, qui fuerint eorum peccato contaminati. Item 24. quæst. 1. cap. didicimus. & cap. vnico. de schismat. l. 6. §. omnem personam præsentem, & futuram: *Fautores* (ait) *Schismaticorum excommunicantur, reseruata Papæ absolutione, & priuantur prælaturis, dignitate, statu, honoribus.* Idémque docet Decianus tr. crim. l. 5. cap. 65. & 67. num. 2. Hostiens. c. 1. de schismat. Abb. ibid. num. 2. Angel. v. schisma. num. 1. Syl. cod. num. 5. Menochius libro quinto. præsumpt. 6. num. 25. vbi & hos docet esse vehementer suspectos de hæresi, ideo, vt hæretici, & fautores eorum sunt excommunicati, & puniuntur pœnis, de quibus alibi diximus, ita schismatici, & eorum fautores. Dicemus etiam de schismaticis Theor. 410. numero 10.

THEOREMA 185.

SImilia his, quæ continentur in §. 6. & 7. circa nullitatem electionis schismatici, & ab obedientia eius solutionem Cardinalium, &

& aliorum habentur in Constitutione 2. Iulij II. contra Simoniacam electione Papæ. Vtriusque enim promotio nulla est, & irrita, cum eis non conferatur iurisdictio ob personarum inhabilitationem. Ex quo etiam fit, vt ab eis factæ collationes beneficiotũ, & dignitatum, & alienationes, & gesta sint nulla (& si ordines quoad characterem conferant, ex S. Thom. 2. 2. q. 79. a. 3. Valẽtia ibid. p. 1. Turrecrem. l. 5. sum. p. 1. c. 7. Aug. l. de baptist. cõtra Donat. c. 5. licet ordinati ab eis sint quoad legitimam executionem impediti) c. Nouatianus. 7. quæst. 1. cap. didicimus 24. q. 1. cap. alienationis 12. quæst. 2. extra de schismat. cap. 1. §. quid iuris. num. 4. 5. Angel. schisma n. 2. Syl. num. 3. Petr. Georg. Syntag. l. 33. cap. 11. Decianus l. 5. crim. cap. 67. num. 8.

De his verò, qui inciderant in hæresim, vel schisma postquam sunt promoti, nihil hoc loco statuitur, vt patet ex §. 7. & sunt opiniones variæ, quæ videri possunt apud Valentiam loco cit. p. 3. §. controuersum autem est. Bellarminum l. 3. de Eccl. cap. 12. l. 2. de Rom. Pontifice c. 30. Dricodonem l. 4. de Eccl. dogmat. c. 2. & Canum l. 4. de locis Th. cap. 6. ad 12.

EIVSDEM PAVLI IV.

Constitutionis 21. olim 45. editæ anno 1559. quæ incipit.

In sacra.

EPITOME 72.

Episcopi & Archiepi-

STATVIT §. 2. vt Episcopi, & Archiepiscopi assumpti ex Regularibus, si post consecrationem obtenta facultate à sede Apostolica redierint ad claustra suorum ordinum, non possint eligi ad officia religionis, sed sint ad ea inhabiles. §. 4. & qui scienter illos elegerint, priuantur iure eligendi, & voce actiua & passiua.

Episcopi Regulares redeũtes ad claustrũ sunt inhabiles ad officia relig. & qui eligunt, priuantur voce actiua & passiua.

THEOREMA 186.

FInis huius Constitutionis est, vt quisque in ea vocatione, in qua vocatus est, & maneat, & perficiatur, vitetúrque Prælatorum ambitio, & inconstantia, ac religiosorum inquietudo, vt etiam eadẽ de causa in Clem. 1. de regular. bulla 1. Benedicti XII. & Conc. Trident. sess. 14. cap. 11. prohibentur mendicantes transire ad non mendicantes, & licet transeant de licentia Papæ, prohibitum est eis ascendere ad Prioratus, officia, &c. vt Theor. 80. exposuimus. ideo si Episcopi, & Archiepiscopi post receptam consecrationem redierint ad claustra, sunt inhabiles ad officia religionis, ne veluti consecrationis susceptæ hamo dignitates, officia, & superioritates ordinum possint expiscari. Et qui eos scienter eligunt, priuantur voce actiua, & passiua; vt quisque puniatur in eo, in quo peccat.

Non possunt autem Episcopi, & Archiepiscopi (vt neque Abbates ex cap. dilecti. de renunciat.) absque licentia Papæ religionem ingredi, rum ob præsentem Constitutionem §. 2. in quo dicitur. *(obtenta facultate à Sede Apostolica)* &

& cap. niſi cum pridem. & cap. 1. & 9. de renunciat. Tum quia id cederet in magnum Eccleſiæ damnum; nam ſæpè Eccleſiæ à Paſtoribus deſererentur. Tum quia iam amplius ſui iuris non ſunt, ſed ſunt Eccleſiæ ſponſæ ſuæ adſtricti, vnde ſicut alter coniugum coniugem deſerere non poteſt, & ingredi religionem. cap. quidam. cap. placet. de conuerſ. coniug. ita nec Prælati renunciare ſuam Eccleſiam. Tum quia ex iureiurando obſtricti ſunt obedire Romano Pontifici, vt patet ex formula iuramenti ipſorum. Ob id ſine eius conſenſu ad clauſtrum redire non poſſunt. quare petenti Calaritano Archiepiſcopo ab Innoc. III. vacationem, ob deſiderium religionis, ille eam negauit, prædicto cap. niſi cum pridem. vbi ſex tantum cedendi cauſas approbat. nempe ſi cedatur ob criminis conſcientiam, videlicet ex Gloſſa ibidem. quod etiam poſt pœnitentiam impedit executionem officij. Debilitatem corporis, grauem, perpetuam, non tamen ob ſolam ſenectutem ex cap. 1. de renunciat. Defectum ſcientiæ neceſſariæ in adminiſtratione ſpiritualium. Malitiam plebis, ita vt Epiſcopus non poſſit proficere, cum etiam Apoſtoli dixerint. *Ecce conuertimur ad Gentes, quia verbi Dei nos feciſtis indignos.* vel quod ab ea Epiſcopo inſtet periculum, vt conſtat ex cap. Ad ſupplicationem. de renunciat. Graue ſcandalum, quod aliter vitari non poſſit, ne plus temporalem honorem, quam æternam videatur affectare ſalutem. Et irregularitatem, vt ſi eſſet bigamus, vel viduæ matitus.

Scortia

PII IV.

Conſtitutionis 10. olim 17. editæ anno 1560. quæ incipit.

De ſalute.

EPITOME 73.

IN virtute S. Obedictiæ & ſub interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ abſque alia declaratione ipſo facto incurrēdo, monet. §. 1. vt Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ quantò citius, iuſtiſque itineribus ad Eccleſias ſuas redeant, & reſideant. Nō reſidentium Prælatorum pœnæ, & reſidentiū priuilegia.

§. 2. Inobedientes, qui ceſſante legitimo impedimento, & iuſtis cauſis, ſex continuis menſibus à ſua Eccleſia abfuerint, ipſo facto incurrant pœnā amiſſionis quartæ partis fructuum anni, applicandæ per ſuperiorem Eccleſiaſticum fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus loci. & ſi per alios ſex menſes abfuerint, alterius quartæ partis, & creſcēte cōtumacia ſubiiciātur arctiori canonū cenſuræ. Et Metropolitanus Suffraganeos Epiſcopos abſentes, Metropolitanum verò abſentem Suffraganeus Epiſcopus reſidēs, ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ ipſo iure incurrenda, intra tres menſes per litteras, vel nuncium Papæ denunciare teneatur.

§.3. è conuerso verò residentibus conceditur priuilegium, vt citari non possint ad personaliter comparẽdum in Curia Romana pro quouis excessu, nisi de commissione Papæ, & subscriptione manus eius.

§.4. Item, vt sint exempti à solutione decimatum.

§. 5. habeántque iurisdictionem contra Clericos sæculares, & regulares extra clausſtrum degentes quomodolibet exemptos.

§. 6. & ab eorum decretis ante definitiuam sententiam, & vbi agitur de correctione morum, nullius admittatur ad Papam appellatio.

THEOREMA 187.

METitò §.1. præsentis Constitutionis sub prædictis pœnis præcipitur à summo Pontifice Episcoporum,& Prælatorum aliorum residentia. Tum quod alienum sit à recta ratione, vt qui Ecclesiarum administrationi præficiuntur, ab illis absint, & demandatum negligant munus,cum summo suarum, & cærerarum animarum periculo. eiúsque rei similitudinem aliquã videmus apud Gentiles,vnde Camillus apud Liuium, l.5.censuit nefas esse Flamini Diali, cui sacrificiorum cura incumbebat, noctem vnam manere extra Vrbem. & extat apud Tacitum, l.3. Pontificium decretum. Quoties valerudo aduersa Flamen dialem incessisset, vt Pontificis Maximi arbitrio, dum ne plus, quàm binoctium abesset, dum ne diebus publici sacrificij, non sæpius, quàm bis eundem in annum. Et ob residentiam faciendam apud sacrosanctas Ecclesias, & Monasteria,à se indultam esse Episcopis, clericis, & Monachis immunitatem à cura,& turela testarur Iustinianus Imp. l. generaliter sancimus.§.eos tamen. Cod.de Episc.& Cler. Tum quod id iure etiam 2
Ecclesiastico statuum sit, vt 7.q.1. cap. peruenit. vbi ex Greg. l.5. ep. 23. Episcopus, qui monitus residere contemnit, in monasterio deputari præcipitur. & c. suggestum. cap.scisciraris. ibidem. & Archiepiscopus ob absentiam 4. annorum absque iusto impedimento, amisit Ecclesiam. cap. 9. de cler. non resid. & in Conc. Trid. sess.6. c.1.& sess.23.c.1.de refor.bulla hac Pij IV. & alia num. 115. quæ incipit. *In suprema.* quæ etiam comprehendit alios Pastores inferiores, vt facit etiam Tridentinum Concilium, sess. 23. c.1. §. eadem. & citatur à Turriano. tr. de residentia. canon antiquissimus Apostolorum, in quo Christi communione priuantur, qui absunt à suo grege. Tum iure diuino ex probabilioti sententia Franciſci Turrianis loco cit.Caiet.2.2.q.185. art.5. Sori l.10. de Iust. quæst. 3. art.1. Couar. l.3. var. resol. cap. 13. n.5. Nauar. cap.25.num. 121. Driedonis.l.de liber.Christ. Bartholomæi Mirandæ. tr. de resid. cap. 9. Valentiæ 2.2.quæst.185. art.5. p.5.Io. Azoris t.2. l.7. cap. 4. Reginaldi l.30. cap.52 Bellarmini;ex eo enim quòd Episcopi officium à Christo susceperunt oues pascendi, quod est docere, Sacramenta quædam sibi

ſibi propria miniſtrare, altaria, & templa conſecrare, inuigilare in negotio ſalutis ſui gregis, examinare Confeſſarios, Concionatores, alióſque miniſtros, ſuas oues cognoſcere, & paternè illarum morbos curare, & ſimilia, quæ colliguntur ex cap. 27. prouerb. Io. cap. 10. 1. ad Tim. 3. ad Tit. 1. Actorum. cap. 20. & 1. Pet. cap. 5. quæ per mercenarios non rectè fieri poſſunt. Vnde Chriſtus Io. 10. grauiter reprehendit paſtorem, qui tanquã mercenarius gregem ſuum deſerit. & Zach. 11. *O paſtor, & idolum derelinquens gregem ſuum.* & ob id. S. Aug. l. 15. de Ciuit. c. 19. dicit Epiſcopatum eſſe nomẽ operis, & non honoris: fit vt iure diuino neceſſaria ſit opera, & induſtria perſonalis Epiſcoporum, ſicut etiam conſcribitur miles, vt per ſe pugnet, & nauis gubernator, vt per ſe nauim gubernet. Quare dixit Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 1. *Cum præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro iis ſacrificium offerre, verbiq; diuini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumq; miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera omnia paſtoralia munia incumbere, quæ omnia ab aliis nequaquam præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non inuigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt, Sacroſancta Synodus eos admonet, & hortatur, vt diuinorum præceptorum memores, factiq; formæ gregis in iudicio, & veritate paſcant, & regant.*

Ex hoc tamen non impeditur Pontifex quin poſſit ex graui cauſa in reſidentia diſpenſare, ſeu rectius declarare ſua auctoritate non eſſe diuinam voluntatem, vt quis in tali caſu, præcepto aſtringatur, quando id poſtulat legitima cauſa, cum præceptum de reſidentia, licet diuinum, ſit affirmatiuum; Affirmatiua autem præcepta nõ obligent pro omni tempore, & in omni caſu, ſed pro ratione circunſtantiarum ex Valentia loco cit. & Azore t. 2. l. 7. cap. 4. quæſt. 3. & cap. 5.

Ad aliquod tamen breue tempus Epiſcopi abſque culpa, & trãſgreſſione præcepti, abeſſe poſſunt, modò id fiat abſque Eccleſiæ detrimento (quod vix fieri poteſt, ſi abſit tempore Aduentus, Quadrageſimæ, Paſchatis, Pentecoſtis) & ex æqua aliqua cauſa, v.g. ad duos, aut ad ſummum tres menſes annis ſingulis, ſiue continuis, ſiue interruptis; Parrochi verò ad duos tantùm, vt docet idem Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. eò quod non videatur abeſſe, qui ſtatim reuerſurus eſt. Nauarr. cap. 25. num. 121. Azor loco cit. quæſt. 9. & 10. & ſi iure antiquo. cap. Si quis in clero. & c. præſertim 7. quæſt. 1. tempus abſentiæ Parrochi, non adeo protraheretur.

Quod ſi grauis, magníque momenti cauſa occurrat longioris abſentiæ Epiſcopis, à Romano Pontifice, vel à Metropolitano, vel eo abſente ab Epiſcopo ſuffraganeo cæteris antiquiori reſidenti legitimæ abſentiæ cauſæ ſcripto gratis approbari debent. Parrochis verò, vt prius legitima cauſa ab Epiſcopo cognoſcatur, & approbetur, & ſcripto facultas gratis concedatur; relinquatúrq; idoneus Vicarius ab ipſo Ordinario approbandus, cum debita mercedis aſſignatione, ex

eodem Concilio, loco citato. Etsi quandoque adeo subita occurrere possit grauis necessitas, vt Episcopis, vel Parrochis, non concedatur mora conueniendi superiorem ad petendam licentiam, & licitè valeant abesse, vt ex Io. Silua tr. de benefic. p. 4. q. 6. Hostiensi, Io. And. & Abbate scribit Azor d. cap. 4. quæst. 11.

THEOREMA 188.

POrrò *Episcopi* nomen idem valet; quod *Superintendentis, Speculatoris*, seu *Custodis*, & à ciuili magistratu, cuius erat panis, & cæterarum rerum ad victum pertinentium curam habere. l. munerum. 2. ff. de muner. & honor. translatum est ad sacros Ecclesiæ Antistites, quod *superintendere*, & *speculari* debeant sibi commissi gregis mores, vt docet Isidorus l. 7. etym. cap. 12. & S. Augustus. l. 19. de Ciuit. cap. 19. Et quidem si vni Ciuitati, quæ alias subiectas non habeat, præsint, peculiariter Episcopi dicuntur: si ciuitati, cui aliæ illius Prouinciæ subsint, dicuntur Metropolitani, & postquam Primates, & Patriarchæ desierunt vocari Archiepiscopi, ipsi Metropolitani sunt Archiepiscopi nuncupati. Iis Primates præsunt, vel Patriarchæ, qui principaliores sunt Primates, vt diximus Theoremate 94. vnde Primates sunt illis iurisdictionis, nó ordinis potestate superiores, & Patres non solum Episcoporum, sed etiam Archiepiscoporum, & sic Antistes Toletanus dicitur Hispaniæ Primas; Bituricensis, Primas Galliæ; Carthaginensis, Primas Africæ; Eboracensis, Primas Scotiæ. Videndum cap. prouinciæ. d. 99. & c. in illis. d. 88. Idem Episcopi alio nomine Diœcesani vocantur, vt docet Glossa in Clem. 1. de vit. & honest. cler. & summi sacerdotes. cap. 1. §. per frontis. de sacra vnct. & cap. vltimo. 3. quæst. 1. & cap. videntes. 12. quæst. 1. & Pontifices. 7. quæst. 1. cap. 4. Dicuntur etiam Ordinarij locorum, etsi hoc nomen latius pateat, quàm Episcopi, cum etiam Prælatis Episcopo inferioribus conueniat, ex Glossa in cap. Ordinarij. de officio ordin. l. 6.

THEOREMA 189.

QVod verò spectat ad §. 2. quatuor legitimæ absentiæ, & non residendi causas, ad quas cæteræ reuocari possunt, habemus in Conc. Trident. sess. 23. cap. 1. de refor. (est autem residere in proprio ordine ministrare per se in Ecclesia, in qua quis habet beneficium, ex Hostiensi, & aliis) quas etiam pluribus explicant Nauarr. c. 25. num. 121. Valentia 2. 2. q. 185. art. 5. p. 5. Azor. t. 2. l. 7. cap. 9. q. 4. Valer. Reginaldus. l. 30. tr. 3. n. 54. 55. & seq. Nempe Christianam Charitatem, vt si absit quis ad iuuandum Ecclesiam aliquam, ad componendam pacem, ad lites, & controuersias sedendas. cum huiusmodi proximorum commodum præferri debeat aliquantulæ vtilitati ex Episcopi præsentia propriæ Ecclesiæ, vt etiam docuit Caiet. 2. 2. quæst. 185. art. 5. & Sotus. l. 10. de Institut. quæst. 3. art. 4. Vrgentem necessitatem, vt si absit ad non multum temporis ad periculosum morbum curandum, declinandam persecutionem, populorum, vel Principis odium, æris intem 1 2

intemperiem, & per Vicarios populis commodè conſulat, vt fecit Athanaſius, vt etiam infirmitas, & rationabilis neceſſitas excuſare dicitur in cap. conſuetudinem. de cler. non reſid. l. 6. & cap. præſentium. 7. quæſt. 1. Archidiac. & Io. And. niſi præſentia Epiſcopi eſſet ad populorum ſalutem neceſſaria, nam tunc gregem deſerere nō poſſet, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 185.
3 art. 5. Obedientiam debitam Papæ, vel legato obſequium aliquod debitum imperanti, vt pro viſitanda Prouincia, componenda
4 pace, &c. Eccleſiæ, vel reip. vtilitatem, vt ſi vocetur ad Generalem, vel Prouincialem Synodum, vel Comitia. videatur cap. ex parte 2. de cler. non reſid.

Spectat autem ad Pontificem Romanum, vel Metropolitanum, à quo Epiſcopus habere debet facultatem in ſcripto, vel abſente Metropolitano ad antiquiorem Suffraganeum, cuius etiam debet eſſe iudicium de cauſa Metropolitani iudicare, vtrum cauſa abſentiæ longioris legitima ſit, necne, ſicut Ordinarius in ſcriptis approbare cauſam diuturnioris abſentiæ Parrochi, vt in Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 2. & ſeſſ. 23. cap. 1. de reform. ſtatutum eſt.

Abſentes autem Epiſcopi, & alij ſuperiores extra ſuam diœceſim, abſque iuſta cauſa, ad ſex menſes ipſo facto incurrant pœnam amiſſionis quartæ partis fructuum vnius anni, applicandæ per ſuperiorem Eccleſiaſticum fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus loci; itémque alterius quartæ partis, ſi per ſex alios abfuerit. & creſcente contumacia pœnas alias graniores, ex præſenti Conſtitutione Pij IV. & Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 1. quod pœnas adaugens ſeſſ. 23. cap. 1. de refor. ſtatuit eoſdem, præter peccatum mortale, quod incurrunt pro rata temporis abſentiæ eorum, non facere fructus ſuos, tenerique percepros reſtituere fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus, tutáque conſcientia eos non poſſe retinere, neæxpectata quidem iudicis ſententia declaratoria, vel quacumque conuētione, ſeu compoſitione pro fructibus malè perceptis.

Quod etiam deinde extendit ad alios inferiores. Eſt enim regula iuris, *beneficium dari propter officium*; quare ſi quis debitum officiū non præſtat, fructus iniquè percipit. Inuitus enim, & quidem rationabiliter populus dat non reſidenti fructus: ideo iure naturæ, & diuino tenentur eos reſtituere, vt docet. Panor. cap. extirpandæ. §. quia verò. de præbend. Archidiac. in c. ſacerdotibus. d. 31. Dominic. cap. vltimo de reſcript. l. 6. Felin. cap. cum omnis de conſtitut. Couarr. l. 3. var. reſol. cap. 13. & Valentia 2. 2. quæſt. 185. art. 5. p. 5. non obſtante quacumque conſuetudine. Quicquid Inn. cap. ex tuæ. de cler. non reſid. & Gloſſa cap. cum omnes. de conſtit. ſenſerint. Vt verò ad Sum. Pontificis notitiam tranſgreſſores veniant, Pontifex hic præcipit intra tres menſes admoneri à Metropolitano, vel Suffraganeo reſidente ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ.

E contra verò reſidentibus Epiſcopis quatuor priuilegia concedit. Primum, vt prætextu quorumcumque delictorum, etiam hęreſis, & læſæ Maieſtatis citari perſonaliter non poſſint in Romana Curia

abſque commiſſione Papæ ſubſcripta manu propria. Secundum, eximit ab omnium decimarum ſolutione. Tertium, ſubiicit illorum correctioni exemptos degentes extra clauſtum, de qua etiam re habetur in Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 3. de refor. ſeſſ. 7. cap. 14. de refor. ſeſſ. 22. cap. 1. de reform. Quartum, vt non admittatur appellatio ab eorum decretis in morum correctione ante definitiuam ſententiam. Quod etiam ſtatutum eſt in Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 1. de refor. & ſeſſ. 24. cap. 10. & 20. de reformatione.

EIVSDEM PII IV.

Conſtitutionis 12. olim 160. editæ anno 1560. quæ incipit.

Cum ſicut.

EPITOME 74.

Forma contrahēdi ſocietates officiorum in ſtatu Eccleſiaſtico.

RENOVAT §. 1. Conſtitutionem Pauli IV. quæ incipit. *Inter cætera.* quæ erat de formā celebrandi Societates officiorum in ſtatu Eccleſiaſtico.

§. 2. vult licere ipſis Officialibus ſuper officiis eorum contrahere quaſcumque ſocietates, cum pactis tamen licitis, & honeſtis, vt olim fiebat, etiam nulla à Romano Pontifice deſuper expedita ſupplicatione, ſeu ſignatura, non tamen vltra valorem officiorum, ſuper quibus illa fuit, ita vt ad requiſitionem contrahentium ſecum ſocietes teneantur in ipſo contractu ſpecialiter exprimere alias ſocietates contractas deſuper eodem officio, ſi quæ ſint. & ſi eas falsò negauerint, vel in totum non expreſſerint, ipſo iure incurrant pænam priuationis officiorum, ſuper quibus huiuſmodi ſocietates fuerant contractæ; ſine tamen præiudicio creditorum, quatenus non poſſit illis ſatisfieri aliunde. & nihilominus tam ipſi, quàm fideiuſſores teneantur ad ſatisfactionem ſocietatum, & debitorum deſuper contractorum, & obligentur facere, & inire, atque recipere pecunias, & contractus deſuper celebrare, qui aliàs tamen legitimè initi, validi, & efficaces exiſtant.

THEOREMA 190.

EGit hac de re Sotus. l. 6. de Iuſt. quæſt. 6. art. 2. Nauarr. p. 2. tit. de vſuris. conſil. 25. Ioſephus Angles in ſuis floribus. quæſt. de contractu ſociet. dub. 3. & 4. Philiarchus in manuali ſacerdotum, dum agit quibus modis fiat vſura palliata. Azor p. 3. l. 9. tr. de ſocieț. offic. cap. 8. vſque ad 17. Virginius Boccatius. tr. de ſoc. offic. & Franciſcus Caſtracanus, de iiſdem. Editæque ſunt de eis tres Conſtitutiones, à Leone X. quæ incipit. *Ad perpetuam rei memoriam.* à Paulo IV. quæ incipit. *Inter cæteras curas.* & præſens à Pio IV.

Fit autem huiuſmodi ſocietas officiorū cum habentibus in Curia officia

officia vendibilia, vt v.g. qui habet officium Notariatus, accipit coram Tabellione,& datis fideiuſſoribus ab aliquo alio partem pretij in numerata pecunia, illumque participem efficit reddituum officij ſui ad rationem 12. pro centenario in anno, dum conferens pecuniam viuit, nullis ſubductis rationibus quãtitatis reddituum officij, ita vt initio ſingulorum ſemeſtrium ſoluantur ſex, & poſſit diſcedere ab huiuſmodi contractu ſingulis ſemeſtribus, facta tamen intimatione decem diebus antea, iiſdémque diebus decem poſt intimationem vita eiuſdem durante, & reperete pecuniam collatam; ſed ſi moriatur pecuniæ collator, vel is,cuius vitæ periculo intra 15. vel 20. dies, ſubiiciet, qui illam confert, antequam à ſocietate diſcedat, tota pecunia collata acquiratur officiali.

THEOREMA 191.

CVm autẽ in huiuſmodi contractu ad euitanda pacta contra bonos mores ſtatuiſſet Paulus IV. ne pacta haberent vllam vim, niſi coram Romano Pontifice in ſignatura præponerentur, & ſuper eis ſupplicationes eſſent expeditæ, alioquin contractæ ſocietates nullius momenti eſſent, Pius IV. hac, quam prę manibus habemus,Conſtitutione, id abrogauit, decreuítque vt poſſent fieri more veteri licitis,& bonis adiectis pactis abſque vlla expedita ſignatura.

Sufficiunt igitur hæ conditiones. Prima, vt ſocietas fiat ſuper officiis v. g. Notariorum, Equitum S. Petri, &c. quæ Romani Pontificis auctoritate venduntur, & ſunt fructuoſa, alia quidem magis, & alia minus, emíque ſolent ad vitam, & aliqua etiam transferri poſſunt ad alios. quam conditionem habemus etiam in hac Conſtitutione.

Secunda, ne Officialis plures pecunias in ſocietatem recipiat à contrahentibus ſocietatem, quam Officij æſtimatio poſtulat, & teneatur rogatus ab eo, qui ſocietatem cum eo contrahit, num alias inierit ſocietates, veritatem fateri. Quod ſi eas falsò negauerit in totum, vel in partem, eo ipſo ſit priuatus officio, ſuper quo eſt ſocietas conſtituta, ſine vllo tamen detrimento creditorum, quibus ipſe Officialis, & fideiuſſores omnino ſatisfacere cogantur. éſtque æqua conditio. vt enim ſocietas non ſubſiſtit, ſi officium nullum ſit, ita nulla eſt ſocietas ex ea parte, quæ contrahitur vltra id, quod valet officium; eaque requiritur hic à Pio IV. Sed num officium tanti valere iudicandum ſit, quanti emptum eſt, an quanti vendi poteſt, quando contrahitur ſocietas? Quanti nunc vendi poteſt, ex Azor loco cit. cap.9. q.2. vt manifeſtè colligitur ex. l. preria rerum.ff. ad legem Falcidiam.

Tertia, vt numeretur pecunia. Quærenti autem an valeat ſocietas inita à Titio officiali, & Caio ſocio ea conditione, vt mille aureos, quos Caio Titius debet, Titius eos habeat, vt ſibi in ſocietatem datos.Dico hinc inde eſſe opiniones. Aliqui affirmant in fóro conſcientiæ valere, quamuis in iudicio vim non habeat. cum ex Bartolo in l. ſi ex pretio. Cod. ſi certum peratur. & Decio.in l.certi conditio. §. vltimo. ff. eodem. debitum

bitum ex vna causa in aliam conuerri possit. Virginius verò de societ. off. num. 64. negat, & inclinat Azor loco cit. cap. 10. eo quòd sit contractus simulatus, & factus, non soluta pecunia.

Quarta, vt Officialis, qui pecuniam accipit, etiam si intra semestre amiserit, vel deposuerit officium, vel alio eueutu fructus nullos perceperit, eam restituat cum lucro statuto. Si is, qui dedit, vixerit ad sex menses; hoc enim est in huiusmodi societate peculiare, cum in societatibus communiter is, qui pecuniam accipit, eius periculum non subeat. Sed non est iniustum ex Nauarr. consil. 25. cit. & Azore. cap. 12. ob speciale pactum, vt Officialis sibi eam pecuniam lucretur, si qui eam dedit, intra sex menses moriatur. cum ex conuentione accipiat contractus legem. l. 1. §. 6. ff. depositi. & l. contractus quidam. ff. de regulis iuris. & cap. contractus. de reg. iuris. l. 6. vnde in hac societate admiscetur etiam contractus innominatus, *do* vt *des*. Nec etiam est iniustitia ratione lucri certi, cum alioquin soleat lucrum societatum esse incertum. nam id etiam licet ratione pacti, & periculi, quod subit, qui dat pecuniam in vtilitatem officialis, nempe, vt si moriatur intra sex menses, eam amittat, ex Azote, & Nauarr. locis citatis.

Quinta, vt quantitas lucri sit sex pro centenario in singulo semestri. quod etiam iniustitiam non continet, tum ob dictum periculum mortis, antequam discedat; tum quia verisimiliter officia Curiæ, tot fructus quotannis pariunt, & fructus dubius, & incertus potest certo pretio vendi, & emi, ex Azore loco cit. cap. 13. qui tamen cap. 15. sequutus Nauarr. num. 4. & 11. rectè docet esse vsurarium, & contra bonos mores, quod ab aliquibus fiebat, vel post finitam, & solutam societatem tantumdem lucri dutante mora solutionis percipiat, qui pecuniã contulit, quantum durante societate; cum cessauerit periculum perdendi totam sortem, & moriente Officiali eius hæredes illam soluere teneantur. poterit tamen compellere morosum debitorem ad soluẽdum damnum, quod dat, vel interesse verum, & probabile lucri cessantis ob moram restituẽdi sortem principalem, iuxta lucrum, quod Romæ prouenire solet, v. g. quatuor, aut quinque pro centenario. ex Azor loco cit. ex Nau. n. 6. & 11. iuxta communem doctrinam sancti Tho. 2. 2. q. 62. art. 4. Quid quod conferens pecuniam anticipato tempore lucrum accipit, videlicet sex pro centenario, vnde perinde est, ac si officiali dedisset tantum 94? Respondet Azor cap. 14. id etiam speciale esse in hac societate, cum in aliis socij lucrum participent solùm in fine negotiationis, sed saluari ob periculum amittẽdi sortem, obeunte intra sex menses, qui pecunias dedit.

Sexta, conferens pecuniam potest discedere à societate facta intimatione prædicta, nec vlla est iniustitia, vt docet Nauarr. numer. 4. cum accipiat contractus legem ex partium conuentione, ex reg. 85. iuris. l. 6. antea citata. Quibus autem modis dirimantur huiusmodi officiorum societates, fusè docet Azor, vbi suprà, cap. 16.

EIVS

EIVSDEM PII IV.

Constitutionis 14. olim 20. editæ anno 1560. quæ incipit.
Cupientes vnicuique.

EPITOME 75.

Iudices, & affines, ac familiares eorũ, impetrare non possunt beneficiũ, quãdo est lis de priuatione.

STATVIT §. 1. vt Iudices causarum beneficialium, vel criminaliũ concernentium priuationem beneficiorum, vel Iudicum affines, & familiares, tamquam inhabiles, beneficia illa impetrare non possint, sitque irritum, & inualidum quidquid in contrariũ fuerit attẽtatum.

THEOREMA 192.

PRudenter omninò est à Pontifice statutum, ne Iudices, etiam S. R. E. Cardinales, & causarum Palatij Apostolici Auditores, seu locum tenentes, signaturæ Referendarij, aliique Archiepiscopali, Patriarchali, aut legationis munere fungentes, aut alia auctoritate tam in Rom. Curia, quàm extra, super causis concernentibus priuationem beneficiorum, vel eorumdem nepotes, consanguinei, affines, procuratores, sollicitatores, domestici, aut familiares beneficia illa impetrare possint: vt scilicet obuiaretur fraudibus, & æqua lance administraretur iustitia. aliàs non difficile iniqua pronuntiari potuisset sententia, spe consequendi beneficij, & ille præcipiti persuasione damnari, quem non ingrauaret culpa. Affectus enim haud aliter Iudicem immutare solet, quàm aquæ motus speciem, & imaginem se in puteo intuentis. Ob id M. Tullius l. 1. Officiorum, voluit *Iudices legibus similes esse, quæ ad puniendum non iracundia* (idémque de cæteris affectionibus diceret) *sed æquitate ducuntur.* Videturque Pontifex Iustinianum Imperatorem imitatus, qui Iudicem in proprio territorio, ob periculum iniustitiæ, cum subdito cõtrahere prohibuit. Ita enim l. 1. §. 2. Cod. de contract. Iudicum vel eorum, qui sunt circa eos, sancitum est: *Prouincias verò moderantibus non solum donationes, sed etiam emptiones quarumque mobilium, vel immobilium rerum (præter eas, quæ ad alimoniam, & vestes pertinent) & ædificationes, licet sacri apices aliquid eorum permiserint, penitus interdicimus. nec ratum sit, quod his donatione, vel venditione datum est.* Quod etiã §. 3. ad domesticos, & consiliarios eorum per se, & per interpositam personam extendit. Et Innocentium IV. bulla 9. §. 3. & 27. qui cum hæreticorum bona concessisset occupantibus, adeo vt pleno iure essent auferentium, addidit. *dummodo ipsi auferentes non sint in officio constituti.* veritus scilicet & ipse, iniquum iudicium, si ad eos huiusmodi publicata bona possent peruenire.

EIVSDEM PII IV.

Constitutiones 19. olim 23. editæ anno 1560. quæ incipit.
Decens.

EPITOME 76.

Res acquisitæ ex illici-

DECERNIT §. 2. vt omnia, & singula bona, & res

Scortia.

ta negotiatione, vel cõtra ſacros Canones ab Eccleſiaſticis ſpectant ad Apoſt. Cameră.

& res cuiuſcunque ſint quãtitatis, & qualitatis, & in quibuſuis regionibus, à quibuſcunque clericis, tam ſæcularibus, quàm quorumuis ordinum, ac militiarum regularibus, cuiuſcumque ordinis, ſtatus, & conditionis exiſtant, ac Epiſcopali, Archiepiſcopali, & alia maiore dignitate fulgeant, acquiſita ex illicita negotiatione, aut contra ſacros Canones, quæ pro tempore poſt obitum eorum, qui condito teſtamento, etiam habita facultate teſtandi, deceſſerint vbiuis locorum, aut quibus adhuc viuentes priuari, aut deſtitui contigerit, ſpectent tamquã ſpolia ad Rom. Cameram, & non ad alios.

§. 3. Atque ita per quoſcunque Iudices eſſe iudicandum, ſublata eis facultate interpretandi aliter, irritumque futurũ quicquid in contratium fuerit attentatum.

THEOREMA 193.

PLurima ad præſentem Conſtitutionem ſpectantia diſputantur à Redoano. quæſt. 2. de ſpoliis Eccl. Nau. com. de ſpoliis cler. §. 7. n. 3. 4. 5. & in Man. c. 25. n. 110. Roderico, tom. 1. q. 30. art. 13. Azore, tom. 2. l. 7. c. 14. q. 1. & 2. & l. 8. c. 2. Panor. in c. 1. & 2. de poſtul. Medina tr. de reb. reſt. q. 30. Leſſio l. 2. c. 21. dub. 1. & aliis. Et quidem in iure interdicitur negotiatio clericis d. 88. c. conſequens. c. negotiatorem. c. fornicari. vt etiam 14. q. 4. c. clerici. & c. Canonum. Itemque c. fieri. de vit. & honeſt. cler. & c. ſecundum. ne cler. vel monach. vbi id ſub anathematis interminatione prohibetur. idque meritò, tum quia res eſt plena periculi, frandis, & iniuſtitiæ. & ideo dicitur 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt intentationem, & laqueum diaboli, & deſideria multa nociua, que mergunt homines in interitum, & perditionem.* Et Chryſoſt. in Imperfecto hom. 38. ait. *Euciens Dominus vendentes, & ementes de templo ſignificauit, quia homo mercator vix, aut nunquam poteſt Deo placere.* Tum quia nimiùm animam à rebus diuinis auocat, quibus mancipatus eſt clericus. Tum quia id ſit valdè indecorum, cum Eccleſiaſtici habentes alimenta, & quibus tegantur, debeant eſſe contenti, cum eorum pars ſit Deus.

Nomine autem negotiationis intelligitur, cum quis rem aliquã comparat eo animo, vt integram, & non mutatam vendendo lucretur, vt docet Chryſoſt. loco citato. & refertur. d. 88. c. eiiciens. non autem cum quis rem comparat, non vt ipſam integram, & immutatam, ſed vt ſibi ſit materia aliquid inde operandi, vt ſi ex auro, vel argento quid elaboret, & vendat, vel ex iuncis ſportas, vel ſtoreas confectas poſtea diſtrahat. aut ex lana, vel filo, arte, & induſtria confectum pannum vendat, vel mutet, & lucrum faciat. vel animalia ſaginata vendat, retia pro piſcatione texat, hortum ſuum pro ſe ſuſtentãdo colat. Hæc enim licent ex c. clericus d. 91. & c. nunquam de conſec. d. 5. Gloſſa ibidem.

dem. & 14. q.3. initio. & 14. q. 4. c. canonum. Medina de reſtit. q.3. Molina. d.342. Azore, tom.2. l.7. c.14. q.1. Leſſio, loco cit. Redoano. q.2.n.15. huiuſmodi enim veniunt nomine artificij liciti, & non illicitæ negotiationis, de qua loquitur hic Pius IV. & Pius V. bulla 40. olim 44. quæ incipit. *Romani Pontificis.* & Gelaſius, cum. 14. q.4. c.1. præcipit, clericos ab indignis quæſtibus, & ab omni cuiuſlibet negotiationis ingenio, & cupiditate abſtinere.

THEOREMA 194.

ACquiſita igitur à Clericis ex huiuſmodi illicita negotiatione ab Apoſt. Camera tamquam ſpolia vendicantur, ex hoc iure nouo Pij IV. & Pij V. vt notat etiam Nau. Comm. de ſpoliis cler. §.7. n.2. & Azor p.2. l.7. c.2. q.1. nam Pontifex hoc loco dicit. *Statuimus.* Quod ius nouum indicat, iuxta Gloſſam. c. vt litigantes. de off. ordin. l.6. & in Clem. *literas.* de reſcript. & Felin. in c. decernimus. de iud. n.10.

Antea verò huiuſmodi bona acquiſita à Clericis contra leges Canonicas tranſibant in eorum dominium, & ideo ſuo arbitratu inſumere poterant in quoſuis vſus, ac ſi ad ſuum patrimonium pertinerent; & ſi diſcedebat inteſtatus, debebantur hæredibus, vt docet Panor. in c. relatum 2. de teſtam. qui etiam citat Hoſtienſ. & Gloſſa in c. ex tranſmiſſa. de decimis. & 1. q. 1. c. non eſt putanda. & 14. q.5. in ſumma. & ſi religioſus, vel Monachus erat, acquirebatur Monaſterio, ex c.cum olim. 2. de priuileg. & c. ne dicatis. 12. q. 1. & Authent. ingreſſi. de ſacroſ. Eccl. Innoc. cit. c.cum olim. & Nau. de ſpoliis. §.7.n.4.

Sed quid ſi ſemel tantum negotiando id comparauerit? qui enim ſemel tantùm, aut iterum negotiati ſunt in iure, non veniunt nomine negotiatorũ. Reſpondet Azor loco cit. q.5. & Redoanus. q.2. de ſpoliis. n. 65. etiam eo caſu ſpolium cenſendum, cum ille vnicus actus verè ſit illicita negotiatio, quæ penitus prohibetur; licet negotiatores ab habitu negotiandi denominentur; conſtitutio autem reputat inter ſpolia quæcunque acquiſita ex illicita negotiatione.

Non intelliguntur autem ſpoliorum nomine comprehenſa, quæ clericus acquiſiuit non per ſe, ſed per alios negotiando, v.g. per fratrem, cognatum, amicum, vel mercatorem, vt docet Medina q. 31. Nau. in Manuali. c.25. n.110. Azor. l.7.c.14.q.2.tom.2. Leſſius l.2. c.21. dub.1. n.6. Panor. c.1.ne cler. vel monach. Anton. 3. p. t.1. c.2. §.2. eò quòd ceſſet ratio prohibitionis, maximè ſi clericus ſit pauper.

Difficultas eſt, an ante latam à Iudice ſententiam, debeantur in foro cõſcientiæ Fiſco Apoſtolico? Quidam negant, quòd hæc debeantur Cameræ in pœnam illicitæ negotiationis, nemo autem tenetur pœnam ſoluere ante Iudicis condemnationem. Affirmat Azor. l.8.c.2.q.3. eò quòd Pius IV. hic, & Pius V. non ſolùm in pœnam delicti, ſed vt ea malè acquiſita eodem modo habeat, ac cætera ſpolia, & quod ad Cameram, & non ad alios ſpectent, & irritant quicquid in contrarium fuerit attentatum.

Denique eodem §. 2. ad multa alia comprehenda contra iura acquisita, additur. *Aut contra sacros Canones quomodolibet acquisita.* Nam & illa tamquam spolia reseruantur Papæ, ex Nau. comm. de spoliis §.7.n.56. Azor.l.8.c.2.q.8.Roderico. tom.1.q.30.art.13. Estque magna admodum ampliatio. nam acquisita ex beneficiis contra iura retentis, officiis sæcularibus contra iura exercitis, v.g. officio Aduocati, procuratoris, &c. ex c.1. & 2. de postulând. & c. clerici. de vit. & honest. cler. & c.1.2.4.5. ne cler. vel Monach. ex arte medicinæ, & chirurgiæ c. tua de homic. c.sententiam. ne cler.vel Monach. aucupio, & venatione ministerio canum c.1. de cler. venat. ex ludo alearum, & taxillorum. c. clerici officia. de vit. & honest. cler. spectant ad spolia, iuxta præsentem constitutionem.

Quæ tamen acquiruntur ludo, vel contractu, aut officio, interdicto solummodo in Synodo, vel generali, aut speciali mandato Episcopi, non veniunt nomine spolij, cum hæc non sint comparata contra sacros Canones Ecclesiæ, ex Azor. q. 8. In dubio autem credendum est bona non esse illicitè acquisita, ex Panor.c.1.de pecul.cler. Romano consil.159. Redoano de spoliis q.15. n.30. Azor q. 11. quia nemo censetur malus, nisi probetur.

THEOREMA 195.

VEniunt Clericorum nomine hoc loco, non tantùm Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi, verum etiam Clerici minoribus ordinibus initiati; non quidem absolutè, vt videtur sentire Redoanus q.2. de spoliis, sed qui beneficiarij, aut pensionarij sunt, vt docet Nau. comm. de spoliis cler. §.7.n.5.5.& Azor p.2. l.8. c.2.q.9. cæteri enim videntur iustè posse exercere officia & artes, obsequia præstare regibus, & aliis sæcularibus, prædia, & villas conducere, corã sæcularibus Iudicibus etiam in causis profanis postulare.arg. c. 1.de postulat. licet hæc prohibeãtur constitutis in sacris, & etiam in minoribus, sed beneficiatis.

Pontifex tamen in huius constitutionis declaratione, quæ incipit, *Romanus.* & in bull. veteri est constitutio 31. tria excipit personarum genera. Primò, Cardinales vbiuis locorum decedentes. Secundò, habitantes in vrbe, vel Romanam Curiam sequentes, ac in ea morientes, vt etiam fecit Sixtus IV. Alexand. VI. Leo X. & Iulius III. Tertiò, qui speciali, vel generali priuilegio ratione suorum officiorum, vel quomodolibet testandi habent facultatem, tametsi extra Curiam decederẽt; si tamen, vt notat Nau. loco cit. n.5. testati fuerint, vel habuerint clausulam, qua fiat cognatis eorum facultas succedendi eis ab intestato. In alia quoque eiusdem declaratione, quæ in nouis est 29. & incipit. *Romani.* §. 5. vt notat etiam Redoanus q. 1. de spoliis n.48. & Azor loco cit. q. 10. excipiuntur etiã Quartò milites Hierosolymitani, ita vt ab eis acquisita etiam ex illicita negotiatione, ad ipsam spectent religionem, & non ad spolia Apostolicæ Cameræ.

EIVS

EIVSDEM PII IV.

Conſtitutionis 31. in nouis editæ anno 1561. 16. Apr. quæ incipit. Cum ſicut.

EPITOME 77.

Sollicitantes in Confeſſione ad libidinẽ, vt de hæreſi ſuſpecti inquirẽdi & puniendi.

CONTRA ſollicitantes in cõfeſſione fæminas, ita Archiepiſcopo Hiſpalenſi mandat §. 1. *Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide Catholica rectè ſentiunt, Sacramentis in Dei Eccleſia inſtitutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel alium, aut alios deputandos, contra omnes, & ſingulos ſacerdotes dictorum regnorum ac illarum ciuitatum, & diœceſum de præmiſſis quomodolibet diffamatos, tam ſeculares, quàm quorumuis Ordinum regulares immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubiectorum, cuiuſuis ſtatus, gradus, ordinis, & eminentiæ exiſtant, tam ſuper præmiſſis, quàm ſuper fide Catholica, & quid de ea ſentiant, inquiras, & iuxta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæreſi ſuſpectos conceſſa, procedas, & culpabiles repertos, iuxta exceſſuum ſuorum qualitatem, prout iuris fuerit, punias, debita præcedente degradatione, ſæcularis iudicis arbitrio puniendos tradendo.*

THEOREMA 196.

CONſtitutio hæc confirmata eſt à Clemente Octauo anno 1592. & extenſa ad omnes Prouincias Chriſtianas. Et quidem grauiſſimè eos Confeſſarios delinquere, qui extra Confeſſionis actũ peccant, aut certè alliciunt ad peccandum mulieres ſibi confeſſas, cum eas æternæ damnationis laqueis inuoluant, & ſecum in gehennę incendium pertrahant, quas oportuiſſet iuxta ſibi commiſſum Paſtoris officium ad pietatem, honeſtatémque excitare, pomeridiana luce clarius conſtat. Idémque, ſi delictum hoc probatum fuerit, patrator, ex cap. omnes. d. 30 q. 1. non tantùm dignitatis honorem amittit, verum etiam vſque ad ſuæ vitæ exitum pœnitere debet. Et cap. ſi quis ſacerdos. ibidem ſtatuitur à Cæleſtino, vt fœmina, quæ tale commiſit ſcandalum, res ſuas tradat pauperibus, & conuerſa in monaſterio, Deo vſque ad mortem ſeruiat. Sacerdos verò deponatur ab omni officio, duodecim annos peregrinando pœniteat; & reliquo vitæ tempore Deo famuletur in monaſterio. & cap. ſequenti, non non debet Epiſcopus, aut presbyter commiſceri cum mulieribus, quæ ei fuerint confeſſæ peccata. Si forte (quod abſit) hoc contigerit, ſic pœniteat, quomodo de filia ſpirituali, Epiſcopus 15. annos; presbyter 12. & deponatur, ſi tamen in conſcientiam populi deuenerit. Videndus etiam Abbas. cap. vltimo de purgat. canonica.

Anania cap. cum dilectus. de Accuſat. Felinus cap. ſi clerici. n. 15. de iudic. Diaz in pract. crim. c. 82. alià 76. Nauarr. t. 2. conſil. tit. de hæret. conſil. 1. num. 8. Rodericus t. 2. quæſt. 27. art. 1. Simancas tit. 40. num. 15.

Non eſt tamen caſus inquiſitionis, vt pluribus diſputat Nauarr. loco cit. num. 1. & 2. cum huiuſmodi crimen ſit quidem contra caſtitatem, & pudicitiam, ex S. Tho. 2. 2. quæſt 81. art. 5. ſed non contra fidei virtutem, nec hæreſim ſapiat, quarum tantum cognitio eſt ſacris Inquiſitoribus demandata. cap. vt officium Inquiſit. de hæret. l. 6. Clem. 1. §. 1. de hæret. Geminiano cap. ne aliqui. de hæret. Emerico 3. p. q. 45. Pegna comm. 114. At ſi ſollicitatio fiat in actu Confeſſionis, caſus Inquiſitionis eſt, ex hac Pij IV. conſtitutione. Pegna in 2. p. direct. com. 81. Diaz loco cit. Ignatio Lopez in addit. ibid. vt etiam & ratio docet, cum incidat in hæreſis ſuſpicionem, ex iniuria, contemptu, & abuſu ſacramenti Confeſſionis, qui ſic peccat, exhibendo ſub medicina venenum, & ideo videatur de pœnitentiæ Sacramento tanquam hæreticus malè ſentire. vt fit etiam cum Sacerdos, vel Monochus vxorem ducit, propter abuſum Sacramenti matrimonij: nam eo etiam facto fit ſuſpectus de hæreſi; & ipſa praxis, ac vſus communis, ſolent enim Inquiſitores huiuſmodi ſollicitantes punire.

Sollicitatio verò fit ex Ledeſma. 3. p. q. 56. art. 2. & Ludouico Paramo. l. 3. de officio Inquiſitionis. quæſt. 10. num. 121. non ſolum verbis, ſed etiam tactibus, vel oſculis impudicis, donis, ſignis, & nutibus & facit ad hoc idem lex. Sollicitatores. ff. de extraord. crim. Quod ſi ſollicitatio in confeſſione fieret ad alia peccata non carnalia, v. g. ad furtum, non eſſet Inquiſitionis caſus, ex citato Ledeſma, & Paramo, cum Inquiſitoribus hic ſolùm reſeruentur carnalia, & in delictis non fiat extenſio. cap. in pœnis. cap. ordin. de regulis Iuris. l. 6. Decio in l. factum. §. in pœnalibus. ff. de reg. iuris. Natta conſil. 339. n. 9. & 469. n. 10. 20. & Burſato conſ. 76. num. 8.

THEOREMA 197.

CVm verò inter Doctores dubitaretur, an Conſtitutio extenderetur etiam ad ſollicitantes in Confeſſione maſculos, dubiúſque hæreret Ludouicus Lopez in ſum. t. 1. cap. 35. quamuis partem affirmatiuam probabiliorem putaret; Emanuel Rodericus t. 2. q. 27. art. 3. Stephanus Quaranta, v. *Confeſſor.* & Ludouicus Paramus loco cit. licet hac de re cenſuerit conſulendum ſummũ Pontificem, demum anno. 1619. die 6. Febr. Promulgatum vidi Genuæ à ſancta Inquiſitione de mandato ſum. Pontif. Pauli V. decretum, in quo expreſsè extenditur caſus. Primò, etiam ad ſollicitantes in Confeſſione maſculos. & meritò, tum quia reſpectu Sacramenti Confeſſionis eſt eadem vtrobique irreuerentia, & iniuria. Tum quia, vt notat Gloſſa ſingularis. cap. 1. de temp. ordin. l. 6. verb. *Italiæ.* quam commendat Panorm. cap. nihil. de electione. & Baldus in l. ſi quis furto. Cod. de furtis, & in l. illud. Cod. de ſacros. Eccl. tunc non

fiat

fiat extenſio, & ampliatio caſus ad caſum in pœnalibus, ſed declaratio ſolùm fiat caſus formalis ex mente iuris, cum vtrobique per omnia ſit eadem ratio. vt fit in cap. ſi poſtquam. de elect. l. 6. & l. quædam. §. nummularios. ff. de edendo. ſed extenſio ſit ſolum quando caſus non eſt omnino ſimilis. in præſenti verò caſu eadem omnino vel etiam maior ratio eſt de ſollicitante maſculum, quàm fœminam.

Secundò, decretum extendit huiuſmodi pœnam ſollicitantium in Confeſſione ad ſollicitantes etiam extra Confeſſionem, ſed proximè actui Confeſſionis, ſiue ante, ſiue poſt. Quin etiam in ipſo Confeſſionario, etſi formaliter extra actum Confeſſionis, nec non ad loquētes ibidem de turpibus. Tum quod iuxta doctrinam Bartoli, & Baldi in l. penult. ff. de teſtam. milit. Felin. in cap. fin. de Iudæis. Iaſonis in l. quamuis. num. 6. Cod. de Inoff. teſtam. Tiraquell. de legg. Connub. l. 15. num. 4. paria ſint, quæ ſunt in actu cum iis, quæ ſunt in via, vt deducantur ad actum. Et affectus, conatus, ac proceſſus ad maleficium in delictis atrociſſimis, habeatur pro maleficio. qua de re Clarus. §. fin. quæſt. 92. n. 2. vnde. l. ſi quis non dicam. Cod. de Epiſc. & Cler. ſolùm attentantes matrimonio iungere ſacras Virgines capitali pœna puniuntur. Tum quòd, quæ paulò ante, vel poſt facta ſunt, in continenti facta dicantur. l. lecta. verb. dicebam. ff. ſi certum pet. Tiraquell. de retract. conuent. 2. p. 1. gloſſa 8. num. 25. Denique Baldus, Cagnolus, & Gloſſa in l. in bonæ fidei. Cod. de pactis. Abbas in cap. cum cauſam. num. 2. de elect.

Tertiò, decretum extendit, & ampliat pœnam prædictam ad diſſuadentes à reuelando Inquiſitoribus dictos ſollicitatores. Contra quàm Charondas ſentiret initio ſuarum legum. Etenim apud Simancam tit. 19. num. 9. *Honeſtum*, inquit, *habeatur indicare illum, cuius quis facinorum conſcius eſt, vt reſpub. ſaluaſit, multos habens ſuæ bonæ conſtitutionis cuſtodes; is verò, qui indicat tanquam de genere ſibi proximis bonus, & pius æſtimetur.* & Plato. l. 10. de legg. *Si quis impiè quidpiam agit, vel loquitur, qui fortè præſens fuerit, deos defendat, magiſtratibus ſignificet.*

Sed cum adhibita cura haud vlcus ſanaſſet, ex inſperato Gregorius XV. Pontifex Max. acriora remedia morbo adhibenda eſſe decreuit. Itaque hoc anno 1622. die 39. Auguſti, iam opere toto abſoluto, edidit Conſtitutionem cuius eſt initium. *Vniuerſi Dominici gregis*, in qua Primò, motu proprio & ex certa ſcientia, maturáque deliberatione, ac S. R. E. Cardinalium generalium Inquiſitorum concilio Apoſtolica auctoritate confirmat omnia & ſingula contenta in prædictis litteris Pij IV. (de decreto enim Pauli V. non meminit) & præcipit inuiolabiliter obſeruare, non tantùm in Hiſpania, ſed etiam in quibuſuis Orbis Chriſtiani partibus, quod etiam anno 1592. fecerat Clemens octauus.

Secundò, ne ampliùs in futuro dubitari poſſet, aut de pœnis delinquentium, a ut de modo procedendi contra eos, declarat omnes & ſingulos ſacerdotes ſæculares & regulares cuiuſcumque ordinis, dignitatis, eminentiæ & priuilegij, qui

qui quaſcumque perſonas (vt & fœminæ & mares comprehendantur iuxta Pauli V. decretum) ad inhoneſta, ſiue inter ſe, ſiue cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Confeſſionis, ſiue ante, ſiue poſt immediatè, ſeu occaſione & prætextu Confeſſionis, etiam ipſa non ſecuta; ſiue extra occaſionem confeſſionis, in Confeſſionario, aut in loco quocumque vbi Confeſſiones audiuntur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo, ibidem Confeſſionem audire ſimulantes, ſollicitare vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos & inhoneſtos ſermones, ſeu tractatus habuerint, ſeueriſſimè vt infra puniantur in S. Inquiſitionis officio, vt etiam anno 1619. Paulus V. decreuerat. Quapropter omnes hæreticæ prauitatis Inquiſitores, & Ordinarios locorum vniuerſi Chriſtiani Orbis, in ſuis quemque territoriis, ſuper his ſpecialiter & perpetuò ſolum iudices delegat, vt ſimul vel ſeparatim contra prædictos criminoſos diligenter inquirant, & procedant, in omnibus ſicut in cauſis fidei, ſecundum formam ſacrorum canonum, & officij Inquiſitionis conſtitutiones, priuilegia, conſuetudines & decreta, & in repertos culpabiles iuxta demerita ſuſpenſionis ab executione ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis actiuæ & paſſiuæ, ſi regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum abſque vlla ſpe gratiæ, aliaſque pœnas decernant. & ſi enormitate delicti grauiores meruerint pœnas, debita præcedente degradatione, eos puniendos Curiæ ſæculari tradant.

Tertiò, ne verò delictum tam enorme, & Eccleſiæ pernicioſum, impunitum permaneat ob defectum probationum, quod ſit difficilis probationis, atque ſecretè & occultè committatur, concedit S. R.E. Cardinalibus generalibus Inquiſitoribus facultatem ſuo arbitrio iudicandi, etiam teſtibus ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum eſſe, ac pronunciandi, reum eſſe ſæculari Curiæ tradendum. Nec mirum cum idem fiat in criminibus exceptis læſæ Maieſtatis diuinæ & humanæ, Simoniæ, ſacrilegij, dilapidationis bonorum Eccleſiæ, fraudatæ annonæ miſſæ à Repub. ad exercitum, fraudati & ſubtracti cenſus publici, & perduellionis. de quibus ſpecialiter tit. de accuſ. §. 1. num. 36. Campegius de teſtibus reg. 27. Maſcard. de probat. concl. 464. Proſper. Farinac. in Theor. & Praxi crim. quæſt. 56. num. 70. & 148. Henriquez l. 6. & cap. 49. num. 10. & alij. quippe cum hęc crimina ſint difficilis probationis; ideo in eis admittuntur teſtes ſingulares ſi adſint alia adminicula, qui alioquin in aliis eſſēt inhabiles, & nō eſſent admittendi. Singulares autem teſtes dicuntur, cum ſinguli teſtificantur de diuerſis actibus numero ex cap. nihilominus 3. quæſt. 9. Panor. cap. bonæ memoriæ 1. de elect. Bald. in l. Iuſiurand. Cod. de teſtib. Decio. conſil. 649. Simanca. tit. 64. n. 63. Sylueſt. v. Teſtis. quæſt. 3. Azor. t. 3. l. 13. cap. 27. dub. 7. Claro q. 21. & 53. Couar. l. 1. Var. cap. 3. vnde teſtes ſingulares opponuntur conteſtibus,

teſtibus, cum ſcilicet plures teſtificantur de codē actu, numero, &c.

Quartò mandat omnibus Confeſſariis, vt ſuos pœnitentes, quos nouerint ab aliis vt ſupra ſollicitatos fuiſſe, moneant de obligatione denunciandi Inquiſitoribus ſeu locorum Ordinariis ſollicitantes ſeu tractantes. Quod ſi hoc officium prætermiſerint, vel docuerint pœnitentes non teneri ad denunciandum dictos Confeſſarios, vult vt iidem locorum Ordinarij & Inquiſitores pro modo culpæ arbitrio ſuo illos puniant. Non obſtantibus, &c.

EIVSDEM PII IV.

Conſtitutionis 32. olim 36. editæ anno 1561. quæ incipit.

Cupientes malitiis.

EPITOME 78.

Fructus beneficiorum affectorū in Italia vacantiū ſunt Cameræ Apoſt. & ſi Epiſcopi in his ſe ingerāt, poſſunt ſuſpendi, interdici, & priuari facultate cōferendi in ſuis menſibus beneficia, ceteri excōmunicati & puniri aliis pœnis.

APPLICANTVR §. 1. Apoſtolicæ Cameræ omnes fructus beneficiorum cum cura, vel ſine cura, ſæcularium, & regularium Sedi Apoſtolicæ reſeruatorum, ſeu affectorum, à die prouiſionis vſque ad diem prouiſionis faciendæ à Sede prædicta, de qua per litteras ſub plumbo, & non aliter conſtare debet, in partibus Italiæ, in quibus Collectores, & Subcollectores ſpoliorum eſſe conſueuerint.

§. 3. Epiſcopi, & Archiepiſcopi non præſumant ſe intromittere in diſpoſitione dictorū beneficiorū, aut poſſeſſione, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis, & interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ. Illis autem inferiores ſub pœna excommunicationis & alia arbitraria, & quoad omnes priuationis facultatis conferendi beneficia in propriis menſibus pro tempore vacantia. Irritumque ſit quicquid in contrarium fuerit attentatum.

§. 5. Collectores fructus exigant, per iuris remedia.

§. 7. ex illis tamen portent onera beneficiorum pro rata temporis, & fructuum.

THEOREMA 198.

CVm de affectis, & teſeruatis beneficiis dixerimus Theoremate 164. & de modo expediendi litteras beneficiorum Theoremate 138. de quibus §. 1. agi poſſet hoc loco; Circa decretas pœnas in §. 3. contra præſumentes ſe intromittere in diſpoſitione dictorum beneficiorum, dico haberi bullam aliam eiuſdem Pij IV. quæ incipit. *volentes*. de eadem omnino materia, vbi eædem pœnæ decernuntur.

Primò igitur in Epiſcopos, & Archiepiſcopos ſtatuitur ſuſpenſio à diuinis, non quidem lata, ſed ferenda iuxta cap. quia periculoſum. de ſentenr. excomm. l. 6. cumque ex Nau. c. 27. n. 159. & 162. Vgol. tab. 4. c. 4. §. 2. c. 5. §. 2. & c. 12. Suarez tom. 5. d. 25. ſect. 1. Innoc.

c. fin. de excess. prælat. suspensio alia sit medicinalis, cum scilicet fertur, non vt puniatur delictum, sed solum vt suspensus recedat à contumacia, & resipiscat, alia verò purè vindicatiua, quæ imponitur, vt solum puniatur delictum commissum; quæ hoc loco fertur, est huius secundi generis, cuiusmodi est etiam, quæ fertur in c. tam litteris. extra. de testibus. & attestat. & Clem. 1. §. penult. de hæretic. & Clem. 2. de pœnis. qua de re Innoc. c. 1. de excess. prælat. n. 3. Abbas c. reprehensibilis. n. 3. & c. sæpè. n. 16. de Appellat. Suarez t. 5. d. 25. sect. 1.

Secundò, interdictū (ferendum tamen eadem de causa) ab ingressu Ecclesiæ. Quo loco quæri potest, à quibus is, cui Ecclesiæ ingressus est interdictus, prohibeatur. Qua in re Innoc. in c. sacrosc. n. 2. verb. ingressu, de sentent. excomm. Ancharanus, & Geminianus c. is cui. n. 3. de sentent. excomm. l. 6. Nau. c. 27. n. 170. Couar. c. alma mater. p. 2. §. 1. n. 3. vers. *poterit tamen*. Viualdus tit. de interdicto n. 153. Henriquez l. 13. c. 32. n. 2. Sayrus l. 4. c. 7. n. 15. & l. 5. c. 9. n. 15. 16. sentiunt eum, cui interdictus est ingressus Ecclesiæ, posse per eam transire, & orare, quando non aguntur diuina officia, quia excommunicatus qui grauiori pœna affectus est, in Ecclesia esse potest. & ob id volunt esse iura interpretanda de ingressu publico, & tempore celebrationis, legisque rigorem hoc modo temperandum. Oppositum tamen docent Vgolinus de interdicto. tab. 5. c. 16. §. 1. Panorm. in c. cum Ecclesia. n. 5. de immunit. Eccl. Calderinus tr. de interdicto membr. 2. vers. *nunc quæritur*. Paulus Fuscus l. 2. de visit. & regim. Eccl. c. 32. n. 7. accipientes verba legis in proprietate, & significatione verborum. nec ad rem putant quod de excommunicatione dicebatur, cum excommunicatio non excludat à parietibus templi, sed à communione fidelium. Non limitant autem hoc interdictum ad vnum locū, sed ad quemcunque proficiscatur, qui tali censura affectus est, ex Vgolino, loco citato. Suarez d. 26. sect. 1. n. 10. Sayro l. 5. c. 9. n. 16. cum interdictum inhæreat personæ, idque siue huiusmodi interdictum sit à iure, siue ab homine, ex citatis, & Gloss. & Ancharano in c. is cui. citato. siue etiam Ecclesia sit consecrata, siue non, dummodo sit Episcopi auctoritate ædificata. Consequenter autem, etsi alibi sic interdicti, celebrare possint v. g. in tentorio, Sacramenta ministrare, & inseruire, ac interesse diuinis, & alia, vt prius facere, ea tamen nequeunt in Ecclesia, ex cit. c. is cui. de sent. excom. l. 6. Glossa, Ancharano, Geminiano, ibidem. Innoc. in citato c. sacrosc. n. 2. Panor. in c. dilectus n. 2. de consuetud. Vgol. vbi supra. §. 2. & 3. Butrio in c. 2. n. 3. de officio delegati. Sayro, 18. 19. Suarez d. 35. sect. 4. Felin. in c. à nobis n. 6. de exception. Couar. c. alma mater. p. 2. §. 1. num. 5. cum sit illis prohibitus ingressus Ecclesiæ, & sub Ecclesia comprehenditur etiam cæmeterium, tamquam accessorium sub principali, ex Suarez. Excipiuntur tamen festi illi dies, qui habentur in c. fin. §. in festiuitatibus. de sentent. excomm. cum enim interdicti tunc possint interesse diuinis officiis, etiam Ecclesiam ingredi poterunt, cum vnum

alte

alterum ſupponat, etſi in ea celebrare non poterunt, ex Suarez n. 5. Vgolin. Sayro. Sed num huiuſmodi interdictis liceat extra Eccleſiam audire officia, quæ in Eccleſia fiunt? negat Suarez n. 7. quia ex vi huius interdicti hoc principaliter prohibetur, cum ideo interdicatur ingreſſus, ne fiat particeps diuinorum officiorum, quæ in ea fiunt. Si autem moriantur durante interdicto, niſi pœnituerint (tunc enim ceſſatur à contumacia) non poſſunt ſepeliri in Eccleſia, vel cæmeterio, ex citato c. is cui. de ſent. excomm. l. 6. Doctoribus ibidem. Couar. Innoc. Vgolino §. 4. Suarez n. 13. locis citatis (licet oppoſitum tenuerit Diaz in pract. crim. c. 121. in fin.) & in articulo mortis quilibet Sacerdos poteſt hoc interdictum relaxare, ex Ioan. Andr. cit. c. is cui. de ſentent. excomm. l. 6.

Tertiò, priuatio facultatis conferendi in eorum menſibus beneficia, de quibus ſupra Theor. 165. Videatur bulla 142. in vet. eiuſdem Pij IV. quæ incipit *Cupiens*. & Sixti V. n. 18. quæ idem habet principium.

EIVSDEM PII IV.

Conſtitutionis 74. olim 97. editæ anno 1564. quæ incipit.
Romanus.

EPITOME 79.

Græci magnæ Græciæ in quibus Ordinariis Latinis ſubiiciãtur.

SVBIECIT Græcos Ordinariis circa ea, quę ad Dei cultum, Sacramentorum adminiſtrationem, ſalutem animarum, atque hæreſum extirpationem concernunt. Ideóque locorum in quibus moram trahunt, Ordinariorũ Latinorum viſitationi, correctioni, punitioni, iuriſdictioni, & omnimodæ ſuperioritati in præmiſſis tamquàm ſuis ſuperioribus ſubeſſe, & humiliter obedire præcipiuntur, reliquis ipſorum in diuinis celebrandis aliiſque ritibus à Sede Apoſt. approbatis, priuilegiis, & gratiis Apoſtolicis intactis remanentibus.

THEOREMA 199.

CVm Græci tam Eccleſiaſtici, quàm laici degentes in regnis Siciliæ & Neapolis in diuerſas nefarias opiniones, & hæreſes laberentur, aliáque perpetrarent in animarum perniciem, & populorum Latinorum ſcandalum, repellentes, prætenſæ exemptionis ab Ordinariis locorum, in quibus degebant, vi priuilegiorum Summi Pontificis clypeo, correctionem legitimam, coactus eſt Pius IV. præſenti conſtitutione declarare eos ſubiici in his, quæ ſpectant ad Dei cultum, Sacramentorum adminiſtrationem, animarum ſalutem, hæreſúmque extirpationem, Ordinariis. Multa enim erant, in quibus errabant, tam in his, quæ ſunt fidei, vt in proceſſione Spiritus ſancti à Patre, & Filio, in articulis de Purgatorio, de viſione Dei ante diem Iudicij, de ſecundis nuptiis, de fornicatione ſoluti cum ſoluta, & ſimi-

libus, adeo vt dixerit olim Leo IX. Epiſt. contra Michaëlem, & Acridanum c. 8. Græcos diuerſis temporibus, diuerſo errore ad corrumpendam Eccleſiæ Catholicæ Virginitatem, nonaginta, & amplius hæreſes peperiſſe. (commemorant autem eorum errores Eugenius IV. conſtitutione 17. S. Thom. opuſc. hac de re. t. 17. Antonin. 3. p. t. 22. cap. 11. §. 1. Albertinus in Rubr. de hæret. Bern. Luxemburgus in Catal. hæret. l. 2. verb. Græci. Aug. de Ancona, de poteſt. Eccl. quæſt. 25. art. 5. & 6. & alij.) quàm in illis, quæ pertinent ad Sacramentorũ adminiſtrationem. Nam, vt conſtat ex 14. conſtitutione Innoc. IV. quæ incipit. *Sub Catholica.* hac Pij IV. & Clementis VIII. num. 34. presbyteri Græci poſt baptiſmum infantes in fronte chriſmate conſignabant, cum tamen cõfirmatio pertineat ad Epiſcopum. Soli enim Apoſtoli, quorum vices gerunt Epiſcopi, per manus impoſitionem, quam confirmatio, vel frontis chriſmatio repreſentat, Spiritum ſanctum tribuiſſe leguntur. Euchariſtiã eamdem toto anno conſeruabant, adeo vt ſpecies redderentur minus habiles ad ſumptionem, ideóque illas admiſcebant ſacro oleo; ſuos infantulos in baptiſmo communicabant; in pœnitentiæ Sacramento non vtebantur præſcripta abſolutionis forma; ſine Epiſcopi Latini diocæſani dimiſſoriis litteris ad ſacros ordines promouebantur, & ſic ſuſpenſi in eis miniſtrabant. Sepulta cadauera exhumata impia ſuperſtitione comburebant. & alia non pauca perpetrabant contra Eccleſiaſticam diſciplinam.

In cæteris tamen ritibus Græcis approbatis, vt diuinorum officiorum celebratione, ieiuniis, precibus, & ſimilibus, voluit Pius hic remanere illæſa eorum priuilegia, & gratias Apoſtolicas. de quibus rogauerat olim Gregorium X. Michael Paleologus, Imperat. poſt tenorem confeſſionis fidei illis verbis. *Rogamus magnitudinem veſtram, vt Eccleſia noſtra dicat ſanctum Symbolum, pro ve dicebat ante hoc ſchiſma, vſque in hodiernum diem, & quod permaneamus in ritibus noſtris, quibus vtebamur ante ſchiſma, qui ſcilicet ritus non ſunt contra prædictam fidem, nec contra diuina præcepta, nec contra vetus, & nouum Teſtamentum, nec contra doctrinam ſanctorum Generalium Conciliorum, & ſanctorum receptorum per ſancta Concilia, qua celebrata ſunt à Spirituali Dominatione Eccleſiæ Romanæ.* Pius etiam V. eoſdem Græcos Miſſas, officiáque diuina ſolo ritu Græco, non etiam more Latino, & Latinos ſolo Latino, non item Græco, conſtitutione 12. aliàs 7. quæ incipit. *Prouidentiæ.* celebrare præcepit, ſub pœna perpetuæ ſuſpenſionis à diuinis. Cui conſonat quod ſtatuit Leo Nonus Epiſtola ad Michaëlẽ cap. 29. vbi monet, vt vnuſquiſque ſacerdos ſinatur celebrare, etiam ſi in alieno ſolo verſetur, iuxta ritum ſuæ Eccleſiæ. quod etiã cenſuit in fine Concilij Florentini Eug. IV. Quare non rectè exiſtimauit Ledeſma 1. 4. quæſt. 15. art. 4. dub. 2. Græcum Sacerdotem tranſeunte per Eccleſias Latinas, non poſſe celebrare in fermentato, ſed tantum in azimo, & è contra Sacerdotem Latinum tranſeuntem per Eccleſias Græcas, non poſſe celebrare in azimo, ſed tantum in fermentato.

mentato. Videndus Sanchez lib.3. de matrim. d.18. num. 20. Suarez t.3. d.44. ſeſſ. 3. art. 4. Salas de ll. d.14. ſcſſ.5. n. 64. Palatius 4.d.15. diſp. 8. Dixi hac de re aliquid. l.4. de Miſſæ ſacrif. cap.1. n. 7.

EIVSDEM PII IV.

Conſtitutionis 85. aliàs 109. editæ anno 1564. quæ incipit.

Romanum.

EPITOME 80.

Libros in Indice vetitos tenens, & legés excommunicatur, &c.

APPROBAT §.2. Indicem librorum prohibitorum editum iuſſu ſacri Concilij Tridentini.

§. 3. in eo autem libros ob hæreſim, vel ſuſpicionem falſi dogmatis prohibitos legens, vel tenens, excommunicatur, & poreſt tanquam de hæreſi ſuſpectus inquiri; qui libros alia de cauſa vetitos habuerit, aut legerit, & peccat mortaliter, & ſeuerè puniendus eſt ab Ordinario.

THEOREMA 200.

LEgentes, & tenentes libros de religione tractantes hæreticos, vel ſuſpectos, non tantum in præſenti conſtitutione, ſed etiam in bulla cænæ excommunicantur, & poſſunt tanquam ſuſpecti de hæreſi inquiri. Difficultas tamen eſt, an huiuſmodi ſuſpicio leuis ſit, an grauis, ſeu vehemens, vel violenta. Pius IV. enim hic tantum ait: Ipſo iure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob cauſam in eo tanquam de hæreſi ſuſpectum inquiri, & procedi liceat. Sunt qui putent ſi hæreticorum libri apud aliquem reperiantur, eo ipſo conſtare eum eſſe hæreticum, & vt talem puniendum, vt Archidiac. Io. And. Dominicus in cap. filij. de hæret. l.6. Ludouicus Romanus ſingul. 322. Carrerius de hæret. num. 126. Alij illum eſſe vehementer ſuſpectum, vt Zanchinus cap.7. num.7. Vmbertus v. libri. Alij denique rectiùs id relinquunt arbitrio Inquiſitoris, conſideratis circunſtantiis perſonæ, librorum lectionis, ſi parum, vel multum legerit. qua de re Azor p. 1. l. 8. cap. 16. quæſt. 3. numeri trangreſſionum, affectus, vt ſi curauerit ſibi deferri, ſi aduerterit eſſe prohibitos, ſi ſolliciтè, an negligenter quæſiuerit abſolutionē, an obtemperauerit ſtatim monēti, an contempſerit, & adhuc obſtinatè retinuerit, &c. Ita Pegna p.2. com.3. Simancas tit. 38. Gondiſaluus de hæreſi quæſt. 13. Albertinus quæſt.28. Roias ſingul.124. Paramus l.3. quæſt.9. num.148. & ſeqq. etenim in tanta re ſunt conſiderandæ plures circunſtantię, nec ſententia præcipitanda. libri verò cæteri alia de cauſa prohibiti, prudenter etiam hoc loco vetantur, tanquam hoſtes virtutum, & incitamenta vitiorum. Vt etiam à Gentilibus factum legimus. Quare Valerius Maximus l. 6. cap.3. narrat hac vna de cauſa impuros poëtas à Lacedæmoniis interdictos. & Plutarchus in Craſſo teſtis eſt, Surenam belli ducem apud Parthas in triumpho, quem duxit de Craſſo occiſo turpem, & obſcænam Ariſtidis Mileſiacā vexiſſe, exprobrando Romanis illo

tempore, ne quidem in bello potuisse carere obscænorum librorum lectione. Quare meritò Plato l.2. 3.& 10.de repub.& l.7.& 8. de legg. & apud Maximum Tyrium ser.7. & apud Minutium Felicem in Octauio,obscænos reiicit Poëtas, vetárque quæ quis composuit carmina priuatis ostendere, antequam viderit, & probauerit Magistratus. idémque sensit Aristoteles. l.7. polit. cap. 17. & M. Tullius l. 1. de nat. deorum. & l.3. Tusc. qq. vbi reddit. causam prohibitionis, quod scilicet huiusmodi libelli molliant animos nostros, & neruos omnes virtutis elidant. vnde & scripsit Arator.

Impia sub dulci melle venena latẽt.

Impura etenim lectio incentiua libidinis excitat,& titillatione animi constantiam euertit. vnde veritate coactus impurus Ouidius, ne tangendos quidem tales Poëtas ab honestis voluit, dum lib. 2. de remed. Amoris cecinit.

Eloquar inuitus, teneros ne tange Poëtas,

Submouco dotes impius ipse meas.

Quod etiam fecit Martialis lib. 3. Epigr. 86.vt omittam,quæ in hanc sententiam scribuntur à Lactantio l.5. cap.1. l.6. cap.20. Boëtio lib.1. de Philosophia. prosa 1. Seneca. l. de vita beata cap.26. S.Isidoro l.3. sent. cap. 17. D. Basilio, & aliis sanctissimis Patribus. Quare rectè monet Plutarchus lib. de audiendis poëtis,non minori præparatione adolescentibus ad hos libros accedendum, eum necesse est, quàm euntibus ad conuiuium; collo enim suspendunt Ametistum, quem contra ebrietatem valere putant.

EIVSDEM PII IV.

Constitutionis 85. aliàs 109. editæ anno 1564. quæ incipit.

Romanum.

EPITOME 81.

CONSTITVIT §. 2. & 3. beneficia & Ecclesiasticas dignitates in confidẽtia receptas à die receptionis vacasse,illarúmque dispositiones, & fructus perceptos, & percipiendos ad Sedem Apostolicam spectare. Retinentes beneficium in confidẽtia, excommunicãtur,inhabilitãtur,& absolutio reseruatur Papæ.

§. 4. Cardinales, Prælatique alij contrafacientes interdicuntur Ecclesiæ ingressu, reliqui excommunicãtur, reseruata absolutione summo Pontifici.

THEOREMA 201.

SImoniaca confidentia in beneficiorum resignatione,collatione, & præsentatione, cum videlicet quis in gratiam alicuius resignat, vel confert beneficium vel ad illud præsentat, cum occulta, vel aperta conuentione, seu obligatione,vt aliquando qui prouidetur, beneficium, vel fructus, aut eorum partem,vel pensionem aliquodue emolumentum in fauorem resignantis, conferentis, præsentantis, seu eius consanguinei, amici,vel alterius cuiuslibet,quem nominauerit, dimittat, cedat, vel soluat, quæ hoc loco prohibetur, damnatur pariter, & nouis pœnis aggrauatur à Pio V. constitut.85. olim.87. quæ incipit. *Intolerabilis.* edita

edita anno 1569. quam etiam ponit, & explicat Nauarr. in manuali. cap. 23. num. 110. & t. 1. consil. 3. de constit. Azor t. 3. l. 12. cap. 10. Suarez t. 5. d. 22. sect. 6. num. 15. Lessius l. 2. cap. 34. dub. 34. n. 187. & cap. 35. dub. 16. Vazquez 1. 2. d. 168. cap. 4. Reginald. num. 24. quæst. 5. num. 157. Sayrus l. 3. c. 31. num. 6. & in declaratione eiusdem, quæ incipit. *Hodie.* & Constit. 61. olim 66. Sixti V. veterique iure vetita erat; cum prædicti Pontifices non intendant condere nouum ius, sed reuocare, & confirmare, antiquum de Simonia in beneficiis, explicando tamen, quæ talis præsumenda sit, seu quomodo probari possit in foro externo, vt notat Nauarr. num. 109. 110. & Lessius. Consultóque additum cum occulta, vel aperta conuentione, seu obligatione, quia ex citatis Doctoribus, si nullum omnino interueniret pactum, vel obligatio, licet quis confideret, & speraret collatorem promoturum, quem ille desiderat, non esset illicita confidentia, neque hac bulla comprehensa, cum tunc contractus sit omnino gratuitus, quippe cum licitè & ordinatè quis sperare, & confidere possit. Quamquam difficultatem facere possint alicui Pij IV. verba illa. *vt quoties intuitu, & contemplatione alterius recipit quis beneficium, etiam si none xprimatur pactum, hic habeatur confidentiarius.* & in Constitutione Pij V. illa. *sola dimittentis intentione resignarit quis beneficium.* Et. *licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum.* Quibus videtur animo, & voluntate sola concepta confidentia his constitutionibus comprehendi. Sed respondet Nauarr. num. 110. vers. 6. & Azor loco cit. Pontifices non intendere verbis illis asserere solam talem intentionem constituere in foro interiori Simoniam, sed quod probatio eius per coniecturas faciat in foro exteriori illam præsumi, quare non debent esse, sed haberi, & censeri Simoniaci. Suarez verò num. 16. respondet non posse excommunicationē hanc incurri, si intentio dantis sit ita interna, & occulta, vt à recipiente nullatenus cognosci queat. ideóque Pontifices prædictos, verbis illis. *Sola dimittentis intentione.* subintelligere quacumque ratione cognita à recipiente, quamuis inter eos non intercedat pactum, aut sermo de ea re, sed tantum sese coniecturis intelligant. quia confidentia necessariò debeat incipere à voluntate dantis, aliàs non erit confidentia, etiam si recipiens beneficium sua sponte haberet propositum restituere illud resignanti, vel eius consanguineo, & amico, quia est illi liberum hoc facere, & quandiu ab alio non exigitur, nulla est deformitas. Necesse est ergo, vt confidentia incipiat à parte dantis, sitque huiusmodi dantis intentio aliquo modo nota recipienti.

Quærenti verò quàm certa, vel probabilis debeat esse cognitio dantis beneficium in recipiente? Respōdet Suarez debere esse adeo moraliter certum, vt sine temeritate iudicari possit hanc esse dantis intentionem. ideo si considerata eius conditione possit probabilibus coniecturis credi, eum non habere talem intentionem, licet occurrant etiam aliquæ rationes suspicandi, debent deponi, nec incurrentur censuræ à recipiente ab illo

illo beneficium cum nemo debeat temerè suspicari malum de proximo. at si coniecturæ essent adeo vehementes, vt sufficerent ad id probabiliter credendum, sufficiet cogitatio illa, vt vitanda sit illa receptio beneficij, sub censuris hic positis.

Quid si contractus quidem Simoniacus sit inter ipsos conclusus, sed nondum ex vlla parte completus? nondum sunt contractæ pœnæ ex Lessio. l. 2. cap. 35. dub. 26. num. 148. cum ex bulla Pij IV. & Pij V. constet debere beneficium iam esse Simoniacè receptum. nam Pius IV. ait: *cuiusuis personæ contemplatione, vel intuitu recepta.* & Pius V. Ecclesiam, vel Monasterium, aut aliud beneficium Ecclesiasticum qualecumque ex resignatione, vel cessione cuiuscumque personæ simpliciter aut cũ circuitu retrocessionis cum regressu, vel accessu etiam sola dimittentis intentione receperit; idémque innuit Nauarr. numer. 110. vers. 2. & 3.

At quid si beneficiũ quidem ex hac confidentia sit receptum, sed ambo ducti pœnitentia, vel alter discissa v. g. syngrapha, non impleatur ex altera parte promissum? Resp. Nauar. loco cit. vers. 2. & Azor 3. p. l. 12. c. 10. quæst. 5. incidisse in has pœnas, & irritam, atque inanem esse beneficij adeptionem, fructúsque restituendos. quia collatum iam, & acceptum est beneficium ex Simonia confidẽtiali, quod his constitutionibus sub statutis pœnis prohibetur.

THEOREMA 202.

SImiliter in præsenti Constitutione Pij IV. & citata Pij V. cum huiusmodi collationibus per confidentiam damnantur etiam, & annullãtur reseruationes fructuũ, & pensionum, ac facultates eas transferendi, & recessus, accessus, & ingressus reseruati quacumque auctoritate confidentiariis, ad Ecclesias, monasteria, &c. vt aduertit etiam Nauarr. vers. 4. & 5.

Porrò huiusmodi retrocessiones, quæ regressus, accessus, & ingressus dicuntur, & sunt ex vna parte quoddam ius in dimittente repetendi pristinum beneficium, & ex altera onus, & veluti seruitus quædam in beneficio. & si olim in vsu fuerint, & stylo Curiæ à Pontifice toleratæ, sunt tamen postea sublatæ à Conc. Trid. sess. 25. c. 7. de refor. solebant enim sæpe qui beneficium habebant, illud impetrata facultate alteri resignare, reseruato sibi iure ad illud redeundi. Idque tripliciter fiebat.

Primò, cum quis beneficium possessum alteri cedebat, reseruato sibi iure ad illud reuertendi, si resignatarius præmoreretur naturaliter, aut ciuiliter, vel fieret Episcopus, aut cõstitutam pensionem non solueret; & dicebatur regressus, eo quòd ad pristinum beneficium rediret.

Secundò, cum quis beneficium sibi iure collatũ ante captam eius possessionem alteri resignabat, reseruato sibi iure ingrediendi eius possessionem, si resignatarius præmoreretur, vel Episcopus crearetur, vnde factum est ingressus nomen.

Tertiò, cum Prælatus prouidebat, v. g. Titio, sed cum is, ob canonicum impedimentum, v. g. ætatem, adhuc esset incapax, concedebatur alteri, exempli gratia eius

Pædago

Pædagogo, Titio reſeruato iure, vt cum primùm iuſtam habuiſſet ætatem, amotumque fuiſſet impedimentum canonicum, poſſet propria auctoritate illud accedere, ſeu accipere, & ob id acceſſus nomen adeptus eſt. Qua de re Rebuffus in 3. p. praxis beneficiorum, Azor 3. p. l. 12. c. 9. quæſt. 1. Leſſius l. 2. c. 35. dub. 16. Nau. c. 23. num. 110. verſ. 4.

THEOREMA 203.

HVius Simonię confidentialis pœnæ hic, & Pij V. litteris ſtatutæ ſunt hæ. Prima, beneficia & Eccleſiaſticæ dignitates in confidentia receptæ, à die receptionis vacant, etiam antequã, qui recepit, impleat, quod promiſit; vnde collatio eſt ipſo iure nulla. Secunda, eadem beneficia in illicitam confidentiam accepta reſeruantur diſpoſitioni Apoſtolicæ Sedis, ita vt ſolus Pontifex conferre poſſit, non autem Ordinarius; quare qui obtinent beneficia, in quibus à Prædeceſſore commiſſa fuit confidentia, ex alterius, quàm Romani Pontificis collatione, non obtinent canonicè, quia ab eo collata ſunt, qui conferre non poterat, priuarique poſſunt, niſi per triennium fuerint in pacifica poſſeſſione, vt rectè monet Nau. verſ. 3. Leſſius l. 2. c. 35. dub. 26. Azor. c. 10. quæſt. 4. & quando etiam per Papæ prouiſionem obtinentur, debet fieri mentio de huiuſmodi reſeruatione ſaltem per clauſulas generales. Conceſſit tamen pro Regno Franciæ Sixtus V. bulla 61. olim 66. §. 3. vt collatio fiat ab Ordinariis, ſi non ſint participes confidentiæ: ſed niſi prouideant intra ſex menſes, Ordinarij prouidebunt viciniores.

Tertia, non tantùm nullæ ſunt huiuſmodi collationes, ſed omnes etiam diſpoſitiones circa idem beneficium, vt penſionis reſeruationes, facultates eam transferendi, vel regrediendi, ingrediendi, accedendi ad beneficium, irritę ſunt, & inanes.

Quarta, fructus omnes, & penſiones ex fructibus receptæ à die receptionis beneficij in confidentia ſunt Apoſtolicæ Cameræ reſtituendæ. Pro regno tamen Franciæ Sixtus V. loco citato conceſſit, vt expendi poſſint in reparatione talium beneficiorum.

Quinta, ex litteris Pij V. incidit item priuatio ipſo facto liquorum beneficiorum, dignitatum, adminiſtrationum, pensionum, officiorum, etiam temporalium in Romana Curia, quamuis iuſtè obtentorum. Notat etiam Leſſius non teneri huiuſmodi beneficia, & penſiones, &c. iuſtè antea poſſeſſa, dimittere ante ſententiam Iudicis, quòd pœnam, qua quis re ſua priuatur, non teneatur quis ſubire, ante ſententiam, ex Gloſſa communiter recepta in c. fraternitas 12. q. 2.

Sexta, ex eodem Pio V. inhabilitas ad idem, & cætera omnia beneficia, dignitates, officia, etiam temporalia: quam inhabilitatem ad cætera, Leſſius cum Sanchez l. 9. de matrim. d. 30. intelligit p ſententiã declaratoriam criminis.

Septima, excõmunicatio reſeruata Papæ contra recipientes. de qua Suarez to. 5. d. 22. ſect. 6. n. 15. & 20. Nau. loco cit. verſ. 2. Azor d. q. 4. verſ. 5. & tom. 2. l. 7. c. 16. quæſt. 1. verſ. 14. hi enim tantum

Scortia.

ex vi huius clauſulæ videtur comprehendi, & non conferentes, fortè quod homines ſint proclniores ad recipiẽdum, quàm dandum; etſi in aliis Conſtitutionibus contra Simoniacos in beneficiis ambo contrahentes, & mediatores ſimul excommunicentur, vt notat etiam Nau. verſ. *adde nouè vndecimo.* Quod etiam voluit Leſſius loco cit. num. 147. qua de re dictum eſt Theor. 86. Sixtus tamen V. loco cit. conceſſit, vt in Regno Franciæ abſolutio à cenſuris fiat à Nuncio apud Regem, vel à Legato Auenionenſi reſpectiuè. Quod ſi delinquentes fuerint Cardinales, & Cameræ Apoſtolicæ Clerici, & Prælati, interdicitur illis ingreſſus in Eccleſiam.

Octaua, extenditur etiam caſus ad præterita, ſub aliqua tamen conditione in futurum, cum leges per ſe non extendant vim ſuam ad præteritum, vt tale. l. leges. Cod. de legg. & conſtit. vt notant Suarez, Azor, Nau. verſ. *nota* 10. ita vt omnes, qui ante Pij V. Conſtitutionem beneficia, penſiones, & alia huiuſmodi intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, & retinent, niſi celeri dimiſſione ſibi proſpexerint, ipſi quoque excommunicationem & alias pœnas incurrant.

Nona, perſcribuntur à Pio V. octo coniecturæ, quibus probetur in iudicio huiuſmodi confidentia. Prima, probatio intentionis, & vnius tantùm partis. Secunda, ſi collator conferat, vel patronus præſentet, vt poſtea de beneficio, vel fructibus, ſic, vel ſic, diſponatur. Tertia, ſi Cardinalis, aut alius exemptus à iurium Cameræ Apoſtolicæ ſolutione poſt ceſſionẽ ſibi factam, & etiam litteras Apoſtolicas expeditas, atque apprehenſam poſſeſſionem in eundem reſignantem, vel cedentem modico interiecto ſpatio, vt duorum, aut trium menſium retrocellerit, ſibi aliquo reſeruato in penſione, fructibus, regreſſu; &c. Quarta, ſi abſolutus à delicto, vel irregularitate denuò accipit beneficium, quod renunciauit, ante, vel poſt delictum, aut incurſam irregularitatem. Quinta, ſi quis poſt ceſſum beneficium auctoritate ſuperioris, & apprehenſam à reſignatario poſſeſſionem beneficij, ſe in illud per ſe vel alium ingerit, & fructus, vel partem illorum accipit, aut ſucceſſor remittit illi, propinquis, &c. Sexta, ſi recipiens beneficium conſtituerit reſignantem vel illius propinquos, procuratores ad fructus beneficij percipiendos, vel locandos, vel de eis fecerit donationem. Septima, ſi vel ſola procuratoris depoſitione, vel libris rationalibus menſariorum, ex parte dimittentis, expeditio, quæ perſonam dimittentis concernit, proſecuta ſit, ſimulque expenſæ pro ea neceſſariæ ab illo factæ fuerint. Octaua, ſi quis pro conceſſione alicui facta quacunque auctoritate de beneficio Eccleſiaſtico per ſe, vel alium interceſſerit, vel in negotio conceſſionis ſe immiſcuerit, & aliquid de fructibus talis beneficij etiam per manus poſſeſſoris, ac etiam ſimplicis donationis titulo perceperit, ſeu de illo poſtmodum ad voluntatem interceſſoris quomodocunque fuerit diſpoſitum.

Decima, Pius V. vult etiam per ſingulares teſtes ſingulas probationes, & cõiecturas poſſe probari, &

& in hoc etiã casu in testes admittendos criminosos, qui admitti solent in casibus Simoniæ; pluresque cõiecturas huiusmodi in prædictis, plenam facere probationẽ. Etsi enim in criminibus regulariter requirantur probationes claræ, in Simonia tamen etiam signa, & coniecturæ, præsertim plures, probant, vt notat Clarus §. Simonia. num. 11. & colligitur. c. sicut 1. de Simonia, & Glossa ibidem, eò quod occultè soleat committi. Videatur etiam Craueta consil. 122. num. 8.

confirmantes, suis priuantur dignitatibus. Ordinarius item loci, etsi Archiepiscopali, & maiori præfulgeat dignitate, interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, & suspenditur à regimine, & administratione suæ Ecclesiæ.

Ecclesiæ & suspẽditur ab administratione.

EIVSDEM PII IV.

Constitutionis 86. olim 100. editæ anno 1564. quæ incipit.
Sanctissimus.

EPITOME 82.

Electi ad dignitates Ordinũ regulariũ non se in illis ingerãt nisi confirmati, & expeditis litteris intra sex menses. aliàs priuantur, inhabiles tantur. & superiores electos confirmans interdicitur ab ingressu

STATVIT §. 2. vt electio ad regimen monasteriorum, præpositurarum, ac dignitatum conuentualiũ quorumcunque ordinũ, nullam vim habeat nisi sit à Sede Apostolica confirmata, & intra sex menses sint litteræ expeditæ.

§. 3. Interim electi non audeant ingerere se in illarum spirituali, & tẽporali regimine, nec se pro earum Prælato gerere præsumant, alioquin sint priuati, & ibi deinceps ineligibiles. Ordinum autem superiores, tales electiones

THEOREMA 204.

ELectionis nomine in præsenti Cõstitutione intelligimus viri alicuius ad Ecclesiam, destitutam pastore, canonicè factam vocationem, iuxta doctrinam Glossæ in c. quia propter. extra. de elect. Verb. Ecclesiis viduatis. & c. sicut cum. eodem tit. in 6. Hostiensis eodem tit. in summ. Azoris tom. 2. l. 6. c. 14. quæst. 2. ideo is solùm propriè dicitur beneficiarius eligi, qui alicui Ecclesiæ vt sponsus, & pastor datur; quales non sunt Canonici, & similes, non enim propter hos dicitur Ecclesia viduata, aut pastore destituta. debet autem electio ad Ecclesias Cathedrales, & regulares fieri intra tres menses, nisi electores iustè fuerint impediti. c. ne pro defectu. de elect. tum electores debent electionem nunciare electo, & eius consensum petere intra octo dies postquam commodè poterunt, aliàs suspensi sunt ad tres annos ab omnibus beneficiis in eà Ecclesia. c. cupientes. §. cæterum. de elect. l. 6. In aliis verò Ecclesiis intra sex menses. c. de multa. de præben. c. nulla. de concess. præbend. & electus debet vel consentire, vel dissentire, postquam est monitus intra mensem, aliter electio est nulla,

Ecclesiæ & suspẽditur ab administratione.

nisi Superioris requiratur assensus qui quam primùm petendus erit. c. quam sit. de elect. l. 6.

Porrò electus Episcopus, aut promotus ad monasterij regimen, vi electionis ante confirmationem non acquirit ius in dignitate, sed tantùm ius ad dignitatem, & proinde ius illud potest vel confirmari, vel reuocari auctoritate Superioris. Ob id si electus ante confirmationē obiret, dignitas minimè vacaret per eius obitum, sed per mortem prioris, qui eam obtinebat. Quare si electus obeat in Curia Romana ante cōfirmationem, non vacabit dignitas in Curia Romana, sed illic, vbi mortuus est, qui ius in illa habebat. & nequit electus ante confirmationem præstare, quæ sunt iurisdictionis, cum tribuat confirmatio administrationem, & plenum ius electo. c. nosti. & c. qualiter. de elect. ideo vt electio valeat, eget confirmatione, superioris consensu, & auctoritate facienda. c. nihil est. & c. cum dilectus. de elect.

THEOREMA 205.

COnfirmatio igitur, qua Superior electū intra tempus lege præscriptum. c. cupientes de elect. l. 6. confirmat, ius tribuit in beneficio, & perficitur spiritualis contractus inter electum, & Ecclesiam sponsam, qui deinceps nequit sine superioris auctoritate dissolui. c. 2. de transl. Episc. Abbate, & aliis ibidem. ideo cum plenum ius confirmatio in beneficio tribuat, confirmatus potest ea omnia, quæ iurisdictionis sunt. c. nosti. & c. transmissam extra de elect. & c. auaritiæ. eodem tit. l. 6. etiam ante consecrationem possessione adepta, vt excommunicare, interdicere, exigere iuramentum, corrigere, eligere, conferre beneficia, & alia huiusmodi. quamuis non possit ea, quæ sunt ordinis, ex Glossa. c. auaritiæ. v. confirmetur. tit. de elect. l. 6.

Ratio autem, cur sit prohibitum ante confirmationem electo se ingerere in administrationem ex Glossa loco cit. est, tum quia aliàs non curaret de confirmatione, ne se periculo subiiceret improbandæ electionis; ij præsertim, qui non egent consecratione. Tum quia aliter confirmatio nihil operaretur. Tum quia, si esset irritanda electio, non esset facile, electum ab incepta muneris functione remoueri.

Qui autem debet electum confirmare, ius habet & electionis, & electi qualitates examinandi. c. nihil. de elect. etiam si nihil contra electum obiiciatur. c. cum nobis. cap. venerabilem. de elect. cum id ex sui muneris officio superioris intersit. Decernitur verò §. 3. vt litteris non expeditis, quod intra sex menses faciendum est, se intromittere non audeat electus in spirituali, vel temporali, regimine dignitatis, cui electus est, aliàs priuatur omni iure, quod acquisiuerat, vt etiam fit in extrauag. Bonifacij VIII. *Iniunctæ*. de elect. & c. auaritię. de electione. l. 6. etiam tamquam Oeconomus, & Procurator. Quare cum beneficiū nondum omnino sit electi, hic in conscientia tenebitur restituere fructus perceptos, cum suos illos non faciat, ex communi doctrina Lessij. l. 2. c. 29. duob. 8. & c. 34. dub. 34. Nau. & aliorum. itemque

fit

fit ineligibilis ad illud, iuxta dicta Theor. 138. ex Parisio l. 2. de resignat. quæst. 26. Azor t. 2. l. 3. c. 28. & l. 6. c. 16. & aliis. Denique superiores Ordinum, qui tales electiones confirmant, suis priuantur dignitatibus, non tenentur tamen illas dimittere ante sententiam Iudicis. Quod si confirment Ordinarij ipsi, quamuis sint Archiepiscopi, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, & suspenduntur à regimine, & administratione Ecclesiæ suæ.

EIVSDEM PII IV.

Constitutiones 88. olim 112. editæ anno 1564. quæ incipit.

In sacrosancta.

EPITOME 83.

Electi ad lecturas, & in Rectores, & Cancellarios Vniuersitatum, & promouendi ad gradus litterarios, faciãt professionẽ fidei. excomm. interdictũ, nullitas gradus.

QVETAT quemcumque liberalium disciplinarum professorem deinceps retinere, aut obtinere cathedras, seu lecturas in Vniuersitatibus, Ecclesiis, monasteriis, oppidis, locis, publicas, aut priuatas, ordinarias, & extraordinarias: Quemcunque etiam in Rectorem, aut Cancellarium Vniuersitatum eligi, aut certè suscipi: necnon Scholares, aut quosuis alios promoueri ad doctoratum, aut gradũ alium litterarium, nisi priùs fidei professionem emittant, quam recepti, vel recipiendi ad lecturas, & in Rectorem, vel Cancellarium assumendi faciant in manibus Ordinarij, aut eius Vicarij generalis; Scholares verò promouendi ad gradus in eiusdem, aut certè Doctorum, aliorúmque promouentium manu, præuia informatione, & processu inserendo in priuilegio gradus. Promotores autem, aut permittentes aliter promoueri, Antistites quidem, & Vicarij præter inobedientiæ peccatum, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ; cæteri verò inferiores ipso facto excommunicantur, priuantur beneficiis, officiis, dignitatibus, feudis Ecclesiasticis, & inhabilitantur ad illa, & alia in posterum obtinenda. Promotiones verò, electiones, & gradus, nullius roboris, vel momenti sunt, nec cuiquam suffragari possunt. Sublata quibuscumque facultate aliter interpretandi, & iudicandi.

THEOREMA 206.

AD prædictam fidei professionem emittendam non solùm tenentur volentes retinere, aut assequi ordinarias, aut extraordinarias lecturas Theologiæ, legum Canonicarum, & ciuilium, Medicinæ, Philosophiæ, & humaniorum litterarum, de quibus expressè fit hoc loco mentio à Pio IV. verùm etiam docentes prima rudimenta Grammaticæ, Arithmeticæ; Musicæ, & aliarum liberalium

lium artium principia, licet publicam scholam non aperiant, sed tantum in propriis domibus doceant, vt declarauit Illustriss. Cardinalium Cõgregatio super Conc. Trident. sess. 24. cap. 12. vt docet Hieronymus Sorbus Capucinus in Compend. Priuilegiorum Mendicantium. verb. *Professio fidei*, in fine, & Sanchez. l. 2. decal. c. 5. n. 4.

At difficultas est de pœnis constitutis, an scilicet excommunicationem & similes pœnas, ac censuras incurrant solum promouentes, & permittentes promoueri, an etiam promoti? Sed resp. etsi Rodericus. t. 2. quæst. 73. art. 2. putarit vtrosque contrafaciẽtes censuras incurrere, rectiùs tamen oppositum tenuisse Sorbum Capucinum, & Sanchez locis citatis, ex textu enim huius constitutionis colligi liquet, huiusmodi censuras esse solum impositas promouentibus, & permittentibus promoueri, non præmissa professione. Qui verò aut legunt, aut ad gradus absque præuia publica professione promoti sunt, pœnam aliam præter peccatum contrahunt, nempe nullitatem promotionis, & gradus, quæ promotis grauissima est, cum ipso iure inducat nullitatem actus. Quamquam etiam in Neapolitana prouincia Synodus Neapolitana anni 1576. censuram etiam ad prædictos extenderit. Non sunt tamen censuræ huius extrauagantis Papæ reseruatæ, cum nihil hac de re hic Pontifex constituerit. vnde poterit Episcopus absoluere, vt docet Sanchez, & Sorbus locis citatis, & author Catecheseos Neapolitanæ. l. 3. de excom. n. 129.

Notat autem Sanchez hunc Pij IV. motum proprium non fuisse vbique receptum, & consequenter non vbique obligare. Vt autem facilius in praxim vbique deduceretur, Pius V. bulla 59. in vet. bull. reuocauit facultates Comitum Palatinorum, & aliorum, promouendi amplius ad Doctoratum, & alios gradus, ne quis huiusmodi subterfugio professionẽ fidei declinaret.

EIVSDEM PII IV.

Constitutionis 89. olim 114. editæ anno 1564. quæ incipit.

Iniunctum.

EPITOME 84.

RECTE decretum Conc. Trident. sess. 24. c. 12. de refor. vt prouisi de parochiis, & beneficiis, quibus animarum cura iuncta est, (de Episcopis, & aliis superioribus statuitur deinde sess. 25. cap. 2. de refor.) teneantur intra duos menses à die adeptæ possessionis in Episcopi, vel Vicarij eius manibus publicam fidei professionẽ emittere, ac iurare, se in Romanæ Ecclesiæ obedientia permansuros: Itémque prouisi de canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, coram prædicto Episcopo, aut Vicario, & coram Capitulo idem præstare, aliàs prædictorum nullus fructus suos faceret; Pius IV. in præsenti motu proprio extendit ad omnes religionum etiam militia

Promoti ad beneficia habẽtia curam animarũ, canonicatus, & dignitates. in Cathedralibus, & religiosorũ prælaturas intra duos mẽses fidem profiteãtur. præscripta formula, aliàs non faciunt fructus suos.

militiarũ Prælatos quocumque nomine nuncupentur, qui conuentibus, monaſteriis, ac locis præficiuntur, obligans eos ad faciendam eandem fidei profeſſionem, intra duos ſcilicet menſes à die adeptæ præfecturæ,& tradit formulam profeſſionis, quæ ſola vbique ſit ſeruanda.

THEOREMA 207.

COncilij Tridẽtini decretum, quod vna cum pœnis in eo ſtatutis, explicant Nauarr.t.1.conſil. tit. de ſum. Trin.& fide Cath. conſ.1.2.3. & tit. de iureiur. conſ. 10. Azor t.2. l.7. cap.2. toto. Sanchez. l.2. decal. cap. 5. Petr. Ledeſma t.2. ſum. tr.1. cap.4. Roderic. ſum.t.1. in 2. edit. cap.119. & t.2. reg qq.quæſt.73. art.1. Sorbus in priuil. Mendic. v. *profeſſio fidei.* Emanuel Sà in Aphor. v. *fides.*Leſſius. l 2. capit 34. dub. 29. fine. certum eſt obligare ſub mortali, vt docet Rodericus. d. cap. 119. num.7. Ledeſma cit. cap.4. concl. 10. & Sanchez num.1. cum ſit & de re graui, & grauem contineat pœnam, & intentio colligatur ex grauiſſimis verbis, quibus fertur. Sed an illius extenſio in hoc motu proprio Pij IV. ad prælatos religionum obliget ad fidei profeſſionem emittendam eodem modo, necne, maior eſt difficultas. Et quidem Petrus Ledeſma ibid. Roder. art.3. quæſt.73. qq. regul. & Emanuel Sà affirmant; oppoſitum verò tenet Sanchez num.3.& Sorbus ibidem not. 1. eò quod Illuſtriſſimorum Cardinalium Congregatio ſuper Conc. Trid. & alij viri docti conſulti hac de re reſponderint prædictam extenſionem huius extrauagantis non eſſe, vel non fuiſſe vſu receptam, vel fuiſſe conſuetudine abolitam in pluribus locis. vbi autem viget, ſeruanda erit, & ſtatuto tempore duorum ſcilicet menſium, vt etiam beneficiariis.

Quærenti an,ſi obligati præſcripto tempore profeſſionem non fecerint, eo tranſacto ceſſet obligatio?Reſpondeo non ceſſare,cum id ſtatutum non ſit in honorem temporis, ſed vt terminus obligationis adimplendæ & ideo tranſacto aſſignationis termino non ceſſat obligatio. l.Celſus.ff.de recept. arbit. & cap. cum dilecti. de dolo, & contum. ſicut qui Kal. Maij debitum ſoluere debet, niſi ſtatuto tempore fecerit, non liberatur à ſolutione facienda poſtea. An verò ſemel profeſſione facta ſi beneficiarius, canonicus, præſidens Monaſterio aliò transferatur, debeat iterum profeſſionẽ fidei emittere, necne, res eſt in controuerſia, aliis negantibus, affirmantibus aliis, vt docet Azor quæſt.8. cum nunquam in Concilio Tridentino, neque in hoc motu proprio Pij IV. ſit definitum. ſolum enim dicitur, vt quibus hæc beneficia conferuntur, fidei profeſſionem emittant.

Quid ſi beneficiarius per ſe ipsũ ſtatuto tempore dictam profeſſionem facere non poſſit? Faciat per procuratorem, ex Azor quæſt. 6. Nauarr. l.1. conſil. in p. edit. tit. de S.Trin.conſ.4.num.2. Petr. Ledeſma 2. to. ſum. tr.1. cap. 4. poſt 10. concl. diff.6. Sanchez. l. 2. decal. cap.5. num.7.quod nullum ſit verbum in Conc. Trid. ſignificans neceſſa

necessariò hanc professionem fidei per propriam personam faciendam. & ex regula Iuris 68.l.6. potest quis per alium, quod potest per se ipsum facere, nisi canon, aut lex aliud constituerit, vt etiam potest quis per alium iurare. d.63. can. tibi domino. & dicatur. l.1.ff. de procuratoribus. Vsus procuratoris perquàm necessarius est, vt qui rebus suis superesse vel nolunt, vel non possunt, per alios possint vel agere, vel conueniri. Farinac. tamen in declarationibus cum decis. Conc. Trident.p.4.p.328.vers. dubitatur.dicit Congreg. Illustrissimorum censuisse per seipsum,nó per procuratorem faciendam.ideo lex obstabit, si res ita se habeat.

Sed an ob omissam fidei professionem in conscientia cótrahatur pæna decreta in Concilio ante iudicis sententiam ? Respondent negatiuè Sanchez l.2. decal. cap.5. num.10. Manuel. in qq. regul. t.2. quæst.72. art. 3. Nauarr. de sum. Trinc.consil.3. Oppositum (quod etiam probabile dicit Sanchez) docet. Pet. Ledesma t.2. sum. tr.1. cap.4. post 10. concl. diff.1. Azor. t.2.l.7.cap.3. quæst.1. & Congreg. Illustrissimorum die 2. Sept.1591. & die 13. Apr. 1595. nempe contrahi, quod Concilium prohibeat delinquentes, ius, & dominium fructuum acquirere, dum ait, *eos fructus suos non facere, nec possessionem suffragari.* non perditur tamen titulus beneficij, quia pæna est solum de fructibus, vnde post emissam professionem subsequentes fructus suos facient, ex declaratione Illustrissimorum die 27. Apr. 1595. Poterunt tamen retineri fructus prioris bimestris, vt docet Sanchez num.10. quia, cum hæc pæna sit ob culpam omissionis professionis fidei, pro eo solo tempore ligare debet,quo ea omissio culpabilis fuit, nempe post duos menses ab adepta possessione. Vt etiam ex eodem, & Azore possunt retineri quotidianæ distributiones perceptæ, cum Concilium solum priuet fructibus beneficij, inter quos non computantur quotidianæ distributiones, quando beneficium reddit fructus separatos à distributionibus. Itémque quæ percepta sunt ex anniuersariis diuinis officiis, quæ non debentur præcisè ratione beneficij, sed ratione præsentiæ,ex Sanchez, & Azor q.7.cum pœnæ extendendæ non sint, sed restringendæ. idémque docet Farinac. in declarationibus cum decis. super Conc. Trid. pag. 328. & seq. ex declaratione Congreg. Illustrissimorum, & Doctoribus in cap. 1. de cler. non resid. l. 6. Restitutio autem facienda est pauperibus, aut fabricæ, ex Sanchez nu.10. & Azor loco cit. quæst.3.

EIVSDEM PII IV.

Cõstitutionis 113. in vet.bullario, nam in nouo deest, quæ incipit. Sanctissimus.

EPITOME 85.

Clericus non residens ratione studij futurus intra annum subdiaconus habeat

STATVIT,vt dispensationes impetratę à Clericis de non residendo, & fructibus beneficiorm curatorum recipiẽdis ratione studij, dummodo ante annum fierent subdiaconi, non valeant,

dispensationē cum cōsēsu Ordinatij. cōstituētis interim Vicarium cum fructuū portione.

leant, nec fiant fructus illorum, nisi accedat consensus Ordinariorum: qui etiam interim pro prædictis idoneos Vicarios in diuinis deseruiendo cum beneficiorum fructuum portione congrua deputabunt.

THEOREMA 208.

AGitur de priuilegio non residendi ratione studiorum, extra. tit. de Magistris. cap. vltimo. & tit. de elect. l. 6. cap. cum ex eo. & tit. de priuileg. cap. 2. ibid. & tit. de cler. non resid. cap. relatum. & cap. tuæ. ab Abbate, Io. And. Archidiac. Glossa. citatis locis. Io. Silua. tr. de benefic. p. 4. quæst. 6. Nauarr. cap. 25. num. 120. 121. Rebuffo, in praxi benef. p. 2. tit. de dispensat. ad nō residendum. Azor. t. 2. l. 7. cap. 4. 5. 6. Sylu. v. residentia. quæst. 7. Statuit autem hic Pius IV. prædictam facultatem ab alio, quàm à Romano Pontifice impetratam nullius esse momenti, nisi accedente consensu Ordinarij, in cuius diœcesi constitutum est huiusmodi beneficium animarum curæ coniunctum, vt etiam cap. cum ex eo. de elect. l. 6. requirebat, ne possent post studia recedere à clericatu, & dispensabat ad septēnium.

Porrò studiorum nomine intelligi potest. Primò, si detur discendo, vel docendo opera Theologiæ, & qui in eam incumbit potest per quinquennium computandum à die, quo beneficiarius cæpit operam illi dare, absque alia Episcopi auctoritate in eam incumbere, id enim concedit. cap. vltimum. de Magistris. Gloss. ibid. Rebuffus loco cit. num. 25. Nauarr. Manuali. cap. 25. num. 121. Azor cap. 4. quæst. 3. & non potest Episcopus id vltra quinquennium permittere. Secundò, si detur discendo, vel docendo opera iuri canonico etiam per solum quinquennium, absque alia licentia, ex Archidiac. in c. p. 2. de priuileg. l. 6. Io. And. & Abbate, cap. vltimo de Magistris. Nauarr. cap. licet. de præbend. & in manuali loco cit. Rebuffo, & Azor vbi sup: Tertiò, si detur opera aliis studiis etiam Grammaticæ, & in his requiritur, vt Parochus facultatem impetret ab Episcopo, in cuius diœcesi habet beneficium. cap. relatum. cap. tuæ. de cler. non resid. cap. cum ex eo. de elect. l. 6. Glossa, & aliis citatis, & vt fiat in locis destinatis generalibus studiis, non in quouis oppido, vel pago ex cit. cap. tuæ. & hac Pij IV. constitutione. Sed quia ante Concilium hæc licentia de more non petebatur, vt constat ex Innoc. & Hostiensi in cap. inter quatuor. & cap. relatum. de cler. non resid. Sylu. v. resid. quæst. 7. Rebuffo loco cit. eò quod Pontifex in cap. relatum. dixisset sub disiunctione. *nisi forte de licentia suorum prælatorum, vel studio litterarum, vel alijs honestis causis contigerit eos abesse.* & si petebatur, passim impetrabatur in Curia Romana in ordinaria signatura, vel à summo Pœnitentiario; ideo Pius IV. hic, ne locus fraudi esse possit, præsertim quoad absentes à Curia Romana, de quorum qualitatibus difficilè haberi potest notitia, vult vt omnino petatur facultas, & consensus Ordinarij, loci scilicet beneficij, & non originis domicilij, vt notauit etiā

Glossa in cit. cap. cum ex eo. etsi quoad dandas dimissorias æquiparentur Episcopus originis, domicilij, & Episcopus beneficij. cap. nullus 1. de temp. ord. Sede autem vacante concedere licentiam potest Canonicorum Collegium, ex doct. Panorm. cap. relatum. de cler. non resid. & cap. cum olim. num. 2. quæst. 2. de maior. & obed. & cap. at si clerici. §. de adulteriis. tit. de iudic. Io. Seluæ. p. 4. de benefic. quæst. 9. Roder t. 1. quæst 61. art. 9. & Azor t. 2. l. 7. cap. 5. q. 3. cum in similibus potestas Episcopi ad Canonicorum Collegium transeat. c. 1. de Institut. l. 6. Glossa ibid. Hostiens. cap. ad abolendam. extra. de hæret. Interim tamen constituendus erit, qui loco Parochi deseruiat Ecclesiæ illi auctoritate Ordinarij, assignata ei conuenienti portione fructuum beneficij, vt honestè sustentari possit, ex hoc motu proprio, & cap. ex eo. de elect. l. 6. §. porrò. & Conc. Trid. sess. 25. cap. 1. de refor. cum non debeat quis propriis militare stipendiis. cap. charitatem. 11. q. 2. Et tandem declaratur irritum quicquid in contrarium fiat.

EIVSDEM PII IV.

Constitutionis 94. olim 119. editæ anno 1565. quæ incipit.

In principiis.

EPITOME 86.

Reuocãtur priuilegia cõtraria Concilio Tridentino.

VM saluberrima plurima ad vniuersalem morum reformationem sint in Concilio Tridentino statuta, quæ in plerisque contrariantur exemptionibus, immunitatibus, priuilegiis, gratiis, indultis, & (vt vocant) Confessionalibus, & Mari magno, concessis variis Cathedralibus, Ecclesiis collegiatis, monasteriis etiam Ordinum mendicantium, hospitalibus, militiis, ordinibus, societatibus, confraternitatibus, vniuersalibus studiorum Collegiis, Notarijs, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Prælatis, Nunciis, Legatis de latere, ac etiã laicis, cuiuscumque sint dignitatis, etiam regiæ, & imperialis, volens dictum Concilium omnino ab omnibus obseruari, remotis quibuscumque obstaculis; motu proprio, & ex certa scientia, & Apostolicæ auctoritatis plenitudine omnia, & singula, quæ decretis Concilij contrariantur, Pius reuocat, & cassat, & ad Concilij terminos reducit, non secus ac si nũquam emanassent, omniáque irrita decernit, quæ vigore priuilegiorum huiusmodi facta, & gesta sunt, postquam Concilium obligare cœpit, neminíque in foro fori, aut foro conscientiæ posse suffragari.

***

THEO

THEOREMA 209.

PRudenter pro integra obſeruatione Concilij Tridentini Pontifex hic reuocat aduerſas facultates, & priuilegia, ne tanti exhantlati à Patribus labores in nihilum recidant. Nunquam enim ferax nouale habebit agricola, niſi prius penitus euellat ſtirpium fibras, vepres, & dumeta: nunquam pictor egregiam pinget tabulam, niſi priſtinis abolitis delineamentis, & vmbris; nunquam agens naturale ſuas in materiam aliquam qualitates, & formam inducet, niſi contrariis prius depulſis, præparatis ſubiectum ad nouas excipiendas, vt Ariſtoteles, cæteríque ſapientes docent.

Porrò hæc Conſtitutio eſt vniuerſaliſſima, cum priuilegia, & facultates repugnãtes decretis Concilij quaſcunque, & quibuſcumque perſonis, etiam ſi Reges, & Imperatores fuerint, & quibuſuis Eccleſiis, locíſque piis, & Ordinibus conceſſas reuocat. idque motu proprio, quæ clauſula ſuſpectum ſubreptionis tollit. ex cap. ſi motu proprio, de præbend. l. 6. & Clem. *Si Romanus.* de præbend. Gloſſa in Clem. *per litteras.* v. directos. de præbend. Io. Andr. cap. duobus de reſcript. l. 6. Cardin. in cit. Clem. *ſi Romanus.* Abbate, cap. ad aures. de reſcript. l. 6. Azor t. 2. l. 6. cap. 29. Ant. Gabriele. l. 6. tr. de clauſulis, ne ſcilicet quis ſuſpicari poſſit huiuſmodi conſtitutionem ſubreptione vitiatam, vt aliquando ob ignotos mores, & vitam eorum, quibus beneficia conferuntur, in pontificiis litteris contingit, vt conſtat ex cap. in noſtra. & cap. ad aures. & cap. poſtulaſti, de reſcript. reddítque gratiam fauorabilem, ex Io. And. cap. cum in cunctis. de elect. vnde latiſſimã recipit interpretationem, eáque appoſita præſumitur adeſſe iuſtam cauſam. Itémque ex certa ſcientia, quæ etiam clauſula actum alioqui inualidum confirmaret, ex Bartolo. in l. ſi conſtat. ff. de Appell. Alex. conſil. 79. vol. 1. Decio conſil. 516. Pariſio vol. 4. conſil. 3. deinde facit, vt præſumatur cauſa in príncipe concedente, ex Corn. vol. 4. conſ. 189. & vt non requiratur citatio partis, ex Innoc. cap. Albericus. de reſtit. Abbate. cap. cum olim. de re iudic. Romano. conſil. 369. Itémque ne liceat dubitare de eo, quod Papa aſſerit, cum dicatur plene informatus, ex Felino in cap. nonnulli. §. ſunt & alij. de reſcript. & Alexand. vol. 2. conſ. 217. paritérque tollit ſubreptionis vitium, ex Gloſſ. cap. 2. de filiis preſbyt. Milis v. certa ſcientia, abóſque plures litteris appoſita parit effectus, qui vſque ad 22. recenſentur ab Ant. Gabriele. l. 6. concl. 1. de clauſulis. Nequeunt igitur prædictæ facultates cuiquã ſuffragari, aut in foro fori, aut in foro conſcientiæ. nempe neque in foro externo, neque interno.

Dicitur autem *Forus*, ex D. Iſidoro in cap. foro. de verb. ſignif. locus exercendarum litium, & per ſimilitudinem traductus eſt etiam ad animam. vnde duplex eſt, vt ex hoc loco colligitur, etſi Præpoſitus in c. præterea.... d. 2. de ſponſal. S. Anton. 3. p. t. 24. cap. 77. Ludouicus Miranda in manuali 1. p. quæſt. 46. art. 7. tres conſtituant, contentioſum, pœnitentialem, & medium, quem conſcientiæ appellant, vt cum quis abſoluitur à

Cenſura ab habente iuriſdictionem, & nondum ordinem ſacerdotalem, & ideo non poſſit ſolui à peccatis. Sed duo poſtremi ad eundem pertinent, cum etiam à ſola excommunicatione & cenſura, nõ ſacerdos poſſit in foro interno, & non tantum externo, abſoluere, vt notauit etiam Nauar. cap. 27. n. 41. cum D. Tho. 4. d. 18.

EIVSDEM PII IV.

Conſtitutionis 96. olim 124. editæ anno 1565. quæ incipit. Etſi Romanum.

EPITOME 87.

Nuncij Apoſtolici procurantes Principũ fauores ad obtinendas dignitates, excommunicati ſunt, priuati, inhabiles, infames.

PROHIBET §. 2. Nuncios Apoſtolicos, & ſimiles, à Principibus, ad quos mittuntur, fauores procurare, aut illis vti ad dignitates obtinendas, ſub pœna excommunicationis ipſo facto, priuationis omnium beneficiorum, officiorum, perſonatuum, canonicatuum, Eccleſiarum, monaſteriorum, &c. inhabilitationis ad illa, & alia, atque infamiæ.

THEOREMA 210.

VIrtutibus, non prenſationibus, & malis artibus ad altiores dignitatis gradus, & magiſtratus ciues euehendos Romani rectè ſenſerunt, dum teſte D. Auguſt. l. 5. de ciuit. Dei. cap. 12. (vt Plutarchum, & Vitruuium omittam) ita Virtutis, & Honoris ædes conſtuxerunt, vt nullus in Honoris templum, niſi per Virtutis planum pateret ingreſſus. Quos ſanè. § 2. Conſtitutionis huius Pius IV. imitatur, dum Nuncios, ſimiléſque S. R. E. miniſtros, vetat Principum, ad quos mittuntur, fauores procurare apud Sedem Apoſt. illiſuè vti ad dignitates obtinendas. Etenim ad Eccleſiæ negotia tranſigenda, non ad dignitates hamo legationis expiſcandas, ad principes deſtinantur. diuíque Pauli eſt axioma ad Hebr. 5. *Nec quiſque ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* & inferius. *Sic Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum. Filius meus es tu.* Quem ſanè Prælati imitari, & in ſe ipſis exprimere debent in honoribus conſequendis. Soliíque digniſſimi ſunt eligendi, vti Alexand. Magnus apud Iuſtinum lib. 11, de eligendo rege interrogatus, olim reſpondit.

Quod etiam exemplo docuit Gregorius Thaumaturgus in electione Epiſcopi Cumanæ ciuitatis; cum enim magiſtratus anxiè requirerent, qui eloquentia, qui genere, qui reliquo vitæ ſplendore præcelleret, Thaumaturgus re Deo commendata elegit Carbonarium, qui non vrgente neceſſitate, ſed philoſophũ ſub vili exercitio, quaſi ſub modio occultans, operam dabat, vt ignoraretur, vt Nyſſenus ſcribit; votis ſanè contrariis ſtudio Prælatorum, de quibus agit hoc loco Pius. Quare & D. Greg. l. 1. reg. cap. 16. vult illos quærendos, & eruendos à latebris, in quibus deliteſcere malũt, quàm in honoris, & dignitatum luce verſari, & eos cogendos populis præeſſe. quippe cum magnæ electorum

ctorũ virtutes, quaſi theſauri Dei ferè ſemper ſint in occulto, & diuitum timidorum more faciat Deus, qui ne virtutum theſauros, perdat, hos in electis mentibus collocat, & ipſas mentes per ſecretum celat.

Vt viciſſim meritò Moyſem mirantur Origenes hom. 22. ſuper Num. Philo. l. de charitate, & D. Hieronymus ad Tit. 1. quòd populi Iſraëlis principatum filiis ſuis Gerſon, & Eliezer, aut filiis fratris non reliquerit, ſed tantùm orauit. *Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc.* oſtendit enim omnino oportere ab electore abeſſe fumum humanorum affectuum, oculos excæcantem. Et ſanè miſſiones huiuſmodi Nunciorum, niſi Pius præcauiſſet, plenæ eſſent ſuſpicione, & periculo. Verendum eſſet enim, ne Nuncij pro iis fauoribus, & commendationibus obtinendis, demandatum apud Principes Apoſtolicum munus, minus ſtrenuè, fideliterque exequerentur. honoris enim & lucri appetitus non ſecus perturbat, & ſubuertit animum, quàm ſæui venti in tranquillum mare delati, totum pelagus ab imo ſubuertunt, vt docuit D. Chryſoſt. hom. 43. ad pop. Diximus etiam de hac immoderata honorum cupiditate Theorem. 178.

THEOREMA 211.

POrrò tria ſunt Pontificiorum Legatorum genera, ex Gloſſa. c. 1. de officio legati. l. 6. & c. ſtatutum. 1. de reſcript. ibidem. & colligitur. extra. c. excommunicati. de officio legati. Alij enim dicuntur Legati à latere, & ſunt Cardinales, quos mittit Pontifex ex Curia Romana ad Prouinciam aliquam adminiſtrandam, v. g. Æmiliam, Anconitanam, Auenionenſem; & dicuntur à latere, quia quaſi à latere Pontificis, cui aſſiſtunt, dimittuntur, eſtque vſitatus modus loquendi antiquus, vt conſtat ex Conc. Sardicenſi. can. 7.

Alij dicuntur Legati nati, & ſunt Antiſtites, qui ratione Eccleſiarum, quibus præſunt, munus, & officium habent Apoſtolici legati. & dicuntur Nati, quia ſtatim ac ſuis præficiuntur Eccleſiis, id muneris nanſciſcuntur, vt in Anglia Archiepiſcopus Cantuarienſis. extra. c. 1. de officio legati. in Francia Archiepiſcopus Rhemenſis. c. per venerabilem. qui filij ſint legitimi. in Aquitania ſuperiore Archiepiſcopus Bituricenſis. c. vlt. de Maior. & obed. In Aquitania inferiore Archiepiſcopus Burdigalenſis. in Polonia Archiepiſcopus Gneſnenſis. in Germania Salisburgenſis, in Hiſpania Toletanus, &c. Erant hi in ſuis Prouinciis tamquam Primates, & poteſtatem habebant Apoſtolici legati.

Alij denique Nuncij, ſeu Miſſi Apoſtolici dicuntur, qui non ſunt Cardinales, aut Primates, ſed tantum Prælati, & Antiſtites miſſi à Pontifice ad Principes ad negotia tranſigenda, vel vt tamquam Iudices Apoſtolici certas aliquas cauſas iudicare, & definire poſſint, de quibus fit hoc loco peculiaris mentio.

THEOREMA 212.

QVæres quid nomine dignitatis intelligatur. Reſpondeo

ſæpe in Iure Canonico tit. de præben. & dignit. intelligi dignitates quaſdam infra Epiſcopatū in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, quæ inter Canonicatus, & ſimplicia beneficia præſtant, vt eſt Decanatus, Prioratus, Archidiaconatus, & ſimiles, & huiuſmodi dignitates ex communi ſententia Innoc. Hoſtienſis, Io. Andr. Felini. c. cum acceſſiſſent. de conſtit. c. ad aures. &. c. nonnulli. de reſcript. & Io. Selua de benef. p. 1. q. 2. num. 22. habent hi, qui vel rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem, vel iuriſdictionem aliquam in clericos habent. Quare qui ratione beneficij poteſt in clericos pœnis excōmunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti animaduertere, capere, vincire, & abſoluere: item qui honorificum locum in comitiis, cōuentibus, ſupplicationibus, choro, & ſimilibus habet, licet iuriſdictione, & adminiſtratione careat, ex Panorm. loco cit. &. c. de multa. de præben. dignitatem habere dicitur. Sunt autem huiuſmodi beneficiorum dignitates infra Epiſcopum habentes Abbas, Præpoſitus, Prior, Decanus, Archidiaconus, Primicerius, ſiue Præcentor, aut Cantor; item Succentor, Archipresbyter, Theſaurarius, vel Sacriſta, Cuſtos, Scholæ Magiſter, & Capellanus maior. de quibus Azor. tom. 2. l. 3. c. 13. & ſeqq. Aliâs verò dignitatis nomen adeo patet, vt etiam comprehendat maiores dignitates, Epiſcopatum, Archiepiſcopatum, Primatum, Patriarchatum, Cardinalatum, Papatum.

Percunctanti num Abbates, Priores, Guardiani, Rectores, & alij Ordinum Superiores, qui præſunt toti Conuentui, dicantur habere dignitates? Azor quæſt. 7. diſtinguit; ſi nomen dignitatis beneficium ſignificat, iuxta c. de multa. de præbend. &. c. 1. de conſuetud. l. 6. negandum eſſe; cum hæc officia inter Eccleſiaſtica beneficia non numerentur. Si verò ſolum officiū, adminiſtrationem, & iuriſdictionem denotet, iuxta c. 1. 2. & vlt. de officio iud. delegat. l. 6. & Bullam Sixti V. quæ incipit. *Romanum*. affirmandum.

Porrò cum hoc loco abſque limitatione dicatur, ad obtinendas dignitates, videtur amplè ſumendum nomen dignitatis. Notauit autem Nau. t. 1. conſ. 1. de maior. & obed. inter dignitates eiuſdem ordinis, cæteris paribus, cum præcedere, qui eſt maioris loci, ex mente Innoc. in c. Sedes Apoſtolica. v. *maiores*. de reſcript.

THEOREMA 213.

TRanſgreſſores verò huius Cōſtitutionis plectuntur. Primò, pœna excōmunicationis latæ ſententiæ. Secūdò, priuationis omniū beneficiorum, officiorum, perſonatuum, canonicatuum, Eccleſiarum, monaſteriorum, &c. expectari tamen poteſt Iudicis ſententia, cum delinquens non teneatur pœnam exequi contra ſe, ſed tantùm tolerare ex communi ſententia.

Roganti, an perſonatus diſtinguatur ab officio & dignitate? Reſpondet Abbas, Innoc. Hoſtienſis, Io. And. in. c. de multa. de præb. & dignit. Io. Selua. p. 1. quæſt. 2. n. 23. Gloſſa. c. 1. de conſuetud. l. 6. ſæpe non diſtingui, ſed pro varietate locorum vnum, atque idem diuerſis nominibus appellari. vt ſumi

vide

videtur c.cum acceſſiſſent. de Cóſtitut. Quo loco idem officium Primiceriatus appellatur, initio capitis, dignitas; in medio perſonatus, in fine officium. Aliquando tamen diſtingui. nam in c. de multa. de præbend. cum ſtatutum fuerit, ne quis duas dignitates, vel duo beneficia parrochialia teneat, ſubiicitur. idem quoque de perſonatibus conſtituimus. Et c. 1. de conſuetud. l.6.dicitur. ne quis ſine diſpenſatione Apoſtolica poſſit obtinere in eadem Eccleſia duas dignitates, aut duos perſonatus, aut duo officia, vel vnam dignitatem, & officium, aut vnum perſonatum, & officium, vel dignitatē, & perſonatum. idemque docet Gloſſa,& Archidiac. ibidem,quòd is propriè dignitatem habere dicatur, qui habet adminiſtrationem, & cum ea iuriſdictionem, & facit l. fin. Cod. de Iuriſd.om.iud. Perſonatum, qui in Eccleſia habet aliquam præeminentiam, non tamen iuriſdictionem, ſicut ille, qui in Eccleſia, in capitulo, & aliis honoribus præcedit Canonicos. Officium denique, qui ſine iuriſdictione,& ſine præeminentia habet adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum, vt v.g. ſacriſtiæ. Tertiò, inhabilitationis ad illa, & alia,cum fiat incapax. Quartò denique, infamiæ iure ipſo, qua tamen non afficiuntur, niſi poſt ſententiam declaratoriam, vt etiā accidit in publicatione bonorum. ex Bartolo. l. ictus fuſtium. ff. de his, qui not. infam.Panor. c.olim. de reſcript.num.9. Sanchez. l.2.de cal.c.26. Azor tom.1.l. 5. c.7. q.1. 2.3.& aliis, vt diximus Theor. 18. & colligitur ex l.1. ff. de his, qui notan.infam.

PII V.

Conſtitutionis 3. editæ anno 1566. quæ incipit.

Supra.

EPITOME 88.

IVBET Pius V. §.3. vt curent Medici infirmos Catholicè confiteri in principio ægritudinis idoneo Confeſſori. Quod ſi illi non faciant, eos poſt tres dies vlteriùs non viſitent, niſi Confeſſionē rationabiliter Confeſſarius diſtulerit, & confeſſionis fides à Confeſſario cōſtet in ſcriptis.

Medici ſatagant vt intra tres dies infirmi cōfiteantur, aliàs ſunt infames, priuati gradu, & collegio.

§.5. Contrafacientes verò Medici vltra pœnas Conſtitutionis Innoc. III. quas Pius innouat, incurrunt perpetuā infamiam, priuantur gradu doctoratus in medicina,Collegio medicorum, & mulctantur pecunia arbitrio Ordinarij.

§.6. Antequam autem doctoratum,vel facultatem medendi accipiant, iurent coram Notario, & teſtibus ſeruare prædicta, & præſtitum iuramentū explicetur in priuilegio, aliàs ipſæ Vniuerſitates priuantur priuilegio doctorandi. Et Ordinarij à iam promotis, vel habentibus licentiā medendi exigant prædictum iuramentum, nec admittant

mittant in diœcesibus aliquem, nisi constiterit de præstito iuramento.

THEOREMA 214.

MEdicis prudenter Pontifex mandat §. 3. vt initio curent infirmos exomologesim facere suorum peccatorũ. multoties enim esse solẽt peccata morborum causa, vt ex facto Christi Domini in Paralytico curando Matth. 9. & Lucæ 5. rectè obseruarunt D. Hieronym. Theophylatus, Euthymius, & Haymo iisdem locis, & S. Basilius, dum in qq. fus. disp. num. 55. *Morbi* (inquit) *sæpenumero veluti quædam flagella peccatorum, sunt, quibus, nihil aliud agitur, nisi vt vitam nostram in melius commutemus.* Quare Glossa in d.c 9. Matth. suadet, vt exemplo Domini prius crimina, quæ sunt animi morbi expientur, tum corporis curetur ægritudo, vt sublata morbi causa, tollatur etiam effectus. Quod etiam sensit Innoc. III. ex. de pœnit. & remiss. c. cum infirmitas. & qui eum antecessit Magister historiæ Euangelicæ Petrus Comestor. c. 57. cum ait. *Quia constat, quod pro peccatis quandoque ægrotat homo, medicus visitans ægrum, primò debet eum mouere ad pœnitentiam, & confessionem, ne peccato manente tamquam ferrum in vulnere frustra sit malagma apponere.*

Eundem conualendi modum præscripserat etiam Ecclesiasticus. c. 38. vers. 8. *Fili* (ait) *in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Deũ, & ipse curabit te. Auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.* Qui etiam peccata esse ægritudinum causas subiicit n. 15. *Qui delinquit in cõspectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici.* & l. 2. paralip. c. 16. Asa regi, quia in infirmitate sua medicos, & non Dominum quæsiuit, sine Domino nihil profuerunt medici. His consequenter monet S. Nilus in diuersis capitibus. *In morbis ad preces prius, quam ad medicinam confugito.*

Curandum igitur est medico, cum credit morbum periculosum esse, & infirmum in peccato, vt æger confiteatur, idque tum iure naturali, cum omissio tunc vergat in graue præiudicium proximi, nisi videat ob admonitionem infirmum peius facturum, vt notat Sanchez l. 3. decal. c. 16. Anton. 3. p. t. 7. c. 2. §. 4. Rosella v. medicus. n. 4. Beia tom. 1. c. 11. Angel. v. medicus. num. 12. Syl. quæst. 3. Armilla num. 1. Tabiena, v. medicina. q. 14. num. 15. Nau. c. 25. num. 63. tum ex præsenti motu proprio Pij V. vetantis vltra tertium diem inuisere ægrotum, nisi fuerit confessus, dummodo non differat ipse confessarius ex rationabili causa. Et sanè optimè, nisi enim id ab initio fiat, & à medico ex officio sui muneris, inualescente morbo, vel fieri nequibit, vel certè cum ægroto suadebitur, vt de salute animæ disponat, facilè in desperationis periculum incidat, vnde maius mortis periculum incurret, vt docet Innoc. III. d. c. cum infirmitas. de pœnit. & remiss.

THEOREMA 215.

INnouat deinde Pius §. 5. in medicos præcepti transgressores pœnas ab Innoc. constitutas, nempe vt tamdiu arceantur ab ingressu Ecclesiæ, donec pro transgressione

greſſione competenter ſatisfacerint, & præterea addit infamiam perpetuam, vnde eos reddit inhabiles ad dignitates, ad ferendum teſtimonium, & ſimilia, priuat gradu doctoratus in medicina, à medicorum collegio eiicit, & ſupponit pecuniariæ mulctæ, arbitrio Ordinarij: ex quibus conſtat, vt docet etiam Hoſtienſis.d.cap.cum infirmitas. num.3. Anton.Syl.Roſel, & alij citati, præceptum obligare ſub mortali.

Notat autem Nau.c.25.num.61. Roſel. Ang. Armill. locis cit. Roder.t.1.ſum.in 2. edit.c.246. Graffius p.1. decis. l.5.c.14. Vega tom. 2. ſum.c.35.caſu.3.non eſſe locum his pœnis, quando conſtat morbum non eſſe periculoſum. E contra verò S. Anton. & Syl. intelligunt præceptum generaliter de omnibus morbis, eò quod c. cum infirmitas.dicat, *Ne poſtea admonitus æger triſtitia affectus, incidat in deſperationem.*Suarez denique tom. 4.d.35. ſect.3.num.4. Sanchez loco cit.num.7. Caiet.v.Medicus, & Tab.media via incedentes, intelligunt, non de ſolis periculoſis, neque de omnibus generaliter, ſed de quocunque graui morbo, & cum initio periculum eſt, ne deinceps grauis fiat, cum c. cum infirmitas. & motus proprius Pij V. reſtringant præceptum, cum ob morbi grauitatem, non ob delitias, aut podagram, iacet in lecto.

Similiter idem Nau.ibid. & in. c.cum infirmitas. ſentit etiam ex mente Caiet. v. Medicus. quando Medicus credit infirmitatem eſſe periculoſam, non peccare, ſi vt ſolent honoratiores medici, moneant parrochum, aut eos, qui infirmi curam gerunt, vt præbeant illi Sacramenta, quod hoc modo præceptum receptum, & obſeruatum ſit. idémque tenet Rodericus, Vega, Suarez, Sanchez, Armill. Graffius locis cit. quod prædicta præcepta ſolùm intendant, vt æger peccata confiteatur.

Docet item communis ſententia Antonini, Angeli, Syl. Armil. Tab. Suarez, Sanchez, licet infirmus nolit ſumere pœnitentiæ ſacramentum, non eſſe relinquendum à medico, ſi ex eius derelictione ægrotus in graui periculo, vel deſperatione conſtituatur; poſtulat enim ordo charitatis, vt ſubueniatur etiam obſtinatis; Pontificis enim præceptum nil aduerſum charitatem exigit.

Denique §.6. vult exigendum à Medicis iuramentum, explicandúmque in priuilegio de ſeruando huiuſmodi præcepto; & priuat Vniuerſitates in hoc contumaces priuilegio doctorandi. vnde rectè colligit Caiet.Nau.Armill.Suarez, Sanchez num. 15. iuramentum à medicis præſtitum exequendi decreti, ſolum intelligi in quantum præſens Conſtitutio Pij V. vſu recepta eſt, idque videntibus,& diſſimulantibus Prælatis, quorum eſt curare, vt medici prædictũ præceptum,& iuramentum exequantur.

EIVSDEM PII V.

Conſtitutionis 4. editæ anno 1566. quæ incipit.

Sanctiſſimus.

EPITOME 89.

REVOCAT §. 2. omnes licentias, ac facultates cele

Miſſæ nõ celebrãtur rem-

Scortia.

pore vespertino. *suspenso, &c.*

celebrandi, aut celebrari faciēdi Missas vespertino tempore, sub pœna perpetuæ suspensionis, inobedientiæ, & indignationis sanctitatis suæ, non obstantibus quibuscunque concessionibus Apostolicis. Mandatque Ordinariis locorum, vt constitutionem hanc sub prædictis, & aliis sibi visis pœnis inuiolabiliter faciant obseruari.

THEOREMA 204.

NOn posse celebrari Missas nisi ab initio auroræ vsque ad meridiem, etsi aliàs, maximè verò diebus ieiunij. c. solent. de consec. d. 1. & c. ordinationes. d. 75. protraherentur vsque ad Nonam, docuimus, l. 2. de Missæ sacrificio. c. 15. ex S. Thom. 3. p. q. 83. art. 2. 4. d. 13. quæst. 1. art. 2. Paludano ibid. quæst. 2. art. 2. Rich. art. 2. quæst. 3. Soto quæst. 2. art. 3. Scoto quæst. 2. art. 2. Dur. quæst. 2. Alens. 3. p. q. 36. m. 2. Anton. 3. p. t. 13. c. 6. §. 4. Gabriele in can. lect. 14. Turrecr. in c. nocte. de consec. d. 1. & probant liturgiæ regulæ confirmatæ à Pio V. constit. 118. & vsus Ecclesiæ: quamuis enim Christus vespere, & post legalem cœnam celebrarit, Marci 14. Luc. 22. Matt. 26. vt ostenderet vnam cœnam alterius fuisse figuram, ex S. Leone serm. 7. de passione, reliquit tamen Ecclesiæ potestatē statuendi quid ei in hac re magis expedire videretur, vt ex S. Cypr. l. 2. epist. 3. Aug. epist. 118. c. 6. & aliis dixi l. 2. de Missæ sacrificio. c. 7. num. 1. Quare Concil. Trid. sess. 22. c. de obser. & rit. in Missæ celeb. sic statuit. *Postremò ne superstitioni locus aliquis detur, edicto, & pœnis propositis cauetur* (locorum Ordinarij) *ne Sacerdotes aliis, quàm debitis horis celebrent.* Cuius vestigiis Pius V. insistens hoc loco reuocat facultates omnes vespere celebrandi, & statuit quibusuis Prælatis, Capitulis, Clericis, fratribus, cæterisque superioribus, & personis in virtute S. Obedientiæ, & sub indignationis suæ perpetuæque suspensionis à diuinis pœna, ne quis tali tempore celebret, aut faciat celebrari. quam etiam Constitutionem seruari Ordinarij curabunt nouis Censuris, si fuerit opus. & Congregatio Illustrissimorū super Cōcil. Trident. sess. 22. c. de obser. & vit. in celeb. missæ. Demum sic habet. *Ante diem, & horis indebitis celebrare nulli licet, etiam vigore priuilegiorum à Sede Apostol. ante Concil. Trident. concessorum.*

Porrò clausula à Pio V. & à Iustiniano, Nouella 77. vt non luxurientur. num. 2. ac Authen. vt Iudices sine quoquo suffragio. §. vltimo & aliis. apposita, *sub indignationis suæ pœna*, non eum solum effectum habet, vt deinde sese minus gratiosum Pontifex exhibeat, vt putauit Bartolus in extrauagan. ad reprimendum, & Ruinus consil. 30. num. 9. l. 5. sed rectius ex Baldo in l. legis virtus. num. 1. ff. de legg. & consil. 367. & 376. & authen. statuimus. num. 2. Cod. de Epis. & Cler. Crauetta consil. 233. num. 3. Barbatia in cap. prudentiam. §. adiicimus. n. 13. de officio delegat. Iasone in l. 1. num. 12. ff. si quis ius dic. non obtemp. Alciat. in c. quod sedem. num. 16. de officio Ordin. Rebuffo in praxi benef. in tit. de-

declara

claratio nouæ prouiſ. ad finem. Menoch.l.2.de arb.caſu.365.Felin. c.2.de maior.& obedientia.vt etiã inobediens poſſit puniri pœna arbitraria, vnde vt in re leui leuis eſt etiam pœna,v.g.pecuniaria,imponenda, ita in re graui, grauis, etiam mortis, imponi poteſt.vt ſi dux militiæ non paret mandatis Principis, capite mulctari poteſt, etiam ſi res bene ceſſerit,dummodo ramen præceptum iuſtum fuerit.c.cum teneamur. de præbend. & non ſuperuenerit noua cauſa ignota Principi,qui ſi ſciuiſſet,aliter mandaſſet,ex Tiraquell.in tr.de pœnis legum in præfat. num.37.& Deciano in tr. criminal.lib.7.c.12. num 45.

EIVSDEM PII V.

Conſtitutionis 5. editæ anno 1566.quæ incipit. Cum primùm.

EPITOME 90.

Obſeruãnda & vitãda in diuino cultu.& Simonię blaſphemiæ, cõcubinatus, & nefandi criminis pœnæ.

INNOVAT §. 4. conſtitutionẽ Gregorij X. & decretum Concil.Trident. ſeſſ. 22. c. 1. præcipiens, vt in Eccleſiam ſit humilis ingreſſus, quieta conuerſatio, vt fideles orationibus inſtent, genibus flexis ſanctiſſimam Euchariſtiam adorent, ad IESV nomen caput reuerenter inclinent, vitetur in Eccleſia ſeditio, non excitentur tumultus, non audiantur clamores,impetus non committatur, ceſſent colloquia vana, fæda, profana, riſus immoderatus,ſtrepitus iudiciorum,& alia, quæ diuina officia turbant, nemóque deambulet tempore diuinorum officiorum: qui contra fecerit, plectatur pœnis arbitrariis; & ſi inter diuina officia, vel concionẽ quis deambularit, vociferatus fuerit, ſederit verſo tergo ad ſacrã Euchariſtiam, fecerit ve aliud ſcandaloſum, mulctetur ducatis 20. & Ordinarij hæc obſeruari faciant. Qui cum mulieribus fuerit impudicè locutus, aut fecerit actus alios inhoneſtos, mulctetur ducatis 25. & carcere per menſem. Qui obſcœnis, & inhoneſtis verbis, aut ſignis,cum quibuſcunque vſus fuerit in Eccleſiis, aureis 25. aut alia corporali pœna puniatur. Rectores Eccleſiarum moneant hæc ſeruari, negligentes duobus aureis mulctentur.

§.5. Pauperes non permittantur inter officia,& concionem diſcurrere, & eleemoſynas petere, ſed maneant ad ianuam Eccleſiæ. Si capitula neglexerint, puniantur duobus aureis qualibet vice, Parrochi dimidio. Religioſi in virtute S. Obedientiæ deputent aliquem, qui tales eiiciat, negligentes grauiſſimè

ab Ordinario corripiantur; si parere recusauerint, pro qualitate personarũ, arbitrio Papæ, & superiorum etiam corporaliter puniantur.

§. 6. Cadauerum capsæ super terram positæ amoueãtur, & in tumbis profundis collocentur.

§. 7. Dies festi cum veneratione obseruentur, non fiant opera seruilia, mercatus, profanæque negotiationes, strepitus iudiciorum. Deprehensus Romæ fecisse opus illicitum, amittat animalia, quibus vtebatur ad vecturam, &c. alibi puniatur arbitrio Ordinarij, vel Magistratus, & sit præuentioni locus.

§. 8. Simonicè promotus ad Ordines si fuerit inuentus, eo ipso sit suspensus ab executione Ordinum ad 10. annos sine spe dispensationis, & per annum in carcere. Qui dignitates Ecclesiasticas acquisiuit, sit ipso iure priuatus, & in futuro inhabilis ad illas, & alias. Qui beneficium vel Officium Ecclesiasticum Simoniacè fuerit adeptus, sit illis ipso iure priuatus, restituat omnes fructus perceptos, sit inhabilis ad illa, & quæcunque alia; & si pluries talem simoniam commisit, præter prædictas pœnas puniatur corporaliter, & degradatus eiiciatur à consortio fidelium, vltra pœnas à Prædecessoribus impositas. Qui ordines & beneficia simoniacè contulerint, cuiuscunque sint dignitatis, & gradus, puniantur pœnis statutis à iure.

§. 9. Qui in Sacramẽtorum exhibitione simoniacũ quid commiserit, seueriſſimè puniatur ab Ordinariis iuxta Concil. Tridentinum sess. 24. cap. 14.

§. 10. Blasphemus prima vice mulctetur 25. ducatis. secunda 50. tertia 100. & notatus infamia mittatur in exilium. Plebeius, cui non est soluãdo, prima vice per diem ante fores Ecclesiæ maneat manibus reuinctis post terga; secunda, per vrbem fustigetur; tertia, perforata lingua mittatur ad Triremes. Clericus prima vice fructibus vnius anni omnium beneficiorum priuetur; secunda, beneficiis; tertia, exutus omnibus dignitatibus deponatur, & in exilium mittatur. Quod si nullũ obtinet beneficium, prima vice pœna pecuniaria, vel corpotali puniatur; secunda, mancipetur carceri; tertia, verbaliter degradetur, & mittatur ad Triremes.

§. 11. Sodomita tradatur puniendus Curiæ sæculari, etiam

etiam si sit clericus, facta degradatione.

§. 12. Concubinarij tam laici, quàm Clerici ab Ordinariis puniantur iuxta Conc. Trid. sess. 24. cap. 8. & sess. 25. cap. 14.

§. 13. In causis autem Simoniæ, blasphemiæ, & Sodomiæ, non solum per accusationem, & inquisitionem, sed etiam per simplicem, & secretam denunciationem procedatur per quoscumque Iudices competentes tam ratione delicti, quàm personarum, inter quos datur locus præuentioni.

§. 14. Qui comperti fuerint denunciasse per calumniam, teneantur pœna talionis.

§. 15. Multæ pecuniariæ applicantur, duæ partes arbitrio Ordinarij, tertia accusatori.

THEOREMA 217.

CVm Ecclesia domus sit orationis, non confabulationis, & sanctitatis domicilium, non mercatoris diuersorium, vt dixit S. Ambr. Lucæ cap. 19. Pontifex. §. 4. præscribit quomodo in ea sit fidelibus agendum, vt etiam fecerat Gregorius X. in Concilio Lugdun. quod habetur relatum. cap. *decet domum Dei sanctitudo.* tit. de Immun. Eccl. l. 6. ex quo §. hic 4. magna ex parte desumptus est, & Concilium Tridentinum sess. 22. c. de obser. & vit. in Missæ celeb. præcipiens Ordinariis ne patiantur Missam à sæcularibus, aut regularibus quibuscumque peragi, nisi prius, qui intersunt decenter, composito corporis habitu, declarauerint se mente etiam, ac deuoto cordis affectu, non solùm corpore adesse. indéque eas musicas, siue organo, siue cantu, in quibus lasciuum, atque impurum aliquid miscetur; itémque sæculares omnes actiones, vana, atque profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores, arceant, vt domus Dei verè domus orationis esse videatur.

Facit ad hoc idem cap. 1. de Immun. Eccl. quod in domibus Ecclesiæ prohibet Iudicem laicum, placitum, id est forenses actiones, aut hospitium habere, & cap. cum Ecclesia ibidem. vetans sub anathemate tractari causas sanguinis in Ecclesiis, vel cæmeteriis. & c. & hoc diximus. 17. quæst. 7. & cap. cum decore. de vit. & honest. cler. Conc. Turonense 3. cap. 38. Parisiense. l. 2. cap. 12. Colonience tit. de Metropol. cap. 25. Mediolanense 1. cap. cum de Eccl. cultu. Chrysost. hom. 15. in epist. ad Hebræos. Basil. in Psalm. 28. quos cum aliis adduximus, l. 2. de Missæ sacrif. cap. 13. num. 12. & vltra pœnas ab eo hoc loco statutas in eos, qui contra hæc fecerint, vult posse aliis arbitrariis ab Ordinario puniri.

THEOREMA 218.

ADdit in particulari, §. 5. nullo modo permittẽdos pauperes in Ecclesia inter diuina officia, & conciones discurrere ad eleemosynas petendas, sed eas flagitan-

das ad Ecclesiæ portas. vt constituit etiam Conc. Mediolanense 1. loco cit. vt etiam videmus (quod alias monuimus. l. 2. de sacrif. Missæ. cap. 13. num. 12.) Act. c. 3. obseruatum, & monet S. Nazianzenus orat. 27. & Chrysost. hom. 28. ad populum. Qua in re valde mirum est, iam vix dari ab his mendicantibus requiem vllam iis, qui sacrificio intersunt, aut communicant; & vtinam ab iis tantùm, qui morbis capti, vel inualidi sunt, quibus necessaria subministrare æquissimum est. l. si quis ad declinandam. §. vbi. cap. de Epis. & Cler. cum in eis pascatur Christus, ipséque dicturus sit, *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* & scriptum sit Psalm. 40. *Beatus vir, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* & Tobiæ 12. *Quoniã eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.* Sed sunt plurimi validi, qui cum labore, & industria victum sibi quærere possunt: sed malunt mendicare, & otio frui. Quam mendicitatem vt illicitam damnat S. Thom. 22. quæst. 187. art. 5. Pettus Gregor. l. 15. cap. 28. & l. 39. Syntag. cap. 6. num. 13. & seqq. Hostiens. in sum. tit. de natis ex libero ventre. Ripa tr. de peste. tit. de remediis præseruatiuis. num. 166. & seq.

Quare Impp. Gratianus, Valens, & Theodsius. l. vnica. Cod. de Mendicantibus validis, statuerunt, vt huiusmodi Mendici, si seruilis sint conditionis, efficiantur serui eorum, qui inertiam detexerint; si sint ingenui, vel libeti, adscribantur perpetuo colonatui ei, qui validos demonstrarit. Iustinianus autem Auth. col. 6. tit. 9. Nouella 80. cap. 4. & 5. præcipit aduenas mendicantes validis corporibus, si fuerint conditionis seruilis, dominis transmittendos; si liberi, ad ciuitates, & prouincias, in quibus sunt orti; si non fuerint aduenæ, tradendos artificibus, & operibus quibus ali valeant, & segnem vitam in meliorem mutare. Quod si recusarint obedire, leges eos abripiant ad pœnas.

Et Carolus V. lege sanciuit, vt tales non permittantur ire mendicando, & vbi tales inuenti fuerint, nisi manibus laborent, nullus eis quidquam tribuere præsumet. vt etiam vetus lex Francorum. *Mendici* (ait) *vagi per regiones non permittantur: suos pauperes qualibet ciuitas alito: Illis, nisi manibus operentur, nullus quidquam dato.* & sanè meritò, cum id sit contra publicum bonum; prætextu enim eleemosynæ fouetur otium, & inertia, rerum publicarum pestis, teste Valerio Maximo. l. 2. cap. de otio. & auferuntur alimenta ab egenis debilibus, & similibus, qui sibi aliter subuenire non possunt.

Iubet tandem Pius V. hoc loco deputari à Capitulis, Parochis, ac Regularibus, qui ex Ecclesiis, huiusmodi mendicorum inquietudines expellat sub præscriptis pœnis. Video tamen palam ob mendicorum importunitatem, ne dicam improbitatem, in hac parte constitutionem non seruari.

THEOREMA 21.

QVoad §. 6. de cadauerum capsis amouendis, quæ super terram visebantur, profundísque tumbis

tumbis in terram humandis defunctorum corporibus, Dico, vt non sunt contemnenda fidelium defunctorum corpora, teste D. Augustin. l. de cura pro mort. & l. 1. de Ciu. Dei cap. 13. & S. Ambros. in cap. 1. Tobiæ, & Psalm. 68. in illud. *posuerunt mortalia sanctorum tuorum*, &c. qui id tanquam absurdum, ferum, & belluinum esse censent; & è contra laudantur plurimùm, qui proprias, & alienas sepulturas curarunt, Thobias, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Nicodemus, & posse etiam quis aliquando præcepto naturali ad id obligari, vt docet Azor 10. 2. l. 12. cap. 13. quæst. 6. idémque apud Gentiles ex Æliano, l. 5. cap. 14. var. histor. Diodoro l. 2. cap. 5. Herodoto l. 2. Cicerone 1. Tusc. qq. Tertul. l. de test. animæ. cap. 4. diligenter custodiretur, & sepulchrorum violatores grauissimè punirentur, vt constat ex ff. tit. de sepul. viol. Cod. eodem tit. Cicer. l. 2. de leg. Alex. ab Alexand. 6. cap. 4. Menoch. l. 2. de arb. iud. casu 387. Petr. Greg. l. 33. Syntag. cap. 23. Deciano tr. crim. l. 6. cap. 42. 43. Superba tamen, & ambitiosa sepulchra (nisi sint Diui alicuius) haud probanda, sed vehementer sunt reprehendenda, vt fit à D. Chrysost. hom. 84. in Ioan. & hom. 66. in Gen. quare ex Mæcenate dixit Seneca ep. 92. Nec tumulum curo; sepelit natura relictos. & Cyrus apud Xenophontem, l. 8. Cyropæd. iussit, cum è vita migrasset, neque cum auro, neque cum argento, aut loculo quopiam corpus suum condi, verùm terræ quàm primùm reddi. Tum quòd sit superfluum, & inutile dispendium, nullam defunctis vtilitatem afferens, viuis plurimum detrimenti. Tum quòd sepulchra mortuorum, & viuorum ambitionis, & vanitatis testimonium haud esse debeant, sed & dici, & esse monumenta viuorum, vt scilicet meminerint sibi esse moriendum. Eccl. cap. 38. agendámque curam orationibus, sacrificiis, eleemosynis pro defunctis, ex cap. pro obeuntibus, & cap. animæ 13. quæst. 2. & D. August. l. de cura pro mortuis. cap. 4. fidémque habendam resurrectionis ex S. Tho. 4. d. 45. quæst. 2. art. 3. cum seminetur corpus in ignobilitate, vt resurgat in gloria. 1. Cor. 15. Tum quòd sæpe improbi, & vitiis contaminati angustioribus clauderentur capsis, quàm Diui ipsi cum Christo regnantes, & simplices in eis Sanctorum reliquias includi opinarentur, cum tamen non sit improbabile plures esse damnatos. Tum quòd Ægyptiorum Regum sepulchra, pyramides videlicet, & Mausolæa potius quàm Christi Domini simplex, & humile, gloriosissimum tamen, post resurrectionem, sepulchrum imitari velle fideles his monumentis videantur.

Illud omnino laudabile, ac piũ, quòd cum antea apud Hebræos Lucæ 7. & ex Pet. Greg. loco cit. Gentiles defuncti extra Ciuitatem sepelirentur. Vnde l. Prætor. §. 5. ff. de sepulchro violato. Adrianus Imp. rescripto pœnam statuit quadraginta aureorum in eos, qui quempiam sepelissent in Ciuitate, quam Fisco inferri iussit, iam sub Christi lege non solum in vrbibus, sed etiam in ipsis templis sepeliuntur fideles. sicut enim in nouo testamento templi cælestis, portæ innoxiis animis; ita terrestrium templorum portæ corporibus

bus piorum defunctorum meritò apertæ ſunt; cum è contra in veteri, vt cæli portæ, piorum animis corpore exutis, ita templi portæ corporibus mortuis clauſę fuerint; Ethnicorum autem corporibus igne conſumptis, animis quoque æternis damnatis incendiis.

THEOREMA 220.

SVnt item ex §.7. feſti dies Apoſtolica inſtitutione piè obſeruandi, ex D. Clemente. l.8. conſtit. cap.39. & 43. & Leone Imp. Nouella 54. Recenſentur autem feſti dies. cap. pronunciandum. de conſec. d.3. & cap. conqueſtus tit. de feriis. & l. omnes dies. Cod. de feriis. Habent tamen Epiſcopi ius inſtituendi alios dies feſtos Diuis iam Romani Pontificis auctoritate Sanctorũ numero adſcriptis, ex Gloſſa, Io. And. & Abbate d. cap. conqueſtus. non autem iis, qui à Sede Apoſt. inter ſanctos relati non ſunt ex cap. audiuimus. de relig. & ven. ſanct. quos ſanè dies fideles ſubditi tenetentur obſeruare, immo & Religioſi exempti, ex Conc. Trid. ſeſſ.25. cap.12.

Incipit verò dies feſtus à veſpera in veſperam, id eſt ab occaſu ſolis ad occaſum, ex d. cap. pronunciandum, & cap. quod à Patribus. d.75. & cap. 1. extra. de feriis. In pluribus tamen regionibus quo ad ceſſationem operum ſeruilium incipiunt à media nocte in mediam noctem. cap. quoniam. de feriis, Panor. & alij, DD. ibid. Nauarr. cap.13.n.5.& 8. Azor t.2.l.1. c.26. quæſt.12.13.

Quæ in illis haud licet fieri, hic, & cap.1. de feriis ſunt. Primò, opera ſeruilia, vt ſunt, quæ ad artes mæchanicas, & ſimilia ſeruorum propria, pertinent, non autem illa, quæ communia ſunt tam iis, qui ſeruiunt, quàm quibus ſeruitur, ex S.Tho.2.2.quæſt.122.art.4. Caier. ibid. Nauarr. cap.13.num.3. Soto l.2. de iuſt. quæſt. 4. art. 4. Azor. t.2. l.1. cap.28. quæ etiam vacatio operum olim ſeruis dabatur ab Ethnicis, diebus feſtis. ex Macrob. l.1. cap.16. Saturn. & Plutarcho in Numa. Plures tamen accidere poſſunt neceſſitatis, vel pietatis cauſæ, quibus die feſto liceret abſque peccato, huiuſmodi opera exercere, ex S.Thom. Soto. Caiet. Nauar. Azor locis citatis. Syl. v. Dominica, Ang. v. feriæ. Anton.2. p. t.9. cap.7. Armil. v. feſtum. iuxta quæ Scæuola apud Macrobium putauit non violari diem feſtum, ſi quis opus ad Deum pertinens, ſacrorúmve cauſa egiſſet, aut aliquid ad vrgentem vitæ neceſſitatem reſpiciens, factitaſſet. Quid ſi abſque iuſta cauſa quis per dimidiam horam die feſto ſeruili operi vacet? Peccabit, ſed non mortaliter ob operis exiguitatem, ex communi ſententia DD. locis citatis. & in ſum. v. feſtorum violatio. Ang. v. feriæ. num.8.10. Syl.v. Dominica. quæſt.4. & 5. Nauarr. num.5. 8. 9. mortaliter verò ſi notabilem diei partem inſumeret, quam vnam horam integram eſſe ſentit Azor loco cit. quæſt. 5. alij minus probabiliter tertiam, aut quartam diei partem. An autem in ſeruilia opera tranſeant, quæ talia non ſunt natura ſua, ſi quæſtus, aut mercedis cauſa fiant? Sunt opiniones. Affirmant Richard. 3. d. 37. art.2. quæſt.4. Roſel. feriæ. num.7. q.10. Sylu. Dominica. q.5. Aſtenſis. l.1. tit.22. art.4. tit.23. art.3. q.5.

Tabien.

Tabien. feriæ. num. 39. quod ſeruorum ſit lucrari, & mercedis gratia aliquid efficere. Negat Caiet. Sotus locis cit. Nauarr. num. 5. 11. 12. 14. Armill. v. feſtum. num. 22. Azor quæſt. 1. Aliàs Theologiam etiam docere, aut leges ſuſcepta mercede, numerari oporteret inter opera ſeruilia, cum tamen id paſſim in Vniuerſitatibus, videntibus Ordinariis, fiat.

Secundò, mercatus, ſiue is, qui certis hebdomadæ diebus ad priuatas emptiones, & commutationes fiunt, ſiue nundinæ, quæ Principum iuſſu fiunt. & meritò, ne eorum cauſa multi Sacrum omittant, vſus tamen huic rei aliquid indulſit quòd aliis diebus emptores deſint, & euitetur damnum plurimorum, vt notat Sylu. q. 3. Nauarr. num. 8. Azor c. 27. q. 10.

Tertiò cæteræ prophanæ negotiationes, niſi aut exiguitas temporis, aut magnum damnum alioquin imminens, aut alia cauſa iuſta excuſet. cum huiuſmodi dies ſint dicati rebus diuinis, vti profeſti ſæcularibus, ne ſcilicet volumine temporum, diuinorum beneficiorum ſubrepat obliuio, ex D. Aug. l. 32. contra Fauſtum. cap. 12. & l. 10. de ciuit. cap. 4. Deóque impenſius orationibus, & ſacrificiis deſeruiamus. cap. vltimo. de feriis. Nau. Syl. Azor, &c.

Quartò, iudiciorum ſtrepitus, ſeu placita, quo nomine veniunt lites, & cauſæ forenſes, quæ diebus feſtis vetantur. cap. 1. & vltimo de feriis. & hoc §. 7. & l. omnes dies. l. dies feſtus. Cod. de feriis, Macrob. & Plutarch. locis cit. M. Tull. l. 1. de diuin. & l. 2. de legg. apud quem lex 12. Tab. eſt. *Feriis iurgia amouentor.* Obtinuit tamen *Scortia.* vſus, vt in die feſto ruſticis, & miſerabilibus perſonis ius dicatur, quod alio tempore ad iudicium venire, & teſtes adhibere, commodè non poſſint, ex cap. vltimo de feriis. Gloſſ. & Abbate ibid. Nauarr. cap. 13. num. 13. Caiet. 2. 2. quæſt. 122. art. 4. & in ſum. v. *feſtorum violatio.* & ſententia lata die feſto etiam conſentientibus partibus non valet. cap. vltimo. de feriis. l. vt in die. Cod. de feriis. Menoch. l. 1. de arb. Iud. quæſt. 30. ſicut neque iudicium, & cauſa ſanguinis. cap. 1. de feriis.

Quintò, præſtitum ſacramentum, ſeu iuramentum, niſi pro pace, aut magna neceſſitate. cap. 1. de feriis. & conſequenter receptio teſtimonij, cum illam præcedat iuſiurandum. quod hoc loco ſub iudiciorum etiam ſtrepitu includitur. Violatores verò feſtorum præcipit hic Pius puniri ab Ordinario debitis pœnis, quippe cum violatio hæc ſit præcepti Eccleſiaſtici, vel ſi qui tranſgreditur, ſit laicus, à Magiſtratu ſæculari, ita vt ſit præuentioni locus. vt etiam olim apud Ethnicos voce præconis indicebatur in feriis, ne quid tale ageretur, præceptíque negligentes tanquam ferias polluentes, mulctabantur, ex Macrobio loco citato.

THEOREMA 221.

QVæ ſpectant ad §. 8. & 9. ſunt à nobis Theor. 84. 85. 86. explicata, eadem enim habentur in 7. Conſtitutione Eugenij IV. & extrauag. cum deteſtabile. Pauli II. & Conſtit. *Multæ.* Martini V. Concil. Conſtantienſi ſeſſ. 43. Conſtit. 13. quæ incipit. *Superne.* Leonis X.

in Concil. Lateran. vbi innouantur omnes pœnæ, ſiue per Rom. Pontifices, ſiue per Concilia latæ in Simoniacos, vt etiam facit hoc loco Pius V. Sixtus V. num. 51. & Clemens VIII num. 40. Quare Simoniacè promotus ad ordines eſt excommunicatus & ſuſpenſus, ex Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 1. & iuribus citatis, aliiſque adductis Theor 85. idque ab omnibus ordinibus, & non tantum ab ordine Simoniacè ſuſcepto, ex Panorm. in cap. per litteras 2. de Simonia. Angel. v. Simonia. num. 6. Sylu. v. ſuſpenſio. quæſt. 7. Innoc. c. tanta. de Simonia Leſſio. l. 2. cap. 35. dub. 33. & à ſolo Papa abſoluendus, & diſpenſandus, ex prædictis extrauagg. Azor t. 3. l. 12. cap. 21. q. 7. Leſſio, Angel. & Sylu. v. Simonia. quæſt. 19. Et addatur hoc loco, vt deprehenſus ad 10. annos ſit abſque ſpe diſpenſationis, & carceri mãcipetur per annum. immo tunc etiam infamis, & irregularis erit, ſi fuerit de crimine conuictus, vt cum Valentia, & Azore aduerti Theor. 84.

Promotus Simoniacè ſiue ad dignitates Eccleſiaſticas, ſiue ad officia, & beneficia, eſt ipſo iure eis priuatus, cum promotio viribus carcat, atque inhabilis ad illa, & alia, ex § 8. Itémque excommunicatus ex iuribus citatis. Nauarr. cap. 23. num. 111. Azor vbi ſupra, & tenetur reſtituere fructus, cum talis percipiens fructus non fuerit iuſtus poſſeſſor rei fructiferæ, ex præſenti §. 8. præter alia iura adducta Theor. 86. & Couarr. reg. peccatum. p. 2. §. 8. Leſſio dub. 25. Suarez de relig. tr. 3. l. 4. cap. 57. S. Tho. 2. 2. quæſt. 100. art. 6. Soto l. 9. q. 1. art. 1.

Promouens autem per Simoniam realem, ſiue ad ordines, ſiue ad dignitates, & gradus punitur pœnis iure ſtatutis. c. de hoc. §. fin. de Simonia. cap. quicumque 1. q. 1. & ibid. cap. placuit. 1. cap. ea quæ. 1. quæſt. 3. Conc. Bracarenſi 2. c. 3. Trid. ſeſſ. 21. cap. 1. & extrauag. *cum detestabile*. Pauli II. & aliis citatis. ideo eſt excommunicatus, à Papa abſoluendus, & tenetur acceptum reſtituere, vt dixi Theor. 86.

Simoniacus verò in exhibendis Sacramentis, §. 9. præcipitur puniri ſeueriſſime, quippe cum id ſit intrinſecè malum. ex S. Tho. 2. 2. quæſt. 100. art. 2. Dur. 4. d 15. q. 5. Rich. ibid. Altiſiodor. 3. p. ſum. tr. de Simonia Azor t. 3. l. 12. cap. 3. Andr. quæſt. 9. art. 1. Victor. relect. de Simon. num. 15. Soto l. 9. q. 5. art. 2. Nauarr. cap. 23. num. 99. 100. & conſtat l. 3. reg. cap. 5. Matt. 10. *gratis accepiſtis, gratis date*, attendens Dominus huiuſmodi dona ſpiritualia non eſſe data ad quærenda temporalia emolumenta, ſed ad animarum conuerſionem, & ſalutem. & Act. 8. dicatur, *pecunia tua tecum ſit in perditionem*; ſit enim in hoc, Dei dono notabilis irreuerentia. idémque prohibetur. cap. cum in Eccleſiæ, extra. de Simonia.

THEOREMA 222.

CONſtituit §. 10. pœnas blaſphemis. Eſt autem blaſphemia conuicium, ſeu maledictum in aliquem dignitate, & excellentia conſpicuum, prolatum. vt docet S. Auguſt. l. de moribus Manich. cap. 11. ideóque dictum eſt ad Tit. 3. admone illos neminem blaſphemare. ex Theologorum tamen vſu blaſphemia ſignificat conuitium,

uitium, ſeu contumeliam irrogatam Deo, vel Sanctis in cælo regnantibus. ex Hugone apud Couar. in cap. quamuis. de pactis. l. 6. p. 1. §. 7. num. 8. Boſſio tit. de Inquiſit. Nauarr. cap. 12. n. 81. Bartolo in l. itē apud Labeonem. ff. de iniuriis. Simanca tit. 8. Claro. §. blaſphemia. Farinac. in praxi crim. t. 1. quæſt. 20. num. 11. Maſchard. de probat. l. 1. concl. 195. Azor. t. 1. l. 9. cap. 28. t. 3. l. 13. cap. 5. ſiue maledicus affirmer de Deo aliquid, quod illi non conuenit, vt ſi crudelem, vel iniuſtum eum vocet, vel ei imprecetur malum, vt faciunt damnati, quaſi malum in Deum cadere poſſit, vel neget quod illi cōuenit, vt ſi dicat, renego Deum. negatur enim Deus exiſtere, niſi id, quod dicitur, fiat. eſt enim ſaltē blaſphemia conditionalis, & non iuramentum, quippe cum ſit paratus tantam illi iniuriam irrogare. aut cum dicitur, res humanas non curare, & aliquid prohibere non poſſe. vel cum abſque debita reuerentia, & honore quis nominat ſeu irridet, aut iurat per Chriſti Domini membra. vel cum quæ ſunt Dei tribuit creaturæ, vt cum quis puellam, quam deperit, iis nominibus laudat, quæ ſunt Dei, vt Exod. cap. 38. Hebræi dixerunt de vitulo aureo. *iſti ſunt dij tui, qui te eduxerunt ex Ægypto*, &c. & ſimilia, de quibus S. Thom. 2. 2. quæſt. 13 art. 1. Valentia ibid. Azor t. 1. l. 9. cap. 28. Sanchez l. 2. decal. cap. 32. n. 34.

Eſt autem blaſphemia propriè cōtra virtutē religionis; ſicut enim veneratio, & cultus, quo Deū, veneramur, & Sanctos propter Deū, qui eos ſanctitate donauit, pertinet ad religionem, ita in Deum, & Sanctos, vt in Deum referuntur, conuitium eidem religioni opponitur, non confeſſioni fidei, vt docet Caiet. 2. 2. quæſt. 13. artic. 1. Caſtro l. 1. de iuſt. hær. pun. cap. 12. Valentia 2. 2. d. 1. quæſt. 13. p. 2. Sanchez l. 2. cap. 32. num. 3. & 7. Bannes. 2. 2. quæſt. 13. art. 1. not. 3. Petr. Ledeſma ibid. quia tamen vt plurimum blaſphemiæ continent verbalem hæreſim, vnde & dici ſolent hæreticales, ideo S. Thom. loco cit. connumerauit inter peccata contra fidei confeſſionem, ſacrique Inquiſitores de blaſphemiis hæreticalibus ius cognoſcendi habent, non de aliis, ex Caſtro, Couar. Simanca, Claro, Azore. illæ enim articulis fidei contrarię ſunt, hæ autem minimè, vt docet Locatus in ſuo Iudiciali. c. de blaſphemia. Sanchez l. 2. cap. 32. num. 36. Emericus. p. 2. quæſt. 41. num. 1. & 2. Penna. cap. 66. Bannes vbi ſupra, Vgolinus in caſibus Papæ reſeruatis p. 2. cap. 1. §. 3. Pet. Ledeſma. t. 2. ſum. tr. 1. cap. 9. concl. 6.

Hæreticales igitur blaſphemiæ ſunt quæcumque directè contra articulos fidei proferuntur, vt contra Dei omnipotentiam; puritatem Virginis, &c. ex direct. Inquiſ. p. 2. quæſt. 41. Penna ibid. cap. 66. Royas tr. de hæret. p. 2. aſſert. 2. & citatis. nam ob id non ſimpliciter hæ dicuntur blaſphemiæ, ſed ſuperadditur, hæreticales, quia infidelitatis ſignificationem habent, fideique abnegationem, & directè fidei confeſſioni opponuntur; etiam ſi in intellectu nullus ſit error in fide. Et apparet clarius blaſphemia hæreticalis, quando per verbum aliquod indicatiui modi aſſeritur aliquid contra fidem. quando autem non aſſe-

ritur per huiuſmodi verbum, ſed optando, vel imprecando, blaſphemia non eſt hæreticalis. ita Sanchez loco cit. Roias de hæret. q. 2. aſſert. 2. num. 170. & ſeq. Salcedo in pract. Diaz. cap. 110. Suarez t. 1. de relig. tr. 3. l. 1. cap. 5. num. 7. 8. Azeuedo, l. 8. Roderico in ſum. t. 1. edit. 2. cap. 34. Exemplum hæreticalium ſit. *Deus eſt iniuſtus. acceptator perſonarum. non eſt omnipotens. non credo in Deum. renego Deum, crucem, fidem, puritatem Deiparæ.* Exemplum non hæreticalium. *maledictus ſit Deus. per corpus Dei. al diſpetto di Dio*, ex Roia, Suarez, Saliceto, Sanchez locis cit. & Baldo conſil. 476. quia per huiuſmodi blaſphemias, quæ indicatiui modi non ſunt, nil falſum dicatur de Deo, vt poſſint hæreſim continere, ſed tantum malus affectus blaſphemantis erga Deum, volentis ex modo dicendi, quaſi ignominiarum reddere Deum capacem. eſſent tamen hæreticales, ſi blaſphemans per modum indicatiui aſſereret Deum eſſe illarū capacem. Clarus tamen. *Al diſpetto.* refert inter hæreticales, & atroces, quem ſequuntur Maſchardus de probat. l. 1. concl. 194. Decian. in tr. crim. t. 3. l. 6. cap. 2. n 4.

Roganti an blaſphemiæ in Deū, & in Sanctos ſint eiuſdem ſpeciei, etſi neget Azor. quæſt. 10. affirmat tamen Sanchez nu. 38. quòd vtraque blaſphemia ſit contra virtutem religionis, religio verò tribuens debitum cultum Deo, & Sanctis propter Deum, ſit vnius ſpeciei. quamuis vna poſſit eſſe altera grauior; grauior enim eſt, quæ immediatè eſt in Deum, tum quæ in B. Virginem, deinde in Sanctos ex Sanchez n. 39. & Suarez cap. 6.

Similiter blaſphemię ſiue enunciatiuè, ſiue imperatiuè, ſiue optatiuè, ſiue per modum maledictionis, ſiue detractionis, & contumeliæ, ſunt eiuſdem ſpeciei, quippe cum omnes ſub ea ratione ſpecifica conueniant, quod Deo aliquid tribuant, quod ei non conuenit, aut negent quod conuenit, ex eodem Sanchez. Poſſunt tamen blaſphemiæ aliunde differre ſpecie, cum quæ hæreſim continet, differat ſpecie ab ea, quæ non continet, non in ratione blaſphemiæ, ſed in ratione hæreſis adiunctæ, etiam ſi deficiat internus aſſenſus hæreticus, cum illa opponatur directè externæ confeſſioni fidei, & non tantum religioni, vnde erunt duo peccata ſpecifica oppoſita diuerſis ſpecie virtutibus, ex Suarez, & Sanchez. Similiter erit diſtincta ſpecie, cum blaſphemia procedat ex formali odio Dei, cum ibi præter blaſphemiam oppoſitam religioni, adſit quoque odium oppoſitum charitati.

Portò blaſphemia, ſeu contumelia poteſt eſſe & interior, & erit blaſphemia cordis: & exterior, ſiue fiat ore, ſiue ſcripto, ſiue muſico inſtrumento, vt notat S. Thom. 2. 2. q. 72. art 1. Caiet. 2. 2. q. 13. Leſſius l. 2. cap. 45, dub. 5. Sanchez l. 2. decal. cap. 34. num. 4. 5. Suarez. t. 1. de relig. tr. l. 1. cap. 4. cum vſitatum ſit inter homines omnibus his modis loqui. Quod ſi fiat contumelia factis, vt ſi in faciem imaginis expuatur, percutiatur alapa, propriè non erit blaſphemia ex Leſſio, Sanchez, Suarez, quidquid ſenſerit Caſtro loco cit. & Cordub. l. 1. quæſt. 17. §. 5. not. 1. ſed alia contumelia, cum blaſphemia verborum ſit, non factorum.

Adeò

Adeo verò atrox eſt blaſphemiæ crimen, vt ne ipſum quidem vſurparetur nomen in diuinis litteris, benedictionis nomine per antiphraſim appelletur. l. 3. Reg. c. 21. & Iob c. 1. & 2. Eſtque mixti fori, ideo de ea tam ſæculares magiſtratus, quàm Eccleſiaſtici dato loco præuentioni cognoſcere poſſunt, ex §. 13. præſentis Conſtitutionis, Simanca tit. 8. n. 4. Couar. & Claro locis cit. Socin. l. 4. conſil. 119. Leone X. bulla 7. quæ incipit. *Superne*. §. 33. vbi etiam præcipit deferri blaſphemos, vt etiam Iulij III. bulla 43. quæ incipit. *In multis*. idque ab eo, qui ſciuit intra triduum, aliàs eaſdem ipſe pœnas incurret; & denuncians haberi poteſt pro vno teſte, ſi iureiurando denunciet.

Videndus de huiuſmodi denunciatione Sanchez l. 2. c. 32. num. 47. ſi autem iudex non puniat delinquentem, eſt iiſdem ipſe puniendus pœnis, ex cit. bulla Leonis X. vt enim dixit Theodoſius Imp. l. 1. tit. 2. legum. Nouell. in Cod. Theodoſij, tutum non eſt negligere diuinitatis iniuriam, & impunitum ſcelus relinquere. Et Iuſtinianus Authen. 77. vt non luxurientur. *Glorioſiſſimus Præfectus, ſi inuenerit quoſdam tale aliquid delinquentes, & vindictam in eos non intulerit ſecundum noſtras leges, primum quidem obligatus erit Dei iudicio: poſt hæc autem & noſtram indignationem ſuſtinebit.* Vt enim ait auctor Imperfecti hom. 5. in Matth. in propriis iniuriis eſſe patientem laudabile eſt, at iniurias Dei diſſimulare nimis eſt impium. Audientes quoque ſi abſque ſuo periculo poſſunt, licet non ſperent emendationem, blaſphemantem increpare tenentur, ex Concil. Later. ſub Leo X. ſeſſ. 9. Nau. c. 12. num. 83. & c. inter verba. 11. quæſt. 3. Azor t. 1. l. 9. c. 28. q. 7. Leſſio, loco cit. num. 34. Sanchez num. 46. tum vt maledici huiuſmodi reprehenſione quaſi pœna quadam afficiantur, tum vt diuinum honorem tueamur. non videtur tamen vſu receptum, ſi ſpes non ſit emendationis, ex Armilla v. blaſphemia. & Sanchez, vel timeatur ne blaſphemans peius faciat, ex Leſſio.

Non dicitur autem blaſphemare conſuetus, is, qui bis, aut ter blaſphemauit, vt notat Farinac. in praxi crim. t. 1. quæſt. 20. num. 44. Maſcard. de prob. l. 6. concl. 194. Decio tr. crim. tom. 2. l. 6. c. 3. Hieronymus Giacharus in add. ad Clerum, §. blaſphemia, ex Alexand. l. 1. conſil. 72. num. 8. vt in ſimili dixit Panorm. in c. 1. de Iudiciis. num. 24. Bartolus in procœmio. ff. num. 10. Nauar. c. 27. num. 250. Azor t. 3. l. 3. c. 5. & 19.

Pœnæ in hos perditos variæ ſtatutæ ſunt. Iure quidem diuino Leuit. 24. ita ſancitum eſt. *Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur. Lapidibus obruet eum omnis multitudo populi, ſiue ille ciuis, ſiue peregrinus fuerit.* Iure Cæſareo Auth. 77. vt non luxurientur, vltimis ſuppliciis, nempe mortis, quoque ſubiicit Iuſtinianus, vt notat etiam Farinac. in praxi crim. t. 1. quæſt. 20. num. 2. Verum hodie, vt notat Baldus, l. 2. Cod. de rebus cred. Auth. illa non ſeruatur, ſed abſciſſa, aut perforata lingua, & fuſtigatus blaſphemans in exilium, aut ad Triremes mittitur. Qua etiam de re Clarus, §. blaſphemia. Menoch. l. 2. de arbit caſu 375. Farinac. t. 1. prax. crim. quæſt. 20. num.

67. Iure verò Canonico olim in c. ſtatuimus. de maledicis. grauibus blaſphemis laïcis ex Innoc. Hoſtienſi, Io. Andr. Panorm. imponebatur publica pœnitentia ſeptem diebus Dominicis; Clerici verò ex c. ſi quis per capillum. 22. q. 1. deiiciebantur ab ordine, & honore Eccleſiaſtico, ſi tamen id feciſſent ex conſuetudine, & non eſſet ſpes emendationis, ex Abbate. vel certè ſi blaſphemia fuiſſet grauis, ex Bern. Diaz in pract. crim. c. 103. & Couar. loco cit. num. 10. In Concil. autem Later. ſub Leone X. ſeſſ. 9. c. ad abolenda. & cit. Leonis X. bulla, quæ incipit. *Supernè*. §. 33. decretum eſt, vt qui palam, vel publicè Deum, vel B. Virginem expreſsè, contumeliosè, vel obſcænis verbis blaſphemarit, conuictus, ſi munus publicum, vel iuriſdictionem gerit, perdat emolumenta trium menſium pro prima & ſecunda vice, tertia verò vice ipſo munere priuetur ipſo facto. Laicus nobilis mulctatur prima vice. 25. aureis, ſecunda 50. tertia, amittit nobilitatem. Plebeius tradendus in carcerem: quod ſi publicè vlra duas vices blaſphemarit, cum infami mitra per integrũ diem cogatur ſtare ante primariam Eccleſiam. ſi pluries, ad carceres perpetuos, vel triremes, quæ pœna ſuccedit damnationi in metallum, ex Farinac. in praxi. crim. quæſt. 99. num. 14. damnetur. Clerici de hoc crimine conuicti, beneficiorum fructibus vnius anni, Prima vice ab Ordinario priuentur. Secunda verò beneficio, arbitrio Ordinarij, ſi plures habeant, vel eo, quod habeant. Tertia vice ſint omnibus dignitatibus, & beneficiis ipſo facto priuati, & inhabiles ad ea vlterius retinenda. In bulla Iulij III. cit. conuicti bis de blaſphemia ſunt infames, & ad quæcunque beneficia gradus, honores, dignitates obtinendas inhabiles. conuicti tertiò ſunt ipſo iure priuati omnibus beneficiis Eccleſiaſticis, officiis, dignitatibus, honoribus, magiſtratibus, inteſtabiles actiuè, & paſſiuè, & inhabiles ad dicendũ teſtimoniũ. Sed cum huiuſmodi pœnæ abiiſſent in diſſuetudinem ob nimiam Iudicum ſegnitiem, Pius V. præſenti §. 10. renouat decretum Concil. Later. & Leonis X. cum illa moderatione, quæ ex Epitome colligitur.

Circa illud verò, quod hic dicitur de verbali degradatione, aduertendum eſt cum Menochio. l. 2. de arb. caſu. 415. Baldo in l. officiales. Cod. de Epiſ. & cler. Petr. Greg. l. 31. Syntag. c. 30. Speculatore tit. de accuſ. §. 1. Diaz in pract. crim. c. 90. Albertino c. quoniam. q. 14. de hæret. l. 6. Hoſtienſ. & Ant. de Butrio in c. 1. de oblig. ad raciocin. Suarez t. 5. d. 30. ſect. 2. Farinac. in prax. crim. t. 1. q. 8. num. 72. & q. 19. num. 49. degradationem duplicem eſſe, verbalem vnam, actualem alteram. c. degradatio. de pœnis. l. 6. Illa fit ſolo verbo, & ex Speculatore loco cit. verſ. *item quæritur*. forma eius hæc eſt. *Et quia nouimus te commiſiſſe tale crimen, hac degradatione dignum, ideo ſententialiter dicimus te eſſe deponendum, pro vt te deponimus*; & nihil eſt aliud, quàm perpetua remotio ab altari. idemque conſtat ex c. accedens. d. 50. & c. veritatis. de dolo, & contumacia. & Emerico 3. p. direct. in 13. modo terminandi proceſſum. Et non fit, niſi in caſibus expreſſis à lege, ex

Areti

Aretino, & Decio in c. cum non homine. de Iudiciis. Albertino in d.c.quoniam.quæſt.11.num.51. & Diaz in pract.crim.c.90. num.8.& huiuſmodi degradatus verbaliter viuere debet more cæterorum clericorum, cum non amittat priuilegiũ clericale, ſed adhuc gaudeat priuilegio fori, ex Albertino ibid. q.14.n.5. & docet c.dictũ eſt.d.81. & ibid. Gloſſ. & citatum c. accedens. & ad hanc degradationem non requiritur conſenſus aliorum Prælatorum, ex Abbate.c.non poteſt.de ſent. & de re iud. & idem eſt cum depoſitione, ex Abbate ibid. & in c. nouimus. de verb. ſignif. Decio in c. & ſi clerici.de Iudiciis,& Albertino vbi ſupra.q.14. num.3.& conſtat ex c. degradatio. de pœnis. l.6.& Concil. Tridentino ſeſſ.13.c.4.de reform.

Actualis verò eſt cum Iudex nó ſiſtit tamquam in termino in verbali degradatione, ſed procedit ad executionem perſonalem; degradatum enim ab omni officio, & priuilegio,& veſtibus clericalibus. c.degradatio. de pœnis. l.6. relinquit clericum præſentem iudici ſæculari puniendum; & in ea adhibetur conſenſus aliorum Prælatorum, diciturque ſolemnis degradatio, de qua Concil. Tridentinum ſeſſ. 13. de reform. c. 4 habeturque forma in cit. c. degradatio. & in Pontific.fol.190.

THEOREMA 223.

MAteriam huius §.11.tractant S.Thom. 2.2. q.154. art.11. Caiet. ibid. Syl. v. luxuria. Azor p.3.l.3. c.18. 19. Clarus §. Sodomia. Menoch. l. 2. de arbit. caſu 286. Leſſius l. 4. cap. 3. dub. 113. Couar.in Epit.p.2. c.7.§. 5. Socin. iun.l. 3. conſil. 7. Diaz in pract. crim. c.80. Roder. t. 2. quæſt. 25. Petrus Greg. l. 36. Syntag. c. 10. Petrus Crinetus. l. 24. de honeſt. diſcipl. c. 13. & attingunt etiam M.Tull.in oratione pro Milone,& Valer.Max.l.6.c.1.referentes egregium factum C Marij, qui iudicauit C. Lucium nepotem ſuum à Trebonio adoleſcente, quod illius pudicitiam non ſemel attentaſſet, eique vim inferre voluiſſet, rectè occiſum; & Trebonium ob præclarum exemplum, corona donauit. Vult itaque hoc. §. 11. Pontifex huius ſceleris conuictos à ſæculari curia debitis pœnis puniri, etiam ſi fuerit delinquens Eccleſiaſticus, priùs tamen facta degradatione, actuali ſcilicet, & ſolemni, de qua Theor. præcedenti. Et meritò ob tanti ſceleris grauitatẽ & vltimo ſupplicio digniſſimum, vt conſtat tum ex lege d. Gen. 19. Leuit. 18.20 ad Rom.1.ad Galat.5. ad Epheſ.5.ſub nomine immunditiæ, in quod in pœnam idololatrię gentes ceciderunt. Tum plurimarum gentium iure, præſertim Orientalium, vt teſtis eſt Bardaſanes omnium Caldæorum doctiſſimus apud Euſebium Cæſarienſem. l.6.de præp.c.8. *Ab Euphrate*, inquit, *uſque ad Orientalẽ Oceanum, cui cædes, vel furtum obiicitur, non magno mœrore torquetur. Qui verò pudorem maſculi eripuit, ſi res in lucem venerit, magnitudine ignominia ſe ipsũ interficere cogitur.* & mox. in eadem Orientis plaga parentes,atque cognati, ſi cognouerint filios, aut agnatos turpitudini ſe ſubiecíſſe, & interficiunt, & ſepulturæ tradere non dignantur. Tum ex iure Cæſareo. l.cum vir. Cod. ad l. Iul. de

de adult. qua dicitur. *Cum vir nubit in fœminam, viris porrecturam quid cupiatur, vbi ſexus perdit locum? vbi ſcelus eſt, id quod non proficis ſcire? vbi Venus mutatur in alteram formã? vbi amor quæritur, nec videtur? iubemus inſurgere leges, armari iura gladio vltore, vt exquiſitis pœnis ſubdantur infames, qui ſunt, vel futuri ſunt rei.* Menoch. ramen. l. 2. de arbit. caſu 286. num. 12. cum Iacobo Reuardo l. 4. variorum. c. 20. & Hieronymo Paulo in praxi Cancellariæ Rom. putar legendum. *Cum vir nubit, vt fœmina viris paritura*, &c. cum eo olim proceſſiſſet impudiciria, vt etiam Nero Claudius Imper. Sporum puerum in vxorem duxerit fœmineo ornatu, ex Suetonio. c. 18. & Tacito. l. 15. & Saluiano Maſſilienſi, & Pet. Greg. l. 9. cap. 2.

Similis pœna conſtituta eſt Authent. 77. vt non luxurientur, à Iuſtiniano, & inſtituta. de public. Iudiciis. §. item lex Iulia. de adult. vbi eriam Iuſtinianus eos, qui cum maſculis audent nefariam exercere libidinem, gladio punit. Et Paulus l. 1. §. 2. ff. de extraord. crim. reſpondit. *Qui puero ſtuprum abducto ab eo, vel corrupto comite perſuaſerit, aut mulierem, puellamve interpellarit, quidve impudicitiæ cauſa fecerit; donum præbuerit, pretiumve, quo is perſuadeat, dederit, perfecto flagitio, puniantur capite: inperfecto, in inſulam deportentur. Corrupti comites ſummo ſupplicio afficiantur.*

Theodoſius autem, Valentinianus, & Arcadius. lib. 9. tit. 7. in Cod. Theodoſ. ita reſcripſerunt Orontio Vicario vrbis Rom. *Omnes, quibus flagitij vſus eſt, virile corpus muliebriter conſtuutũ alieni ſexus damnare patientiæ (nil enim diſcretum videtur habere cum fœminis) huiuſmodi ſcelus ſpectante populo flammæ vindices expiabunt.* Quod etiam hodie obſeruatur. Videndus Ignatius Lopez in addition. ad c. 86. Bernardi Diaz, & Menoch. l. 2. de arb. c. 286. Immo punitur etiam ſolus conatus, & attentatio, ex l. 1. §. vltimo. ff. de extraord. crim. Boërio. q. 316. Barbatia l. 1. conſil. penult. idque arbitrio Iudicis, ex Menoch. n. 27.

Eſt autem crimen hoc vtriuſque fori, vt hic etiam §. 13. Pius ſtatuit, & docet Clarus. §. Sodomia. num. 3. & quæſt. 37. num. 5. & colligit ex c. Clerici. de exceſſ. Prælat. & cõmuni opinione. vt etiam euenit in blaſphemia, & Simonia, & datur locus præuentioni; poteſtque Iudex procedere non ſolum via accuſationis, & inquiſitionis, ſed etiam per ſimplicem, & ſecretam denuntiationem, de quibus mox dicetur. agemus etiam de hoc eodem crimine, Theor. 254. & ſeqq.

THEOREMA 224.

IN 12. verò. §. vult Pontifex concubinarios tam ſæculares, quàm Eccleſiaſticos puniendos ab Ordinariis, iuxta Concil. Tridentinum ſeſſ. 24. c. 8. & ſeſſ. 25. c. 14. quod cit. c. 8. de laicis agens, ſtatuit, vt ſiue ſoluti, ſiue vxorati fuerint, ſi tertiò ab Ordinario moniti non ſe ſeiunxerint à concubina, excommunicentur, & non abſoluantur, niſi parüerint; & ſi in cenſura per annum manſerint, Ordinarius ſeuerè contra tales procedat. Ipſæ verò publicę concubinæ, ſiue coniugatæ, ſiue ſolutæ, ſi ter monitæ non parent, ab Ordinario etiam ex officio ſuo, & nemine requiren-

te

te grauiter puniantur. & ſi videbitur Ordinario, ex oppido, & diœceſi expellantur auxilio brachij ſæcularis cæteris pœnis in adulteros, & concubinarios in ſuo robore remanentibus, cap. num. 14. cit. contra clericos, decernit, vt ſi primò moniti non reſipiſcant, tertia parte fructuum obuentionum, & prouentuum beneficiorum, & penſionum ipſo facto priuati ſint, applicanda fabricæ Eccleſiæ, vel locis piis arbitrio Ordinarij. Sin in eodem delicto cum eadem, vel alia perſeuerans non pareat ſecundæ monitioni, priuatur omnibus fructibus, & ſuſpenditur ad tempus arbitrio Ordinarij, & ab officio, & adminiſtratione beneficij. Quòd ſi adhuc perſeueret, ſpoliatur omnibus beneficiis, officiis, portionibus, penſionibus perpetuo, fitque inhabilis quibuſcunque honoribus, dignitatibus, beneficiis, & officiis in poſterum. & ſi adhuc cum eadem vel alia in delicto perſiſtat, plectatur excommunicatione. Qui autem non habet penſiones, aut beneficia, pœna carceris, aut ſuſpenſionis, inhabilitatis, arbitrio Ordinarij puniatur. Epiſcopus autem ſi in tale crimen incideret, & admonitus à Synodo Prouinciali, non ſe emendaret, eſt eo ipſo ſuſpenſus, & à Pontifice Romano pro qualitate culpæ, etiam priuatione, ſi fuerit opus, plectendus. Similia his habentur in c. quorumdam, d. 34. & in Concil Rhemenſi ſub Eugenio II. c. 2. & Oxonienſi. c. & ſi fortè.

Eſt tamen grauis quæſtio, an huiuſmodi Clericus concubinarius notorius ſit ipſo iure ſuſpenſus. Et quidem Abbas, c. cum non liceat. de præſcript. & ; c. ex parte. de teſtibus. Hoſtienſis, Cardinalis quos refert, & ſequitur Couar. Clement. *ſi furioſus.* p. 1. §. 1. num. 5. Nau. c. 25. num. 76. 77. 80. & c. 27. num. 154. Palud 4. d. 27. q. 4. Anton. 3. p. t. 27. c. 3. Abulenſ. tr. de clerico concubin. Diaz in pract. crim. c. 73. Syl. v. concubinar. q. 4. Menoch. l. 2. de arb. caſu 418. Bermundus. tr. de clerico concubinar. Rebuffus. tr. de publ. concubinar. Azor tom. 3. l. 3. c. 6. affirmant, & ſi deinde diſcrepent inter ſe. An ſi interim quis celebrat, contrahat irregularitatem, item an requiratur Epiſcopi diſpenſatio etiam poſt emendationem, vt licitè celebret, & denique an extendatur talis ſuſpenſio ſolum ad presbyteros, an etiam ad Diaconos, & Subdiaconos, vel forte etiam ad reliquos in minoribus, de quibus diſtinctè Suarez t. 5. d. 31. ſect. 4. n. 4. & ſeqq. Textus autem, quibus innituntur, paulò infrà explicabuntur. Negant autem Sotus. 4. d. 1. q. 5. art. 6. & d. 13. quæſt. 1. art. 9. Medina in ſumm. l. 1. c. 71. §. 8. & Suarez dic. d. 31. ſect. 4. n. 10. & ſeqq. Tum quia conſuetudine, & vſu Eccleſiæ non eſt recepta talis ſuſpenſio, nec viſus concubinarius, qui ante, vel poſt pœnitentiam miniſtrãs petierit diſpenſationem à ſuſpenſione, aut irregularitate ob tale crimen incurſis. Tum quia Concil. Tridentinum, & Pius V. in præſenti §. ſupponunt tales non eſſe ipſo iure ſuſpenſos. nam Concilium ſeſſ. 25. c. 14. explicato, dicit: Qui ſecundæ monitioni non paret, ad tempus ſuſpendendum. (non eſt igitur ipſo iure ſuſpenſus) arbitrio Ordinarij à beneficij (nihil de ſuſpenſione ab Ordine) ad-

Scortia.

miniſtratione. Et infra. Clericos non habentes beneficia, ſi opus ſit, iuxta delicti, & contumaciæ perſeuerantiam, & qualitatem ab Epiſcopo puniẽdos pœna carceris, ſuſpenſione ab ordine, & inhabilitatione ad beneficia, aliiſve pœnis iuxta Canones. Supponit igitur adhuc nó eſſe ipſo iure ſuſpenſos. Tum quia c. 3. de cohabit. cler. & mulier. dicitur, cogendos per ſuſpenſionis, & interdicti ſententiam ab Epiſcopo, vt huiuſmodi fœminas à ſe abiiciant, & ſeparẽt. Et c. 4. eſſe cogendos per ſuſpenſionem à beneficio, & ſi pertinaces fuerint, etiam per priuationem. Et c. 5. dicitur quidem ſuſpenſus quis propter hoc crimen ab officio, ſd addit rectè Gloſſa, ab Epiſcopo ſuo. Cum enim requirat Pontifex litteras, quæ ſeriem facti contineant, ſatis conſtat, illam ſuſpenſionem fuiſſe per ſentẽtiam latam. Et c. 6. dicitur, interdicendos tales ab officio per Epiſcopum. Non igitur iure ipſo ſunt irretiti cenſuris.

Sed difficultatem facere videntur, tum c. vltimum de Temp. ordin. vbi dicitur talem haud eſſe impediendum à ſuſceptis, vel ſuſcipiẽdis ordinibus poſt peractam pœnitentiam, niſi talia crimina fuerint notoria. ergo ſignum eſt, quando eſt notorium adeſſe impedimentum, nempe ſuſpenſionem, &c. Tum c. veſtra. & c. vltim. de cohabitatione cler. & mulier. vbi habetur concubinarium clericum eſſe ſuſpenſum quoad ſe tantum, niſi eius delictum notorium ſit. Tum quia c. ſi qui ſunt presbyteri, d. 81. & c. nullus. & c. præter. d. 82. vbi interdicitur ingreſſus Eccleſiæ, & vt Miſſam non cantet, neque Euangelium, Epiſtolam, &c. Tum c. Sacerdotes, d. 50. vbi legimus talem non poſſe habere honorem ſecundum canonicæ inſtitutionis auctoritatem.

Quibus reſpondet Sotus, & Medina locis cit. olim fuiſſe latam ſuſpenſionem hanc, ſed ceſſaſſe per contrariam conſuetudinem. Suarez verò negat ex his locis colligi etiam olim latam ipſo iure huiuſmodi ſuſpenſionem. Et ad primum textum reſpondet, non dici de hoc publico peccatore, eſſe ipſo iure ſuſpenſum, ſed monendum ſub interminatione diuini Iudicij, vt non miniſtret: propter enim peccatum publicum, niſi reſipiſcat, poterit committi Iudici, vt illum ſuſpendat, vel alio modo impediat; licet non ſit in iure lata talis ſuſpenſio. Sicut in Concil. Trid. ſeſſ. 22. decreto de obſer. in celeb. Miſſæ, dicitur, vt Epiſcopus neminem, qui publicè, vel notoriè ſit criminoſus, ſacro altari miniſtrare permittat. Quod non ſpectat ad ſuſpenſionem ipſo iure latam, ſed ad officium prælati.

Ad ſecundum, ibi non agitur de ſuſpenſione cõcubinariorum, quæ ſit cenſura, ſed de obligatione quã ſecum affert peccatum: ſi enim eſt occultum, dicitur concubinarius ſuſpenſus quoad ſe tantùm, cum cæteri audientes eius Miſſam non peccent. c. vlr. 15. quæſt. 8. at cum peccatum iam eſt publicum, non ob cauſam ſuperadditam, ſed ob ſcandalum aliorum, quod intrinſecè ſecum affert peccatum publicum, dicitur etiam ſuſpenſus, ſeu obligatus abſtinere propter alios, cum fideles tunc teneantur ad vitandum illum in diuinis myſteris, nec eius Miſſam audire.

Ad

Ad tertium, ibi ſermo eſt de interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ vſque dum pœniteant, non de ſuſpenſione. & de Clericis coniugatis, quorum Miſſas audire cæteri fideles prohibentur. cum dicatur. *Qui concubinam palam duxerit, aut ductam non reliquerit.* Quod delictum hodie grauiſſimè per Inquiſitores puniretur.

Ad quartum, nullum ibi eſt verbum, quod nos cogat inrelligere eſſe ſuſpenſionẽ ipſo iure latam, ſed ſolum huius criminis reum poſſe priuari. maximè cum dicat canon, ſecundum canonicæ inſtitutionis auctoritatem, & non inueniatur, cætera iura huinſmodi ſuſpenſionen ipſo facto imponere.

THEOREMA 225.

QVoad modum autem procedendi contra ptædictos reos, tradit Pontifex §. 13. vt fiat & per viam accuſationis, & per viam inquiſitionis, & denique per viam ſimplicis, & ſecretæ denunciationis, de quibus viis agitur c.qualiter, & quando.2.tit. de accuſatione. Accuſationis via proceditur, cum quis ſpondet ſe probaturum obiecta. Via inquiſitionis, quando Superior, vel Iudex ex officio proceedit ad inueſtigandum commiſſi criminis auctorem, aut purgandum, reformandumve locum aliquem ſubiectum ſuæ iuriſdictioni. Denuntiationis denique, quando, qui detulit crimen, non vult ſuſcipere onus probandi. & duobus modis fieri poteſt. Primo, cum fit ſuperiori tamquam Patri, & dicitur denunciatio Euãgelica, & tendit in emendarionem proximi. Secundo, cum fit Superioti tamquam Iudici, & ſpectat punitionem criminis, ob bonum commune, vel euitationem mali, aut damni; & dicitur iudicialis. de quibus Soto. l. de teg. ſec. m. 2. q. 6. Rodericus. tom. 2. quæſt. 3. 4. 5. Sed Clarus. l. 5. quæſt. 3. & ſeq. ad duos ſolùm modos reducit, nempe inquiſitionem, & inſtantiam partis, vel alterius, ad quem de iure ſpectare poteſt accuſationem porrigere, eò quod denuntiatio ſit quid diſtinctum, & præuium, vt ea, vel infamia præcedente Iudex procedat ex officio: quem ſequitur Leſſius l. 2. c. 29. dub. 12. & colligitur etiam ex cit. c. qualiter, & quando. de accuſat. Quare quicunque Iudex competens, iam ratione delicti, quàm perſonæ, præcedente tantùm ſimplici, & ſecreta denunciatione, procedere poteſt in his criminibus. Sed repertos per calumniam denunciaſſe, Pius V. præcipit §. 14. puniri pœna Talionis, ſeu æqualis retributionis grauiſſima ſanè. de qua Exod. c. 21. Deut. c. 19. Leuit. c. 4. quam etiam, in vſu fuiſſe apud Romanos conſtat ex l. fin. Cod. de accuſat. &. l. fin. Cod. de calumniat. Plinio l. 7. c. 34. Gellio l. 2. c. 5. Ariſtotele l. 5. Eth. c. 5. Alciato l. 9. pareg. c. 8. Alex. ab Alexand. l. 6. c. 10. Budæo in l. Ius ciuile. ff. de Iuſt & iure. Pet. Greg. l. 31. c. 19. & l. 32. Syntagm. cap. 10. num. 5. & 113. Menochio l. 2. de arb. Iud. caſu 322. Abulenſi Exod. 21. q. 26. Leu. 24. q. 12. & in Matth. c. 5. q. 322. S. Thom. 2. 2. q. 68. S. Auguſt. l. 16. contra Fauſtum c. 25. Abbate, & Felino in c. 1. de calumnia. Ignatio Lopez in addit. ad Diaz c. 65. Farinac. t. 1. prax. crim. q. 16. n. 1. Sigiſm. Scaccia de iud. cauſ. ciuil. crim. c. 51. num. 7. & ſeqq.

EIVSDEM PII V.

Conſtitutionis 7. editæ anno 1566. quæ incipit. Cum nobis nuper.

EPITOME 91.

Nautæ, cõductores mercium, & naufragi in ſtatu Eccleſiaſtico bene habẽdi, & iuuandi in rerũ recuperatione. vexãtes eos puniuntur, faucẽtes indulgentias conſequuntur.

VB excommunicationis pœna, & decem millium ducatorum Pontifex §. 1. præcipit Baronibus, & Gubernatoribus, ne in ſtatus Eccleſiaſtici portubus, ripis, & terris audeat quis impedire, vel permittere quouis genere moleſtiæ vexari infortunium, aut naufragium patientes, vel mercium conductores, & nautas. Quin potius, vt tam ipſi, quàm res eorum bene habeantur, & tractentur.

§. 4. Præſtent auxilium ad recuperanda omnia tam per mare vagantia, quàm conſtituta in ripis, & prope terram. nec ſe in dictis rebus immittant, niſi à nauigiorum patronis, aut iis, quorum intereſt, fuerint requiſiti de ope, & auxilio, quod eis præſtare teneantur. Vocati autem in ſubſidium laboris pro recuperatione rerum (etſi in his calamitoſis euentibus per ſe obliget fraterna charitas) iuſtam mercedem percipiant.

§. 5. Atque vt promptius omnes in prædictis rebus conſeruandis, & recuperandis auxilium, conſilium, & fauorem impendant, conceditur eis annorum decem, & quadragenarum totidem indulgentia.

§ 6. Iubet, vt commorantes prope locum naufragij, vocati auxilium ferant.

§. 7. Communitates verò talium locorum teneantur in manibus Iuſtitiæ conſignare latrones, vſurpatores, & detentores rerum naufragatarum, aliàs teneantur ipſæ ad damnum, atque expenſas in tali naufragio paſſis.

THEOREMA 226.

NOn diſſimilia habentur in Pauli III. bulla 42. vt vidimus Epit. 62. ſed hîc additur primò mulcta pecuniaria. 10000. aureorum Gubernatoribus, & Baronibus ſtatus Eccleſiæ, permittentibus nautas, conductores mercium, & naufragium, infortuniumve paſſos, vel res eorum male haberi. Secundò proteguntur hic non tantum paſſi naufragium, verum etiam infortunium, & tam in ſaluandis, quàm recuperandis ſuis rebus. Tertiò, hic non vetatur ſolum res occupari horum miſerorum, ſed imponitur etiam præceptum ſubditis §. 4. 5. 6. deferendi his miſeris auxilium, ſoluenda auxiliantibus mercede moderata, & non quarta parte rerum recuperatarum; vt in bulla Pauli III. Denique quartò Pius §. 7. aggrauat communitates ad conſignandos

Magi

Magiſtratibus iuſtitię vſurpatores, & detentores rerum ablatarum, aliàs teneanter ipſæ reſarcire totum damnum, & expenſas naufragij, vt facit etiam Hadrianus Imp. l.ne quid. ff. de incend. Idem quoque ſtatuit idem Pius V. bulla 12. in vet. bullario contra Communitates non cuſtodientes territoria à furibus, & bannitis. Præſumitur enim negligentia Communitatum in territorio purgando à ſceleratis, & facinoroſis. vnde Ioannes VIII. d.86. cap. 3. ſcribit. *Facientis culpam proculdubio habet, qui quod poteſt corrigere, negligit emendare:* ſcriptum quippe eſt, non ſolum qui faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus, participes iudicantur. & negligere, cum poſſis deturbare peruerſos, nihil aliud eſt, quàm fouere. Videatur etiam Theorema. 6.7.21.167. Bald. l. ſi quis non dicam rapere. num. 17. Cod. de Epiſ. & Cler. Menoch. de præſum. l. 5. præſum. 31. Farinac. de delict. & pœnis. quæſt. 24.

EIVSDEM PII V.

Cõſtitutionis 8. editæ anno 1566. quæ incipit. Circa paſtoralis. *& 9. incipientis.* Decori. *editæ anno 1569.*

Monialibus perpetuò ſeruanda clauſura excom. priu. & inhabilitio, & ſolus Papa abſoluit, & inuoluit etiã participes.

EPITOME 92. 93.

PRÆCIPIT Pontifex in Conſtitut. 8. §. 1. & 2. vt Moniales religionem profeſſæ tacitè, vel expreſsè, quamuis conuerſæ ſint, ſeruent perpetuam clauſuram in monaſteriis omnibus, etſi forſitan in aliquibus nunquam antea viguerit. §. 3. Et ſimiliter etiam Tertiariæ, ſi ſolemne votum emiſerunt, per Ordinarios eadem illis perſuadeatur. §. 4. At verò volentes ſine profeſſione, & clauſura viuere, nullam aliam deinceps in ſua Congregatione poſſint recipere, aliàs irrita ſit receptio. §. 5 Eleemoſynæ pro Monialibus colligantur per conuerſas non profeſſas, aut per profeſſas habitantes propè Monaſterium annorum 40. Sed §. 6. de cætero nullæ aliæ conuerſæ profeſſæ recipiantur. §. 7. Monialium porrò numerus reguletur iuxta redditus Monaſteriorum.

Prędictam conſtitutionem idem Pius confirmat, & declarat bulla 9. in bullario nouo, in veteri autem 100. quæ incipit. *Decori.* edita anno 1569 & §. 2. ſtatuit nulli Monialium, etiam ex Regia proſapia, vel prætextu cuiuſcumque facultatis, aut infirmitatis licere egredi è proprio Monaſterio, niſi cauſa magni incendij, lepræ, & epidemiæ, ſitque cauſa hæc cognita, & approbata, atque etiam in ſcriptis expreſſa per ſuperiores, & ſimul per Ordinarium, quãuis monaſteria ſint exempta, & in dictis caſibus licen-

tia detur solùm ad tempus necessariũ. si secus fiat, egredientes ipsæ, dantes licentiam, comitantes, & recipientes sunt ipso facto excommunicatæ, & absolutio Papæ reseruatur. & egressæ, ac dantes licentiam priuantur omnibus dignitatibus, & officiis, atque ad eadem, atque alia fiunt inhabiles in futuro. & § 5. præcipit in virtute sanctæ obedientiæ Ordinariis, &c. vt quolibet anno per se, vel alium aliquem hæc publicent, & faciant obseruari.

THEOREMA 227.

CVm superioribus sęculis Moniales è suis Monasteriis non difficilè exirent, quod clausura non adeo arcta instituta, vel haud recepta esset, vt colligitur ex cap. periculoso. de statu regul. lib. 6. & epist. 109. D. Augustini, dum scribit. *Nec eant* (Moniales) *ad balnea, siue quocumque ire necesse fuerit, minus, quàm tres; nec illa, quæ habet aliquò eundi necessitatem, cum quibus illa noluerit, sed cum quibus ipsa Præposita iusserit, ire debebit.* & Concilio Cabilionensi 2. cap. 57. dum præcipit, ne Abbatissa exeat è monasterio, nisi habita licentia Episcopi, vel eius Vicarij, nisi fortè imperialis iussio eam cogat, aut alia iusta causa. & quando foras pergit, curam gerat Monialium, quæ secum ducit, & cap. 62. ne sanctimoniales exeant è monasterio, nisi pro aliqua necessitate eas mittat Abbatissa. Cœpit. Bonifacius VIII. de statu regul. in 6. c. periculoso. clausuram prædictam restringere, vetans quancumque & cuiuscumque Ordinis monialem, etiam conuersam, & quocumque appellentur nomine, expressè, vel tacitè professã (neque enim includuntur Nouitiæ, vt constat ex textu.) Qua de re Glossa. cap. vnico. de voto, & voti redemp. l. 6. Sylu. religio 3. num. 19. Nauarr. consil. 81. de regul. l. 5. comm. 4. de regul. quæst. 20. num. 71. Valent. 2. 2. d. 6. quæst. 6. p. 5. exire è suo monasterio; & pariter quemcumque intra Monialium septa ingredi, nisi tanto, ac tali morbo laboraret monialis, vt absque aliarum periculo graui, & scandalo commorari nequiret, etsi teste Io. Aud. ibidem in regno Franciæ hæc Bonifacij Constitutio recepta non fuerit.

Eandem innouauit Conc. Trid. sess. 25. cap. 5. de regul. præcipiens Episcopis vniuersis sub attestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, vt in omnibus monasteriis sibi subiectis, ordinaria, in aliis verò Sedis Apost. auctoritate, clausuram sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruati diligenter curent; compescendo contradictores, & inobedientes, inuocato, si fuerit opus, auxilio brachij sæcularis. ad quod præstandum, iniungit sæcularibus Magistratibus sub pæna excommunicationis ipso facto incurrẽda. Tum subiicit. *Nemini sanctimonialium liceat post professionem exire è monasterio, etiam ad breue tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, indultis quibuscumque, & priuilegijs non obstantibus. Ingredi autem intra septa monasterij nemini liceat,*

liceat, cuiuſcumque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerint, niſi Epiſcopi, vel ſuperioris licentia in ſcriptis obtenta ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda.

Quæ ſanè decreta hac præſenti Conſtitutione Pius V. confirmat. §. 1. & 2. fuitque omnino conuenientiſſimum exitum è monaſterio monialibus, & ad eos ingreſſum, interdicere. vt hac ratione ab humanis conſpectibus ſeparatæ corda, & corpora in omni ſanctitate cuſtodirent. aliàs enim facillimum fuiſſet oriri multa ſcandala, vt quæ leguntur tota 27. quæſt. 1. manifeſtè docent.

Qui ſenſus etiam fuit Patrum Concilij Carthaginenſis, cum vniuerſi dixerunt. *quæ nolunt nubere, & pudicitiæ meliorem eligere partem, hæc vitare debent, & non ſolum non habitare ſimul* (cum extraneis) *ſed neque habere ad ſe aliquem acceſſum.* & ſextæ Synodi in Trullo. cap. 23. dum Virgines, quæ in parentum domibus manebant, ſtatuunt, vt poſt parentum, à quibus cuſtodiebantur, obitum, ab Epiſcopo, vel preſbytero, abſente Epiſcopo, collocentur vel in Monaſteriis Virginum, vel matronis grauioribus conſignentur, & commendentur, ne paſſim vagantes Eccleſiæ lædant exiſtimationem.

Sed neque iure hac in re Moniales, quæ nunquam clauſuram ſeruarant, conqueri potuerunt, cum D. Thom. 2. ſent. d. vlt. q. 3. & quæſt. 10. art. 10. S. Bonau. ſuper regul. cap. 20. Sylu. v. religio. 6. §. 6. Corduba ſuper regulam Minorum cap. 10. quæſt. 2. doceant, ad regulam pertinere non tantum, quæ expreſsè in ea habentur, verùm etiam quæ ad regulam reduc-

cuntur. Ideo cum ad Monialium caſtitatem, & puritatem conſeruandam, cui ſe voto illæ obligarunt, vt ratio ipſa, & experientia optima Magiſtra docuerint, clauſuram eſſe apprimè neceſſariam, rectè Pontifices, atque Concilium eam, tanquam antecedenter in voto caſtitatis promiſſam, præceperunt, vt docent DD. in d. cap. periculoſo. Ang. v. religioſus. §. 30. Anton. 3. tit. 16. cap. 17. §. 3. Syl. relig. 7. §. 16. Nauarr. cap. ſtatuimus. num. 40. Rodericus p. 1. quæſt. 44. & ſeq. Io. de cruce l. 1. epit. cap. 5. not. 3. Azor p. 1. l. 13. cap. 8. quæſt. 2. Miranda. tr. de Monialibus.

Idem fieri præcipit Pius V. §. 3. & 4. à Tertiariis cuiuſcumque ordinis, ſi & ipſæ profeſſæ ſint. cum & iſtarum vota ſolemnia ſint, & irritantia matrimonia, ſicut & aliarum monialum vota, ex bulla 6. Pauli III. & eodem rigore teneântur ad caſtitatem ſeruandam, ſicut & moniales habentes velum, vt notauit Io. de Cruce. l. 1. epit. ſtatus relig. cap. 5. dub. 3.

Quæ autem ſolemne votum non emiſerunt, curandum, vt profiteantur, & ſeruent clauſuram, aliàs nullam deinceps admittere valeant, & ſi contrarium fiat, receptio eſt nulla. Non comprehenduntur tamen hac conſtitutione fœminæ ſæculares Canonicæ. de quibus in Clem. *Attendentes.* de ſtatu monach. & in cap. indemnitatibus. §. ſupradicta. de elect. 6. ſicut neque quæ Romæ in loco Turris nouæ ſpeculorum habitant, ex Nauarr. conſil. 81. 82. de regul. & Azore, t. 1. l. 13. cap. 9. Quod verè, & propriè moniales, & religioſæ non ſint, ſed potius oblatæ, cum

cum nullam emittant professionem solemnem trium votorum.

Porrò vt faciliùs seruaretur clausura, præcepit Bonifacius d. cap. periculoso. §. sanè. vt reguletur numerus monialium in monasteriis non mendicantium iuxta redditus monasterij, aliàs receptio sit nulla. Quod Pius V. hic §. 7. extendit ad Mendicantes. & Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. non tantum ad monialium, sed etiam virorum monasteria, tam mendicantium, quàm non mendicantium, siue viuant ex redditibus, siue ex eleemosynis. vt demum fecit etiam Paulus V. bulla 9. epit. 164. Cúmque Bonifacius dixisset, *tot recipiendas, quot sine penuria sustentari possent*, Concilium dixit, *quot possint commodè sustentari*. & Paulus V. *quot ali, & vestiri possint*, iuxta morem Instituti. ne sit necesse Glossæ. cap. periculoso, v. penuria. iterum laborare in explicatione. Nisi enim necessitati subuenies religiosorum, nunquam exactam, perfectámque videbis obseruantiam vororum in religionibus, & monasteriis.

THEOREMA 228.

IN confirmatione verò, quæ incipit. *Decori* §. 2. declarat tres casus, in quibus liceat Monialibus exire è clausura monasterij, nempe causa magni incendij, lepræ, & pestilentiæ, qui certe casus rangunt bonum commune totius Monasterij, licet c. periculoso. id tantum permisisset ob infirmitatem periculosam aut scandalosam.

Roganti an idem licear in aliis casibus similibus, Dico sententiam esse Nauarr. comm. 4. de regul. num. 48. Gutierez in qq. can. c. 14. Roder. p. 1. quæst. 49. art. 3. Cordubæ in addit. ad Compend. priuil. mend. Collectorum lib. supplem. priuil. in decis. quorumdam dubiorum dub. 1. Io. de Cruce. l. 1. Epit. stat. de relig. cap. 5. dub. 4. licere, vt si bellum ingruat, impetus magni torrentis, ædificij imminens ruina, quæ moniales ad exitum compellant. & Nau. n. 49. casum extendit etiam ad morbum monialis alicuius, iudicio medici, ei valdè periculosum, sed non contagiosum cæteris sanctimonialibus, quod etiam probabile existimat Io. de Cruce. id tamen cæteri non admittunt, cum is morbus non vergat in præiudicium totius Monasterij, vt casus, qui à Pio V. sunt enumerati.

Declarat etiam hic Pontifex, vt causa fuerit approbata per superiorem (si moniales subiectæ sint Religiosis) & per Ordinarium; vt etiam declarauit Congregatio Illustrissimorum Cardinalium supra Conc. Trid. vt refert Roder. t. 1, quæst. 29. art. 6. & Io. de Cruce loco cit. dub. 3. Ita statuens. Monialibus è monasterio exeũtibus, etiam cum causa probabili, requiri in eo communem consensum superioris, & Episcopi loci. quamuis in Hispania in hac parte lex abrogata sit per contrarium vsum; & Moniales exeant cum sola licentia suorum superiorum, vt loco citato refert Io. de Cruce. Idémque Pius V. præcipit licentiam esse dandam in scriptis, quamuis Constitutio Bonifacij. VIII. & Conc. Trident. non requirant, vt scripto tradatur. Moniales autem aliter è monasterio exeuntes, etiam ex Regia prosapia, dantes licentiam, comitantes, & recipientes incidunt ipso facto

facto in excommunicationem Papæ reſeruatam, ipſæque, & dantes licentiam priuantur omnibus dignitatibus, & officiis, & fiunt inhabiles in futuro.

Notat tamen Nauarr. loco citato num. 51. & Rodericus quæſt. 49. art. 7. Comitantes, & excipientes, ſi id fecerint, extrema, aut etiam graui neceſſitate coacti, in has pœnas non incidere; vt ſi egreſſam Monialem ſolam. v. g. & noctu, longiúſque vagantem, nec volentem redire, propinquus excipiat domi, aut aliquo comitetur, ne Monialis famæ, honoris, & vitæ periculum ſubeat; cum etiam ex eiuſdem Nauarr. Caiet. & aliorum ſententia vt diximus Theor. 27. recipiens hæreticum ob conſanguinitatem, vel magnam conſuetudinem, & non formaliter vt hæreticũ (qui caſus eſt multo grauior) excommunicationẽ non incurrat.

EIVSDEM PII V.

Conſtitutionis 13. olim 23. editæ anno 1566. quæ incipit.

Sanctiſſimus.

In diſpẽſationibus matrimonialibus ſufficit exprimere remotiorẽ gradum conſang. vel. affinit. & deinde in litteris facere mentionem de proximiore.

EPITOME 94.

QVM ſtatutum fuiſſet à Pio IV. bulla 137. vt in diſpenſationibus matrimonialibus pro coniunctis in diuerſis gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis ex eodem ſtipite prouenientibus exprimerentur etiam gradus propinquiores, & non ſolum remotiores, aliàs diſpenſationes eſſent nullæ; Pius V. præſenti Conſtitutione. §. 1. in fauorem Matrimonij decernit, vt de cætero in diſpenſationibus pro conſanguinitate, & affinitate, aut mixtis ex eodem ſtipite (dummodo non attingant primum gradum, ſuper quo nunquam intendit diſpenſare) attendatur gradus remotior, qui ſecum trahat propinquiorem. Idem ſeruetur in commiſſionibus, & litteris factis ordinariis, ſufficit enim exprimere remotiorem gradum: obtentis tamen poſtea litteris declaratoriis ſuper propinquiore, iuxta Cõſtitutionem Gregorij IX. & Clementis VI.

THEOREMA 229.

VTi lege veteri Leuit. cap. 19. & iure Ciuili, Cod. de inceſtis, & inutilibus nuptiis, matrimonia in certis gradibus ſunt vetita, ſub pœna infamiæ, bonorum confiſcationis, & ſimilium; ita omnino conenientiſſimè iure canonico Eccleſia prohibuit, vſque ad quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum, contrahi matrimonia, frendant, quantum velint VViclefus Lutherus, Bucerus, Chemnitius, Melantchon, & alij eiuſdem farinæ Nouatores, Anathemate damnati in Conc. Trid. ſeſſ. 24. can. 3. & 4. & pluribus confutati ab Illuſtriſſimo Bellarmino l. 1. de Matrim. cap. 25. & ſeqq. Sanchez l. 7. de 53. num. 6. Valentia t. 4. d. 10. quæſt. 5. p. 1. & 3. Tum ob reuerentiam, quam ſibi conſangui

ſanguinei, & affines exhibere inuicem debent, cui maximè dettahit actus coniugalis, cum & coniuges ipſi inter ſe verecundia quadam ſuffundantur, ex D. Thoma 2. 3. quæſt. 154. art. 9. & D. Auguſt. l. 15. de Ciuit. cap. 16. Tum quòd deceat inite matrimonia, vt publico Reipublicæ Chriſtianę bono deſeruiant, non autem officiant, quippe cum homo animal ſit politicum, ex Ariſtotele l. 1. polit. cap. 2. bonum autem publicum exigat, ne conſanguinei, & affines inter ſe contrahant, cum ſint iam ſatis inter ſe deuincti, ſed cum aliis, vt vinenla amicitiæ maximum reipub. bonum, ex Ariſt. l. 2. pol. cap. 2. non reſtringantur, ſed dilatentur, vt argumẽtatur S. Aug. loco citato, & S. Ambroſius epiſt. 66. ad Paternum. Tum, vt ablata coniugij ſpe, conſanguinei, & affines ſeſe frequenter inuiſentes, & ſimul manentes cautiùs agant, eáque ratione præludatur aditus inceſtibus, qui facilè accideret. Tum quod ſi naturali amori ex conſanguinitate, & affinitate orto adderetur coniugalis, inflammata libidine coniuges effrænatè vacarent copulæ, vt notat Sanchez. l. 7. d. 53. Reſtricta eſt autem. c. non debet. de conſang. prohibitio ad 4. gradum, etſi olim. cap. ad ſedem. 35. quæſt. 5. & cap. nullum. 35. q. 3. & alibi vſque ad 7. extendetetur. vel quod eò vſque ferè vigeat conſanguinitatis, & affinitatis amor, vt notat S. Tho. 4. d. 40. quæſt. 1. art. 4. vel quod vix deinde quis ſe alterius conſanguineum, aut affinem agnoſcat, & diſtantiam gradus recordetur.

THEOREMA 230.

CONſanguinitas autem, quaſi ſanguinis vnitas, ex Io. And. 35. quæſt. 5. in arboris explicatione, quippe cum ab eodem ſanguine proximè conſanguinei originem trahant, definitur à Io. And. loco cit. Nauatr. cap. 22. num. 41. Valentia, & aliis, propinquitas duarum perſonarum, eò quod vna ex altera, vel ambæ ex eodem deſcendant. Pater enim, & filius ſunt conſanguinei, quia vnus ab alio deſcendit, & duo fratres ambo à tertio, patre videlicet, veniunt. Ab aliis, vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum. Ita S. Tho. 4. de 40. q. 1. art. 1. Sanchez lib. 7. diſp. 50. Io. And. loco cit. & iuriſperiti. Dicitur, *vinculum*, quod conſanguinitas formaliter ſit ipſa coniunctio fundata in communicatione eiuſdem ſanguinis; quippe cum maiori neceſſitudine, & beneuolentia conſanguinei vniantur inter ſe, vt etiam Cic. docuit. l. 1. de Officiis. Dicitur, *vinculum perſonarum*, quia bruta ex eodem ſtipite procedentia non dicuntur conſanguinitate coniuncta, ex eodem D. Tho. cum non coniungantur ad amicitiæ vnitatem propter propagationem multorum ex vno parente proximo. Dicitur *ex eodem ſtipite* ſine additione (proximo) quicquid voluerit Palud. 4. d. 40. quæſt. 1. art. 1. & Couar. in 4. decret. p. 2. cap. 6. § 6. num. 1. & 3. quia eo ipſo, quod fit mentio in definitione de ſtipite, intelligitur de ita propinquo, vt virtus eius in deſcendentibus perſeueret. etſi enim virtus primi parentis Adæ in omnibus deſcenden

ſcendentibus duret ſecundum ſimilitudinem ſpecificam, non durat tamen ſecundum ſimilitudinem indiuiduam, iuxta quam auus, & parens aſſimilant ſibi prolem, quæ eorum imaginem, effigiémque complexionis,& morum, refert, cum virtus paterna non ſecundum totam ſuam perfectionem deſcendat in filium, ſed imperfectè, eóque debilius, quò in plures generationes deriuatur, ex Iſid.l.11. etym. cap. 6. Vult etiam Couar.addendum. *vel quorum vnus ab alio deſcendit*, aliàs Adam,& Cain non futuros conſanguineos,cum à nullo communi ſtipite trahant originem. quod etiamſi verum ſit, Sanchez tamen non putat fuiſſe neceſſariò addendum, cum id tantùm euenerit in Adamo, & eius filiis; cæteri enim à communi ſtipite procedunt, ideóque fuiſſe à D. Thoma omiſſum. Tandem dicitur. *carnali propagatione contractum*, vt ſic excludatur ab Angelis conſanguinitas crearis ab eodem Deo; & ab Adamo, & Eua, quæ etſi fuerit formata ex Adæ coſta, non fuit tamen illi conſanguinea, cum non ſit ex illo propagata per carnalem generationem.

Diſtinguitur autem conſanguinitas per lineas, & gradus. Porrò *gradus* ex Io. Andr. eſt diſtantia maior, aut minor vnius perſonæ ab alia ſecundum conſanguinitatis ſeriem, ſeu lineam, ad ſimilitudinem graduum ſcalarum, per quos aſcéndimus, & deſcendimus l. iuriſconſultus. §. 10. ff. de gradibus. *Linea* verò ex eodem Io. Andr. eſt ipſa ordinata collectio perſonarum ab vno ſtipite venientium, cōtinens diuerſos gradus. Eſtque huiuſmodi linea, ſeu ſeries duplex, vna recta, altera tranſuerſalis. *Recta* eſt inter eos conſanguineos, quorum vnus ab alio immediatè, vel mediatè deſcendit, quæ dicitur aſcendentium, dum progrederis ad eos, à quibus origo ducitur, vt pater, auus, proauus, atauus. & dicitur deſcendentium, cum à ſtipite deſcendis ad trahentes originem, vt filius, nepos, pronepos, trinepos. *Tranſuerſalis* autem, ſeu lateralis, eſt inter eos, quorum neuter ab altero immediatè, vel mediatè deſcendit, ſed ambo ab vno aliquo tertio, vel immediatè, vt fratres, vel mediatè, vt conſobrini, vel patrueles. Et hæc *tranſuerſalis* eſt duplex, quædam *æqualis*, nimirum in qua continentur gradus conſanguineorum æquè à ſtipite communi diſtantium, vt ſunt duo fratres, aut duorum fratrum filij. Alia verò *inæqualis*, nempe quando conſanguinei tranſuerſi, ſeu collaterales diſtant inæqualiter à communi ſtipite, in quo vniuntur, vt contingit in patruo, & amita reſpectu conſobrini; diſtat enim conſobrinus ab illis in ſecundo gradu diſpari, quod patruus, & amita diſtent à communi ſtipite, nempe auo conſobrini, in quo proximè vniuntur in ſolo primo gradu, cum ſint eius filij, at conſobrinus diſtat ab auo in ſecundo gradu tanquam eius nepos. Dicitur autem ſtipes perſona illa, in qua omnes perſonæ, de quarum coniunctione tractatur, originem ducunt, & deſcendunt.

Vt autem facile ſciatur in quo gradu conſanguinitatis vna perſona ab alia diſtet, tres regulæ traduntur à S. Tho. 4. d. 40. quæſt. 1. art. 2. Gloſſa tit. de conſang. &

affin. in fine. & 35. quæst. 5. in expositione arboris consang. Palud. 4. d. 40. quæst. vnic. Couar. in Epit. p. 2. cap. 6. num. 6. Sanchez. l. 7. d. 50. num. 4. Valentia t. 4. d. 10. q. 5. p. 3. & aliis, prima videlicet pro linea recta, aliæ pro transuersalibus.

Prima in recta linea ascendentium, Tot sunt numerandi gradus, quot numerantur personæ, excepta prima. Itaque filius est in primo gradu consanguinitatis cum patre, nepos in secundo, pronepos in tertio. Ratio regulæ est, quia pater secundum se non constituit gradum, sed solum in ordine ad illum, qui ab ipso descendit. ergo pater cum filio ab eo descendente constituit vnum gradum. præterea filius ipse cum altero filio, qui ab ipsomet procedit, constituit alterum gradum, quare inter has tres personas, auum, patrem, & neporem dantur tantùm duo gradus. ideo tot sunt in hac linea computandi gradus, quot sunt personæ inuicem procedentes, vna dempta.

Secunda, in linea transuersali æquali eodem gradu distant cõsanguinei inter se, quo quilibet illorum secundum rectam lineam distat à prima stirpe. itaque fratres, qui sunt consanguinei in linea transuersali æquali, sunt consanguinei in primo gradu, sicut & quilibet illorum in primo gradu secundum lineam rectam distat à prima stirpe, in quo coniunguntur, id est patre. & consobrini in secundo, cum in secundo gradu distent ab auo, stipite vtriusque proximo, & sic deinceps. Ratio regulæ est, quia cum rota, & adæquata ratio coniunctionis horum sit vnio cum stipite, meritò etiam computantur gradus penes distantiam ab illo. nec magis, aut minus distare possunt inter se, quàm à stipite. qua de re videndum cap. ad sedem. & cap. parentelæ. 35. n. 5.

Tertia, in linea transuersali inæquali eo gradu consanguinitatis personæ distant inter se, quo remotior illarum secundum lineam rectam distat à prima stirpe. v. g. Patruus, & filius ex fratre distant inæqualiter ab auo, in quo vniuntur, ille enim distat in primo gradu, est enim eius filius, hic autem distat in secundo, vtpote qui est eius nepos; distabunt igitur inter se in secũdo consanguinitatis gradu. traditur regula. cap. fin. de consang. Ratio, cur attendatur gradus penes distantiã remotioris a stirpe, est, quia cum ratio adæquata distantiæ collateralium inter se, sumatur per ordinem ad proximum stipitem, in quo vniuntur, implicat esse inter se coniunctiores, quàm cum stipite: At si ratio haberetur propinquioris consanguinitatis lateralis distans in secundo, aut tertio gradu à stipite, esset coniunctior cum laterali distanti in primo gradu, quàm cum ipso stipite; cum illo enim esset in primo gradu, cum hoc autem in secundo, vel tertio.

Sciendum tamen est ius Ciuile in computatione graduum in linea transuersali procedere alio modo, vt colligitur ex ff. de gradibus. & Authen. de hæret. ab intest. ven. collat. 9. & cap. Ad sedem. 35. quæst. 5. Io. And. ibid. Sanchez l. 7. d. 50. num. 7. 8. & Iurisperitis, qui hac de re consulendi sunt, cum ad præsentem constitutionem id non faciat.

THEO

THEOREMA 231.

AFfiniras verò, ſi Etymologiam ſpectes, ex l. non facilè. §. 3. ff. de gradibus. Io. Andr. 35. q. 5. in explicatione arboris affinitatis, Sanchez l. 7. d. 64. & aliis, *eſt quaſi duorum ad vnum finem vnitas.* eo quod duæ cognariones diuerſæ per nuptias copulentur, & alter ad alterius cognationis finẽ accedat. Cum enim per copulam vir, & fœmina efficiantur vna caro, ſanguis vnius dicitur alterius ſanguinem tangere, & ob id conſanguinei vnius coniugis fiunt alteri coniugi affines. l. non facile cit. & c. fraternitatis. 35. quæſt. 10. Sin verò rem ipſam exquiras, *Affinitas* definitur à S. Thom. 4. d. 41. quæſt. 1. art. 1. quæſtiun. 3. Io. Andr. in arb. affinit. 35. quæſt. 5. Syl. matrim. 8. num. 15. Sanchez loco cit. Nau. Hoſtienſi, & cæteris. *eſt propinquitas perſonarum ex carnali copula proueniens, omni carens parentela.* Dicitur, *propinquitas*, quia in hoc conuenir cum cognatione carnali. *Ex carnali copula proueniens, omni carens parentela*, quòd in hoc ab illa diſtinguatur. debet tamen copula eſſe perfecta, vt norat etiam. S. Anton. t 3. p. tit. 1. c. 12. Valentia to. 4. d. 10. quæſt. 5. primo 3. Nau. c. 22. num. 43. & patet ex c. extraordinaria. 35 quæſt. 5. vnde per alias turpitudines non contrahitur. Et dicitur, *ex copula generaliter*, eò quòd non tantùm ex licita, ſed etiam ex illicita oriatur, ex Conc. Tridentino ſeſſ. 24. c. 4. de matrim. Archidiac. c. vnico. de ſponſal. l. 6. Ioan And. loco cit. Nau. c. 22. num. 42. & communi ſententia, licet l. non facilè. v. Affines. ff. de gradibus. dixerit ex ſolis nuptiis prouenire affinitatem. Sed ex Gloſſa intelligit tantum quoad delationem hæreditatis vel tutelæ. *Omni carens parentela*, ſcilicet perſe, & ex parte affinitatis, cui eſt per accidens, vt aliquando affinitas, & conſanguinitas ſimul in eodem reperiantur, ex D. Thom. loco cit. Durat autem etiam poſt mortem eius, qui fuit cauſa contrahendæ affinitatis, vti conſanguinitatis. c. fraternitatis. 35. quæſt. 10. Affinitas autem propriè non habet gradus, ſed hi inter affines menſurantur per gradus ipſos conſanguinitatis. Petrus enim qui Semproniæ licitè, vel illicitè copulatur, affinis erit conſanguineis Semproniæ in eodem gradu, quo illi Semproniæ conſanguinei erunt, ſiue per rectã, ſiue per tranſuerſam lineam conſanguinitatis. & viciſſim conſanguinei Petri erunt Semproniæ affines in eo gradu, in quo ſunt conſanguinei Petro, vt colligitur ex c. porrò. 35. quæſt. 2. Gloſſa c. non debet. verb. in ſecundo. de conſang. Palud. 4. d. 39. quæſt. 1. Couar. in Epit. p. 2. c. 6 §. 7. Sanchez l. 7. d. 64. n. 3. Valẽtia to. 4. d. 10. q. 5. p. 3. Ideo quia meus frater eſt mihi conſanguineus in primo gradu, eius vxor erit mihi affinis in primo gradu.

Quare ſtipes in affinitare dicitur duplex illa perſona, quæ per carnis copulam miſcetur, & ob id linea affinitatis eſt duplex, ſicut & & conſanguinitatis. Quædam eſt recta aſcendentium, & deſcentium. Aſceudentes ſunt Socer, Socrus, Vitricus, Nouerca. Deſcendentes verò gener, nurus, priuignus, priuigna. Alia tranſuerſa collateralium, qui alterutri coniugi ſunt cõſanguinei in linea tranſuerſa. Nam alteti ſuut affines in

eodem gradu lineæ tranſuerſæ. Et ſi conſanguinei ſint in linea tranſuerſa æquali, vel inæquali, ſimiliter, erunt affines. Impedit autem affinitas, & dirimit matrimonium vſque ad 4. gradum. c. non debet. de conſang. & affin. Saluo quod Tridentinum Concil. ſeſſ. 24. c. 4. de reform. & Pius V. in extrauag. *Ad Romanum.* reſtrinxerunt affinitatem ex illicita copula, vt non impediat vltra ſecundum gradum. Superuenit nonnumquam affinitas inter coniuges per fornicationem vnius cum perſona conſanguinea alterius; & tunc impedit, ne poſſit nocens petere debitum ab innocente, ex c. tuæ fraternitatis. & c. Iordanæ. de eo, qui cognou. conſang. vxoris ſuæ.

THEOREMA 232.

POrrò *Diſpenſatio* in præſenti Conſtitutione eſt iuris relaxatio facta cum cauſæ cognitione ab habente poteſtatem diſpenſandi, ex Inn. c. dilectus. n. 4. de Temp. ordin. Io. And. ibid. num. 6 Butrio num. 10. Abbate. num. 5. Cardinali num. 2. quæſt. 2. Bellamera num. 5. quæſt. 2. Archidiac. c. licet canon. num. 2. de electione. l. 6. Imola l. quidam conſulebat. num. 8. ff. de re indic. Nau. ſumm. prælud. 9. n. 15. Gloſſa 1. quæſt. 7. poſt. c. requiritis. Roderico tom. 2. quæſt. 46. art. 1. Graff. p. 1. l. 2. c. 31. num. 1. Sanchez l. 8 d. 1. num. 2. quamuis hic poſtremus verba illa (*cum cauſa cognitione*) dicat pertinere non ad diſpenſationem ſimpliciter, ſed ad licitam diſpenſationem.

Aduertendum autem eſt aliud eſſe legis Interpretationem, Irritationem, Abrogationem, Derogationem; & aliud Diſpenſationem, vt docet Sotus l. 1. de Inſtit. q. 7. art. 3. Azor tom. 1. l. 5. c. 15. Sanchez. tom. 3. l. 8. d. 1. num. 1. *Interpretatio* eſt, cum declaratur caſus obſcurus, & dubius ob aliqua legis verba, non eſſe lege comprehenſus. *Irritatio* eſt, cum lex ab inferiore magiſtratu conſtituta, à Superiore reſcinditur, & redditur caſſa, & inanis. *Abrogatio legis* eſt cum Princeps, qui legem tulit, poſtquam vim obligandi conſecuta eſſet, eam tollit, & abolet in totum. *Derogatio* eſt, cum ex parte lex tollitur, nam. l. derogatur. ff. de verb. ſig. ita habetur. Derogatur legi, cum pars detrahitur; abrogatur lex, cum prorſus tollitur. Quare & M. Tull. l. 2. de inuent. *Indignum eſt de lege aliquid derogari, aut legem abrogari, aut aliqua ex parte commutari.* Diſpenſatio denique eſt, Principem legis rigorem relaxare, remittere, & mitigare in aliquo caſu, qui alioquin lege comprehenſus erat.

Num verò requiratur cognitio cauſæ diſputat Couar. de matr. p. 2. c. 6. §. 5. num. 12. & Azor. t. 1. l. 5. c. 15. quæſt. 9. & quidem ſi id fiat à Principe, ſufficit eius voluntas, nec requiritur alia cognitio cauſæ, in iis, quæ ſunt ſolius Iuris ſcripti, non diuini, aut naturalis. Si fiat ab inferioribus Præfectis, neceſſaria eſt cognitio cauſæ, aliàs qui legem relaxat, puniri poterit. An etiam requiratur ad diſpenſandum iuſta cauſa, tractat S. Thom. 1. 2. quæſt. 97. art. 4. Couar. loco cit. Sotus l. 1. de Iuſt. quæſt. 7. art. 3. Caiet. 1. 2. quæſt. 96. art 5. prope finem. Azor tom. 1. l. 5. c. 15. quæſt. 2. Et plures alij citandi, & opinio cõmunis, Valentiæ. 1. 2. d. 7. quæſt. 5.

p.9. Sanchez l. 8. d. 18. Sayri. l. 3 de cenſuris. cap. 10. Suarez. l. 6. de ll. cap. 19. Henriquez. l. 12. cap. 3. n. 6. Salas de ll. d. 3. ſect. 4. n. 32. Azor. 1. p. l. 5. cap. 15. quæſt. 3. ſentit validam eſſe diſpenſationem ſine iuſta cauſa, ſed illicitam, quicquid tenuerit Vaſquez. p. 2. d. 178. cap. 4. nam obligatio legis pendet à voluntate legiſlatoris: ſi ergo velit legiſlator, & auctoritatem habens etiam ſine iuſta cauſa aliquem per diſpenſationem excipere, & ab obligatione legis eximere, ille exemptus remanebit, & conſequenter diſpenſatio, etiam abſque iuſta cauſa conceſſa, valida erit, vt etiam initio cum legem tulit, potuit aliquem excipere, licet ſi ſine iuſta cauſa id faciat, imprudenter aget, vnde ſaltem peccabit venialiter, etſi oppoſitum tenuerit Bart. Iaſ. & alij apud Sanchez num. 2. & Azor. loco citato. Quæ verò ſint cenſendæ cauſæ iuſtæ explicat idem Azor ibid. q. 8.

THEOREMA 233.

FVit olim difficultas non exigua, an in diſpenſationis impetratione ſuper gradibus conſanguinitatis, & affinitatis quãdo contracturi diſtãt inęqualiter à ſtipite, vt ſi vnus in ſecũdo, alter in tertio gradu diſtet, eſſe neceſſariò facienda mentio propinquioris, & remotioris gradus. Alexand. enim de Neuo in c. quod dilectio. de conſang. Gambara de auct. Legati l. 8. tit. de diſpenſ. legat. circa matrim. n. 392. Anton. Cuccus. l. 5. inſtit. tit. 12. num. 252. Molina tom. 1. de Iuſt. tr. 2. d. 161. verſ. *Illud tamen.* Burgaſius de Irregul. p. 2. tit. de Interpr. diſpenſat. num. 26. Idque declarauit Pius IV. in ſuo motu proptio, voluerunt fieri mentionem etiam gradus propinquioris, aliàs diſpenſationem futuram ſubreptitiam. Oppoſitum docuerunt Calder. conſil. t. 1. num. 1. ad fin. tit. de conſang. Abbas. c. quod dilectio. de conſang. Corneus conſil. 201. vol. 2. Milis in ſuo repert. v. diſpenſatio. num. 23. Ang. matr. 3. imped. 6. Syl. matr. 8. quæſt. 6. fin. Tab. imped. 3. quæſt. 3. Sotus 4. d. 40. quæſt. 1. art. 2. fin. Ledeſma. 2. 4. quæſt. 56. art. 4. fin. Tolet. l. 7. c. 5. num. 6. Emanuel Sà. v. matrim. vbi de Imped. num. 4. verſ. cognatio carnalis. Hac igitur bulla Pius V. (vt fecerat etiã Clemens VI. in ſua extrauag. nuper relata à Calder. loco cit.) reuocans motum proptium Pij IV. ſtatuit, non eſſe neceſſariam mentionem gradus propinquioris, ſed tantum remotioris, obtentis tamen poſtea litteris declaratoriis ſuper propinquiori, nec poſſe litteras ſubrepţionis, aut intentionis defectu notari. qua etiam de re Couar. 4. decret. p. 2. c. 6. §. 10. num. 12. Cuccus l. 5. Inſtit. tit. 13. num. 17. Gutierez l. 2. qq. can. c. 15. num. 128. Henriquez. l. 12. c. 3. num. 6. Lud. Lopez 2. p. inſtr. c. 49. in Imped. conſang. Roder. t. 1. ſumm. in 2. edit. c. 238. Pet. Ledes. de Matr. q. 54. art. 2. Sanchez l. 8. d. 24. n. 25. 26. & ſeqq. Dicitur autem *gratia ſubreptitia*, quando tacita ſunt ea, quæ ſi fuiſſent narrata, Papa non conceſſiſſet, vel difficilius conceſſiſſet. *Obreptitia* autem dicitur, quando falſum narratum eſt. vnde eſt maior dolus in obreptione, quàm in ſubreptione. Decis. Rotæ 288. apud Farinac. in tom. de conſil. reſp. & deciſ.

Quæ

Quærenti ad quid litteræ illæ declaratoriæ super gradu propinquiore petantur, respondet Henriquez ibid. in comm. litt. T. & c. 9. num. 2. comm. litt. Z. Sanchez loco cit. num. 28. 29. & Pet. Ledesma pro solo foro externo ad vitandum scandalum, ne forte quis suspicaretur fuisse dispensatum in gradu propinquiori, & ob id esse matrimonium irritum, ideo deseruiunt solùm scandalo vitando. Quare matrim. initum virtute dispensationis solo gradu remotiori expresso, nec obtentis litteris declaratoriis esset validum, ex Sanchez num. 29. 30. 31. Quare cum petitur dispensatio in solo foro conscientiæ affinitatis ex occulta copula fornicaria, valet dispensatio, quamuis gradus propinquioris non fiat mentio (dummodo non sit primus) nec sunt necessariæ litteræ declaratoriæ, cum ibi non sit periculum scandali, ex eodem Sanchez n. 28. & 33.

Aduertendum tamen est Pium V. prædictam concessionem, & declarationem limitare, dummodo primum gradum quoquo modo non attingant; cum S. Sanct. in hoc numquam intendat dispensare. ideo quando propinquior gradus stipiti fuerit primus, nullatenus valeret dispensatio, in qua mentio solius remotioris gradus facta esset, vt si quis velit ducere consobrinam, fratris sui filiam, aut filam filij, aut nepotis fratris sui. nam contractus distat à stipite in primo gradu; & à filia fratris in primo cum secundo; à nepte fratris in primo cum tertio; à pronepte fratris in primo cum quarto. Ideo in his casibus, cum attingant primum gradum, nulla erit dispensatio, mentione facta solius gradus remotioris, vt rectè Sanchez num. 32. & Pet. Ledesma docet. v. Append. num. 4.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 20. olim 22. editæ anno 1566. quæ incipit.

Regularium.

EPITOME 95.

REVOCAT §. 2. omnia priuilegia cõcessa mulieribus, etiam ad contemplationem Imperatorum, Regum, & Reginarum, ingrediendi virorum monasteria, regularium Chartusiensium, & cæterorum.

Fœminæ non ingrediantur regulariũ virorũ monasteria. excom. reseruata. priu. & inhabilit. Offic. & susp. à diuinis.

§. 3. Prohibétque, ne dictæ mulieres prætextu facultatũ post huius Constitutionis notitiam dicta monasteria ingredi audeant, sub pœna excommunicationis, latæ sententiæ, & Papæ reseruatæ.

§. 4. & Regulares, qui eas præsumunt admittere, incurrunt ipso facto pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa, & alia, & suspensionis à diuinis.

THEOREMA 234.

NE virorum monasteria ingrediantur mulieres, habetur etiam in iure cautum. nam. 18. q. 2. c. peruenit. ita D. Greg. l. 3. ex 40. scribit

ſcribit Valentino Abbati. *Ideo huius te præcepti ſerie commonemus, vt neque mulieres in tuum monaſterium deinceps aliqua occaſione permittas aſcendere, neque monachos tuos commatres ſibi facere. Nam ſi hoc denuò ad aures noſtras quomodocumque peruenerit, ſic te ſeueriſſime noueris vltioni ſubdendum, vt emendationis tuæ qualitate, cæteri ſine dubio corrigantur.* Et quidem meritò, aliàs enim præberetur occaſio ſcandalis & oblocutionibus. Quare etiam rectè eadē de cauſa idem D. Gregorius. c. in nullo loco. 18. quæſt. 2. & Imperator Iuſtinianus Auth. de ſanctiſſimis Epiſcopis, collat. 9. §. in omnibus. duplicia reprobant monaſteria & Concil. Agathenſe. c. 28. iubet longiùs à monialium monaſteriis virorum ædificari cænobia. Et Eugenius IV. bulla 9. pro Benedictinis. excommunicat mulieres intrantes monaſteria eorum, & ducentes, ac receptantes, ſi voluntariè id faciant.

Prohibet igitur Pius V. vt religioſorum quieti (adde etiam puritati) conſulat, ſub quarumcunque licentiarum, etiam ad Imp. Regū, & Reginarum interceſſionem cōcellarum (quas omnes reuocat) prætextu, fœminas adire virorum regularium cœnobia, etiam ſi Comitiſſæ, Marchioniſſæ, ac Ducciſſæ fuerint. Quare infert Roder. p. 1. quæſt. 48. art. 1. & Io. de Cruce l. 1. de ſtatu relig. c. 5. dub. 1. cōcl. 1. hac bulla non comprehendi Imperatrices, Reginas, & earum filias, quòd expreſſæ non fuerint, & vno verbo potuerint exprimi, vt Ducciſſæ, &c. quippe cum de his minor ſit ratio dubitandi.

Idemque declarauit Congregatio Illuſtriſſ. ſuper Concil. Trident. P. Andreæ Amedeo Ordinis minorum S. Franciſci de Paula, vt ſcribit Alphonſus Caſarubius in addit. ad Compend. Mendic. pag. 146. quibus ingredientibus licebit ſecum habere ancillas ex more aſſociantes, cum ſecundum Panorm. tit. de priuileg. num. 7. priuilegium conceſſum alicui faucat etiam eius ſociis, vt patet in illo, qui tempore interdicti poteſt intereſſe diuinis cumde more aſſociātibus. Idem tamen Pius V. declarauit anno 1569. die 27. Iunij, viuæ vocis oraculo, de quo Roder. loco cit. art. 3. hiſce litteris ſe non præcludere mulieribus aditum accedendi cum aliis fidelibus ad monaſteria, ſeu loca regularium, ac illorum clauſtra, quando in eis Miſſæ, & alia diuina officia celebrantur, vel fiunt proceſſiones, ibique ſepeliuntur fidelium cadauera, aut quando ad diuinum verbum in Eccleſia audiendum, vel aliam cauſam, tantus eſt concurſus populi, vt commodè ingredi, & egredi per principalem Eccleſiæ portam, non poſſint, dummodo cum aliis ſæcularibus perſonis, & recto tramite ad portam, qua de monaſterio exitur, accedant. Quod etiam docet Ioan. de Cruce loco citato concluſ. 3.

THEOREMA 235.

SEd difficultas eſt, an hæc Conſtitutio comprehendat non ſolum fœminas præſumentes intrare virorum monaſteria prætextu licentiarum dictarum, verùm etiam quæ ſine huiuſmodi prætextu ingrediuntur. Suarez. t. 3. d. 22. ſect. 6. num. 11. Rodericus. d. 9. quæſt. 8. art. 2. Sayrus l. 3. c. 31. num. 11.

Philiarchus l. 3. de offic. Sacerd. c. 30. casu 31. sentiunt solum comprehendi intrantes post notitiam reuocationis, prætextu licentiarum, ex ipsis verbis Constitutionis; & ob id si alio titulo ingrediantur, nec peccare mortaliter, nec incurrere censuram, cum pœnæ restringendæ, non extendendæ sint. Oppositum docent Nau. com. 4. de regul. num. 62. vers. quartò. & c. 27. num. 150. in man. & olim. Roder. & alij. Et sanè meo iudicio rectè, etsi enim expressè in d. Constitutione ingredientes alia de causa, non videantur comprehensæ, ipse tamen Pius V. viuæ vocis oraculo, die 27. Iunij anni 1569. quod etiam recensèt Cardinalis Cribellus apud Ioan. de cruce. l. 1. c. 5. etsi datum ponat 27. Ianuarij, anno 1568. & Rodericum loco citato, declarauit mentem, & intentionem suam esse, vt non tantum comprehendantur mulieres prætendentes habere facultatem, & indultum ingrediendi dicta loca regularium, sed etiam omnes, & quascunque mulieres, tam in genere, quàm in specie; quomodo etiam intellexit Gregor. XIII. bulla 28. olim. 36. de qua infra. Theor. 335. & sic etiam declarauit Congragatio Illustriss. in declaratione Concil. Trid. sess. 25. c. 5. de regul. & idem seruatur in Pœnitentiaria Romana, quæ eadem de re, sicut Cardinalis Cribellus eundem Pium consulit, reste Nauar. locis cit. & seruatur etiã in Hispania ab Apostolico Nuncio, eodem Ioan. de Cruce teste. Quare cum stylus Curiæ faciat Ius. c. ex litteris. de constit. Panorm. ibid. & c. quam graui. de crimine falsi, tam ex eiusdem Curiæ vsu, quam declaratione Pontificis extensio facta est, & ideo non discedendum ab vltima sentẽtia. præsertim cum magis videbantur peccare fœminæ, quæ sine litterarum prætextu ingrediuntur, quàm quæ ex præteusa licentia.

Accedit, quia si cæteræ ingredi possent, consultum non esset intentioni Pontificis, nempe religiosorum quieti, & possent non pauciora oriri scandala, cum paucæ possint prætendere sibi concessas licentias, cum honoratioribus solum concedi solerent huiusmodi facultates.

Porrò mulieres violantes hanc Constitutionẽ post eius notitiam, ipso facto excommunicantur & absolutio reseruatur Papæ, requiritur tamen, vt id fiat ex præsumptione; vnde si quæ ex ignorantia, incogitantia, aut simplicitate ingrederetur, non esset censenda excommunicata, ex Nau. & Roderico, & aliis locis cit. Regulares verò præsumentes illas admittere, priuantur ipso facto officiis, inhabilitantur ad illa, & alia in posterum, & suspenduntur à diuinis. quin etiam incidunt in excommunicationem reseruatam Papæ præsumentes illas admittere, nisi sit ex incogitantia, aut obliuione, vel ignorantia, iuxta doctrinam communem Cardinalis in Clem. 1. de priuileg. quæst. 39. ex Gregorij XIII. bulla 28. olim 36.

§. 3.

EIVS

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 32. olim 33. editæ anno 1567. quæ incipit.
In conferendis beneficiis.

EPITOME 96.

Parochiales Ecclesiæ quomodo cõferendæ. collatio nulla, & deuoluitur ad Sedem Apostol.

IVBET Pontifex §. 1. & 3. seruandam in conferendis Ecclesiis Parochialibus formam præscriptam in Concilio Tridentino sess. 7. c. 13. & sess. 24. c. 18. vt scilicet personis idoneis, & per examen habitum mutuo concursu, conferantur; aliter collatio est nulla, & beneficium vacat.

§. 4. Et si Ordinarij in tempore, & modis à Concilio statutis, non prouiderint, spectent collationes huiusmodi ad Sedem Apostol. licet sint in mensibus Ordinariorum.

THEOREMA 236.

PArochiæ nomen in Iure Canonico aliquando significat diœcesim. d. 92. c. si quis ordinatus. c. si quis Episcopus ordinatus. c. si qui Episcopi ordinati sunt. & c. 1. 9. q. 2. aliquando verò, vt hoc loco, certam diœcesis alicuius Ecclesiam habentem certis terminis definitum populum vni presbytero commissam, vt in ea, populo Baptismum, & alia Sacramenta ministret. ex Archidiacono in c. licet canon. de elect. l. 6. Mile in Verb. Ecclesia Parochialis, Abbate, in Rubr. de parochiis, Ioan. And. ibidem, Alexandro concil. 74. & constat ex Concil. Nannetensi. c. 1. & c. in Dominicis. 9. q. 2. & extra de parochiis. c. 2. & 13. quæst. 1 c. Ecclesias. Quo sanè loco Dionysius Papa circa annum. 270. dicit, se singulas Ecclesias singulis presbyteris dedisse, ita vt nullus alterius parochiæ terminos, aut ius inuadat. Sed vnusquisque sit suis terminis contentus. eademque traduntur in lib. de Rom. Pontificibus. Quæ Nau. c. placuit. de pœnit. d. 6. num. 3. accepit, quasi Dionysius omnium primus parochias instituerit: At Baronius in anno 270. vult à prædecessoribus institutas, sed ob persecutionem Valeriani ab Ecclesiis aulis presbyteris, & publicis cæmeteriis, post Valeriani mortem, pace à Galieno restituta, Dionysium easdem parochias, & cæmeteria, iterum recta ratione aliis presbyteris assignasse.

Quantum autem vna parochia debeat ab alia distare, relinquitur Iudicis, seu Superioris arbitrio, vt etiam euenit in Episcopatibus ex Glossa. d. 80. c. vltimo Menochio. l. 2. de arbitr. casu. 497. Farinac. tom. 1. deçis. decis. 797. & constat ex c. præcepimus. 16. quæst. 1. Turrecr. ibid. & c. nulli. d 9. Glossa ibid. v. constitui, & ex c. ad audientiam. 1. de Eccles. ædif. & Doctorib. ibid. commodè enim debent populi posse suscipere Sacramenta. Qui autem huiusmodi Ecclesiis præsunt presbyteri, dicuntur Parochi. Quo nomine apud Ciceronẽ, l. 13. ad Atticum, & alios Ethnicos, ij appellabantur, qui legatis Romam publicè missis à Prouinciis, &

Regibus hospitio receptis, salem ligna, cæterarumque rerum copiam suppeditabant, vt docet Acron in illud Horatij lib. 1. Satyr. 5.

Tunc Parochi, quæ debent ligna, salemque.

indeque nomen deductum est ad Sacerdotes Ecclesiis auctoritate Episcoporum præfectos, vt populis Dei verbum, & Sacramenta ministrent.

THEOREMA 237.

FOrmula seruanda in conferendis Ecclesiis parochialibus iussu Concil. Tridentini sess. 24. c. 18. & Pij V. hic. §. 1. & 3. siue parochiales Ecclesiæ vacent ratione obitus, siue resignationis, permutationis, vel delicti Parochi, est, vt primò si Ecclesia vacet obitu, vel delicto Parochi, & Iuspatronatus sit Ecclesiasticorum, intra tempus ab Episcopo præscriptũ (nam qui termino elapso comparuit, nõ est admittendus ad concursum, vt declararunt Illustrissimi 6. Augusti 1593.) qui volunt se offerre, & concurrere, dent nomina, eoque transacto examinentur ab Episcopo, vel eius Vicario, ac tribus saltem examinatoribus ex deputatis ad hoc munus in Synodo diœcesana.

Secundò, peracto examine examinatores quoscunque idoneos inuenerint ad hoc munus, debent Episcopo renunciare. Is autem eliget quem digniorem, & magis idoneum censuerit, & instituet, si institutio ad eum pertinet; quod si hæc ad alium pertineat, Episcopus eliget, & patronus hunc præsentabit ei, cuius est instituere. Et si Episcopus eligeret minus idoneum postpositis dignioribus, hi appellare possunt ad Metropolitanum, vel Sedem Apostol. & coram appellationis Iudice ad nouũ examen prouocare electum. Interim tamen prior electio executioni mandanda est, nec prouisus amouendus, nisi debito modo alteri beneficium conferatur. Videatur decisio Rotæ Ro 673 apud Farinac. t. 1. decis. Qui verò digniore prætermisso dignum eligeret (quicquid senserit Glossa. cap. Constitutus. de appellat. & c. licet. 8. q 1. & c. quoniam de Inrepatron. & c. 2. de officio pastor.) mortaliter peccat ex sententia S. Thom. 2. 2. quæst. 63. art. 2. & quæst. 8. art. 6. Soti l. 3 de Iust. quæst. 6. art. 2. Caiet. 2. 2. quæst. 63. art. 2. Ledes. 2. 4. quæst. 18. dub. 7. Anton. 2. p. t. 1. c. 20. §. 1. Angel. Rosel. Syl. Tab. v. electio. Nau. c. 17. num. 72. Azor tom. 2. l. 6. c. 15. & constat ex c. licet. 8. quæst. 1. vbi Diuus Hieronymus ait. *In ordinando Sacerdote requiritur, vt qui præstantior est, &c.* & c. Metropolitano, d. 63. *Ex presbyteris eiusdem Ecclesiæ, vel diaconis optimus ordinetur.* Concil. Trident. sess. 24 c. 1. de reform. *eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi indicauerint* (etsi loquatur de Episcopis, sed eadem est ratio in Parochis) & c. 18. *quem cæteris magis idoneum iudicauerit.* & *is quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit.* Ratio est, quia aliàs eligens dignũ digniore prætermisso non habet rationem muneris sui, neque Ecclesiæ, sed personæ negotium gerit, ideóque non est fidelis administrator in re grauissima, salute scilicet

ſcilicet animarum. Videatur etiam Leſſius l. 2. cap. 34. dub. 14. qui etiam dub. 13. ponit caſus aliquot, in quibus iure poſſet eligi ſolum dignus, & Menochius. l. 2. de arbitr. caſu 425. Sin autem patronatus ſit laici, non eſt neceſſe, vt examen fiat per concurſum, debet tamen præſentatus à patrono, à didictis deputatis examinari, & ſi idoneus repertus fuerit, debet admitti.

Tertiò, ſi Eccleſia vacet ratione reſignationis factæ in fauorem tertiæ perſonæ, ſi eſt facta in manibus Papæ, & admiſſa, ſufficit examinatio ab Epiſcopo, vel Vicario cum examinatoribus, facta abſque concurſu, & dignum iudicari, vt reſpondit Congregatio Illuſtr. quia Papa cenſetur in hoc diſpentare. Si collator ſit inferior, vt Metropolitanus, Epiſcopus, Capitulum, examen fiet per concurſum, & reſignatario, ſi aut cæteris aptior, aut certè non minus aptus inuentus fuerit, fiet collatio, alioquin minimè; cum hi non poſſint diſpenſare in decretis Concilij.

Quartò, ſi vacat ratione permutationis, debet etiam examen fieri per concurſum, niſi permutatio fieret cum alia etiam parochiali, & ferè paris conditionis, vt declarauit Congregatio.

Quintò, omnis autem collatio, ſeu inſtitutio facta præter ſupradictam formam, ſubreptitia cenſetur, & nulla. non obſtantibus quibuſcumque exemptionibus, & indultis. Ideo etiam Theologiæ Doctor, ſi ad parochialem Eccleſiam adſpiret, neceſſe eſt, vt ſubeat examen, ne collatio nulla ſit, cum examen requiratur tanquam forma, vt diximus Theorem. 176. ex Pariſio l. 8. de reſignat. benef. q. 9. num. 87. Lambertino de Iurepatron. p. 2. quæſt. 11. art. 3. Fuſcho l. 2. de viſit. cap. 5. Graff. in addit. pag. 110. Farinac. in deciſ. Rot. 575. num. 2. & docet Leſſius. l. 2. c. 34. dub. 16. ex reſponſione Congreg. Illuſtriſſimorum ſuper Conc. Trid. licet id non ſit neceſſarium, ex eadem Congregatione in dignitate, & canonicatu, qui parochialem Eccleſiam, etiam perpetuò, habet annexam, vt cenſuerunt Illuſtriſſimi, die 20. Ianuarij 1596.

THEOREMA 238.

FAcienda eſt autem inſtitutio ab Ordinario, non tantùm modo præſcripto, ſed etiam in tempore debito ex §. 4. huius Conſtitutionis iuxta cap. vltimum de ſuppl. negl. præl. aliàs collatio deuoluitur ad Sedem Apoſt. etiam in menſibus ſpectantibus ad Ordinarios. Agit autem de deuolutione Rebuffus in praxi beneficiorum. poſt regulam Cancellariæ de veriſimili notitia. tit. de deuolutione.

Eſt autem beneficij *deuolutio*, cum ius creandi, & inſtituendi Eccleſiæ miniſtrum, tanquam caducum ab vno ad alium ſuperiorem Antiſtitem transfertur. rectéque ius hoc deuolutionis inſtitutum eſt, tum ne beneficia, & Eccleſiæ ob diutinam vacationem incommoda, & damna paterentur. cap. quàm ſit. de elect. l. 6. tũ in pœnam delicti, vt eorum, qui intra ſtatutum tempus beneficia non conferunt, negligentia puniatur.

Solet autem tempus eſſe ſemeſtre à die notitiæ. c. licet. de ſuppl. negl. prælat. & Concil. Later. re-

lato. cap. nulla. de concess. præben. Cathedrali verò, & Regulari Ecclesiæ debet prouideri de pastore intra tres menses, aliàs ius eligendi ad superiorem deuoluitur. cap. ne pro defectu. de elect. Videatur etiam cap. postquam. d. 50. & cap. obeuntibus d. 63.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis editæ anno 1567. quæ incipit. Admonet nos.

EPITOME 97.

Ciuitates & loca S.R.E. deuoluta, & deuoluenda ipso iure cẽsentur Sedi Ap. incorporata. & tractãtes publicè, vel priuatè de nouis infeudationibus petendis à Papa, vel mittendis Oratoribus pro hac re, & acceptãtes sunt excommunicati, excõmunicatione reseruata, rei criminis læsę Maiestatis, proditores, rebelles, priuati bonis, beneficiis, &c.

DECLARAT §. 2. Ciuitates, & loca S. R. E. alienata, & infeudata, & exinde deuoluta, & in futuro quocumque modo deuoluenda, censeri ipso iure Sedi Apostolicæ incorporata absque alia vlteriore declaratione, & possessionis apprehẽsione, rediisse ad pristinũ dominium, perinde ac si per 40. annos, & vltra à prædicta Sede immediatè possessa essent, & nunquam in feudũ, aut alium tit. fuissent concessa.

§. 3. Omnes, & singulas tam Vniuersitates, & Communitates, quàm ciues, & incolæ ciuitatum, & locorum prædictorum, aliæque personæ, tam Ecclesiasticæ, quàm sæculares cuiuscumque dignitatis, & Cardinales, tam publicè in conciliis ciuitatum, & locorum, quàm priuatim alibi, etiam Gubernatores ciuitatum, & terratum, legati, vicelegati, &c. tractantes, consultantes, verba facientes de infeudationibus, aut alienationibus, etiam causa permutationis de ciuitatibus, & locis immediatè ad præfatam Sedem spectantibus, etiam deuolutis, dari etiam solitis in feudum communiter, vel pluries, etiam prætextu necessitatis, & euidentis vtilitatis faciendis, aut postulandis à Sede Apostol. quibusuis personis: Ac propterea de eligendis Oratoribus mittendis ad Papam super præmissis, vel eorum occasione, proponentes, tam ipsi, quàm Oratores id munus recipientes, aut alij quicumque huiusmodi alienationes Rom. Pontifici pro tempore existenti per se, vel alios insinuantes, & suadentes, eo ipso incurrunt excommunicationem à solo Papa absoluendi. Sunt rebelles Sedis Apost. rei in primo capite læsæ Maiestatis, & ciuitatum proditores, eorum bona ipso iure fisco Apostolico deuoluũtur, omnibúsque Ecclesiis, monasteriis, beneficiis obtentis priuati, nullo vnquam tempore remitti possunt ad ciuitates, & loca præfata: & si quando eos

reinte

reintegrari contigerit, remaneant nihilominus infames, illíſque perpetuò claudantur honorum, & dignitatum portæ.

§. 4. Feudatarij in dictis terris non faciant vlteriùs melioramenta, niſi ex cauſa neceſſariæ conſeruationis eorumdem locorum, aliàs cedant omnia ipſis locis, nec teneatur Camera ad eorum ſolutionem.

§. 9. Cardinales iurent ſeruare hanc Conſtitutionem, & non conſentire Pontificibus oppoſitum tentantibus: non petere abſolutionem à dicto iuramento: nõ acceptare conceſſam. idémque cæteri faciant in receptione pilei & & contrafacientes ſunt periurij, & iure, & facto infames. & in Conclaui cum agitur de eligendo Pontifice, ſinguli iurent, ſi aſſumptus fuerit, ſe ſeruaturum hanc Conſtitutionem. Quod etiam faciat aſſumptus poſt aſſumptionẽ; ac iterum poſt incoronationem, per ſuas ſpeciales litteras eandem confirmabit.

THEOREMA 239.

HÆc Conſtitutio eſt correctiua iuris communis, nempe cap. 2. de feudis, vt aduertit etiam Rota Rom. deciſ. 61. facta die 17. Febr. anni 1592. in collectis à Farinacio, nam Pius V. inſiſtens Symmachi, cap. non liceat. 12. q. 2. & Gregorij IX. vt diximus Epit. 8. veſtigiis, vt cæteros poſteriores omittam, prohibet deinceps infeudationes, & alienationes ciuitatum, & locorum S. R. E. Quin etiam deuoluta, & in poſterum deuoluenda quomodolibet, id eſt, aut per lineam, vel tempus finitum, aut per non ſolutum Canonem, aut per commiſſum à Vaſallo crimen, alioquè modo, vult cenſeri ipſo iure incorporata Sedi Apoſtolicæ abſque alia declaratione, & poſſeſſionis apprehenſione, ac ſi nunquam fuiſſent huiuſmodi loca in feudum, vel emphyteuſim conceſſa. Quæ enim nunquam antea alienata ſunt, difficillimè alienari ſolent, ex Gloſſa in Clem. 1. de exceſſ. prælat. ex Barbatia in cap. vt ſuper. num. 3. de reb. Eccl. non alien. Facilius quæ antea infeudata erant, & ſunt reuerſa ad Eccleſiam; antequam tamen iterum incorporẽtur Eccleſiæ menſæ, vt hic etiam §. 3. innuit Pius V. & docet Clarus §. feudum lib. 4. quæſt. 13. Guido Papa deciſ. 154. Crauetta conſil. 54. Alexand. conſil. 78. vol. 1. Azor. t. 3. l. 10. cap. 4. Leſſius l. 2. cap. 24. dub. 11. eo quod tunc non cenſeatur noua alienatio, ſed continuatio alienationis antea factæ. Poſtquam verò res eſt iterum menſæ Eccleſiæ incorporata, eadem ratio eſt de illa, ac de cæteris nunquam infeudatis, vel alienatis, ex Zabarella in cap. 2. quæſt. 3. extra de feudis. Panorm. in cap. vt ſuper. num. 10. de rebus Eccl. non alien. Bartolo in l. ſi vacantia. n. 9. Cod. de bonis vacant. lib. 10. Anchar. conſil. 156. Barbar. loco cit. Menoch. conſil. 79. n. 10. & de preſumpt. lib. 6. preſumpt. 87.

Quæren

Quærenti autem quid ſit rem aliquam Principis, aut Prælati bonis incorporari? Dico eſſe rem inter bona prædictorum deſcribi, aut illi ſigna eorum apponi, quare res à fiſco etiam confiſcata, non dicitur adhuc bonis Principis incorporata, niſi, poſtquam adita poſſeſſione, refertur inter res Principis, vt docent Couarr. l. 2. var. cap. 17. num. 4. Farinac. in fragmentis crim. litt. B. num. 116. & Gabriel Quemada in qq. hæretical. n. 16. & conſtat ex Valentin. Valent. & Gratiani. l. ſi quando aut. Cod. de bonis vacantibus. lib. 10. quæ ſic habet. *Si quando aut alicuius publicatione, aut ratione iuris, aliquid rei noſtræ addendum eſt, ritè, atque ſolemniter per comitem rerum priuatarum, deinde per rationales in ſingulis quibuſq; Prouincijs commorantes incorporatio impleatur, & diligẽs ſtylus ſingillatim omnia adſcribat. Tituli verò, quorum adiectione prædia noſtris ſunt conſecranda ſubſtantijs non niſi publica teſtificatione proponuntur.* ita lex. Tunc igitur bona incorporata dicuntur, quando data ſunt Principis procuratori, vt ea in numero rerum Principis ponat. Videatur Bartolus in l. 11. §. eligitur. ff. de vent. in poſſ. mitt. & in dicta. l. ſi quando. & ibidem Gloſſa, & Baldus, Iaſon in l. nec damnoſa. Cod. de precib. Imp. off. Lucas de Penna in Rubr. de bonis vacant. num. 2. Martinus Lauden. tr. de Fiſco. quæſt. 142. 247. Ruin. conſil. 25. num. 4. lib. 4. Soc. iun. conſil. 126. num. 5. lib. 2. Porrò id fieri poſſe expreſsè, & tacitè explicat Menoch. l. 2. de arb. caſu 433. & Clarus loco cit. dixi hac etiam de re Theor. 116.

Vult igitur Pius V. hoc loco huiuſmodi bona deuoluta, & deuoluenda ad S. R. E. cenſenda ex tunc rebus Eccleſiæ incorporata. quare in apprehendenda actuali poſſeſſione eorum retrotrahetur ſententia ad dictam deuolutionis diem; quod ſanè intereſt plurimum, vt in ſimili diximus Theor. 18. dum ageremus de pœnis hæret. iuxta cap. cum ſecundum leges. de hæret. l. 6.

THEOREMA 240.

REbellionis delictum, quod eſt læſæ Maieſtatis crimen, grauiſſimum ſanè, & horrendum, ex Barbatia conſil. 70. num. 18. lib. 4. Canrado Rubr. de læſa Maieſt. n. 1. Deciano tr. de crim. lib. 7. cap. 37. in eo diuerſum eſt à crimine duellionis, quod hoc à non ſubdito committatur, illud verò ſolum à ſubdito, vt ex Bartolo docet Farinac. t. 4. quæſt. 113. num. 154. 155. Sunt autem duo capita criminis læſæ Maieſt. ex eodem Farinac. quæſt. 112. num. 9. Affligo tit. quæ ſint regalia. in Verb. & bona committentium. num. 53. & cæteris. Caſus primi capitis enumerantur à Follero in pract. crim. in verb. *Item quod commiſit crimen læſæ Maieſtatis.* à num. 50. ad 63. & Monteleone in pract. 4. p. à num. 322. ad 346. & videntur illi, qui referuntur. l. 1. & 2. ff. ad l. Iul. Maieſt. nam in l. 2. dicitur, & hoc in primo capite, vt notauit etiam Sforza Oddo, conſ. 27. num. 20. Caſus verò ſecundi capitis numerantur ab eodem Follero num. 90. & Monteleone num. 346. & deinceps.

In primo igitur capite continentur omnes caſus, in quibus conſpiratur vel contra perſonam ipſam

ipſam Principis, eiúſque Collateralium, & Conſiliariorum, quippe qui ex lege quiſquis. Cod. ad leg. Iul. Maieſt. habeantur pars corporis Principis, vel contra ſtatum, & regnum, reſtando illud, aut eius partem in alium Principem tranſferre. Cæteri verò caſus læſæ Maieſtatis, vt ſi lædatur ſtatua Principis, aut fama, & nomen eiuſdem, pertinet ad ſecundum caput. Ita Afflictus loco cit. Monteleo vbi ſup. Sforza Oddo. num. 17. Farinacius ibid. quæſt. 112. & 116. n. 3. Peregrinus. lib. 4. de iure Fiſci tit. 5. num. 19.

Inter hos grauius eſt primum caput, vnde non tantum infligitur pœna mortis, ſed etiam publicantur bona l. quiſquis. Cod. ad leg. Iul. Maieſt. quod non euenit in delictis ſecundi capitis, cum bona ad hæredes deueniant, licet reus morte puniatur, ex Afflicto num 53. & 99. Baiardo ad Clarum. §. læſæ Maieſtatis. num. 2. Carrerio in pract. tr. de Appellat. §. vndecimus caſus. Deciano. tr. crim. lib. 7. cap. 40. licet etiam in his ſecundis caſibus poſſit Princeps non recognoſcens ſuperiorem imponere etiam bonorum confiſcationem, ex Farinac. loco cit.

Quibus ſanè optimè congruunt, quæ à Pio V. hic §. 3. decernuntur contra tentantes huiuſmodi bonorum Rom. Eccleſiæ alienationes, quod Reip. & ſtatui ſummi Pontif. grane præiudicium inferant, & Eccleſiæ Maieſtatē lædant.

THEOREMA 241.

QVod cauetur §. 4. difficultatem monet, an iure communi finita inueſtitura per decurſum temporis, aut generationem finitam, & abſque culpa Vaſſalli, melioramenta rei feudalis ad Dominum directum pertineant, vel ad Vaſſallum, ita vt ea auferre, & ſibi retinere poſſit.

Qua in re videtur dicendum Primò, melioramenta facta induſtria Vaſalli, v.g. exædificatam domum, aut propria pecunia auctam, ſpectare ad Vaſſallum, ſed Domino liberum eſſe pati tolli, & auferri huiuſmodi melioramenta, aut ſoluere vaſſallo æſtimationem melioramentorum, ex lib. 2. de feud. tit. 28. §. Si Vaſſallus. Claro. l. 4. quæſt. 88. Azor t. 3. l. 10. cap. 16.

Quærenti verò an hæc ſint æſtimanda iuxta valorem ædificij conſiſtentis, an potius iuxta rudera, & & materiam? Reſpondet Baldus in dicta l. ſi Vaſſallus. num. 4. & in Auth. Excipitur. Cod. de bonis, quæ liberis, &c. Clarus num. 2. Azor loco cit. quæſt. 3. iuxta valorem ædificij; vnde ad hoc incommodum ſoluendorum melioramentorum vitandum, vetat Pontifex fieri in huiuſmodi bonis melioramenta, quæ neceſſaria non ſint, quod ſi ſecus fiat, cedant ſolo.

Dicendum ſecundò. Seruitutes, quas acquiſiuit Vaſſallus in re feudali, aliquando pertinent ad Vaſſallum, non ad Dominum, vt ſi Caſtrum aliquod antea non habebat Iuriſdictionem, & Vaſſallus ſua pecunia emit, Vaſſalli ſunt, ex citatis Claro, & Azore vbi ſupra, Baldo cap. 1. de inueſtit. de re alien. fact. & Ruino conſil. 14. lib. 1. cum enim iuriſdictio ſit aliquid ſeparatum à Caſtro, & Caſtrum poſſit ſine illis conſiſtere, non accreſcet feudo; ideo Dominus ſoluet tan-

tumdem Vassallo, quantum in seruitute emenda expendit. l. si Vassallus. l. 2. de feud. tit. 28. aliquando verò, cum scilicet non possunt seruitutes à feudo separari, domino cedent, ex DD. citatis & l. 2. de feud. tit. 8. §. è contrario.

Dicendum tertiò. Incrementum, si quod accidit feudo, vna cum feudo ad dominum pertinebit lib. 1. tit. 4. §. 6. & lib. 2. tit. 8. §. è contrario, vt si contineus, vel etiam insula, ex Claro num. 3. addatur, licet Ruinus, & alij sentiant oppositum, quia cum proprietas sit domini directi, quicquid feudo accidit, domino accrescere debet; Secus verò si vassallus fundum aliquem emisset, & adiecisset feudo; indueret enim rationem melioramentorum, & ad vassallum, heredésque illius pertineret, & non ad dominum directum feudi, cum ad illum reuertetur feudum.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 42 olim 44. editæ anno 1567. quæ incipit.

Romani Pontificis prouidentia.

EPITOME 98.

Ornamenta, & paramēta, libri, & res sacræ Capellæ Prælatorum, etiā priuatæ, spectant ad Eccle sias, & monaste-

STATVIT §. 1. vt de cætero omnia, & singula ornamenta, paramenta, vasa, missalia, gradualia, cantus firmi, ac musicæ, aliíque quomodolibet nuncupati libri, ac aliæ res sacræ, etiam auri, & argenti, ac quæcumque alia bona, per quoscumque Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Commendatarios, & alios quoscumque, quæcumque & qualiacumque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, sæcularia, & regularia in titulum, vel commendam, aut quomodolibet obtinentes, ad vsum, & cultum diuinum, etiam in eorum priuatis ædibus, & capellis, vel Oratoriis destinata, tempore eorum obitus ex testamento, vel ab intestato relicta, sub quibuscumque facultatibus testandi, & aliàs disponendi de bonis per eos ex altari, aut aliàs quomodolibet acquisitis à Rom. Pontifice concessis, & concedendis, minimè comprehendantur, nec etiam veniant nomine spoliorum, quæ Cameræ Apost. Collectores possunt exigere: sed ad singulas Ecclesias, monasteria etiam carentia conuentu, & beneficia huiusmodi, in quibus resederint, aut quibus præfuerint, seu quæ aliàs obtinuerint, spectent.

§. 2. Illaque post obitum eorum iisdem Ecclesiis, & beneficiis, etiam si in Rom. Curia, & procul ab illis decesserint, vel ad illa nunquam accesserint, & quamuis etiam antea Ecclesiarum regimini cesserint, vel beneficia renunciauerint, censeantur applicata,

ria, quibus præfuerunt, non ad spolia Cameræ Apost. vt nec supellectilia, tabulæ, scamna, neque relicta à nō excedente 30. ducatos Camerales ex redditibus Ecclesiasticis, si abstinuit ab illicita negotiatione.

plicata, liceátque succeſſoribus in Eccleſiis, & beneficiis illa propria auctoritate apprehendere, & incorporare.

§. 3. Ac quæcumque donationes, relicta, & legata, aliæque vltimæ voluntates, ſeu ſpolia deſuper quomodolibet, pro tempore facta, quo ad præmiſſa ſint nulla, & irrira, miniméque ſuffragenrur perſonis, etiam Eccleſiaſticis, ſeu locis, etiam piis, in quorum fauorẽ facta fuerinr.

§. 4. Quinimo cogendos detentores huiuſmodi bonorum, etiam ſub cenſuris, & pœnis furti, & ſacrilegij, ad reſtitutionem.

§. 5. Inſuper ne contingat inſolentia Collectorum ſpoliorum perſonam, aut Eccleſiam aliquam damno affici, declarat ſupellectilia presbyterorum, vel clericorum ex humanis decedentium, vt ſcamna, cathedras, arcas ligneas, vel lapideas, menſas, tabulas, dolia, vacua, & ſimilia in Eccleſiis, vel domibus eorumdem, aut alibi relicta, etiam ſi ex fructibus, & prouentibus beneficiorũ acquiſita fuerint, non venire ſub nomine ſpoliorum.

§. 6. Poſt obitum etiam obtinentis beneficium vel penſiones non excedentes ducatos de auro de Camera 30. ſecundum communem æſtimationem, dummodo ab illicita negoriatione abſtinuerit, non poſſe à Collectoribus prærendi ſpolia ſub pœna reſtitutionis omnium bonorum perceptorum.

§. 11. Si quis ex prædictis beneficiatis pluribus Eccleſiis ſimul, vel ſucceſſiuè præfuerit, ſeu plura beneficia obtinuerit, ornamenta, paramenta, ac res, & bona prædicta, ad illa omnia, habita ratione fructuum, & temporis, quo illa beneficia poſſedit, omnino pertineãt, & proportionaliter inter ea diuidantur.

THEOREMA 242.

PRælati in obitu, ſui honoris, & ſalutis immemores, ſub prætextu etiam facultatis teſtandi, ornamenta, paramenta, vaſa, libros cantus, miſſalia, & ſimilia diuino cultui dedicata diſponebant in alios vſus, quàm Eccleſiarum, quibus præfuerant, & ex quarum fructibus, & ſtipendiis ſæpè acquiſierant, contra quàm eſſet conſentaneum: & ex altera etiam parte ſæpè Collectores ſpoliorum Cameræ Apoſtolicæ in Eccleſiarum, & Monaſteriorum detrimentum eadẽ vti ſpolia ad Cameram, & fiſcum Eccleſiaſticum ſpectantia exigere contendebant. Conſulens igitur Pius V. indemnitati Eccleſiarum, hic §. 1. 2. 3 4. decernit, & declarat de cætero omnia, & ſingula ornamenta, paramenta, vaſa, libros,

bros, réſque ſacras, etiam argenteas, & aureas per quoſcumque Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Commendatarios, & alios quoſcumque beneficiarios quomodolibet acquiſita, deputata ad vſum, & cultum diuinum, etiam in eorum priuatis ædibus, & Oratoriis tempore eorum obitus relicta ex teſtamento, vel ab inteſtato cenſeri eo ipſo applicata, & incorporata eiſdem Eccleſiis, monaſteriis, & beneficiis, in quibus reſederunt, & quibus præfuerunt, illiſque defunctis poſſe ſucceſſores in eiſdem Eccleſiis, monaſteriis, & beneficiis, aut capitula, vel conuentus propria auctoritate ea apprehendere, & Eccleſiis, ſeu ſacrificiis incorporare. Vltimáſque voluntates, & ſpolia contra præſentis Conſtitutionis decretum eſſe irritas, & nullas, cenſuríſque & pœnis furti, & ſacrilegij detentores cogendos eſſe ad reſtitutionem, quæ ſanè clauſula, vt notat Nauarr. com. de ſpoliis. § 8. num. 5. indicat hæc ipſo iure ad Eccleſiam pertinere, arg. l. 1. de furt. cap. quiſquis. §. ſacrilegium. & can. ſacrilegium. 17. quæſt. 4.

Sed dubitari poteſt cum eodem Nauarr. ibid. num. 2. & 3. & Azor t. 2. l. 8. cap. 3. quæſt. 7. an ſi huiuſmodi bona ſint à beneficiario acquiſita, non ex fructibus beneficij, ſed ex patrimonio, vel quaſi patrimonio, v. g. arte, doctrina, &c. debeantur etiam Eccleſiæ, & monaſteriis, & non hæredi beneficiarij? Et quidem Nauarr. dicit, etſi iure antiquo ad hæredem beneficiarij olim pertinerent, nouo tamen iure huius Conſtitutionis etiam hęc ad Eccleſiá pertinere, eo quod Pontifex generaliter dicat, omnia, & ſingula ornamenta, paramenta, vaſa, &c. minimè ſpoliorum nomine venire, nec ad hæredes beneficiariorum teſtamento, vel ab inteſtato tránſmitti.

Alij verò teſte Azore loco cit. putant ea pertinere ad hæredes, & Pontificem id ſtatuere de præſumptis acquiſitis ex beneficiis Eccleſiaſticis, non de aliis. ídque probari poteſt, tum quia initio Pontifex hæc ab aliis diſcernit, dum ait: Aliáque diuino cultui dèdicata quandoque ex fructibus Eccleſiaſticis per eos acquiſita, non Eccleſiis, & monaſteriis, ac beneficiis, quibus præfuerunt, ſeu à quibus prouentus Eccleſiaſticos, & ſtipendia acceperunt, prout rationi, & honeſtati conſentaneum foret, &c. & §. 11. Ornamenta, & paramenta, & cætera huiuſmodi, ſi beneficiarij pluribus Eccleſiis præfuerint, vult inter omnes illos habita ratione fructuum, & temporis, quo eas poſſederint, proportionaliter eſſe diuidenda. qua in re videri poteſt Panor. & Gloſſa in cap. relatum 2. de teſtam. v. congruum. Tum quia non apparet, quo iure Pontifex debeat hniuſmodi bona acquiſita à beneficiario ex ſuo patrimonio, vel quaſi patrimonio, & in eius bonis cõnumerata, Eccleſiis, vel monaſteriis concedere: viderentur enim beneficiariorum hæredes ea de re poſſe iure cõqueri, præſertim cum plura non ſint ſacra, & ſacra etiam haberi ſoleant à laicis in ædibus propriis, vt cum in priuatis oratoriis voluerint rem audire, habeant ſacrum inſtrumentum. Tum quia id docet vſus optimus interpres legum. Tum quia §. nullius. & §. ſacræ.

sacræ Instit. de rerum diuis. à Nauarr. pro se allegata, dum res sacras in nullius priuati hominis dominio esse docet, non videtur ei fauere; solum enim significat non esse in profanos vsus cuiusquam conuertenda, quæ iam sunt Deo dicata. Licet priuati, si quæ acquisiuerunt, iure possideant, cáque possint vendere, si libet, vt in sacris ministeriis alibi deseruiant. vel certè ibi solum agitur de iis, quæ Ecclesiæ possident in communi, & quæ nullius in particulari sunt.

Porrò hac constitutione comprehenduntur bona præfata, etsi aliqua nulla sint consecratione, vel benedictione insignita; nam v.g. Missalia, libri cantus, thuribulum, vrceoli, & alia consecrari, aut benedici non solent, idque etiam si huiusmodi res habeantur in priuatis Oratoriis, & Capellis, & non tantum in Ecclesia. Quare nomen rei sacræ in præsenti Constitutione nō sumitur presè, quomodo res sacra dicitur ea, quę consecrata est, ab eo, qui habet potestatem consecrandi seruata solemnitate Iuris Canonici, ex Alberico in l. Diui Verus. num. 1. ff. ad leg. Iul. pecul. Glossa in l. sacrilegi. in verb. compilauerunt. ff. eodem, sed latius, ita vt satis sit rem esse diuino cultui, ac vsui dedicatam, vt accepit Nau. loco cit. n. 4. & Azor cit. quæst. 7. iuxta loquendi modum Iurisperitorum, Pet. Greg. Syntag. l. 33. c. 14. rubr. de sacrileg. Iodochi in pract. crim. c. 111. rubr. de sacrileg. num. 4. Ludouici Peguerę decis. crim. 24. n. 3. 12. 13. Farinac. de furtis. q. 172. & aliorum. Ideo paramenta, & vestes, in quibus diuina officia celebrantur, res sacræ nuncupantur ab Alberico, in diction. verb. sacrilegium Antonio Gomez de delict. cap. 5. rubr. de furt. num. 11. Bonifacio de Vitallin. in rubr. de pœnis committ. sacrileg. Deciano tr. crim. l. 6. c. 14. rubr. de sacrileg. num. 6. & c. 30. num. 19.

Similiter inter res sacras numerantur Missalia, & similia, à Foller. in pract. crim. verb. capiat informationem. num. 11. Bonifacio Vitallin. loco cit. num. 1. Iodocho vbi supra, & Peguera num. 13. quod si Decianus. l. 6. c. 30. n. 19. negat, intelligi debet, non recensseri inter res propriissimè sacras iuxta priorem acceptionem. Non comprehenduntur tamen præsenti bulla, quæ emit beneficiarius ad donandum aliis Ecclesiis, vel ad permutandum cum aliis bonis, aut etiam vendendis, vel dum viueret iam commutatis, aut donatis, cum non sit à Iure antiquo recedendum, nisi leges nouæ id abrogent. l. præcipimus. Cod. de Appellat. Sicut neque aulæa, tapetes, vasa aurea, vel argentea, quæ habet beneficiarius ad suatum ædium ornatum, & splendorem, etiam si consueuerit Ecclesiæ ad celebritatem aliquam peragendam commodare, vt aduertit etiam Nauarrus & Azor. Constitutio tamen quoad hanc partem se etiam extendit ad eos, qui in Rom. Curia, vel non procul moriuntur, licet habeant testandi licentiam, vt constat ex §. 2. vnde limitatur per hanc extrauagans Iulij Tertij edita anno 1549. 6. Id. Martij, vt notauit etiam Nau. num. 5.

THEOREMA 243.

SImiliter §. 5. excludit à nomine spoliorum scamna, cathedras, arcas, dolia vacua, tabulas ligneas, & lapideas, &c. etsi quæsita fuerint ex redditibus Ecclesiasticis, cum tamen iure antiquo inter spolia connumerarentur; vnde quo ad hæc, ius nouum inducitur Nauarro teste num. 6. & Azore. q. 7. licet quo ad ea, quæ ex patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus fuissent empta, idem haberet ius antiquum; ideo transmitterentur ad hæredes. Deinde §. 6. ab eisdem spoliis excludit derelicta in morte à beneficiario, vel pensionario, qui dum viueret, non excedebat in annuis redditibus, vel pensionibus Ecclesiasticis ducatos 30. de Camera secundum cõmunem æstimationem & meritò; censuit enim Pontifex, vt notauit etiam Azor dicta q. 7. & Nau. num. 7. totum huiusmodi beneficium vel pensionem esse necessariam ad vitæ beneficiarij sustentationem. & ob id, si quid residuum sit, esse quæsitum vel ex patrimonio, vel parcè viuendo, & se mortificando subtractum ex victu quotidiano, & consequenter quasi patrimoniale illius esse, ex Nau. loco cit. & tr. de reddit. Eccl. quæst. 1. monit. 44. S. Thom. 2. 2. quæst. 85. art. 7. Soto l. 10. de Iust. quæst. 4. art. 3. Couarru. cap. cum in officiis. de testam. Maiore 4. d. 24. quæst. 17. Adrian. 4. quæst. 12. & quæst. 6. art. 12. Azor t. 2. l. 8. c. 3. quæst. 2. & ob id non esse obnoxium spoliis, quicquid antea senserit Redoanus de spol. Eccl. q. 3. §. Quid dicendum. num. 1. & 2. dummodo tamen is ab omni illicita negotiatione abstinuerit, iuxta Constitutionem etiam Pij IV. quæ incipit. *Decens.* de qua diximus Theor. 193. 194. 195. cætera verò patent.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 48. olim. 47. editæ anno 1567. quæ incipit.

De salute gregis.

EPITOME 99.

PROHIBET §. 2. omnibus, & singulis Principibus Christianis quacunque tam Ecclesiastica, quàm mũdana, etiam Imperiali, Regia, vel quacunque alia dignitate fulgentibus, vel quibusuis Communitatibus, & Rebuspub. sub excommunicationis & anathematis pœnis ipso facto incurrendis, ne in suis ditionibus fieri permittant spectacula publica, aut priuata, vbi taurorum, aliarumque ferarum agitationes exercentur.

Agitationes taurorũ & ferarum prohibẽtur. excommunicatio, priuatio Ecclesiasticæ sepulturę, feudorũm amissio.

§. 3. Mitilibus verò, cæterisque personis, ne equestres, aut pedestres audeant cum illis congredi, congredientes verò si fuerint occisi, careant Ecclesiastica sepultura.

§. 4. Ne Ecclesiastici regulares, aut sæculares in sacris constituti, vel obtinentes beneficia ibi intersint sub pœna excom

excommunicationis (ſcilicet ferendæ.)

§. 5. Caſſat omnes contractus, vota, & iuramenta facta de huiuſmodi agitationibus.

§. 6. Quas ſi Eccleſiæ feudatarij permittant, amittunt quæ habent, feuda.

§. 7. Denique præcipit vniuerſis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & cæteris Ordinariis in virtute S. Obedientiæ, & ſub interminatione æternæ maledictionis, vt has litteras faciant ſufficienter publicari, & ſub pœnis, & cenſuris faciant obſeruari.

THEOREMA 244.

FVit Pio V. in hac Conſtitutione eadem mens, quæ fuit Alexandro III. in Lateranenſi Concilio. c. 20. Innoc. & Eugenio, vt refertur tit. de Torneamentis. cap. 1. Ferias illas, vulgò Torneamenta, tamquam deteſtabiles prohibeutibus, in quibus milites conueniunt ad oſtentationem audaciæ, & virium ſuarum, ex quibus ſæpe animarum pericula, & hominũ mortes proueniunt; ſub pœna, ſi quis ibi moriatur, priuationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ; & D. Auguſtino, qui in Pſal. 102. & refertur. d. 86. c. 8. 9. 10. huiuſmodi ferarum venationẽ in arenaria nequiſſimam artem appellat, deque eam ſpectantibus dicit: *Vident homines venatorem, & delectantur; væ miſeris, ſi non ſe correxerint; qui enim vident venatorem, & delectantur, [illegible] Saluatorem, & contriſtabuntur.* Deque huiuſmodi ludis fuit ſententia Pauli Iuriſconſulti in l. nam luſus. ff. ad legem Aquil. *Nam luſus quoque noxius in culpa eſt.* Laudauerunt que l. vnica Cod. de expenſis Ludorum, Diocletianus, & Maximianus Prouinciæ Præſidem, qui, quod inſumendum fuerat in certaminis ſolemne ſpectaculum, in murorum ciuitatis inſtauratione conſumpſerat.

Reprobat autem huiuſmodi ferarum agitationes Gloſſa in c. qui venatoribus. d. 86. Turrecrem. ibid. Gregorius Lopez in l. 57. tit. 5. p. 1. Azeuedo lib. 4. tit. 10. lib. 1. rec. Alcocer. tr. de Ludo. c. 53. Speculum conſcientiæ lib. 1. c. 74. Syl. v. Torneamenta. & v. Ludus. §. 8. Bern. Diaz in pract. crim. quæſt. 66. Rodericus to. 3. quæſt. 68. Nauarr. c. 15. num. 18. Horum tamen aliqui putant id eſſe peccatum mortale, vt Gloſſa, & Turrecr. dicta d. 86. c. 8. n. 7. Speculum conſcientiæ, Diaz, & alij ob mortis periculum, cui ſe exponunt certantes. Et certè in vno certamine ſcribit Nauarr. vidiſſe ſe, dum adhuc eſſet adoleſcens, tres viros à Tauro diſcerptos. Alij volunt eſſe veniale, ſed certè neque eſſet veniale cenſendum, ſi adhiberentur cautelæ, & refugia opportunè iuxta Conſtitutiones Gregorij XIII. & Clementis VIII. ita vt crederetur probabiliter non ſecuturam mortem, aut periculum, neque enim prædicti Pontifices concederent, ſi cum his conditionibus peccatũ vllum videretur. Leges etiam ciuiles eos notant infamia, qui ſuas operas locarent, vt depugnarent eum beſtiis, ſed non ſi oſtentandarum virium gratia facerent, vt conſtat ex

l. 1.

l. 1. §. 5. ff. de postulando. vt etiam cruenta gladiatorum spectacula penitus sustulit Constantinus. l. vnica. Cod. de Gladiatoribus, quæ magnam sane affinitatem habent cum his, de quibus agimus, ferarum agitationibus huc.

Quin etiam histrionum, cæterosque similium vsorum ludos improbat D. Augustinus loco cit. Aristot. l. 7. polit. c. 5. Lactantius l. 6. c. 20. Rhodiginus. l. 8. c. 7. Alexander, ab Alexandro. l. 6. c. 6. itaque Pius V. § 2. &c. Principibus interdicit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ (non tamen reseruatæ) ne huiusmodi bestiarum agitationes permittant. Bestias autem accipere debemus ex feritate magis, quam ex animalis genere, vt docet. l. 1. §. 5. ff. de postulando, quippe cum multæ bestiæ non sint feroces. Sed Gregorius XIII. bulla edita anno 1575. die 25. Augusti quoad sæculares, & milites quarumcunque militiarum, huiusmodi excommunicationem abstulit, duabus adiectis conditionibus, quas etiam repetit Clemens VIII. in propria Constitutione edita hac etiam de re anno 1596. die 13. Ianuarij, de qua paulò post, nempe, ne dictæ agitationes ferarum fierent die festo, cum nec aliæ magis licitæ venationes tunc fieri debeant. d. 86. c. 13. & de Consec. d. 3. c. 2. & vt ad quos spectat, prouideant, &c. quoad fieri potest, inde alicuius mors sequatur, adhibitis scilicet refugiis, & aliis cautelis, in reliquis non mutauit dictam Pij V. Constitutionem.

THEOREMA 245.

DE congredientibus verò §. 3. dictus Pius V. statuit iuxta c. 1. de Torneamentis, vt si obeant in certamine, careant Ecclesiastica sepultura, qui huiusmodi incūt certamina. Et sanè casus de Torneamentis cap. 1. vt non communicemus mortuo cui communicari potuit viuo, admodum rarus est, vt ibidem notauit Glossa. Sed dubium est, an cum Clemens VIII. in cit. constitutione, non tantum pro Hispaniæ partibus sustulerit excommunicationis censuram, sed etiam pœnas, & rem ad dispositionem Iuris communis reduxerit, careant sepultura Ecclesiastica qui in his spectaculis moriuntur? difficultas ex eo oritur, an dispositio cap. 1. de Torneamentis. se extendat ad Taurorum agitationem, cum inde etiam sequi soleāt mortes plurimorum, & ideo vbi est eadem ratio, eadem esse debeat Iuris dispositio. l. illud. ff. ad leg. Aquil. si enim se extendit, consequenter etiam morientes in his bestiarum certaminibus & ipsi carebunt Ecclesiastica sepultura, reductis per Clementem rebus ad dispositionem Iuris communis; si verò non se extendit, sed sit solum pœna imposita à Pio V. cum hæc tollatur à Clemente VIII. hæc quoque pœna morientium in his spectaculis erit in partibus Hispaniæ sublata. Qua in re Rodericus tom. 3. quæst. 68. art. 2. Alcocer. tr. de Ludo. cap. 53. & alij negant comprehendi casum in cap. 1. de Torneam. quod non debeat lex pœnalis extendi extra casum; ideóque in Hispaniæ partibus, etiam pœnam hanc esse sublatam, licet alibi perseueret.

THEO

THEOREMA 246.

COntinetur §.4. pœna excommunicationis ferendæ in Ecclesiasticos siue sæculares in sacris, vel obtinentes beneficia, siue regulares spectantes huiusmodi agitationes, quippe qui debeant ratione status sublimioris exemplum modestiæ præbere toti populo. qua etiam de causa eisdem prohibetur venatio clamorosa 34. c.1. ne cler. vel monachi. & Clementina de statu monach.cap.1.§. porrò. Eamdemque pœnam confirmauit Sixtus V. in Breui suo ad Illustr. Hieronymum Mantiquez Episcopũ Cordubensem, dato 24. Apr.1586.relato à Roderico loco cit. Scripsitque Cardinalis in Clementina *in agro.* §. porrò de statu Monach. clericos, & monachos non debere interesse ludis, ostentationibus, duellis, executionibus damnatorum ad mortem, matrimoniis, aliisque voluptuosis, & inhumanis laicorum actibus. Sed idem Clemens VIII. in prædicta sua Constitutione sustulit quoad Ecclesiasticos sæculares in regnis Hispaniæ etiam huiusmodi excõmunicationis comminationem, retenta tamen quoad regulares. Sic enim ait. *Animaduertentes commemoratas censuras, & pœnas parũ in dictis Hispaniarum regnis hactenus profecisse, atque hoc tempore non solum animabus non mederi, sed plurimum obesse, quinimmo materiam scandali plerisque afferre. His sanè malis, atque periculis pro debito pastoralis officij, quantum cum Domino possumus occurrere cupientes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, excommunicationis atque anathematis, cæteráque pœnas in dictis litteris* (Pij V.) *capi-*

Scortia.

tas, quo ad omnes in illis expressos in regnis Hispaniarum dumtaxat (Monachis, & fratribus Mendicantibus, cæterisque cuiuscunque Ordinis, & Instituti regularibus exceptis) tollimus, remouemus, & amouemus. Easdem Pij prædecessoris litteras ad terminos Iuris communis, cui per præsentes non intendimus derogare, perpetuo reducimus, & restituimus. Quos deinde monet, ne hac paterna Sedis Apostolicæ benignitate aburantur, sed memores suæ vocationis caueant, ne quid à sua dignitate, & cæterorum salute alienum vllo vmquam tempore admisisse coarguantur.

Ex quibus sanè constat Pij V. Constitutionem quoad Regulares in sua vi permanere, ideóque regulares in prædictis agitationibus ferarum, & Taurorum, etiàm sine scandalo assistentes peccare mortaliter, ex sententia Bernardi Diaz cit.c.66.pract.etim. Roderici d. q. 68. art.2.& Gutierez lib.1. qq.can. quæst. 9. num. 20. cum id prohibeatur sub pœna excommunicationis, quæ non infligitur nisi ob peccatum mortale, ex S. Thom.4. d. 18. quæst. 2. art. 3 & Couar. c. alma mater p.1. §. 9.num.1. idemque colligere licet intuenti Concilium Laodicense c. 54. & c. non oportet. & 2. de Consec. d.2.& c. his igitur. d. 23. & c.presbyter. d. 34. Hinc patet iam non esse locum pœnæ à Pio V. latis in Feudatarios.§.6.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 55. olim 161. editæ anno 1568. quæ incipit.
Sanctissimus.

EPITOME 100.

Reseruatur dispositioni Papæ beneficia vacantia, Episcopali Sede vacante.

RESERVAT dispositioni Papæ omnia, & singula beneficia, cum cura, vel sine cura, sæcularia, & quorumuis Ordinum regularia, qualitercunque qualificata, & vbilibet existentia, sede Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, & Primitiali quarumcunque Ecclesiarum Cathedralium, etiam Metropolitanarum, Patriarchalium, & Primitialium pro tempore Pastoribus destitutarum vacante, quomodolibet vacantia, & vacatura tam in prædictis, quàm aliis Ecclesiis ad prædictorum dispositionem quomodolibet pertinentia.

THEOREMA 247.

REseruantur Romano Pontifici beneficia aliqua, quòd in ipsius mensibus vacarent, vt diximus Theor. 164. alia quòd peculiaribus Constitutionibus Pontificũ, regulisque Cancellariæ à Mandosio, aliisque explicatis, sint eidem reseruatæ, vnde Clemens III. in c. licet de præbend. l. 6. Dignitates, personatus, & beneficia, quæ apud Sedem Apostol. deinceps vacarent, Pontifici reseruauit. Quod temperauit Gregorius X. c. statutum. de præbend. eod. lib. 6. vt nisi Papa intra mensem à die vacationis (non à die cognitæ vacationis) contulisset, conferendi potestas deuolueretur ad inferiores Ordinarios, quibus de iure communi conueniebat, qui per se ipsos, id est vicarios, procuratoresque suos in Curia Rom. vbi beneficia vacarent, conferre possunt, vel per Vicarios Generales, si ipsi procul abessent. Bonifacius deinde XIII. eod. tit. c. præsenti, declarauit, quæ beneficia iuxta decretum Clementis intelligantur vacare in Rom. Curia, nempe quæ per obitum vacauerint in locis duabus dietis legalibus (continet dieta 20. milliaria. l. vicena milliaria. ff. si quis caution.) vicinus Curiæ Rom. vel apud ipsam Sedem Romanam, ibidem causam, domicilium, vel originem habentium, seu Curialium, ac sequentium de loco ad locum Curiam. Et c. si Apostolicæ. ibidem statuit, vt si apud Sedem Apostol. pastore destitutam vacauerint Parochiales Ecclesiæ, ne earum diutina vacatio illis noceat, ij, ad quos de Iure communi electio spectat, conferre possint, non obstante Clemẽtis decreto. Idemque fiat de illis Parochialibus, quæ vacauerunt in Rom. Curia viuente Pontifice, si intra mensem de illis non disposuit. Clementis tamen decreto, teste Azore t 2. l. 6. c. 34. quæst. 7. cum Cardinali Felino, Couar. non comprehenduntur beneficia, quæ sunt Iurispatronatus laicorum, si in Rom. Curia vacarint, licet quæ sunt Iurispatronatus Ecclesiasticorum comprehendantur. Postea Ioan. XXII. in extrauag. *Ex debito.* de elect. prædictas

ctas duas Conſtitutiones non tantum approbauit, ſed etiam extendit ad tranſmiſſos à Rom. Curia Legatos,& Nuncios.& Benedictus XII. in extrauag. *ad regimen.* de præbend. dilatauit etiam ad beneficia eorum, qui peregrinationis, infirmitatis, recreationis, vel alia de cauſa accedunt ad Rom. Curiam, vel ſecedunt ab illa, ad quæuis loca non remotiora duabus dietis à Curia, ſi ibi deceſſerint, antequam ad Curiam redierint, dummodo ibi non exiſtat domicilium eorum. Paulus quoque II. in Conſtitutione *Ad Romanum*, quæcunque reſeruata beneficia quocunque modo vacarent, remanere voluit affecta, ita vt ſolus Pontifex conferre ea poſſit.

Pius IV. deinde in bulla. *Cupientes.* iuſſit ad Cameram Apoſtolicam pertinere fructus omnium monaſteriorum Conſiſtorialium (ſunt monaſteria Cõſiſtorialia virorum, quæ, cum excedant valorem 200. florenorum auri, communi æſtimatione, dantur à Papa in Conſiſtorio coram Cardinalibus, ex Pariſio. l. 2. de reſignat. quæſt. 2. num. 5.& 6. Lapo allegat. 84. Mendoſio de ann. quæſt. 16. Petr. Greg. Syntag. l. 15. c. 4. n. 15.) & beneficiorum quorumcumque regularium Sedi Apoſtolicæ reſeruatorum, vel affectorum à die vacationis vſque ad diem prouiſionis faciendæ ab Apoſtol. Sede, ſub plumbo, vt diximus Epit. 78. & Theor. 198. Qui etiam in Conſtitutione, cuius eſt initium. *Rom. Pontificem.* reſeruat beneficia omnia in Confidentia accepta, cum ſtatim deuoluta intelligantur ad Sedem Apoſtol.

Quod etiam fecit Pius V. bulla num. 85. *Intolerabilis.* Hic idem Pontifex bulla. *Cum ex Apoſtolatus.* reſeruauit beneficia omnia vacantia propter hæreſim, voluitque in impetrationibus illorum fieri expreſſam mentionem de vacatione propter hæreſim, eique ſimilis extat alia Gregorij XIII. num. 66. olim 68. de qua infra. Vt etiam idem Pius V. num. 33. quæ incipit. *In conferendis.* reſeruarat collationes, beneficiorum Parochialium non collatas iuxta formam Concilij Tridentini ſeſſ. 24. cap. 18. de quibus Epit. 95. & Theoremate 237. Tandem in præſenti conſtitutione. 55. olim. 161. reſeruat diſpoſitioni Pontificis beneficia, quæ vacarint Epiſcopali, vel Superiori Sede vacante.

Poſuerunt autem Pontifices tribus de cauſis moueri ad faciendas huiuſmodi beneficiorum reſeruationes, nempe, tum vt viri magis idonei aſſumerentur ad Eccleſiaſtica beneficia, vt colligitur ex cit. extrauag. *Ad regimen.* de præb. & dignit. quippe cum in particularibus diœceſibus exiguus ſit Idoneorum numerus, & qui ſæpè ſunt iam prouiſi. Tũ vt Romano Pontifici hac via ſuppeteret facultas gratificãdi Clericis egentibus, & ſæpe de Eccleſia benemeritis, quique non facilè ab Ordinariis beneficia poſſent impetrare, vt colligitur ex hac eadem, & citatis Pontificiis Conſtitutionibus, & colligitur ex c. ſi pro clericis pauperibus. de præb. l. 6. Tum vt Viduis, Orphanis, Peregrinis, cæteriſque pauperibus quarta pars bonorum Eccleſiſticorum antiquo iure eſſet diſtribuenda, ex Clemente. l. 2. Conſtit. c. 29. & 12. quæſt. 2. c. mos. c. conceſſo.

& c. quatuor. & sæpissimè omittitur, posset de eleemosynis prouideri. Et sanè scio Gregorium XIII. in hoc pietatis officio omnino ingentem Thesaurum expendisse, maximè in subleuandis nobilibus ciuibus, qui præ ingenuitate, & pudore mendicare non poterant, nec filias in matrimonio collocare, & velut alterum D. Nicolaum sæpe quingentis, & amplius aureis nummis secretò transmissis, illud vnum percunctatum ab eo, qui ciuium, ac cæterorum necessitates referebat, *Nosti remita esse?* aliis verò menstruis stipendiis eorum statui congruentibus constitutis.

Quærenti verò an regulæ Cancellariæ, & Apostolicæ Constitutiones de huiusmodi beneficiorum reseruationibus comprehendant etiam ea beneficia, quæ sunt post eas instituta? Respondendum est cum Mandosio in tertia regula Cancellariæ. q. 7. num. 21. Lapo, Geminiano, Ænea de falconibus ibidem, & Azor t. 2. l. 6. in fine, affirmatiuè, quod iura, & leges (cuiusmodi sunt hæ de reseruationibus) quando generaliter feruntur, comprehendãt etiam futura, quòd lex semper loquatur. l. Ariani. Cod. de hæreticis.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 58. editæ anno 1568. quæ incipit.

Quanta.

EPITOME 101.

Resignationes beneficiorum quæ admittẽdæ sint, resignata beneficia non conferenda consanguineis Episcoporũ, & Collatorum, aut resignãtium. excommunicatio & suspensio.

DECLARAT §. 3. quæ-nam resignationes beneficiorum possint ab Episcopis, & collatoribus admitti, nempe eorum, qui sunt senio confecti, valetudinarij, corpore impediti, vel vitiati, criminibus obnoxij, censuris irretiti, nequeuntes realiter inseruire Ecclesiæ, obtinentes aliud beneficium, intraturi religionem, contracturi matrimonium, si statim id exequantur, non audentes ob inimicitias residere, si quæ intercedat causa ex his, quæ habentur in Constitutione Innoc. III. c. nisi cum pridem. de renunciat. Sed nullus horum nisi religionem ingressus, valeat, si fuerit in sacris, vllo modo beneficium resignare, nisi aliũde habeat, quo possit vitam sustentare. Itemque liceat admittere beneficiorum, & officiorum permutationes, quæ concedantur à sacris canonibus.

§. 4. Caueant autem Episcopi, Electores, Præsentatores, & Patroni, ne verbo, nutu, signo futuri in huiusmodi beneficiis, & officiis successores ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designẽtur, aut de iis assumẽdis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscunque intercedat.

§. 5. Interdicit etiam, ne bene

beneficia resignanda possint conferri consanguineis Episcoporum, collatorum, vel resignantium.

§. 6. Contrafacientes suspenduntur à collatione beneficiorum, electione, præsentatione, confirmatione, institutione, prout cuique competierit. & collatio nulla est. Eisdémque pœnis subiaceat, qui talia receperit beneficia, & officia. & qui ita suspensus præsumpserit conferre, eligere, præsentare, &c. particulares personę ipso facto excommunicantur: conuentus, & Capitula suspenduntur à diuinis; solúsque Papa, absoluit, & dispensat.

THEOREMA 248.

REsignationis nomen per sę æquiuocum, vt tradit Mandosius tr. de signat. gratiæ. v. *resignationes*. & Flaminius Parisius l. 1. de resignat. quæst. 1. num. 68. quippe cum apud bonos auctores aliquando significet aperire, aliàs perfectè signare, sæpè claudere, nonnunquam abrogare, & similia: In præsenti materia, & constitutione idem valet, ac beneficij ius à se penitus abdicare, renunciare, cedere, ac dimittere, teste Innoc. Hostiensi, Abbate in cap. quod in dubiis. tit. de renunciat. Mandosio in regula de infirmis 13. num. 10. Cassadoro decis. 2. num. 3. de renunciatione. Parisio loco cit. n. 71. Rebuffo super concord. Rubr. ad prælat. nomin. facien. §. monasteriis. vers. cessionem. Bonifacio de Vitallin. in Clem 1. de renunciat. num. 6. Azor t. 2. l. 17. cap. 18. cæterisque iuris Canonici Interpretibus. Vnde cap. 1. de renunciat. l. 6. resignatio dicitur renunciatio, & cap. nisi. tit. de renunciat. & c. susceptum. tit. de rescript. l. 6. dicitur cessio. ideo supradicta quatuor nomina inter se confundi solent, & pro eodem accipi, etsi Alfonsus solus super regul. Cancell. 43. sentiat, in rigore inter ea differentiam aliquam interesse.

Resignatio igitur, seu *renunciatio* ex mente Cardinalis in Rubr. de renunciatione. l. 6. Rebuffi in praxi benef. p. 3. tit. de resignat. Hostiens. in sum. tit. de renunciat. num. 2. Pet. Greg. Syntag. l. 17. cap. 17. num. 3. Parisij l. 1. quæst. 1. num. 33. & seqq. Azoris t. 2. l. 17. cap. 18. quæst. 1. Lessij l. 2. cap. 34. dub. 35. num. 289. & seq. definiri potest: *Voluntaria beneficij dimissio, seu cessio, coram superiore legitimè facta*. Ex quo fit, vt cum quis beneficium resignat, & dimittit, id eo ipso vacet, & impetrari, ac conferri alteri queat. Sicut enim qui priuilegio, liti, actioni, seu iuri suo cedit, eo amplius vti non potest, ita cum quis se beneficio abdicat, beneficium eius esse desinit, & potest alteri conferri.

Hinc etiam colligis cum resignans debeat dimittere beneficium coram superiore, hoc est eius auctoritate, non posse beneficiarium propria auctoritate dimittere beneficium, ex cap. admonet, & cap. vltimo de renunciatione ne Ecclesia debito sibi ministro destituatur. ideo qui sine superioris auctoritate dimittit beneficium, reuocari potest, ac nisi admonitus

redierit, potest excommunicari. c. si quis verò 7. q. 1. & Glossa in c. admonet de renunciat.

Porrò non omnis superior, qui habet auctoritatem conferendi beneficium habet etiam ius approbandi resignationem, sed is solum ex Glossa & Panor. cap. admonet citato, qui non solum beneficia conferre potest, sed etiam adimere. Tales sunt Rom. Pontifex, legatus a latere. cap. si Abbatem. §. vltimo. de elect. l. 6. Episcopus item. cap. cum ex iniuncto. §. vltimo. de hæret. cap. nullus 17. q. 7. vnde fit, vt cum quis beneficio cedit, cuius conferendi ius ad aliquem Episcopo inferiorem spectat, renunciatio fieri debeat coram Episcopo, & dimissum beneficium is conferet, ad quem ius conferendi pertinet, ex Azor loco cit. quæst. 7.

Quærenti etiam, an quis possit beneficium suum resignare per Procuratorem? Respondendum est posse, ex Rebuffo 3. p. de procuratoribus ad resignand. benef. constitutis num. 1. & seq. Azor t. 2. l. 7. cap. 19. quæst. 1. & patet ex Clem. 1. de renunciat. Vacabit autem tunc beneficium vbi illud procurator dimittit, non vbi commoratur, qui constituit Procuratorem, ex Rebuffo 3. p. de procurat. ad resignand. constitut. n. 1. & seq. & num. 28. Gloss. Clem. 1. de lite pend. verb. collato. Archidiac. cap. 2. de præben. l. 6. Azor t. 2. l. 7. cap. 19. quæst. 1. cum Procurator in resignatione non nudum ministerium præstet, cum non dicat *renunciat. N.* sed *ego procuratorio nomine renuncio.*

THEOREMA 249.

IAm verò huiusmodi resignatio duplex est, tacita, & expressa, ex Rebuff. p. 3. tit. de resignat. Parisio. l. 1. de resig. quæst. 1. num. 2. Hostiensi. cap. veniens. num. 1. de renunciat. Butrio. cap. ex transmissa num. 1. & 10. & cap. quod in dubiis num. 1. eod. tit. Panor. cap. ex ore sedentis. num. 10. de his, quæ fiunt à maior. par. cap. Pet. Greg. l. 17. cap. 17. num. 21. Syntag. Azor t. 2. cap. 18. quæst. 2. Lessio loco cit. & vtraque inducit priuationem beneficij ex Parisio ibidem num. 9. Mandosio in add. ad Lapum alleg. 16. litt. A, & communi sententia.

Tacita fit ex iuris dispositione absque verborum expressione, vt si Clericus matrimonium contrahat. cap. 1. & 2. de cler. coniug. & ibid. Gloss. Hostiens. Imol. Claro §. fin. quæst. 73. num. 5. si fiat miles, ex Glossa, & Imola cap. vltimo de cler. non resid. Claro l. 5. §. fin. quæst. 73. nu. 6. Gigas de pension. quæst. 55. num. 2. si consequatur aliud beneficium incompatibile cum primo. cap. de multa. c. quia in tantum. cap. ad hæc. cap. præterea. de præbend. & Conc. Trid. sess. 27. cap. 4. & sess. 24. cap. 17. de refor. si quis religionem ingrediatur, & aliis modis, de quibus Rebuffus, Parisius, & alij.

Expressa, cum quis sponte expressis verbis coram superiore legitimè suum beneficium dimittit. de qua cap. 1. de renunciat. l. 6. & Clem. 1. de renunciat. Parisius loco cit. num. 29. Pet. Greg. num. 23. vbi sup. Lessius, Azor, & communis sententia. Et hæc duplex est ex Rebuffo in praxi benef. tit. de resigna

ſignatione expreſſa, num. 2. Pariſio l. 1. quæſt. 2. de reſig. Couarr. in qq. prag. cap. 36. num. 9. Pet. Greg. l. 17. cap. 17. Azor. & Leſſio. Vna *pura*, ſeu *ſimplex*, quæ ſit abſque vlla appoſita conditione, & pacto, ita vt ſuperior poſſit liberè beneficium cuilibet conferre; alia *conditionalis*, ſeu in fauorem, qualis in vſu non erat tempore Alexand. III. Inn. III. Bonif. VIII. Clem. V. ex Put. deciſ. 426. l. 1. & Pariſio q. 2. num. 3. Sed hodie dummodo Papa ſciat, & permittat, ex ſtylo Curiæ toleratur, ex Pariſio num. 8. & 9. Nauarr. cap. 23. num. 107. ad 10. Caſſadoro deciſ. 2. num. 3. de Simonia. Felin. cap. ad audientiam. de reſcript.

Et quidem *ſimplex reſignatio* fieri poteſt in beneficiis, quæ illi ſubſunt coram Ordinario, & coram etiam ſummo Pontifice. At verò *conditionalis* ſolum fieri valet coram Pontifice, ex Pariſio l. 1. q. 3. num. 2. Mandoſio in regulam de infir. reſig. quæſt. 16. num. 11. Item illa ſiue fuerit facta coram Ordinario, ſiue coram Papa, ſtatim ius abdicat, vnde reſignans manet ſine beneficio vt conſtat ex Clemen. de renunciat. & beneficium alteri conferri poteſt, eò quod iam vacet: Hæc verò non abdicat ius, niſi adimpletis conditionibus, ex deciſ. Rotæ coram D. Seraphino die 4. Nouemb. anno 1579. & Pariſio. l. 1. q. 3. n. 8.

Sed hæc etiam reſignatio *Conditionalis in fauorem*, duplex eſt, ſcilicet *ſimplex in fauorem*, quoties quis reſignat beneficium in fauorem. N. abſque vlla reſeruatione; & *qualificata*, cum videlicet reſeruatur aliquid reſignanti, v. g. regreſſus, vel ingreſſus, penſio, fructus omnes, aut eorum pars, &c. ex Leſſio, loco cit. Pariſio quæſt. 2. num. 31. & ſeqq. Cardinali Palcotto. deciſ. 33. Pet. Greg. l. 17. Syntag. cap. 17. num. 30. & Put. deciſ. 247. lib. 2.

THEOREMA 250.

PIorrò Pius V. hoc loco §. 3. explicat cauſas, ob quas extra Curiam Romanã coram Ordinariis, & Collectoribus ſint admittendæ huiuſmodi beneficiorum reſignationes, & ſunt hæ. 13. quarum aliquæ habentur etiam in c. niſi cum pridem. de renunciatione, & explicantur ibidem à Io. And. & ab Hoſtienſ. tit. de renunciatione & aliis. Prima, cum quis ſenio confectus eſt, quod relinquitur iudicis arbitrio. Secunda, cum quis incommoda vtitur valetudine, quod pariter arbitrio ſuperioris iudicandum eſt, cum non ob quamlibet infirmam valetudinem ſit beneficium renunciãdum, ſed ſolum cum quis redditur impotens ad exercendum officium paſtorale ex citato c. niſi. Tertia, cum quis corpore impeditus eſt, vt ſi lepra, paralyſi, comitiali morbo, vel alio contagioſo, & periculoſo morbo laborat. Quarta, ſi beneficiatus ſit corpore vitiatus, v. g. factus cæcus, ſurdus, mutus, aut alio corporis membro abſciſſo, aut contracto. Quinta, ſi ſit obnoxius criminibus, quæ ſcilicet etiam poſt peractam pænitentiam ordinis executionem impediunt, vt homicidij, Simoniæ, Sodomiæ, ex d. cap. Niſi. de renunciatione. Sexta, ſi ligatus ſit cenſuris Eccleſiaſticis, quibus non facile poſſit liberari, vt ſi fuit viduæ maritus,

tus, bigamus, &c. Septima, si non possit, vel deceat inseruire beneficio, vt si relegatus sit, arreptitius, turpiter, & cum scandalo viuat. Octaua, si duo obtineat beneficia, quorum alterum ipso iure, aut iudicis arbitrio debeat admittere, vel ad Episcopatum promotus. Nona, si religionem intret. Decima, si sit illico matrimonium contracturus, cum nondum sit in sacris. Vndecima, si ob inimicitias, aut plebis malitiam non audeat residere. Duodecima, si adsit aliqua alia causa ex recensitis ab Inn. III. in dicto c. Nisi cum pridem. vt defectus scientiæ, aëris intemperies, scandalum immineat. Decimatertia, cum permutationes beneficiorum, & officiorum fiunt iuxta canonum, & iuris communis permissiones.

Adiicit tamen Pontifex. Primò, vt abdicans se beneficio, si sit in sactis, habeat aliunde, quo viuat, aliàs non admittatur ab Ordinario resignatio, excepto religionis ingressu. Secundò, ne Ordinarius vllo modo significet, cui conferendum sit beneficium quod resignatur. Tertiò, ne ab Ordinariis conferantur resignata beneficia suis, aut dimittentium consanguineis, affinibus, & familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum.

THEOREMA 251.

ORdinarij verò huiusmodi coram ipsis dimissa beneficia conferentes prædictis consanguineis, affinibus & familiaribus suis, vel dimittentium. §. 6. suspendantur à collatione, electione, institutione, præsentatione, & confirmatione, donec à Romano Pontifice remissionem obtinuerint. Quam etiam suspensionis pœnam contrahant, qui beneficia sic dimissa recipiunt. & si conferre, eligere, &c. Ordinarij sic suspensi tentauerint, incidunt ipso facto in excommunicationem, & si fuerint Collegia, & conuentus in suspensionem à diuinis incidunt, à qua excommunicatione, & suspensione absolui nequeunt extra mortis articulum, nisi à Romano Pontifice.

Quærenti verò an prædicta pœna suspensionis conferatur solum in Ordinarios conferẽtes resignata beneficia suis, vel dimittentium consanguineis vel affinibus, & familiaribus, an etiam in eos, qui admittunt resignationes beneficiorum sine causis in præsenti constitutione contentis? Respondet Azor loco cit. quæst. 5. constitui solum in eos, qui conferunt prædicta beneficia dimissa consanguineis, &c. Quod Pontifex postquam causas expressit, ex quibus possunt coram Ordinariis admitti beneficiorum resignationes, statim præcipit, ne dimissa beneficia conferant consanguineis, vel familiaribus, & subdit: *Qui verò contrafecerint, à beneficiorum collatione suspensi maneant*, &c. Ex quibus patet prædictam suspensionis pœnam referri ad proximè dicta, non ad remotè.

Quid si resignationes beneficiorum approbentur ab Ordinariis absque vlla ex prædictis causis? Dicendum est, dictas resignationes irritas, & inanes esse, cum dicat Pontifex citato § 6. *Quidquid præter, vel contra formam fuerit à quoquam temerè attentatum, effectum decerni*

decernimus non habere. Quod etiam valet si per ignorantiam fuerint resignationes admissæ, cum hæc non sit pœna, sed decretum, quo lex irritum reddit aliter factum.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 65. aliàs 64. editæ anno 1568. quæ incipit.
Cupientes pro nostri.

EPITOME 102.

Parochialiũ Rectores rẽsidere compelluntur ab Ordinariis sub pœnis priuationis beneficiorum & aliis.

PRÆCIPIT §. 1. omnes singulos rectores Ecclesiarum Parochialium cuiuscumque fuerint præeminentiæ, in quibuscumque Regnis & Prouinciis Ecclesiarum parochialem, ac canonicatum, aut dignitatem, etiam post Pontificalem maiorem, in quibusuis Patriarchalibus aut Metropolitanis, vel Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis, seu aliud quodcumque beneficium Ecclesiasticum (non obstantibus quibuscumque dispensationibus hactenus impetratis, quę præsenti constitutione reuocantur) obtinentes, cum cura animarum, teneri ad residendum & deseruiendum ibidem in diuinis, debitóque officio fungendum, cum animarũ cura sit præcipua. Atque ad id per locorum Ordinarios tanquàm delegatos Sedis Apostolicæ sub sententiis & censuris Ecclesiasticis, & pecuniariis eorũ arbitrio declarandis, nec non priuationis dictarum Parochialiũ ac cæterorum beneficiorum, appellatione remota, cogi posse & debere. Econtra verò sic residentes, omnes & singulos fructus & prouentus etiam Canonicatus sui, vel dignitatis seu alterius cuiuscumque beneficij exceptis dumtaxat quotidianis distributionis, & aliis, quæ ex iusta causa absentes percipere non solent, lucrari possunt.

THEOREMA 252.

DE Prælatorum & Beneficiariorum assidua præsentia & residentia in Ecclesiis suis, agunt etiam Pius IV. bulla 10. quæ incipit. *De salute*, de qua Epitome 73. & bulla 91. In suprema. Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. sess. 23. c. 1. sess. 24. cap. 12. Extrauag. de Præbendis. inter communes. lib. 6. tit. de elect. & tit. de cler. non resid. Itémque extra. tit. etiam de cler. non resid. & ibidem iuris canonici interpretes. cap. ex gestis. cap. quia non nulli. cap. relatum. cap. conquerente. & cap. vltimo, Innoc. Hostiensis, Io. And. Panorm. & alij. Itémque Io. Silua de beneficiis. 4. p. q. 1. 2. 3. Rebuff. in praxi benef. p. 2. tit. de dispensat. ad non resid. Nauarr. cap. 25. num. 121. Farinacius in fragmentis crimin. lit. C. num. 101. & seqq. Turrianus. tr. de residentia, Azor t. 2. l. 7. c. 3. 4 5. 6. Valentia 2. 2. d. 16. quæst. 3.

p.5. Lessius l.2. cap.34. dub.29. S. Tho. 2.2. quæst.185. art.5. Caiet. ibid. Sotus l.10. de iust. quæst. 3. Couarr. l.3. Variar. resol. cap.13. Tabien. ver. benef 3. Sylu. & Armil. v. resid. Angel. cler.7. Rosel. cler.4. déque ea egimus Theoremate 187.188.189.

Hoc igitur loco statuit Pius V. Rectores Parochialium beneficiorum, & animarum curam habentium, teneri ad residendum. Quod etiam communi iure canonico cautum est, cap. extirpandæ. §. qui verò parochialia extra. de præben. cap. quia nonnulli. tit. de cler. non resid. cap. licet. de electione. l. 6. Conc. Trid. sess. 6. cap. 1. vbi idem dicitur de Patriarchis Episcopis, &c. iuxta. cap. peruenit. cap. suggestum. cap. sciscitatis. 7. quæst. 1. & sess. 23. cap. 1.

Idémque valet in habentibus dignitatem, administrationem, &c. vt Præpositis, Decanis, Archidiaconis & similibus. cap. ad hæc. de præbend. & cap. ex parte vestra. c. inter quatuor. c. ex parte tua. de cler. non resid. Nec non de habentibus in Ecclesiis cathedralibus & & collegiatis canonicatum. cap. cũ ad hoc. de cætero. c. tua. c. cum dilectus. de clerico non residente, & Concil. Trid. sess. 24. c. 12. Atque etiam de Assisiis, quasi assiduis dictis, seu Mensionariis præbẽdas & portiones habentibus ex d. c. cum ad hoc. & Conc. Trid. qua etiam de re Azor. t.2. l.7. cap.3. quæst.1. & cap.4. quæst.2. & cap.6. quæst. 3. quem sequitur Reginaldus. l.30. num.49. & seqq. Atque huiusmodi obligatio non tantum oritur ex iure canonico, verum etiam naturali & diuino, vt docuimus Theoremate 187. cum quisque teneatur rectè fungi officio susceptо, & accipiant Parochi, & animarum curam habentes, propter à hoc populo stipẽdia. Neque sufficit, vt id præstent per Vicarios, sed debent per se ipsos debito officio fungi, & in diuinis deseruire: vt patet tum ex hac eadem Constitutione Pij V. tum ex Concil. Lateran. sub Alexand. III. vt refertur, cap. quia. de Cleric. non resid. vbi dicitur, *Cum igitur Ecclesia vel Ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc quæratur persona, quæ residere in loco, & curam eius per se ipsam valeat exercere, quod si aliter actum fuerit, & qui receperit, quod contra sacros canones accepit, amittat, & qui dedit, largiendi potestate priuetur.* Glos. ibid. & tit. de præb. & dig. cap. extirpandæ. §. qui verò. *Qui verò Parochialem habet Ecclesiam non per Vicarium sed per seipsum, illi deseruiat in ordine, quem ipsius Ecclesiæ cura requirit.* & ibid. cap. ad hæc. vetatur Clerico in diuersis Ecclesiis plures conferri dignitates, quòd singula officia in Ecclesiis assiduitatem exigant personarum, idque etiam constat ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 1.

THEOREMA 253.

REsidere verò nolentes præcipit cogendos Ecclesiasticis censuris, etiam priuationis beneficiorum omnium ne dum mulcta pecuniaria ab Ordinariis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis. ad quod etiam facit cap. non oportet. cap. peruenit. cap. si quis. 17. q.1. & c. ex gestis. cap. ex parte. c. relatum. cap. inter. cap. ex tuæ. cap. clericos. extra. de cler. non resid. qua etiam

etiam de re Innoc. Io. And. Hoſtien. Imola, Calderin. & cæteri Canoniſtæ, ibidem relati à Capr. concl. 91. num. 4. Concilium quoque Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. eadem de re ſic definiuit. *Eodem omnino* (dixerat autẽ Patriarchas, Metropolitas, Cardinales & ſimiles teneri perſonaliter in ſuis Eccleſiis reſidere, aliàs præter peccatum mortale teneri pro rata temporis in conſcientia reſtituere fructus erogandos per ſuperiorem Eccleſiaſticum Eccleſiis vel pauperibus) *etiam quoad culpam, amiſſionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus, & aliis quibuſcumque, qui beneficium aliquod Eccleſiaſticum curam habens animarum obtinent, ſacroſancta Synodus declarat & definit.* (ita tamen) *vt quandocũque eos cauſa prius per Epiſcopum cognita & probata abeſſe contigerit, Vicarium idoneum ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant, diſcedendi autem licentiam in ſcriptis gratiſq; concedendam vltra bimeſtre tempus, niſi ex grani cauſa non obtineat. Quod ſi per edictum citati, etiam non perſonaliter, contumaces fuerint, liberum eſſe vult Ordinariis, per cenſuras Eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem, ac ſubtractionem fructuum, aliaq; iuris remedia etiam vſque ad priuationem compellere, ſine appellatione*, &c. Idem ſeſſ. 24. cap. 12. de canonicis, & habentibus dignitates, & portiones, non reſidentibus (exceptis tribus in anno menſibus) vult primo anno priuari dimidia parte fructuum. Secundo anno ſi idem faciat, omnibus fructibus. Tertio anno, vt contra illas iuxta ſacros canones procedatur.

Hinc fit, vt Parochi ſi vltra duos menſes abſque dicta licentia non reſident, fructus pro rata amittant, & mortaliter peccant. Idem de habentibus perpetuas Coadiutorias intelligendum eſt, vt explicauiſſe dicitur Congregatio Illuſt. teſte Leſſio l. 2. c. 34. dub. 29. num. 160. quippe cum talis Coadiutoria ſit etiam beneficium habens animarum curam. Qui autem reſederint Parochi integros beneficiorum fructus percipiant, ex præſenſenti Conſtitutione. Excipe tamen quotidianas diſtributiones, ſeu victualia, vel manualia, quæ ex Couar. l. 3. var. reſol. c. 13. & aliis, neque in regulis Cancellariæ, neque alibi veniunt beneficiorum fructuum nomine, quæ dantur ſolum iis, qui diurnis, nocturniſque horis canentes, interſunt. qua de re Concil. Trid. cit. cap. 12. ſeſſ. 24. extra. cap. de cætero. de cler. non reſid. cap. licet. de præbend. cap. 1. tit. de cler. non reſid. lib. 6. & extrauag. cum nonnullæ. 1. de præb. & dig. Gloſſa. cap. cum de diuerſis. de priuileg. lib. 6. verb. integrè. & d. cap. licet. verb. diſtributiones. Calderin. conſil. 221. Felinus. in cap. Iacobus. de Simonia. Farinacius loco vt num. 107. Azor t. 2. l. 7. c. 7. Couarr. vbi ſupra. Leſſius. l. 2. cap. 34. dub. 33. Sotus l. 10. de Iuſt. quæſt. 5. art. 4. cum hæ non ſint inſtitutæ pro aliis quàm pro canentibus officium ad eorum diligentiam excitandam.

* * *

EIVSDEM PII V.

Conſtitutionis 72. olim 70. editæ anno 1568. quæ incipit.
Horrendum.

EPITOME 103.

Eccleſiaſtici nefandum crimen exercentes quomodo puniantur.

ECCLESIASTICOS cuiuſcumqùe dignitatis, & gradus dirum Sodomiæ nefas exercentes, priuat §. 3. omni priuilegio clericali, officio, dignitate, & beneficio Eccleſiaſtico, ita vt per iudicem Eccleſiaſticum degradati tradantur ſtatim poteſtati ſæculari, vt de eis etiã capiat ſupplicium, in laicos ſimiliter peccantes conſtitutum.

THEOREMA 264.

IMmanitatem huius criminis attigimus etiam Epit. 90. & Theoremate 223. deque ea legi poſſunt 32. quæſt. 7. c. vſus. cap. flagitia. c. adulterij. & de pænit. d. 1. cap. Sollicitatores. & de exceſſibus Prælat. cap. Clerici. Leonis X. conſtit. 11. *Supernè*. Bernard. Diaz. in ſua praxi. cap. 86. Ignatius Lopez ibid. litt. A. verb. deteſtandæ, Couarr. in Clem. Si furioſus p. 1. §. 1. Boſſius. tr. cauſ. crim. tit. de ſtupro deteſt. in maſcul. Nauarr. cap. 27. num. 249. 250. Alph. Viuald. in candel. p. 3. tr. de depoſit. & degrad. n. 22. Maiolus. l. 5. de irreg. cap. 43. Thomas Zerula in praxi Epiſc. p. 2. verb. Sodomia. Graff. l. 2. c. 90. Rodericus in ſum. c. 209. & t. 1. qq. reg. quæſt. 30. art. 19. Clarus. 5. §. Sodomia. Menoch. l. 2. de arbit. cap. 286. Myſinger. §. item lex Iulia, num. 11. inſtit. de publ. Iud. Aretinus ibidem; Farinacius, tr. de delictis carnis. quæſt. 148. Pet. Greg. Syntag. l. 36. cap. 10. Rubr. de præpoſt. libid. Maſcard. de probat. l. 3. concl. 1313. Grilland. de pæn. omnifar. coit. q. 8. num. 4. Monteleon. in pract. p. 4. 5. Tho. 2. 2. quæſt. 154. art. 11. Caiet. ibid. Syl. v. luxuria. Azor t. 3. c. 18. 19. Suarez t. 5. d. 31. ſect. 4. nu. 20. 21. Sanchez. l. 7. de matr. d. 46. n. 18. & 20. Leſſius l. 4. cap. 3. dub. 13. Stephanus Quaranta v. Sodomia. Quorum plerique præſentis Conſtitutionis Pij V. meminerunt, & expenderunt verba. Et quidem hæc conſtitutio non comprehendit laicos, vt facit prior eiuſdem Pij V. conſtitutio nempe 5. quæ incipit. *Cum primum*, ſed ſolum Eccleſiaſticos, eorúmque pænas aggrauat, quippe cum puritate & ſanctitate, cæteris debeant præfulgere: & eſt quoad eos conſtitutio & lex vniuerſaliſſima, cum dicat. *Omnes & quoſcumque Presbyteros, & alios Clericos ſæculares, & regulares, cuiuſcumque gradus, & dignitatis*: ideoque comprehendat etiam Epiſcopos, & ſuperiores, qui in ſuſpenſionibus & interdictis, alioquin comprehendi non ſolent. quamquam pæna hæc non ſit ſuſpenſionis vel interdicti, ſed peior, nempe verbalis depoſitio, vt notat Nauarr. cap. 28. num. 250. & Suarez d. 31. ſect. 4. num. 20. vt conſtat ex verbis illis conſtitutionis, præſentis canonis auctoritate priuamus omni priuilegio clericali, &c. Si tamen Clericus huiuſmodi vitium exerceat, ad quod requiritur frequentia, quæ non reputatur, ſi quis id ſemel aut bis faciſſet, ſed adeſſe

debet

debet huius criminis conſuetudo, adeo vt arbitrio prudentis poſſit in hoc delinquens dici exercitor, ex Nau. cap.27. num.249. Roderico in ſum. cap.209. & in qq. regul. quæſt.30. a.19. Azor t.3.l.3. cap.19. quæſt. 2. Suarez t.5. d.31. ſect.4. num. 21. Reginaldo l. 22. num. 50. Quaranta v. Sodomia. limit. 4. licet oppoſitum ſenſerit Ignatius Lopez in addit. ad Diaz cap.86. & Farinacius. tr. de delictis carnis.quæſt.148.num.3. Conſulto enim Pius V. cum in priori Conſtitutione dixiſſet. *Si quis perpetraverit*, (nempe tale facinus) in præſenti conſtitutione quaſi declarans prædictam alteram, ait. (*tam dirum nefas exercentes*) vt indicarit, requiri frequentiam, deque eius mente teſtes ſunt S. D.N. Gregorij XIII. Illuſtr. Matthæus Cantarellus datarius eiuſdē Pij V. Nauarr. d. num.249. 250. & non debeat extenſio fieri in pœnalibus. & quamuis res dubia eſſet, mitior pars foret eligenda.

THEOREMA 255.

PEccatum autem in hac Conſtitutione comprehenſum, non eſt peccatum omne contra naturam, vt notauit Rodericus in ſum. cit. cap.209. concl.2. Azor t.3. l.3. cap.19. quæſt.3. Reginaldus.l.22. num.49. 50. ſed ſolum peccatum Sodomiæ,quod eſt quando in concubitu non eſt diuerſitas ſexus, quam ad multiplicationem prolis natura conſtituit in eadem ſpecie vt ſi maſculus cum maſculo, & fœmina cum fœmina rem habent, ex S.Thoma 2.2.quæſt.154.art.11. Caiet. ibid.Syl v.luxuria q.1.Azor loco vt cap.18.q.1.& c.19.q.3.

Hinc fit, vt ſi Clericus ſe cum alio maſculo impudicè polluat, ſed non intra anum maſculi, committat quidem peccatum contra naturam, ſed non Sodomiam, & conſequenter non comprehendatur hac bulla ex Nauar. loco cit. Azor cap.19. quæſt. 4. Suarez t.5. d.31. ſect.4.num.21. Roderico t.5. quæſt 30.art.19. & in ſum. c.209. num.2. Afflict. ſuper 3.p. Conſtit. Regni Rubric.42. num.15. Claro. §. Sodomia.nu.8. Reginaldo.n.49. & conſtat ex citato. quæſt.154.art. 11. D.Thom. Caiet. & communi ſententia, cum illud non ſit vitium Sodomiticum,licet ſit contra naturam.

Quid ſi etiam membrum in vaſe vetito imponat, ſed ſemen non effundat ? ſunt vtrinque opiniones.Partem affirmatiuam tenet Iulius Clarus. num. 8. Afflict. cit. rubrica 42. n.15. Roderic. d.q.30. art.19. Petr. Caballin. reſol. crim. caſu 16. num. 11. Lud. Peguera. deciſ.72. Farinacius de delict. carnis.quæſt.148.num.64.65. & certè in foro crim. pro completo facinore haberetur, vt in regnis Hiſpaniæ fieri teſtatur Antonius Gomez. leg.80. num.34. Roderic. d. cap.209. ſum. num.2. & Quaranta loco cit. idque ex doctrina Felini cap.2. de præſumpt. Menochij de arbit. lib.2. caſu 360. & aliorum. Negatiuam verò tuentur in foro conſcientiæ, Nauarr. cap.27. num.250. verſu 5. Reginald.n.49. Rodericus in ſum. cap. 209. nu.2. Quaranta loco cit. limitatione 2. vbi etiam citat Vgolinum tr.de irreg. cap.43. §.3. eadémque videtur ſententia Suarez citata.d.31.ſect.4. num.21. nor. 1. vbi dicit. Vt incurratur pœna cõſtitutionis huius

necessarium esse, vt peccatum huiusmodi sit in sua specie consummatum, & non sufficere quamlibet pollutionem, vel immunditiam cum alio, nisi intercedat copula intra vas illius delicti, quia in eo tale delictũ consummatur, quippe cum lex puniens delictum aliquod præsertim per censuras & pœnas Ecclesiasticas, ipso facto impositas, requirat delictum in ea specie consummatum: tale autem potest non videri casus propositus, maximè si pœnitentia ductus consummare potuit à nullo impeditus, & noluit, cum Sodomitica copula sit, quando actus consummatur intra vas. argumento cap. final. de sponsal. quo dicitur, non consummari copulam nisi intra vas naturale effundatur semen.

Sed vtrum crimen Clerici habentis rem præpostera venere cum fœmina, cum seminis emissione, comprehendatur præsenti constitutione, sitque peccatum Sodomiticum? Respondeo rem etiam inter Iurisperitos, & Theologos cõtrouerti. Affirmant enim Couar. in epit. p. 2. c. 7. §. 5. num. 7. Salicetus, & Cynus in l. fœdissimam. Cod. de Adulteriis. Boërius decis. 316. Decianus in l. si qua mulier. Cod. de secundis nupt. Iulius Clarus. §. Sodomia. num. 2. Antonius Gomez in Tauri. l. 80. num. 33. Farinacius cit. quæst. 148. num. 36. qui alios citat. & Quarantà, v. Sodomia, & ex Theologis Reginaldus, loco cit. quippe cum eadem prorsus videatur ratio, ac si actus haberetur cum mare. Negant autem Azor. t. 3. l. 3. c. 17. not. 1. & q. & c. 18. not. 1. & quæst. 1. & c. 19. 9. 3. & c. 20. q. 1. & 2. Syl. v. luxuria. q. 1. Caiet. & S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 11. quibus accedunt ex Iurisperitis Socinus apud Decianum loco cit. & Alciatus, volentes esse quidem peccatum cõtra naturam, sed non Sodomiam, nec adeo graue, specieque distinctum; quod in hoc, licet non saluetur pars debita naturaliter, sicut nec in Sodomia, saluetur tamen requisita sexus diuersitas, quæ in illa non saluatur, cum sit peccatum contra sexum, & ideo sit minor in hoc deformitas, quàm in Sodomia, ob id non comprehendi hac Pij V. extrauagante.

THEOREMA 256.

DE pœnis verò in hac extrauag. statutis difficultas est, an tale crimen exercentes omni priuilegio Clericali, & omni officio, beneficio, & dignitate Ecclesiastica, sint eo ipso priuati, an tantum priuandi iuxta c. Clerici. extra de excess. prælat. vbi dicitur, vt deiiciantur à Clero, & in Monasteriũ detrudantur ad agendam pœnitentiam. Sed respondemus hoc loco Pij V. mentem omnino fuisse, vt ipso facto censerentur priuati in vtroque foro, vt respondit ipsemet à Nauarro consultus, ex eodem. c. 27. num. 250. & colligitur ex verbis constitutionis (*præsentis Canonis, auctoritate primamus*) qui loquendi modus in præsenti, obligat, & ligat ipso facto ex cõmuni sententia, Nauar. comm. de datis, & promissis. not. 31. num. 12. Molinæ de Iust. d. 96. Simancæ. tit. 9. num. 209. Gutieris. l. 1. qq. canonic. Suarez d. 31. sect. 4. num 21. Et testatur etiam Ignatius Lopez. in addit. ad Diaz. c. 86. littera C. verbo. Curiæ tradatur. & apud Farinacium de delict. carnis. q. 148. num.

num. 28. ſtatim poſt publicationem Conſtitutionis huius, his pœnis punitum fuiſſe quemdam Clericum Taraconéſem. Dubium tamen remanet, an reus occultus teneatur in conſcientia ſubire has pœnas antequam per Iudicem declaretur tale commiſiſſe crimen? qua in re Rodericus in ſumm. cap. 209. not. 4. Vega. tom. 2. ſumm. c. 102. Suarez d. diſp. 31. ſect. 4. n. 22. Azor. tom. 2. l. 7. c. 17. fine. & to. 3. l. 3. c. 19. q. 5. Graff. l. 2. deciſ. aut. c. 90. Henriquez. l. 14. c. 5. Sanchez. l. 7. de matr. d. 46. num. 18. 20. Step. Quaranta. v. Sodomia. limit. 5. negant, tum quia hæc extrauag. non videatur in foro interiori cum tanto rigore cõmuni vſu recepta, ſed bene in exteriori. tum quia ex communi doctrina Soti, l. 1. c. de Iuſtit. q. 6. art. 6. & aliorum, vt aliàs dictum eſt, lex pœnalis, qualis eſt hæc, non obligat delinquentem ad ſubeundam pœnam, niſi poſt declaratoriam Iudicis ſententiam. nimis enim durum eſſet, vt ipſe ſibi pœnam infligeret, ſeu exequeretur ſe ipſo, ſed ſatis videatur ſi illatam ab alio, ſuſtineat. Non tenebitur igitur talis Clericus in foro conſcientiæ ſe ipſo cedere officio, beneficio, dignitati, ſed expectare poterit, vt pœna executioni à Iudice mandetur. Itaque pœna quod ſit ipſo facto priuatus, intelligenda eſt, vt per declaratoriam Iudicis ſententiam retrotrahatur pœna ad diem commiſſi criminis, & poſſit beneficij impetratio obtineri ab alio, ac ſi iam vacaret beneficium ex Mandoſio in addit. ad Lap. allegat. 16. & Doctoribus in c. cum ſecundũ legẽs, de hæret. l. 6. Henriquez. l. 13. c. 56. Itemque ex Suarez cit. num. 22. vt Iudices teneantur iuxta præſentis legis præſcriptum, reos huius criminis punire.

Sciſcitanti etiam an reus huius criminis maximè occultus ſit eo ipſo ſuſpenſus ab ordinum executione, & ſi celebrat antequam abſoluatur à ſuſpenſione, fiat irregularis? Reſpõdeo id affirmaſſe plures Canoniſtas, vt Couar. in Clementina, ſi furioſus. p. 1. §. 1. n. 6. Bertachinum in tr. de Iurepatr. p. 1. lib. 2. q. 9. art. 18. Farinacium de delictis carnis. quæſt. 148. num. 27. vbi plures citat. Menoch. de arbitr. l. 2. c. 286. Rebuffum & alios, ſed oppoſitum docere Suarez. t. 5. d. 31. ſect. 4. num. 17. 18. 19. 20. vbi neque etiam de publico id concedit; Azor, tom. 3. l. 3. c. 19. quæſt. 7. Roderic. in ſumm. c. 209. concluſ. 1. Nauarr. c. 27. num. 248. probant, quia talis, nec ſit ſuſpenſus ab homine, nec à iure, etiam ſi peccatum fuerit publicum, cum ſuſpenſio non incurratur ipſo facto, niſi in caſibus à iure expreſſis, nullus enim teſtis adducitur, qui hoc ſufficienter probet: nam c. vltimum de temp. ordin. ad ſummum probat, ſuſpenſionem ferendam, non autem iure latam. & c. vt Clericorum, intelligitur etiam ſi fuerit à Iudice ſuſpenſus; prius enim dicitur, vt ſic peccantes puniantur, poſtea verò ſubditur, ſi quis autem ſuſpenſus, &c. vtique ſi per Iudicem, ſit punitus; ob id non ſufficienter colligitur ſuſpenſio ipſo iure lata. Reus tamẽ notorius huius criminis, cenſendus eſt irregularis, quia cum crimen hoc ſit depoſitione dignum, ipſe etiam erit infamis, & conſequenter irregularis, vt docent Nau. dicto n. 248. Azor vbi ſupra. q. 6. Suarez cit. num.

numero 18. & disputatione 48. sectione 2.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 79. olim 80. editæ anno 1568. quæ incipit. Cum onus. *& eiusdem declarationis.* Et si *editæ 1570.*

EPITOME 104. 105.

Forma celebrãdi cõtractum annui census.

STATVIT hoc loco §. 1. censum debere fieri super re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, frugifera, & certis terminis designata.

§. 2. Soluendúmque pretium iustum, & integrum in numerata pecunia, in ipsomet celebrationis instrumẽto, non autem priùs.

§. 3. Prohibet solutiones, quas vulgò vocant anticipatas, fieri, aut deduci in pactũ.

§. 4. Conuentiones directè, aut indirectè obligantes ad casus fortuitos eum, qui aliàs ex natura contractus non tenetur, nullæ sunto.

§. 5. Illicita sint etiam pacta, que impediunt, aut restringunt facultatem alienandi rem censui suppositam.

§. 6. in ea tamen vendenda præferatur dominus census, eique conditiones venditionis denuncientur, & expectetur per mensem.

§. 7. Irrita sint pacta teneri morosum census debitorem ad interesse lucri cessantis, cambij, seu certas expensas, & salaria; aut rem censui subiectam, aut eius partem perdere, vel ius aliud amittere, aut cadere in aliam pœnam.

§ 8. Augeri non possit census, aut creari nouus super eadem vel alia re in fauorem eiusdem, aut personæ, per eum suppositæ pro præteritis vel futuris fructibus sensus.

§. 9. Pactiones continentes solutiones onerum ad eum spectare, ad quem aliàs de iure, & ex natura contractus non spectant, nullæ sunt.

§. 10. Census pereat pro rata rei peremptæ, aut infructuosæ effectæ.

§. 11. Possit quandocunque pro eodem pretio census extingui facta intimatione per duos ante menses, non possit tamen repeti ab inuito, nisi intra annum, quãdo debitor census fecerit denunciationẽ de redemptione; & si pretiũ intra bimestre non soluat volens, vel intra annum non exigatur ab inuito, poterit, præuia tamen semper denunciatione ante bimestre, adhuc census quandocunque extingui, etiam si pluries denunciatum fuisset, nec secutus vnquã fuisset effectus.

§. 12.

§. 12. Extra prædictum casum non liceat repeti pretium ab inuito, ob pœnam, vel aliã causam, aut pactum.

§. 13. Contractus post hac aliter factus iudicatur fœneratitius.

§. 15. Pretium census semel constitutum ob temporum vel contrahentium qualitatem, aut aliud accidens, minui aut augeri non potest.

Constitutionem prædictã declarauit idem Pontifex anno 1570. alia bulla, quæ incipit. *Et si.* in qua, §.6. declarat per rem infructuosam, §. 10. intelligi, quæ tota vel ex parte instructuosa perpetuò redditur, non autem quæ vno, duobus, pluribusve annis, siue tempestate, siue alio casu fructus non producit. §.7. Non prohiberi, §.7. quin repeti possint expensæ ex dispositione iuris, vel mandato Iudicis adiudicatæ, quas fieri oporteret litigando contra morosum debitorem census, vt transmittendo executores, &c. §. 8. neque in prædicta Constitutione prohiberi dari fideiussores, aliave bona hypothecari pro euictione rei grauatæ censu, aut pro solutione census. §. 9. In casu assignandarum dotium censum posse creari non habita ad manum, nec numerata coram Notario pecunia. §. 10. Sufficere pro pecunia numerata coram Notario apocam, seu idoneam schedulam bancariam.

THEOREMA 257.

COnstitutio hæc à pluribus illustrata est, Thoma Boninsegnio. tr. de Censibus, Io. Baptista Lupo, comm. de vsuris, Virginio Boccacio tr. de Censibus. Io. Baptistæ Leone de Censibus. Nau. com. de vsuris. num. 69. 84. & seqq. & in summ. c. 17. num. 235. Molina tom. 2. de contr. disp. 389 & seqq. Valentia. 2.2. d 5. quæst. 22. Emanuele Roderico. tr. hac de re. Toleto. l. 5. cap. 44. & seqq. Lopez. l. 1. c. 96. & seqq. Garzia. tr. de contr. c. 28. Soto. l. 6. de Iust. quæst. 5. Graffio. p. 1. l. 2. c. 11 2. Azor. 3. p. l. 10. tr. de censibus Lessio. l. 2. c. 22. Rebell. p. 2. l. 10. tr. de Censibus. Farinacio. tom. 5. quæst. 154. & tom. 1. decis. 286. 294. 328. 342. & tom. 2. decis. 124 126. Banne 2.2. Sigismundo Scaccia. §. 1. quæst. 1. num. 175. & seqq. Surdo l. 2. consil. 162. Fœliciano de solis l. 1. c. 9. & seq. de censibus. Sarmento in lib. select. interpr. Tusco. tom. 1. v. Census, & Censitor. Sala. tr. de Censibus, Emanuel Sà, v. Census. Salone. 2.2. quæst. 78. art. 3. Reginaldo. l. 25. tr. de Censibus, & aliis, vt in sequentibus constabit.

Est autem nomen *Census* deductum à censendo, quod est æstimare, ex Soto. l. 6. quæst. 5. art. 1. Lopez. l. 1. c. 53. Franc. Sarmento. l. 1. c. 15. Couar. l. 3. Var. resol. c. 7. num. 1. Molina, Rebellio locis cit. Aluaro Valasco de Iure emphyt.

quæſt. 32. Petro Follero in pragmatic. Regis Alphonſi de cenſibus. v. Cenſus huiuſmodi. num. 1.
1 & aliis. ſoletque accipi & pro ipſis fortunis, iuxta illud Ouidij in faſtis. *Dat Cenſus honores, Cenſus amicitias.* Et pro ipſarum æſtimatione,
2 deſcriptionéque patrimonij, vt ſciatur quid quiſque tributi nomine ſoluere debet. Vt accipitur ab Vlpiano in l. vitia 2. & in l. forma. 4. ff. de cenſibus, & l. 2. & 3.
3 Cod. de cenſibus. & pro tributo ipſo, quod alicui in recognitionem ſubiectionis annuatim ſoluitur. Matth. c. 22. l. 2. Cod. ſine cenſu vel reliq. Couar. Soto. Valaſco, locis cit. Sarmento. l. 7 c. 1. Garzia. c. 26. Scaccia. §. 1. quæſt. 1. num. 195. &
4 pro quodam genere contractus, quo res alicui conceditur pleno iure, ita vt in accipientem abeat & directum, & vtile dominium, reſeruata veteri domino aliqua penſione annuatim perſoluenda in recognitionem priſtini dominij. de quo Gloſſ. in c. conſtitutus de relig. domib. Anchar. Panorm. Card. ib dem. Iaſon l. 1. num. 48. Cod. de Iure emphyt. Clarus. §. Emphyt. q. 1. Nicolaus ab Euarſardo in loco, ab Emphyteuſi ad cenſum. Et differt in multis ab Emphyteuſi, præſertim in eo, quòd in emphyteuſi non transfertur directum dominium, ſed ſolum vtile, in emphyteutam, in cenſu autem directū & vtile dominium, tranſit in cenſuarium, nihilque apud antiquum dominum remanet, excepto iure percipiendi annuam penſionem ex Soto. l. 6. quæſt. 5. art. 1. Panorm. c. conſtitutus. de relig. domib. Menoch. conſil. 291. l. 3. & cõmuni ſententia, & dicitur cenſus reſeruatiuus; denique pro
5 contractu quodam, quo quis ſuper re propria aut perſona accepto pretio cõſtituit alteri annuam penſionem, & appellari ſolet cenſus conſignatiuus, manente dominio directo & vtili in ipſomet vendente cenſum in perſona aut re propria; Et hic cenſus ratione materiæ diuidi poteſt in realẽ, perſonalem & mixtũ. Sed in hac conſtitutione agitur tantum de reali, qui ſuper re aliqua puta domo vel prædio fundatur, ita vt ex ea debeatur emptori penſio, & in iure vocari etiam ſolet redditus annuus; qui deinde in plures ſpecies ſubdiuidi poteſt; & ſic definiti ſolet ex Azore de cenſ. c. 2. Molina diſp. 383. Nauarr. Comm. de vſuris num. 69. Valentia. 2. 2. diſp. 5. q. 22. puncto 1. & Rota Rom. deciſ. 159. num. 6. & reliquis. Ius percipiendi annuam penſionem ex immobili deſignatáque re fructifera alterius; neque enim cenſus eſt aut res ſubiecta cenſui, aut ipſa annua penſio, quæ ſoluitur, ſed ius exigendi ipſum annuum reditum, deberque res cenſui ſubiecta eſſe vtilis ſeu fructifera, cum ſolum in illa atque ex illa debeatur penſio; cum emptor cenſus quaſi emat in re illa partem iuris ad fructus ex maiori iure, quod in re illa dominus habet, vt aduertit etiam Molina. diſp. 383. num. 6. ſi enim eſſet res ſterilis, & fructus non poſſet ferre, iam inhabilis eſſet, vt ex ea perciperetur penſio, & ob id cenſus realis tranſiret in perſonalem. Debet tamen eſſe certa & deſignata, vt certa penſio ex ea percipi poſſit, & ſi res pereat aut reddatur ſterilis, penſio etiam proportionaliter pereat.

Porrò, qui penſionem cenſus perſoluit

perſoluit, cenſuarius dicitur : Is verò cui ſoluitur; dicitur cenſuiſta, ſen cenſitor ex Gomez.in l.68. Tauri, Molina d.383.num.12.Aragone. 2.2.quæſt. 78. art.4. Rebell. l.10. quæſt.1.num.2. Valentia.2.2. d.5. quæſt.22. puncto 1.Salon.2.2. quæſt. 78. art. 1. Tuſco, tom.1.v. cenſitor. concluſ. 184. vt autem huiuſmodi contractus cenſus iuſtè & ſine ſuſpicione vſuræ fiat, Pius V. ſequentes conditiones perſcripſit pro ſolemni iuris formula.

THEOREMA 258.

PRima igitur conditio ponitur §.1. Vt non niſi ſuper re immobili conſtituatur, aut certè, quæ pro immobili habeatur. quæ conditio habetur etiã in bulla Martini V.& Calixti III. vt aduertit etiã Nauarr. comm. de vſuris num.86. Azor. c. 5. Rebellius. q. 6. Leſſius dub. 12. num. 77. Molina d. 389. Virginius Boccacius. p.3.num.28. Scaccia. §. 1. quæſt. 1. num. 202. *Res immobiles* ſunt domus, prædia, montes, ſiluæ, portus, flumina & huiuſmodi, ex quibus emolumentum percipi poteſt. Pro re immobili habetur alius cenſus perpetuus, irredimibilis tamen, ne eo perempto, pereat cenſus ſuper eo conſtituius, ex Leſſio. num. 77. Molina d.389. Azor. c.7. quæſt. 1. Emanuele Sa. v. cenſus. num. 11. Tuſco v. cenſus. concluſ. 194. Salas. dub.7. & 44. virgin. p.1. n.49. Roderico de cenſibus condit. 1. num.2. nam in extrauagante *exiui.* §. Cumque annui redditus. de verborum ſignificatione pro immobili habetur. Item iura vectigalia & gabellarum. ex Nau.num. 112. & Azor. c. 7. Talis autem non cenſetur actio & ius ad exigenda à debitoribus debita, cum huiuſmodi ius, ſeu actio ad pecuniam, aut aliam rem mobilem exigendam, non numeretur inter bona immobilia vel quaſi immobilia, ex Syl. v. alienatio. num. 8. Rebellio loco cit.num.4. Roderico. tr. de cenſibus, conditione 1. dub. 1. Sicut neque bibliotheca, vel pharmacopolium, aut res quæ vſu conſumuntur, v. g. panis aut vinum,cum earum vſus nõ diſtinguatur à dominio, ipſoque vſu ſtatim conſumantur: Idemque de aliis rebus mobilibus; cum enim non ſint perpetuæ, non poteſt ſuper eis fundari cenſus perpetuus, de quo hic eſt ſermo, & ſi aliquæ, vt gemmæ, ſint longiſſimæ durationis,non tamen fructiferæ,quod tamen exigit natura huius contractus,alioquin iam eſſet cenſus perſonalis, & non realis. Cum autem dicitur ſuper re immobili in ſingulari, non excludit Pius V. quin ſuper pluribus prædiis aut domibus cenſus fundari poſſit, vt aduertit Azor. cap. 5. quæſt. 6. Rebell. loco cit. num. 1. & 2. Nauarr. num. 113. Salas de cenſibus. dub.7. Molina d. 389.n.5. intendit enim res mobiles excludere non plures immobiles, cum eadem ſit ratio de pluribus, ac de vna, idque concedatur in conſtitutione Martini V.& Caliſti III. & bullã Gregor.XIII. quæ incipit. *Ad perpetuam rei memoriam. Quæ à Romanis.* Vt ſi annuus cenſus 30.aureorum fundatur ſuper tribus prædiis, cum vnum non ſufficiat ad totam penſionem ſoluendam, ſecus ſi vnum ſufficiat, idque fiat, vt vno pereunte, aut duobus, totus cenſus adhuc integer in tertio per-

seueret. id enim vt notat Azor, quæst. 6. esset contra naturam contractus constitutionis Pij V. Quin etiam aduertit Rebell. cit. num. 1. & 2. etiam cum iustè & legitimè fit, minus tutum esse censum constituere super pluribus rebus, quàm super vna, quod inde plures oriantur lites & difficultates inter Doctores, cum res ad plures transeūt, num quilibet teneatur in solidum ad totam pensionem soluendam, an solum per partes, & proportionaliter, & difficultas, & labor in exigendo sit multo maior.

THEOREMA 259.

DEbet item ex eodem §. 1. res, quæ censui subiicitur, esse fructifera, vt statuitur quoque à Martino V. & Calixto III. qualis est domus, ager, &c. quæ sunt apta esse frugifera. Frugis verò nomine intelligitur, non solùm quod in fundo nascitur, v.g. frumentum & legumina, sed generaliter, quilibet redditus, vel vtilitas, vt domus, cum locari possit, & inhabitari, siluæ, & propter fructus, & propter amœnitates, ex l. competit. ff. quod vi aut clam. & l. item si fundi. ff. de vsu fructu. & quemad. & l. frugem. ff. de verb. signif. vbi etiam lapicidinæ, cretifodinæ, & loca vnde arena, & similia eruuntur, frugifera dicuntur. vt etiam vidit Azor c. 6. & Virginius de censibus p. 1. num. 3. Atque etiam adeo debet esse frugifera, vt sufficiens sit ad pensiones in posterum soluendas, ex Nau. num. 79. & 85. Rebell. quæst. 6. num. 5. & 6. Molina d. 385. n. 13. & d. 389. §. Quatenus verò. Azor. c. 6. q. 1. Tolet. l. 5. c. 45. Valentia 2. 1. d. 5. quæst. 22. puncto 2. Roder. condit. 2. Medin. Cod. de censibus. c. de Iustitia census. Laurentius de Rodulphis. de vsur. quæst. 12. Virgin. de cens. p. 3. num. 29. Syl. vsura. 2. quæst. 12. Scoccia. §. 1. quæst. 1. num. 177. 242. Rota Rom. decis. 227. (quicquid in contrarium senserit Sotus l. 6. quæst. 5. Couar. l. 3. Var. resol. c. 7. num. 6. Conradus, quæst. 88. concl. 12. 13. 14.) Tum quia in censu emitur ius percipiēdi annuam pensionem ex fructibus rei subiectæ censui, ideo si quotannis res pauciores fructus reddit, quàm sit pensio, ex ea parte, census impositus erit in re infructifera. Tum quia iam census non esset realis, sed mixtus ex reali & personali; si quidem quoad residuum solutionis non in re, sed in obligatione personæ fundabitur. Tum quia nemo emeret censum realem in re, quæ culta non tantum redderet, quanta est pensio; etenim illius rei cessione censuarius solutus esset à solutione census.

Quin etiam deducendæ sunt expensæ omnes faciendæ in re subiecta censui, colenda, vt rectè docet Nau. Azor, Molina, Rebellius locis cit. cum ex l. 1. Cod. de fructuum, & litium expensis, Clementina statutum. de elect. Bartolo, in l. fructus. ff. soluto matr. Gloss. in l. per diuersas. Cod. de mandato, §. quam aliis causis. expensæ non sint in fructibus computandæ, sed deducendæ; seu quod in idem redit, sit ex Bartolo in l. fundi. ff. de vsufructu leg. deducenda pars coloni. ideo adeo ferax res esse debet, vt omnibus deductis sufficiat ad pensiones impositas soluēdas. Non est tamen opus,

opus, vt de facto singulis annis res sufficientes fructus ad pensionem soluendam producat, ex Rebell. quæst. 6. num. 6. Molin. d. 385. num. 13. Azore, c. 6. quæst. 5. & 6. Cõrad. quæst. 83. Nauarr. num. 117. Valentia. p. 2. vers. sed neque. Lessio dub. 12. num. 90. Salas. dub. 11. & 41. Eman. Sà, v. census. num. 6. 8. Reginaldo l. 25. num. 411. 429. & declaratione Pij V. de qua Epit. 105. §. 6. dummodo ex fructibus aliorum annorũ compensari possit pensio soluenda in annis, quibus fructus non fert, ita vt collectio plurium annorum non excedat collectionem omnium fructuum, quibus omnibus illis annis percipiuntur. vt experientia patet in venditione annui census, ex agro solùm alternis annis ferente fructus, quæ secundum omnes est licita.

Roganti verò, an possit imponi annua pensio rei cuius ferax non est res censui subiecta. v. g. vini in oliueto? Respondeo posse, vt potest pensio solui in pecunia, cuius tamen domus, v. g. aut prædium ferax non est, ex Molina d. 385. num. 12. 389. num 4. Conrad. de contr. quæst. 75. 79. Medin. de vsur. quæst. 1. & 2. de cens. Couar. c. 7. num. 2. Soto. l. 6. quæst. 5. art. 1. concluſ. 3. Maiore 4. d. 15. q. 42. Gabr. ibidem quæst. 12. Panor. c. in ciuitate. de vsuris. Syl. vsura 2. quæst. 12. Rebel. l. 10. quæst. 6. n. 6. & quæst. vltima n. 11. quia æqualis est valor census pecuniarij, & census fructuarij cuiuscunque speciei, quando pensiones æquales sunt in valore, posita æqualitate periculi, cæteriſque paribus.

THEOREMA 260.

OPus præterea est ex d. §. 1. vt res immobilis, quæ censui subiicitur (nam in re quæ habetur pro immobili, id locum non habet) sit certis terminis, seu confinibus, & limitibus, designata, iis enim domus, agri, & similia distingui solent. idemque præscribitur in extrauag. *Regimini.* Martini V. & Calixti III. tit de empt. & venditione c. 1. & 2. qua de re Nau. num. 86. 129. 130. Azor. c. 7. Tolet. l. 5. c. 45. 46. Molina. d. 389. num. 5. Rebell. quæst. 6. n. 6. Lessius n. 78. Scaccia §. 1. q. 1. n. 177. Rotã Rom. decis. 227. ad excludendum cẽsum, qui generaliter fieret super omnibus bonis, etiam aliquo immobili expresso, & finibus designato: & vt perdita, aut infructuosa perpetuò effecta, subiecta re in totum aut partem: pensio quoque in ea constituta proportionaliter in totum aut partem pereat, sicut etiam fit in amissione vsusfructus l. quod tamen ff. quibus modis amittatur vsusfr. aliàs non emptionem, sed vsuram saperet; cum in mutuo sors pereat mutuatario, in emptione autem si res pereat, emptori pereat, vt notat etiam Tolet. l. 5. cap. 45. quia etiam idem annuus census venditus à diuite habente plura prædia, pluris valeret, quàm venditus à paupere habente pauciora, vt notat Scaccia. num. 205. siquidem census consistens in pluribus bonis securior censeretur.

Quamuis seclusis Pontificiis constitutionibus, naturali iure censum creari posse super omnibus rebus alicuius, nullam certam determinando, doceat Nau. n. 130.

Valentia loco cit. p. 2. Maior, Medina, Sotus, eo quod quisque habeat ius percipiendi vtilitatem ex omnibus bonis suis indeterminatè, ergo etiam possit eius partem vendere. qua etiam de re dictum est Theoremate 104. Possunt tamen cætera bona hypothecari, sicut & dari fideiussores pro euictione rei grauatæ census, aut pro pensionis solutione, vt declaranit idem Pius in citata Constitutione. Etsi §. 8. vt patet ex epitome 105. id enim non est censui subiicere omnia bona expresso vel non expresso aliquo immobili, sed censum in re aliqua immobili fructifera constitutum, vallare in casu euictionis, aut non solutionis. Accidere enim potest, vt res quæ supponitur censui, alterius sit, & non vendentis censum, & domino inscio obligetur censui, & ob id sit restituendum pretium acceptum, vt docet Nauarr. num. 119. 131. Virgin. p. 2. num. 44. Azor cap. 7. quæst. 7. Molina d. 394. Lessius dub. 12. num. 79. Tolet. l. 5. cap. 45. Scaccia num. 179. & 182. Aut fundus sit iam oneratus alio priore censu, inscio censitore posteriore, qui potestatem habet rescindendi contractũ, ex Toleto. loco citato, & Azor quæst. 2. Aut fundus censui obstrictus, sit feudalis, & non potuerit, sine consensu domini directi subiici oneri, ex Virgin. p. 2. num. 74. Azor quæst. 3. & alienans quouis modo cadit in commissum. c. imperialem. lib. 2. de feud. tit. de prohibita feudi alienatione. & ob id emptor cẽsus possit pretium repetere. Idémque dicendum, si census constitutus fuisset in re emphyteotica, ex Virginio & Azore. quæst. 4. Scaccia n. 184. Aut obligata vinculo maioratus inscio emptore, ex Nauarr. num. 118. Mol. d. 394. num. 4. Lessio dub. 12. num. 79. Scaccia loco cit. Soto l. 6. q. 5. art. 1. Rota Rom. decis. 150. Vnde necesse est, vt res, quæ censui obligatur, sit propria & libera, quod hoc loco Pius V. supponit.

THEOREMA 261.

QVarta conditio ponitur. §. 2. vt pretium census sit iustum. & habetur quoque in extrauag. Martini V. & Calixti III. idque dictat ius naturale in hoc & cæteris contractibus iustitiæ commutatiuæ, in quibus debet pretium commensurari rei emptæ vel commutatæ. Est tamen conditio hæc magis attendenda respectu vendentis censum, quàm ementis, vt aduertit Rebell. quæst. 5. nu. 6. Michael Salon. 2. 2. quæst. 78. art. 3. controuersia 11. Scaccia §. 1. q. 1. n. 241. & q. 7. p. 2. ampliatione 10. n. 70. quanto enim maiori pretio census emitur, tanto minus est vsuræ periculum, & semper in fauorem eorum, qui necessitate premuntur vendendi, vel emendi, taxa constituatur, ne lædatur necessitate pressus. Explicant pluribus conditionem hanc Nauar. d. com. de vsur. num. 85. 104. 112. Lopez. de contr. l. 1. cap. 58. Tiraquell. l. 2. de retractu §. 1. Gloss. 6. num. 15. 16. &c. Azor. cap. 8. Lessius. l. 2. c. 22. dub. 14. 15. Scaccia quæst. 1. n. 240. 244. & quæst. 7. part. 2. ampliat. 10. num. 80. 81. Rodericus condit. 3. dub. 1. Rebell. q. 5. & quæst. 6. num. 7. Valent. loco cit. p. 5. Tolet. l. 5. cap. 47. Lupus. com. de vsur. §. 2. num. 72. Molina d. 385.

Porrò, Pius V. hoc loco nihil in particu

particulari ſtatuit de pretij quantitate, quippe cum cenſuum pretia, pro locorum, temporum, negotiorum varietate, emptorum, venditorum, pecuniæque copia vel inopia varientur; immo etiam ex modo vendendi, cum vltroneæ merces decreſcant. Quare vbi pecuniæ laboratur inopia, viget negotiatio, emptoréſve pauci ſunt, vileſcunt cenſus, & è contra, vt notauit Nauarr. num.104. Leſſius num.102.Rebell.quæſt.5.num.4.5. Valent. p. 5. & Molina vniuerſaliter.d.348. Itaque in caſu noſtro illud cenſendum erit iuſtum pretium, quod vel lege Principis, ſeu Reip. qui iuſtum pretium cuiuſcumque rei taxare poſſunt. l. 1. Cod. de epiſc. audien. & cap.1. de empr. & vend.& Couarr.lib.3.var. reſol. cap.9. num.6. fecitque Philippus II. Hiſp. rex anno 1563. Madriti, taxando ad rationẽ vnius pro quaruordecim. vel communi iudicio prudentum, ſeu conſuetudine locorum conſtitutum fuerit. Ideo illud erit iuſtum pretium cenſus, quod tanti æſtimabitur arrentis omnibus circunſtantiis, quanti ius ipſum percipiendi annuam penſionem, quæ ſoluenda eſt, iuxta principia Ariſtotelis l. 5. & 6. cap.7. & l. pretia rerum. ff. ad leg. Aquil. & communi ſententia Nau. num.104.Valentiæ loco cit.concl. 2. Rebell. num. 1. 4. 5. Tolet. l.5. cap.47. num.3. Lupi.§.2. num.72. Salonis art.3. controuerſ. 9. & art. 4. controuerſ.2. Tuſchi. §. cenſus. num. 193. Emanuelis Sà num.5. Salas dub.22. Bannes 2.2.q.78.

Percunctanti autem an in emptione cenſus ratio ſit habenda valoris rei cenſitæ, an tantum reddituum? Reſp. Nauarr. conſil.18. de empt. & vend. impreſſ. Pariſienſis, & Lupus.com.2.§.5.n.116. reddituum, eo quod ematur ius percipiendi ex fructibus penſionem annuam, & poſſit res ſubiecta eſſe multi pretij, ſed reddirus exigui.v.g. Caſtellum,quod magis ſit ad ſplendorem,quàm ad vtilitatem & prouentus; idcóque debeat penſio imponenda habere proportionem cum redditibus & prouentibus ipſis, quos apta eſt res ferre. Quod ſi in pretio iniuſtitia cõmittatur, oritur reſtitutionis obligatio,vt docet Rebel.q.5.n.8. Leſſius dub.15.num.107.Io.Medina q.15. dub 4. §.ſed pone. Reſtituerur autem ſupplendo prerium, & intereſſe, ſi quod ex carẽtia iuſti pretij obuenit venditori.

THEOREMA 262.

SEquitur quinta conditio in eodem §. 2. vt prædictum iuſtum pretium totum ſimul & integrè venditori ſoluatur, quod etiam à Martino V. & Calixto III. præceptum eſt. Idque merito, tum ex Nauarr. num.78.& Molina d.390. num.1. ne cogerentur miſeri venditores cenſum vendere partim præſenti pecunia, partim credita in poſterum decurſu temporis per partes ſoluenda, dilatione vi extorta; cum non debeat cenſitor credere cenſuarium ſponte dare dilationem ſolutionis. cum neceſſitate coactus cenſum vendat ob indigentiam pecuniæ, qua in præſenti eget ad diſſoluenda debita, nupris filiabus dotem conſtituendam, negotia exercenda, & ſimilia. Tum quia qui non ſtatim ſoluit, minus iuſto pretio dare videtur vendenti cenſum, ideo emptor

tenetur

tenetur id pensionis restituere, quod accipit pro parte pecuniæ nondum traditæ. Cum æquitas velit, vt nulla accipiatur pensio nisi à tempore, quo pretium fuerit pro illa parte census solutum.

Quare non sufficit, si censuarius fateatur se antea partem pretij accepisse, & tunc recipiat reliquum, sed necesse est, vt totum pretium integrum simul in celebratione census recipiat. Cui conditioni dupliciter fraus fieri solet, ex Nau. num. 88. Rebell. quæst. vlt. & aliis. Primò, ostendendo quantitatem pecuniæ, quam emptor non numeratam, in contractu tradit venditori, qui in se integrum pretium recipere confitetur. quod sanè neque in ipso foro exteriori tutum est, cum constitutio hæc requirat omnino pretij numerationem. idque rectè, cum l. 1. & vlt. Cod. de dote cau. non num. constet, maius esse probare solutionem factam numerando pecuniâ realiter, quam partem confessam esse se illam recepisse. Secundò, numerando totum pretium, vt Notarius & testes testimonium possint dicere de numeratione & traditione totius pretij venditori, sed paulo post per conuentionem inter se iam antea initam, vendens in absentia eorundem restituit partem pretij, quam debebat emptori. Quod si huiusmodi conuentio probari potest, neque etiam valebit in externo foro. l. qui sic soluit. ff. de solution. Vbi Vlpianus ait, qui sic soluit, vt reciperet, non liberatur: quemadmodum non alienantur nummi, qui sic dantur, vt recipiantur. quod etiam docet Azor cap. 8. q. 2. vers. sed quid. Scaccia n. 211.

Num verò id liceat in foro interno, dubitari potest. Et quidem Nauar. n. 88. quem sequitur Petrus Salasar condit. 4. dub. 1. Emanuel Sà v. census. num. 3. Boninsegnius cap. 5. num. 5. Lessius dub. 12. n. 80. Surdus lib. 2. consil. 162. num. 38. & seqq. Scaccia num. 213. 214. 221. 231. affirmant, tum quod hæc conditio posita sit ad vitandas fraudes vsurarum. Cum igitur cessat periculum fraudis, eò quod venditor verè antea, aut mutuo, aut alio modo pecuniam receperit, cessabit etiam ratio legis in foro conscientiæ. Tum quod clausula sit adiecta in fauorem venditoris, ei autem sit vtilius super re sua pecunia antea recepta, creare censum, quàm pro debito quòd exigitur, bona vendere, & forte minoris, quàm valeant.

Oppositum (re integra, aliàs cum res sit dubia, dissimulari poterit) docet Rebell. quæst. 6. condit. 2. num. 9. & quæst. vltima num. 1. Molina. d. 390. num. 1. & ibidem, Lasarte. de decim. vend. c. 10 n. 49. Virgin. de cens. p. 1. num. 52. & 44. & p. 3. num. 21. & 57. & tr. de societ. num. 64. Nauar. consil. 1. de empt. & vend. num. 1. Felicianus solis. l. 1. de cens. cap. 8. num. 13. Michaël de Palatio. l. 4. praxis Theol. cap. 6. Azor 3. p. l. 10. cap. 8. quæst. 1. Rota Rom. decis. 286. n. 1. & 2. die 10. Febr. anni 1597. & decis. 328. num. 1. die 29. Maij anni 1600. in impressis Lugduni anno 1612. in operibus Farinacij, quia clausula hæc apposita sic à Pontifice, ranquam solemnitas requisita & formula iuris, ita vt si non seruetur, contractus sit ipso iure nullus, non obstante, quod alioquin iustè ex natura fiat. ideoque vbi vsu recepta est bulla Pij, præscripta

solem

ſolemnitate omiſſa, cõtractus tam in foro interno, quàm externo, erit nullus. Nec ceſſat omnino ratio legis, vt notat Rebellius, forte enim Pontifex obuiare voluit auaritiæ creditorum cogentium pro antiquis debitis, miſeros debitores magno damno immobilia bona onerare cenſibus, ad quod tamen non compellerentur in foro externo, quamdiu ſufficerent mobilia: Itemque ex altera parte, ne tam facile immobilium poſſeſſores debita contraherent, quibus poſtea cogerentur, in illis creare cenſus.

Quid ſi cenſuarius per fraudem ad contractum cenſus irritandum efficiat, ne ſibi à cenſitore pecunia integra, ſed pars ſoluatur creditori ſuo, adhuc Notario abſenti, emptore, qui iam totam pecuniam detulerat fraudis inſcio? Reſp. Rebellius. quæſt. vltima. num. 1. in vtroque foro, ſi id ſufficienter probetur, per epicheiam, valere; & olim ita iudicatum, quod eo caſu non ſit cenſenda mens Pontificis velle inualidare contractum, cum nemini propria fraus debeat patrocinari, ex regula iuris. l. 6.

THEOREMA 263.

HIuiſmodi verò pretium ſoluendum eſt in pecunia numerata, ex præſenti. § 2. Nam bulla Martini V. & Calixti III. etſi approbarit cenſus in pecunia numerata, non damnauit tamen expreſsè contractus aliter factos. Et rectè conditio hæc ſexta appoſita eſt à Pio V. ne cenſuarij neceſſitate preſſi cogerentur ſumere partem pretij, vel etiam totum in mercibus, quibus non egent, & quas deinde multo minori pretio diſtrahant, neceſſe eſt, vt cenſet Molina. d. 390. num. 1. Rebell. q. 6. n. 9. Emanuel Rodericus condit. 4. dub. 1. Virgin. p. 2. num. 5. Salas dub. 8. Azor cap. 8. q. 2.

Quid ſi merces dentur iuſto, & non immoderato pretio, loco pecuniæ, erit ne contractus in foro conſcientiæ validus? Nauar. n. 88. Couar. l. 3. var. reſ. cap. 11. num. 1. & 5. Scaccia §. 1. quæſt. 1. num. 213. 221. Graff. p. 1. l. 2. cap. 18. num. 21. & alij affirmant, eo quod in huiuſmodi contractu, nulla fraus interueniat, & perinde ſit, ac ſi pacta pecunia ſolueretur, cum merces reuera tantidem valeant. Negant Virginius. p. 2. de cenſib. num. 50. Azor cap. 8. quæſt. 2. Rebell. q. 6. condit. 2. num. 9. Molina d. 390. num. 2. Emanuel Rodericus condit. 4. dubio 1. Sotus l. 6. quæſt. 5. quod lex requirat pecuniam ſolutam & numeratam, non autem rem pro pecunia. cum iuxta l. non dubium. Cod. de leg. fiat fraus in legem, cum ſimulatè fit vnus contractus pro alio, & ſolemnis formula contractus conſiſtat in indiuiſibili. & extat de hac re Rotæ Rom. deciſio 254. anni 1608. in impreſſis Lugduni ab Horatio Cardono anno 1616. quæ declarat huiuſmodi contractum ſimulatum eſſe & fœneratitium, attenta Pij V. conſtitutione, licet ante illam. ſpectato ſolo iure naturali reprehendi non potuerit, ex Molina d. 390. num. 2. & aliis.

THEOREMA 264.

PRædicta pecunia numeranda, & tradenda eſt cenſuario, coram Notario, & teſtibus in ipſa ce-

Scortia.

lebratione contractus, quam ſeptimam conditionem Pius V. hoc §. 2. adiicit formulæ contractus, non admittens alios modos ſolutionis pretij pro cenſu, quam dictam realem & actualem numerationem in ipſo actu confectionis inſtrumenti coram notario & teſtibus, vt notauit Rota 15. Febr. 1599. deciſ. 132. Rebell. q. 6. num. 7. & 8. Rodericus condit. 4. Medina in inſtitut. l. 1. §. 26. ad euitandas fraudes & ſimulationes: Præſumitur autem cenſus celebratus cum reali numeratione pecuniæ, vbi notarius in inſtrumento fidem facit de numeratione; & qui contrarium aſſerit, debet id apertiſſimè probare, vt conſtat ex Rotæ deciſ. 128. num. 5. 150. num. 3. 282. num. 2. 333. n. 6. ſed valebit ne in foro conſcientiæ contractus, in quo reuera pretium ſolutum eſt, quamuis non coram Notario & teſtibus? Affirmat Nau. num. 88. Salazar. tr. de vſu & conſuet. cap. 6. num. 45. Roder. condit. 4. dub. 1. Azor c. 8 quæſt. 6. Leſſius num. 80. eo quod lex conſtituta ſit ad euitandas fraudes, & quoad hoc conſtitutionem Pij non fuiſſe vſu receptam. Negat Medina d. lib. 1. §. 26. Molin. d. 390. num. 2. Laſarte de decim. vend. cap. 10. num. 49. vbi conſtitutio recepta eſt, eo quod Pius contractum aliter factum, illicitum, fæneratitium, & nullum eſſe ſtatuat, ob defectum formulæ ſolemnis iuris ſcripti, ſeruandæ etiam ſecundum conſcientiam. initio enim ait. *Statuimus cenſum ſeu annuum redditum creari, conſtituine nullo modo poſſe, niſi,* &c.

Hanc tamen conditionem idem Pius moderatur in conſtitutione. *Etſi*, quæ eſt huius declaratoria, volens. § 9. in caſu aſſignandarum dotium poſſe creari cenſum non habita ad manum, nec numerata pecunia coram Notario & teſtibus. Itémque §. 10. vt ſufficiat pro pecunia numerata coram prædictis apoca, ſeu idonea bancharia ſchedula. & meritò. Cum cedula bancharia data ab emente cenſum, & acceptata à cenſuario vendente, vim habeat ſolutionis, & numerationis pecuniæ, vt docet Bartolus in l. ſoluturus. 3. de ſolut. Puteus deciſ. 156. lib. 1. dec. in l. ſi verè. num. 40. Cod. de inſtit. & ſubſtit. Sigiſmund. Scaccia §. 1. quæſt. 1. num. 233. & §. 2. gloſſ. 5. num. 63. 64. Angel. in l. vſum fructum. nu 2. ff. de verb. oblig. Rota Genuenſis deciſ 4. num. 9. & Rota Rom. deciſ. 124. num. 2. & deciſ. 128. num. 7.

THEOREMA 265.

VEtat etiam §. 3. ne ſolutiones penſionum anticipatè fiant, aut deducantur in pactum: quod etiam pro regno Franciæ anno 1521. decreuerat Senatus Pariſienſis die 27. Iunij, vt ſcribit Imbertus Rupellanus lib. 1. forens. Inſtit. cap. 34. & Felicianus de ſolis l. 1. de cenſibus. cap. 9. num. 11. hoc eſt, né poſt celebrationem contractus penſiones exigantur, aut deducantur in pactum, antequam pro ratione temporis decurſi debeantur, ex Molina. d. 390. clauſula 3. Rebellio clauſula 2. Leſſio num. 81. Azor cap. 9. Couar. c. 15. num. 10. 11. Salas de cenſibus. dub. 9. Rota Rom. deciſ. 159. & 333. ſiquè rectè, nam ſi cenſuarius deberet penſionem anticipatè reddere, redderet antequam res ſuppoſita cenſui

censui fructus vllos faceret, annuus autem redditus debetur ex fructibus rei; itemque censitor eo anno non subiaceret periculo rei subiectæ. v.g. domus, quæ corruere aut incendio conflagrate potest.

Præterea pretium non erit iustum; nam si v.g. annuus redditus scutorum 21. ematur pretio 300. aureorum, si anticipatè soluatur pensio, statim reddentur 21. Sunt igitur tantum reliqui 279. licet annuatim pensio soluatur, ac si censuarius accepisset 300. ob id iniqua esset hæc anticipata solutio, vt notat Azor loco cit. quæst. 3. & restitutioni obnoxia. Rota tamē Romana, annō 1600. die 26. Iunij decis. 159. & decis. 325. censuit huiusmodi pactum, licet non valeat, non vitiare tamen totum contractum census, (quidquid senserit Felicianus de solis. loco cit.) eo quod solutiones anticipatæ vel postulatæ non sint de forma substantiali emptionis & venditionis census, sed solum quid accidentale, cum non remoueat consensum contrahentium à contractu census, nec faciat contractum illum in aliam speciem transire, vt scripsit etiam Surdus consil. 243. n. 26. & Sigismund. Scaccia. §. 1. q. 7. parte 2. ampliat. 20. num. 9. & seqq. Ob id vitiatur quidem per bullam Pij V. anticipata solutio pensionis, sed non vitiat contractum totum, qui solum vitiatur, vitiata forma substantiali. & de ea solum intelligunt clausulam illam §. 13. Contractus sub alia forma celebratos iudicamus fœneratitios; cætera verò accidentalia reiici quidem & annullari, sed haud vitiare totum contractum.

THEOREMA 266.

ADiicit §. 4. nonam conditionem, vt irritæ sint conuentiones, & obligationes directè vel indirectè obligantes ad casus fortuitos, eum, qui aliàs ex natura contractus non tenetur. Hæc conditio tamen duobus modis potest intelligi. Primo, vt prohibeatur ne fiat conuentio de soluendis singulis annis fructibus seu redditibus, etiam si fortuitò aliquo anno pereant, eo quod tunc non obligetur censuarius soluere, cum non prouenerint fructus, & ob id tunc sit frustra ius exigendi pensionem de fructibus, & ita explicat Molina d. 390. claus. 14. Lessius nu. 82. Azor cap. 10. nec id improbabile putat Rebell. condit. 3. Secundo modo, vt prohibitio non referatur ad pensionem, sed ad rem subiectam censui, vt si res casu aut fortuitò pereat, non maneat amplius obligatio, nec vlterius soluatur pensio. Nec tamen idem repeti, §. 10. sed solum ibi declarari, re tota perempta, totam obligationem etiam perire: si verò pars tantum pereat, proportionaliter solum perire pensionem. ita explicat Rebellius. num. 10. 11. 12. Lopez. cap. 60. Salas. dub. 10. Nauarr. in com. de vsur. num. 117. Sotus l. 6. quæst. 5. art. 1. Et placet. Tum quia ita seruatur in praxi. Tum quia pensio tam pro fertilibus quàm sterilibus annis est iusto pretio & præmeditatè empta. Tum quia non emuntur fructus, nec super fructibus ius imponitur, alias censuarius, non posset inuito censitore, pro arbitratu disponere de fructibus. sed super re ipsa, vnde idem ius perseuerat quandiu inextincta,

& sua natura fertilis perseuerat. Tum denique quia id expressè declarauit Pius V. constitutione. *Etsi.* §.6. de qua epitome 105. vult enim deberi pensionem etiam si tempestate aut casu aliquo vno, duobus aut pluribus annis fructus non prouenerint.

THEOREMA 267.

REctè postea §.5. decimam ponit conditionem, vt irritum sit pactum omne restringens aut auferens libertatem censuarij alienandi (inuito censitore) rem censui subiectam, aut imponens censuario obligationem, vt si rem vendat, soluat censitori, pro facultate alienandi ab eo obtenta, ex Molina. d. 390. clauſ. 5. num. 8. Salas dub. 29. Lessio dub. 11. num. 72. laudemium, seu quinquagesimam, aut aliam partem aliquotam pretij rei alienatæ, vti fieri solet in venditione rei emphyteoticæ, in recognitionem directi dominij. quia cum censitor non habeat dominium directum, nec vtile, rei subiectæ censui, sed solum ius percipiendi ex ea annuam pensionem, non postulat huius contractus natura, vt non possit censuarius, qui rei dominium habet, suam rem liberè vendere. Id enim non præiudicat censitori, cum semper obligatio soluendi ei censum, sequatur, & comitetur rem suppositam censui: vt igitur cuicumque alteri licet rem suam (etsi seruitutem habeat) liberè, & quandocumque voluerit, vendere, ita licet censuario, vt notauit etiam Molina. d. 390. clausula 5. Lessius num. 83. Rebell. quæst. 6. nu. 13. Azor c. 11. quæst. 1. Virgin. p. 1. de cens. n. 23. Rodericus. dub. 2. post explicationem conditionum, qui etiam citat Dec. consil. 254 num. 15. Nauarr. num. 91. 93. Scaccia §. 1. quæst. 1. num. 236. Felicianus de solis. l. 1. de cens. cap. 9. num. 13. Pontifex tamen non tollit, si res aliàs, excluso censuali contractu, esset obnoxia cum venditur, solutioni laudemij quin soluatur, cum non fuerit intentio legislatoris liberare à laudemio prædia, quod alia ratione, quàm census in eis impositi, debetur. vt ex se patet, & notat Nauarr. n. 93. & Molina disp. 390. clauſ. 5.

Quæreti num hæc clausula permittat censuario, vt possit etiam priuilegiato, vt sunt Ecclesiastici, aut potentiori, rem censui subiectam vendere? Respondendum est, permittere, ex Molina loco cit. & Azore cap. 11. quæst. 1. (quidquid senserit Rodericus dub. 4. post conditiones) cum ius census, neque ex natura rei, neque ex iuris dispositione habeat, quin res subiecta censui, possit vendi aut alio titulo alienari in potentiorem sine consensu censitoris, (sicut in emphyteusi) & ob id tale pactum appositum restringeret facultatem censuarij rem alienandi, contra præsentem Pij V. constitutionem.

THEOREMA 268.

TVm §.6. iniungitur venditori census, vt si rem vendere voluerit, id denunciet censitori, vt si libuerit, tantidem, & iisdem conditionibus, ipse rem illam emere possit, & per mensem expectetur (nisi huic fauori ipse renuntians ante id tempus concedat facultatem, vt alteri vendat) & si velit ipse

ipſe emere cæteris omnibus præferatur (iis ſcilicet, qui non habent ius prælationis, non verò habentibus, ex Nauarr. num 127. Leſſio dub.12. num. 84. Scaccia §. 1.quæſt. 1. n. 245. Molina. d.394. & cenſendum non ſit, Pium V. voluiſſe præiudicare cognatis, Vicinis, ſociis venditoris, qui ſtatuto aut alio iure ſunt præferendi, cum Princeps concedendo vni gratiam, non videatur velle alteri præiudicare. l.2.§. ſi quis à Principe. ff. nec quid in loco pub. & c. ſuper eo.de officio delegati.) Meritò autem hanc 11. conditionem appoſuit Pontifex,ne emptor cenſus poſſet iure conqueri, ſi forte res ad potentem, aut priuilegiatum tranſiret, quo facilè penſionẽ difficiliùs poſſet exigere ab ſecundo poſſeſſore, à quo eſt deinceps ſoluenda & exigenda penſio. Debebit enim cenſitor ſibi ipſi imputare, quem emere noluerit, ſed permiſerit, vt alteri res venderetur, vt docet Azor. c. 11. quæſt. 1. Molina clauſ.5. num.7. 8. Nauarr. num.92. Rodericus. dub. 6. Sotus l.6. quæſt.5.art.2. Virgin.p.1.num. 8. & alij. Quod ſi eo inſcio res fuerit vendita, poterit cenſitor conuenire in Iudicium,tam ſecundum poſſeſſorem, ex Couar. l. 3. Var.reſol.c.7. num.22.& Molin.d. 372.num.6.verſ.quando.tum quia contractus fuit iuualidus, vt pote celebratus abſque ſolemnitate, à Pio V. requiſita, tum quia cenſuarius non potuit cenſitori præiudicare abſque eius conſenſu cum habuerit ius prælationis.tum quia res cum ſuo onere tranſit. quàm etiam ex Virginio,p.1. num 23. & Azor loco cit. venditorem ipſum aut hęredes,& exigere penſionem; cum fuerit contractus inualidus, ex conſtitutione Pij V. cenſitore irrequiſito.

Quærenti an ſi res cenſui ſubiecta diuidatur in plures hæredes, vel per partes pluribus vendatur, poſſit cenſitor à ſingulis exigere in ſolidum totam penſionem? Reſpondeo rem agitari inter Doctores, negat Couar. l. 3. Var. reſol.c.7.num.8.Gloſſa in l Moſchis. ff.de iure fiſci, Virginius p.2 num. 33. Azor.c.11.quæſt.3. Salas dub.) & 11. Rebell. q. 6. num. 2. 3. tum quia ita ſeruatur in Luſitania,tum quia res tranſeat cũ ſuo onere, ergo vt tota cum toto, ita pars cum parte oneris tantũ, & non in ſolidum cum toto. Eadem enim debet eſſe proportio in hoc caſu,quæ eſt cẽſus fundi ad partes.Vt igitur pereunte parte fundi, pars tantum cenſus perit, ita re in partes diuiſa, ſingulæ partes, proportionaliter pattem tantum cenſus ſolucre debebunt. Affirmat autem Molina.d.383. num.9.& d. 391 num.3. Nau. comm.cir. num.114. Leſſius dub.12.num.89.Aluarus Valaſcus. de iure emphyr.quæſt.32. num.13. Laſſarte de decim.vend.c.10.num. 14. tum quia ita in Hiſpania vſu receptum ſit, iiſdem & Couar. teſtibus. Tum quia nemo vellet emere cenſum cum eo periculo,vt ſi res ſubiecta diuidatur, cogatur à pluribus, & magno labore exigere partes penſionum, eáſque proportionaliter pro ratione fundi, quæ res magnas lites ac difficultates facillime pareret. Tum quia non debet conditio cenſitoris ex hæredum aut ementium multiplicatione fieri deterior, iuxta l.2. ff. de verb.oblig.& l.planè. ff. famil. hercis. Tum quia per diuiſionem

fundi vectigalis, non diuiditur vectigal, in eius, cui debetur, præiudicium. poteſt enim à quolibet poſſeſſore cuiuſuis partis, petere & exigere. l. communi diuiduudo. ff. commun. diuid. & Gloſſa ibid. ſed cum res pendeat ex praxi fori iudicialis, quæ pro locorum diuerſitate, diuerſa eſſe poteſt, erit res definienda pro varietate Prouinciarum.

THEOREMA 269.

STatuit §.7. conditionem. 12. ne ſcilicet, fiat pactum, quo venditor cenſus ob moroſam ſolutionem penſionis in pœnam aliquam, vt puta commiſſi ſeu amiſſionis rei cenſitæ, vel eius partis, aut iuris alicuius (eſſet enim pœna inæqualis culpæ ex Rebell. q. 7. num. 1. Molin. d. 390. n. 11. Tolet. l. 5. c. 48. Azor. c. 13. q. 6.) aut intereſſe lucri ceſſantis, vel cambij, expenſarum, ſalariorum, & ſimilium, ſiue certorum, ſiue liquidandorum creditoris iuramento, pro recuperanda penſione. hæc enim ad euitandas fraudes, & præcidendam occaſionem vſuris, meritò Pontifex prohibet, nolens lucrum, intereſſe, & ſimilia, deduci in pactum, ne cogeretur cenſuarius tantum ſoluere, quantum cenſitoris arbitrio taxaretur, relinquens id definiendum Iudicis arbitrio. Poteſt enim creditor in iudicium conuenire debitorem ſuum, & ex iuris diſpoſitione petere expenſas, quas fieri oportet litigando, contra moroſum debitorem, vel tranſmittendo executores, & omne illud quod eius interereit, & Iudicis mandato habere. vt declarat idem Pius V. §. 7. declaratoriæ. *Et ſi.* autea citatæ Epit. 105. (quæ paucis videtur cognita) & docet Nauarr. num. 93. Tolet. l. 5. c. 48. Molin. d. 390. clauſ. 6. num. 10. Scaccia §. 1. quæſt. 1. num. 182. 246. & quæſt. 7. p. 2. num. 57. 58. Medina de rebus per vſur. acquiſitis. q. 15. Rota Rom. deciſ. 153. 331. 372. num. 8. Lupus in l. curabit. §. 6. num. 26. Cod. de act. empt. inter tractatus diuerſos, to. 7. fol. 121. Virginius Boccacius. p. 1. num. 9. Azor c. 13. quæſt. 1. & 2. Salas dub 11. Emanuel Sà. v. cenſus num. 3. Michaël Salon loco cit. controuerſia. 16. Felicianus de Solis. l. 1. c. 9. num. 14. & ſeqq. Leſſius dub. 12. num. 86. ſi enim ex dilatione ſolutionis, damnum euenerit emptori cenſus, expenſas fecerit, vel ſi ex mora lucrum ceſſet, non ſolum intrinſecum, vt concedit Molina, ſed etiam extrinſecum (quale eſt quod per induſtriam negociationis cenſitoris percipere tur) vt colligitur. l. ſi ſterilis. §. per venditorem. ff. de act. empt. debitoris culpa euenerit, naturali iure, reſarciendum eſt, quippe cum, qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videatur. c. fin. de iniuriis, & l. qui occidit. ff. ad leg. Aquil.

Quid verò ſit lucrum ceſſans, quid damnum emergens, explicat Nauarr. comm. de vſuris. num. 40. 41. Porrò, aliud eſſe, accipere intereſſe lucri ceſſantis, & aliud vſuram, docet Nauarr. ibidem n. 44. 45. ex Scæuola in l. 3. §. fin. ff. de eo quod certo loco, &c.

THEOREMA 270.

VEtat etiam 13. §. 8. ne ex penſionibus in præteritum debitis, aut debendis in futuro, conſtitutus cenſus augeatur, (ſecus ex Nauarr.

Nauarr. num. 94.& Leſſio n.87. ſi ab emptore noua pecunia, vti antea factum eſt ſoluatur) in eiuſdem perſonæ vel alterius ab eo ſuppoſitæ fauorem, ad fraudes euitandas, ne videlicet per cenſuum incrementa ex cenſualibus penſionibus debitis, debitor graui oppreſſus onere cenſus, ad pauperratem redigatur. ex Molina clauſ. 6. num. 10. Azor.c.14. Salas dub.11. Salon.contr. 24. Feliciano. l.1.c.9. num. 16. & poſſit non difficile creditor cenſus in iudicio cogere venditorem ad ſolutionem penſionis,vel vt ipſe rei obligatæ cenſui apprehendat poſſeſſionem, & tandiu Iudicis arbitrio retineat, quamdiu ex eius fructibus ſit illi factum ſatis, ex Azor.c.14.

Percunctanti verò quandonam ſit ſoluenda penſio ? Reſpondet Salas dub.42.& Salon art.3. controuerſ. 12. ſecluſo pacto in fine anni, cum enim in cenſu ematur ius penſionis annuæ, finis anni eſt expectandus. Quid ſi ante finem anni redimatur cenſus ? ſoluatur penſio ad ratam temporis, ex Nauarr. num. 126. & Rebell.q. 6. num. 23. & conſtat id ex domorum penſionibus, quæ ſoluuntur pro rata temporis.

THEOREMA 271.

ANnullat §. 9. pacta continentia onerum ſolutiones ad venditorem ſpectare, quæ ex natura huius contractus non pertinent ad illam ; ideo ex hac 14. conditione nullum erit pactum,vt cenſuarius teneatur hoſpitio recipere v. g. familiares cenſitoris, ex Nauarr. num.94. vel teneatur ſuis expenſis mittere penſionem domum illius, ex Rebell. q. vltima num.1.& 2. Salas dub.30.Bartolo. l. ita in illa. ff. de conſtit. pecun. Paulo à Caſtro ibidem (quicquid ſentiat Rodericus dub. 7.) vel, vt venditor ſuis expenſis authenticum inſtrumentum venditionis cenſus, det emptori, ex Rebell. loco cit. vel, vt ea tributa, quæ imponentur pro ratione bonorum cuiuſque, aut pro quantitate redituum, & partim ad venditorem ſpectant,partim ad emptorem pro quantitate iuris cuiuſque, ad ſolum venditorem ſpectent, ex Molina diſp. 391. n.1. nimium enim cenſuarius grauaretur. Secus verò quando cenſus cõſtituitur in prædio, ex quo Principi, aut fiſco debetur tributum, quia enim dominium prædij ſuppoſiti cenſui, eſt penes cenſuarium, & non penes cenſitorem, ideo ſolus dominus prædij iure compellitur tributum ſoluere, quod eſt prædio impoſitum, cum huiuſmodi contractus cenſus non poſſit fiſco aut alteri tertio præiudicare. ex Azor. c. 15. Nauarr. num.132. Leſſio.num.87. Rebell.loco cit.num. 1. Salas dub. 11.& 37. Bouinſegnio num. 12. Molina d.391.num.1.

Quærenti an licitum ſit pactum de dandis fideiuſſoribus, tam de ſoluendis ſtatuto tempore penſionibus, quam de contractus ſecuritate, ſeu rei in qua cenſus collocatur euictione ? Reſpondeo licitum ex Rebell. q.7. num.2. Tolet. l.5.cap.46. Molina. d. 391. num.1. Salas dub.11.& 37. Emanuel Sa.v. cenſus num.3. Michaël Salon loco cit.controuerſ.14. num.7. Azor.c. 10. quæſt. 1. (quicquid ſenſerit Garzias.c.38.) cum id non ſit contra naturam contractus, & cenſitor

tor habeat ius consulendi per huiusmodi media licita suæ indemnitati. idémque declarauit Pius V. in Constitutione. *Et si.* epit. 105. §. 8. Itémque licitum hypothecari alia bona pro euictione, tam rei censitæ, quam solutionis pensionum, ex declaratione eiusdem Pij V. loco cit. & ex Bulla 4. Nicolai V. & Constitutione Gregorij XIII. de quibus dixi Theorem. 104. 105. & Rota Rom. decis. 154. Nauarr. comm. de vsur. num. 77. Feliciano de solis l. 1. c. 8. num. 10. Azor. c. 10. quæst. 1. Innoc. Panorm. & aliis in cap. in ciuitate. de vsuris. Ioan. Gutierez. l. 2. qq. pract. q. 177. n. 8. & l. 1. ff. de euictionibus, quæ habet, siue tota res euincatur siue pars, habet regressum emptor in venditorem. quare etiam deduci poterit hypothecatio in pactum licitè.

THEOREMA 272.

IAm verò. §. 10. Pius V. statuit 15. vt re in totum aut partem perempta aut infructuosa reddita, pro rata pereat census, quam etiam conditionem posuerunt Martinus V. & Calixtus III. in suis extrauag. *inter communes.* tit. de empt. & vend. vt notauit etiam Nauarr. num. 72. 74. Molina d. 389. num. 1. & 2. Lessius num. 35. & æquissima est conditio, si res pereat absque culpa censuarij, tum quia census iste realis est, & non personalis, tum quia deficiente fundamento necesse est corruant cætera ædificata in eo: quare etiam perempta re censita pro toto aut parte, peribit etiam ius in toto, aut parte censitoris in ea fundatum. minus enim rectè sensit Couar. l. 3. Var. resol. c. 7. num. 5. & 6. Sotus l. 6. quæst. 5. art. 1. Felicianus de solis. l. 1. c. 8. num. 19. 20. & Mich. Salon. loco cit. art. 3. contr. 18. huiusmodi ius census, non fundari in re censita, sed in censuario, & rem censitam habere solum rationem hypothecæ, contra cómunem Doctorũ sententiam, imo & dictorum summorum Pontificum decreta, cum census sit realis, non personalis, & pereat re in totũ aut partem, perempta, vt ex praxi patet. totum quidem, vt si prædium à mari absque remedij spe, vel à flumine sit occupatum, molendinum penitus euersum, domus combusta, idque etiam si ex eadem materia res denuo ædificetur, cum enim sit iam aliud ædificium; non est amplius suppositum censui. ex Molina d. 394. num. 3. Azor. c. 16. Nauarr. num. 118. Lessio num. 91. Salas dub. 11. 16. partem verò, vt si flumen tertiam aut quartam partem fundi abstulerit, similiter pro tertia aut quarta parte perit census. quod Molina. d. 391. clausula. 8. Garzias. c. 28. num. 9. & alij intelligunt etiam si quod remanet sufficiat ad integram pensionem soluendam, cum ad desitionem partis subiecti, debeat & pars accidentis, iuris scilicet, in re censita fundati, perire, vt Pius hic decernit. licet id durius aliquibus videatur in dicto casu, quia, quo super maiori prædio census 100. aureorum esset constitutus, eo deterioris esset conditionis, cum tamen melioris esse debere vulgò iudicetur; facilius enim deperit pars maiori prædio, quàm minori. id tamen cedit in censuarij commodum, aliàs censitores plus iustæ quantitatis prædia censu onerare voluissent,

voluiſſent, pro non magna annua penſione. Omitto quod ſcribit Salon loco cit. art. 3. controuerſ. 18. num. 3. §. ſecundò quando. etiam re in totum aut partem perempta, excluſa conſtitutione Pij V. iuſtè exigi totam penſionem. ſuppoſito enim falſo fundamento; nempe rem ſubiectam cenſui, habere tantùm rationem hypothecæ, & cenſum fundari in perſona, vt paulo ante retuli, non mirum ſi inde malam inferat concluſionem. Eadem, quæ de pereunte rediximus, habebunt etiam locum, ſi res tota, aut eius pars, efficiatur infructifera. Non dicitur tamen res effecta infructuoſa, ſi ſolum minus reddat quàm antea, aut ſi duobus, tribus aut pluribus annis fructus non ferat, ſed tunc ſolum, quando res effecta eſt impotens ad fructus in futurum reddendos ex Molina. d. 383. num. 6. 7. & d. 391. Nauarr. num. 95. Scaccia. §. 1. quæſt. 1. num. 176. Azor. cap. 5. quæſt. 3. & c. 16. Leſſio. num. 35. & 88. Valentia. 2. 2. d. 5. quæſt. 22. puncto 2. verſ. 6. Garzia. c. 28. Virgin. p. 3. num. 71. Reginaldo. l. 25. num. 411. 429. Salas dub. 10. Rota Rom. deciſ. 227. & Surdo conſil. 162. num. 17. lib. 2. Dixi ſi res cenſita abſque culpa cenſuarij pereat, vel fiat infructuoſa; quia ſi id accidat eius culpa, aut non petibit cenſus ex Scaccia num. 176. 178. Bartolomæo Medina & aliis, cum æquum non ſit, vt cenſitor patiatur damnum ob cenſuatij malitiam, vel ſi petibit, habebit cenſitor ius agendi contra cenſuarium, & quoad pretium, & quoad intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis, ex Nauarr. num. 118. Rebell. num. 18. Salas dub. 11. n. 30. Leſſio n. 91. cum hic caſus non comprehendatur in bulla Pij V.

THEOREMA 273.

SEquenti §. 11. ponitur 16. conditio, qua vult Pontifex, vt eodem pretio quo cenſus emptus eſt, poſſit ſemper redimi, non obſtantibus quibuſcunque pactis, aut præſcriptione temporis, de qua Azor. c. 17. Nauarr. num. 98. Virgin. p. 2. num. 37. 55. 153. Leſſius num. 92. Molina. d. 391. clauſ. 9. Salas dub. 45. num. 4. Reginaldus num. 434. Quare irritum eſt pactum, vt cenſus redimatur aut maiori pretio, quàm fuerit emptus, vt etiam ſtatuit Carolus V. Bruxellis anno 1528. die 21. Febr. vt notauit etiam Leſſius dub. 7. num. 48. aut vt redimatur intra certum tempus, aliàs irredimibilis fiat.

Num verò hac etiam clauſula damnentur in poſterum in Chriſtiana republica cenſus perpetui, & irredimibiles iuſto pretio, quod ſolet eſſe maius, diſſenſio eſt inter doctos. Affirmat Rebellius. q. 7. in fine. Virgin. loco cit. Azor. c. 17. num. 1. & alij apud Salas dub. 12. cum Pius dicat. *Poſtremò cenſus omnes in poſterum creandos*, &c. Negat Nauarr. num. 98 Molina, d. 391. num. 9. Salon. art. 4. controu. 1. Valentia. d. 5. quæſt. 22. puncto 5. Leſſius num. 92. Salas dub. 40. & alij, cum & paſſim in vſu eſſent, & non repugnet emi & vendi cenſum in perpetuum, ſicut in perpetuum emuntur & venduntur res aliæ.

Rogabis, an cenſitote inuito cenſus redimi poſſit per partes? Reſpondeo id quidē à Martino V.

& Calixto III. eoneeſſum fuiſſe, ſed nihil à Pio V. in hac eonſtitutione eſſe ſancitum. Ob id docti inter ſe diſcrepant, affirmat Nau. eomm. de vſuris num. 78. 95. 101. 102. Virgin. p. 1. num. 13. & p. 2. num. 8. Azor. c. 17. quæſt. 3. Michael Palatius 4. praxis Theol. e. 6. Felicianus. l. 1. e. 8. num. 16. & alij apud Salonem art. 3. controu. 24. & Salas dub. 56. eo quòd à Pio V. concedatur facultas cenſuatio redimendi quando velit. Quare ſi totum, ergo etiam partem. Negat Leſſius. num. 93. Boninſegn. e. 14. num. 11. Rebell. q. vltima num. 3. Roderi. dub. 4. Molin. d. 393. num. 5. Franc. Sarmenta. l. 7. ſelect. interp. e. 1. num. 27. Tolet. l. 5. e. 45. Reginaldus l. 25. num. 415. 424. Sà. n. 2. Salas dub. 31. & 56. Garzias. c. 28. n. 16. Lupus comm. 2. de vſur. §. 2. num. 71. Lopez l. 1. e. 59. Graff. l. 2. e. 118. Scaccia §. 1. q. 1. n. 239. verſ. *Secundus caſus*. Angleſ. l. 4. q. de cenſibus. condit. 7. Rota Romana deciſ. 139. num. 3. vbi de iure eommuni parte innita negat cenſum per partes extingui poſſe, quod id vergat in graue præiudicium cenſitoris. Cum iuxta l. planè. ff. familiæ herciſc. ſolutio per partes non minima habeat incommoda. & l. Tutor. §. Lucius. ff. de vſur. decernat in ſimili caſu, non poſſe cogi creditorem ad recipiendam partem debiti, etiam diuiſibilis, propter damnum, quod ei poteſt aecidere. Nam ſi emptor cenſus integram ſummam perciperet, poſſet prædium aut rem aliam fructiferam eomparare aut negotiari, quod cum ſola parte facere non poteſt. Et quidem Martinus V. & Calixtus approbarunt eenſum in quo venditor poterat per partes redimere, non tamen damnarunt eenſus, in quibus non poteſt cenſuarius redimere, niſi toto ſoluto prerio, ex Rebell. quæſt. vltima num. 3.

Num autem pactum, vt cum eenſuarius redimere voluerit, eadem redimat moneta, licitum ſit vel illicitum, tractat Leſſius dub. 8. num. 49. 50. & Salas dub. 56. num. 11. ſicut monetæ mutatione ſeeuta in mareria, formáue, aut valore exttinſeco, ſit in redemptione cenſus habenda ratio valoris moneræ temporis, quo fundatus fuit cenſus, an temporis quo redimitur, pluribus diſputat Felicianus de ſolis. tom. 2. de eenſibus. l. 4. e. 1. à num. 28. vſque ad finem, multis adductis vtrinque iuris petitis, quem conſulere potes. Idem tamen Pius V. verat poſſe venditorem cenſus cogi ad redimendum; Et merito, quippe cũ id repugnet rationi emptionis, qualis eſt contractus cenſus, & ſpeeiem referat vſuræ, ex Nauarr. num. 97. Soto l. 6. quæſt. 5. arr. 3. Virg. p. 1. n. 84. p. 2. num. 3. p. 3. num. 27. Io. And. & Panorm. c. illo vos. de pignor. Azor. e. 17. quæſt. 4. Rebell. quæſt. vltima num. 3. volens autem eenſuarius cenſum redimere, ſi cenſitor prerium recuſet accipere, tunc eenſuarius publicè & coram teſtibus pecuniam deponat, & de depoſitione moneat eenſitorem, & liberabitur ab obligatione penſionis, iuxta l. aceeptam. Cod. de vſuris, & Menochio. l. 2. de arb. eaſu 232. Decernit tamen viciſſim Pontifex, eſſe à cenſuario intimandam redemptionem cenſitori ante duos menſes, vt tempeſtiuè de ſua pecunia diſponere poſſit, & poſt denunciam, infra annum tamen,

cenſito

censitorem posse etiam ab inuito censuario pretium repetere.

THEOREMA 274.

PRædicto tempore elapso vult 17. Pontifex, ne censuarius pœna aut pacto aliquo possit amplius cogi ad redimendum censum, nisi denuo præmissa censuarij denunciatione ante bimestre, & ita deinceps, toties quoties, effectu non sequuto, vt etiam statuerant Martinus V. & Calixtus III. ob id licet ex parte censuarij census sit redimibilis, ex parte tamen censitoris extra supradictum casum irredimibilis est. qua de re Molina d. 391. num. 12. Rebell. quæst. 8. n. 4. & seqq. Salas dub. 12. num. 6. & dub. 25. Azor. c. 18. Lessius n. 93. 94. Lupus comm. 2. de vsur. §. 2. num. 69. Sotus. l. 6. quæst. 5. art 3. Scaccia §. 1. quæst. 1. num. 236. & seqq. Virgin. p. 2. num. 37. Rota Rom decis. 139. & 206. Quare tenetur censuarius per duos menses post denunciationem perseuerare in censu, si ita censitor velit, ex Salas dub. 12. num. 5. alias enim denunciatio ante bimestre frustra esset, licet Molina d. 391. claus. 10. num. 12. visus sit aliter sentire.

Notat autem Azor. c. 12. tempus numerandum esse à die quo censitor certior factus est de futura redemptione, quamuis computandus non sit primus dies, cum is non computetur in termino, ex l. 1. ff. *si quis cautionem*. Bartolo ibidem. & Molina loco cit. num. 11. Non est autem in redemptione necessarium, vt pretium sit in numerata pecunia, potest enim, si censitor sit contentus, in quocumque redimi, ex Nauarr. n. 123. 124. Rebell. quæst. 6. num. 22. Molina d. 394. Salas dub. 15. cum bulla Pij V. requirat numeratam pecuniam in constitutione census, non in extinctione, & ad hoc facit l. satisfact. ff. de solut.

THEOREMA 275.

CEnsuum autem contractus posthac aliter factos Pontifex §. 13. irritos & fœneratitios iudicandos decernit, saltem præsumptione iuris in foro externo, ex Nauarr. num. 98. 106. Rebell. quæst. 6. num. 21. Lessio. num. 97. Boninseg. c. 7. Molina. d. 392. Azor. c. 18. 19. Valentia d. puncto 2. Emanuele Sà v. census. n. 2. quod Pontifex addidit, vt præscriberet solemnem iuris formam contractus censualis. forma enim dat esse rei, vnde ea mutata, perit etiam rei substantia & essentia. l. Iulianus. ff. ad exhibendum. & ideo subiicit etiam quicquid expressè vel tacitè contra huiusmodi conditiones, dari, remitti, aut dimitti contigerit, posse à fisco vindicari quamuis fieri possit à parte rei, vt fœneratitij non sint, vt si desit solum quid accidentale, ex Salone art. 3. contr. 24. Salas. dub. 51. Reginald. l. 25. num. 415.

THEOREMA 276.

TAndem, §. 15. prohibet semel constitutum pretium census, augeri aut minui ob superuenientem aliquam circumstantiã, etiam quoad vltimos cõtrahentes. Quibus verbis Nauar. num. 112. Rodericus, Lopez & alij putant prohibere variari pretium census per alias, & alias faciendas successa

temporis, venditiones. Vnde laborant deinde in assignanda causa, cur variatis temporibus, circumstantiis, venditoribus, emptoribus, non possit etiam augeri & minui pretium census, vti licet in cæteris mercibus. Rebellius vero. quæst. 5. num. 7. & quæst. 6. num. 23. & Lessius dub. 12. num. 95. rectius sentiunt, verba intelligenda esse de pretio redemptionis faciendæ per quosuis futuros successores. Ideo Pius non prohibet, ne censum quem ab vno pluris emisti, possis alteri minori pretio vendere, vt vice versa propter variationem valoris factam successu temporis, & alias circumstantias augentes vel minuentes pretium: sed decernit solum pretium censui ab initio semel constitutum, non posse propter aliquam temporis vel circumstantiarum variationem, inter ipsos primos contrahentes, heredesue eorum, quando vltimo ineunt contractum redemptionis minui vel augeri. quippe cum sit census redimibilis conditio, vt in redemptione soluatur idem pretium, quod ab initio in constitutione census solutum fuit, quantacumque contigerit decursu temporis, variatio valoris. Nulla enim hic interuenire potest iniustitia, cum vterque contrahentium æqualiter se exponat lucro & periculo. si enim fuerit auctum pretium census, cedet in censuarij lucrum, quod non redimat maiori pretio, quàm acceperat in eo constituendo; si imminutum, in censitoris lucrum computabitur, quod minoris non redimatur census, quàm dederat.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 82. olim 83. editæ anno 1569. quæ incipit.

Si de protegendis.

EPITOME 106.

PONTIFEX §. 2. 3. 4. Quoscumque & cuiuscumque sint fæcularis dignitatis & gradus, qui aliquem ex Inquisitoribus, aduocatis, procuratoribus, notariis, testibus, accusatoribus, denunciatoribus, aliisue ministris. S. Inquisitionis officij, vel Episcopi in sua diœcesi id munus obeuntis, offenderint, vel offendere tentarint, tenuerint, deiecerint, perterrefecerint, eorúmque fautores & cõplices, aut Ecclesias, ædes, carceres aliásque res siue publicas siue priuatas S. Officij, aut ministrorum inuaserint, incenderint, expilauerint, libros, litteras, exempla, scripturas, aliáque instrumenta diripuerint, aut alio quocumque modo exportauerint, suppresserint, vel etiam inermes fuerint causa, vt hæc fierent, vel res aut personas seruari, defendiue prohibuerint, vinctum extraxerint, emiserint, capi vetuerint, fugiendi facultatem dederint, receptauerint, occultauerint, aut eadem causa cætum concursumve

Offendétes & offendere tentãtes Inquisitores eorumque ministros, carceres, bona, & illorũ fautores & cõplices excõmunicantur reseruata absolutione Papæ. sunt rei læsæ maiestatis, priuati feudis, dominio, dignitate, beneficiis, &c. eorũ filij infames, incapaces hæreditatum & dignitatum. & pro eis intercedentes incurrũt pœnas fautorũ hæreticorum.

ſúmve fecerint, etiamſi effectus ſecutus non ſit, excommunicat ipſo facto, reſeruata Papæ abſolutione, declarat reos læſæ Maieſtatis, priuatos perpetuò dominiis, feudis, honore, dignitate, tradendos ſæculari iudicio puniendos, bonis rebúſque omnibus fiſci iuribus applicatis, vt de reis læſæ Maieſtatis, & hæreticis conſtitutum eſt. Filiíque eorum perpetuò ſunt infames, & dignitatum ac hereditatum incapaces.

§. 5. Illud idem de omnibus Eccleſiaſticis decernit exequendum, ita vt beneficiis, & officiis omnibus Eccleſiaſticis, præſentis conſtitutionis auctoritate priuati, & per iudicem Eccleſiaſticum degradati, tradantur Curiæ ſæculari prædictis laicorum pœnis plectendi.

§. 6. Epiſcoporum tamen cauſæ ſummo Pontifici reſeruantur.

§. 7. Qui pro prædictis interceſſerint, incidunt ipſo facto in pœnas fautorum hæreticorum.

THEOREMA 277.

CVm fautores ac defenſores hæreticorum puniantur excommunicatione, infamia, honorum & officiorum priuatione aliíſque pœnis, vt aliàs vidimus, iuxta cap. excommunicamus. extra de hæret. cap. quicumque de hæret. l. 6. Innoc. IV. bulla. *Ad extirpanda.* Hoſtienſem. d. cap. excommunicamus, vbi 12. pœnas colligit. & ibid. Io. And. num. 14. Butrium. n. 1. Marian. Socin. num. 33. Carrerium. tr. de hæret. num. 175. Decian. l. 5. cap. 51. crimin. Pennam. p. 2. com. 76. Simancam. tit. 15. Zanchi. tr. de hæret. cap. 3. Farin. de hæreſi. quæſt. 182. & alios. Itémque non fauentes officio S. Inquiſitionis ex Innoc. IV. bulla 16. quæ incipit. *Quia.* & alia eiuſdem, quæ incipit. *Malitia.* & cap. vt inquiſitionis. de hæret. l. 6. & tandem quouis modo directè vel indirectè impedientes vel retardantes eorumdem Inquiſitorum officium. cap. accuſatus. §. ſacerdotes. cap. vt inquiſitionis. de hæret. l. 6. de concil. Narbonenſi. cap. 14. 15. 16. bulla Alex. IV. quæ incipit. *Quod ſuper.* Vmbert. Locat. in iudiciali inquiſit. v. impedientes. Repertorio inquiſ. v. impediés. Zanchino. tr. de hæret. c. 31. Emerico. 2. p. Direct. Inq. quæſt. 54. ibid. Penna com. 79. Turrecrem. in ſum. de Eccleſia. l. 4. part. 2. cap. 21. Bernard. in lucerna Inquiſ. v. impedientes. multo magis ac grauius plectendi ſunt, qui quaſi multa febre frænetici inſiliunt in ſpirituales medicos. nempe & ipſos inquiſitores, & officiales, & adiutores quibus hæreſis virus curandum in prouinciis demandatum eſt à ſummo Pontifice, & in ſancti Tribunalis bona immobilia, Eccleſias, ædes, carceres, & mobilia, libros, protocolla, exempla, cæteráſque ſcripturas publicas, & priuatas, eas diſcerpendo, rapiendo, transferendo, occultando, comburendo, aliíſque modis violando, & defendi & ſaluari prohibendo. &

denique ipsos reos, & S. Inquisitioni obnoxios dimittendo, liberando, receptando, occultando, iuuando ne capiantur, quod Pius V. præsenti constitutione in eosdem statutis pœnis, quæ in hæreticos ipsos, eorúmque fautores, defensores receptatorésque decretæ sunt, in sacris canonibus, grauiter iustissiméque prohibet. Nisi enim Inquisitorum Tribunal sacrosanctum ab omnibus habeatur, haud possent Inquisitores suum munus exercere, & hæresis incendium diu latéque vagatum, sua cura & vigilantia extinguere, & pacem Reipub. Christianæ conseruare. quod etiam Isocrates inter Græcos celebris Orator in Institutione Principis, eum monet sedulò, ne maiorum religionem aut sacra mutet, eo quod humanarum rerum inuersiones soleant cum religionis mutatione esse coniunctæ.

THEOREMA 278.

LEx igitur hæc Pij V. vniuersalis est, cum & sæculares. §. 2. 3. 4. & Ecclesiasticos, ex §. 5. complectatur, vt etiam fit in bulla Alex. IV. quæ incipit. *Quod super.* solæ enim excipiuntur § 6. Episcoporum causæ ac superiorum, & in c. Inquisitores. de hær. l. 6. Emerico 3. p. quæst. 27. Simanca; tit. 25. num. 7. 8. & seqq. Repertorio Inquis. v. Episcopus §. ad 2. Carrerio tr. de hæret. num. 74. Penna cap. 76. & tam offendentes, quàm fautores, & complices, nec non offendere tentantes etiam non secuto effectu. cum in maleficiis spectetur voluntas, non exitus. l. 1. ff. Ad lèg. Cornel. de Siccariis. licet enim conatus committere aliquod delictum, pro quo pœna aut censura imposita est, in eam non incidat, si delictum non perfecit, ex Cardinali, in cap. præterea requisiti. de appellat. Glossa in cap. cum in audientia. & cap. si verò. 2. de sent. excom. & cæteris, vnde tentans occidere aut percutere clericum, si nullus sit secutus effectus, non incidat in canon. *Si quis suadente.* 19. q 4. Incidit tamen, cum etiam in ipsum conatum pœna aut censura sancita est, vt notat Glossa in cap. si quis cum militibus. 6. q. 1. Baldus in l. si quis non dicam rapere. num. 5. Cod. de Episc. & cler. Felinus tr. quando conatus puniatur. Nauarr. com. de datis & promiss. nu. 15. Vgolin. tab. 1. c. 9. §. 13. num. 4. pag. 99. iuxta leg. quisquis. Cod. ad leg. Iul. Maiest. & c. quisquis. 6. quæst. 1. & de pœnit. d. 3. quæst. 3. vt in casu huius bullæ.

Actiones etiam pro quibus lex fertur, latissimè patent, nempe lædere aut præterrefacere personas S. Officij, etiã si sint denunciantes & testes. videri potest de Ministris Inquisit. Simancas. t. 41. vim inferre, Carceribus & cæteris ædificiis, libris & scripturis publicis & priuatis, officij, aut ministrorum quocumque modo fiat, aut prohibere saluari. concursum facere etiam sine armis, nam etiam solis clamoribus & populi concursu reis addi animus potest, & viam fugiendi demonstrare, vt notauit etiam Penna comm. 77. impedire quoque ne rei capiantur, aut illos eximere è manibus S. Officij, receptare, occultare, &c.

Pœnæ prædictorum sunt excommunicatio reseruata Papæ, crimen læsæ Maiestatis, priuatio perpetua dominij, dignitatis, honoris

noris, feudi, ac cuiuſcumque alterius beneficij temporalis, vltimum ſupplicium, confiſcatio bonorum, infamia filiorum, & incapacitas ad ſucceſſiones, hæreditates, donationes, & legata propinquorum & extraneorum; & inhabilitas ad dignitates. Eadem habeant etiam locum in Eccleſiaſticis, ita vt auctoritate præſentium priuati omnibus beneficiis Eccleſiaſticis degradatique tradantur puniendi brachio ſæculari. quæ ſolent etiam eſſe pœnæ hæreticorum, vt vidimus Theorem. 27. 33. 37. 40. 52.

Putat autem Farinacius de hæret. quæſt. 182. num. 80. hæc ſolum valere in eo, qui hæc in contemptum, & odium S. Officij admittit, ſecus ſi ex alia cauſa, ex qua per claras probationes ſe feciſſe doceret. quod conatur elicere ex verſiculo. *Nemo autem expurgationem habere*, &c. ſed pace tanti viri, ex textu illo non videtur id poſſe colligi. Textus enim ita habet. *Nemo autem expurgationem habere, aut cauſam vllam proponere, vel prætendere poſſit, qui tantum nefas in contemptum, & odium huius officij admiſerit, niſi contrarium per claras probationes docuerit ſe feciſſe.* non enim vult Pontifex eximere ab his pœnis, eum, qui tantum facinus, ſua natura in maximum contemptum Inquiſitionis vergens, docuerit, ſe id alia de cauſa, quàm contemptus & odij prædicti tribunalis, feciſſe, ſed ſolum ſi doceret ſe contrarium præſtitiſſe. Quare probata quidem actio contraria violationi Inquiſitionis, eximit à pœnis, ſed non diuerſitas intentionis, vt puta ſi aliquis hæc commiſiſſet rogatus precibus conſanguinei non formaliter in contemptum officij Inquiſitionis.

Quærenti verò quis ſit iudex in his iniuriis Inquiſitoribus, & cæteris officialibus factis? Reſpondeo ipſoſmet Inquiſitores, cum cæteris ſanctius & venerabilius ſit eorum officium, ita Simancas in inſtit. tit. 34. n. 28. & tit. 41. n. 41. Zanchinus de hæret. t. 32. num. 1. & ſeqq. Vbi etiam ſoluit argumenta contraria, Repertorium Inquiſit. v. Inquiſitio, & v. Iniuria. Farinacius, de Hæreſi q. 182. num. 79. 80. Et faciunt ad hoc, quæ ſcribit Clarus. l. 5. §. fin. q. 35. num. 20. & Carrer. conſil. 232. & conſtat ex cap. 1. de pœnis. l. 6. & ibid. Gloſſa & præſenti conſtitutione reſeruante tantum cauſas Epiſcoporum Romano Pontifici, & ſi crimen erit dignum morte, tradetur Curiæ ſæculari delinquens, vltimo ſupplicio plectendus. Nemo autem poteſt intercedere pro huiuſmodi reis, aliàs incidit in pœnas fautorum hæreticorum ex §. 7. Conſtitutionis præſentis.

EIVSDEM PII V.

Breue datum ad Bononienſes anno 1569. die 25. Nouemb. quod incipit. Ex debito.

loco

EPITOMES 107.

ONFIRMAT Pius hoc loco capitula cambiorum realium à Bononienſib. propoſita. Et quia à collectoribus in nouo & veteri Bullario fuit omiſſum, operæ pretium exiſtimo, vt ad verbum refera

Approbantur Cambia realia, etiam cũ recurſa.

referatur, ne excidat. Ita autem ſe habet.

§. 1. *Ex paſtoralis officij nobis, licet immeritis, diuina diſpoſitione commiſſi erga Chriſti fidelium vniuerſorum ſtatum proſperè, feliciterq; dirigendum, omnem mentis noſtræ aciem aſſiduè intendentes, illos præcipua cura, ſtudioq; maiori proſequimur, quos tanquam peculiares, etiam temporali noſtro, & S. Rom. Eccleſiæ regimini commiſit Altiſſimus, & ea, quæ pro publica, priuataq; illorum vtilitate, & commoditate, prouida conſideratione ordinata eſſe reperimus, quo firmiore gradu nitantur, approbationis noſtræ beneficio libenter ſtabilimus. Nuper ſiquidem (ſicut accepimus) dilecti filij mercatores Ciuitatis Bononienſis publico & priuato bono ac commodo, ipſiuſq; ciuitatis decori conſulere volentes, nonnulla capitula emporij ſeu cambij realis in dicta Ciuitate, vti Romæ & in pluribus alijs præcipuis, tam Italiæ, quàm extra Italiam, fieri ſolet, introductionem, & ipſorum mercatorum, aliarumq; perſonarum ſecuritatem concernentia, ſub noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito condiderunt, quorum tenor ſequitur, & eſt talis.*

§. 2. Volendoſi dar principio alfare in queſta Magnifica Citta di Bologna publica piazza de cambi reali per diuerſi luoghi, come ſi coſtuma nelle principali Città d'Italia, & ſpecialemente in Roma, non ſolo per commodo & vtile de particulari, ma ancora per honore d'eſſa Citta, come ſi preſuppone debba eſſere, & intẽdẽdoſi far cio con buona gratia, & ſadisfactione de ſuperiori, & non altrimente: ſi dice & domandaſi per parte de Mercadanti, chè per conſequir queſta coſa, ſia lor conceſſo da ſuperiori, & confirmato da N. S. quanto qui nell'infraſcritti capitoli ſi contiene.

§. 3. La prima che la piazza ſia libera per ogni ſorte di Perſone, coſi terriere, come foraſtiere, è tanto non mercadanti, quanto mercadanti: di modo che ad ogni ſorte di perſone di qualſiuoglia grado, o conditione ſia lecito il dare, & il pigliare denari à Cambio, purche il Cambio ſia reale. Intendendo eſſer Cambio reale quando con effetto ſi da il denaro in vn luogo, acciò ſia pagato in vn altro, ſecundo che cantano le lettete di Cambio, & coſi le lettere vadino con effetto al luogo, & alla perſona à che ſono indrizzate, e che iui ſiano o pagate, o recuſate.

§. 4. Appreſſo che ſia in poteſta di chaſcuna Perſona etian

„ etiandio che non ſia Merca-
„ dante, il dar ſuoi denari in
„ mano de Mercadanti, accio
„ che li diano à Cambio reale
„ con farſi ſtar del credere, co-
„ me s'vſa nelle altre piazze d'I-
„ talia e fuor d'Italia, & poſſa
„ ogni perſona ancora dar de-
„ nari à Cambio, e far che ſia-
„ no recapitate le lettere ſo-
„ pra deſſi datori, e coſi tenerli
„ ſopra li Cambij, ſinche ſa-
„ ranno rimborſati da chi haue-
„ ra preſo il denaro.

§. 5. terzo che ſe da foraſtieri ſaranno mandati denari contanti in queſta cittade per che ſi diano à Cambio in detta piazza cotali denari s'intendano eſſere & ſiano liberi e frãchi a fauor del foraſtiero, ochi gl'haurá mandati, etiamdio ch'egli per qualſiuoglia cauſa fuſſe, bandito, ô condannato dallo ſtato di sãcta Chieſa, eccetto per cauſa d'hereſie, o læſæ Maieſtatis, ouero per qualſiuoglia caggione fuſſe debitore alla Camera o fiſco, e non ſi poſſa, ne ſi debba far alcuna repreſaglia di tali denari: má come e detto ſiano ſempre liberi, & franchi alla volonta di detto foraſtiero, è queſto medeſimo ſia detto, e s'intenda parimente delle rimeſſe de denari che per lettere di Cambio di fuori fuſſero da tali perſone rimeſſi in quæſta Cittade.

§. 6. quarto che di tutte le queſtioni, e liti ch'occorrerãno per cauſa di detti Cambij in queſta Cittade trá qualſiuoglia ſorte e gradi di perſone ſolamente il giudice e conſoli, o ſopra conſoli del foro de Mercadanti ſiano, & s'intendano eſſere giudici competenti, & che niuno altro giudice, o tribunale, ne qualſiuoglia altro ſuperiore ſe ne debba o poſſa intromettere, ne per conoſcere, ò giudicare, ne per ſoſpẽdere, ó impedire, ó inhibere al detto foro, ó in qualſiuoglia altro modo impacciarſene, ma che ſemplicemente, e ſenza oſtacolo alcuno la cognitione, e deciſione & eſſecutione di dette liti e queſtioni, ó cauſe ſpetti, & appartenga ſolamente al detto foro nõ ſolo nella primo iſtãza, má ancora nell' appellationi ſino all' vltimo fine della cauſa, ſecundo la diſpoſitione & forma delli ſtatuti di detto foro.

§. 7. Et s'alcuno s'appellaſſe, à N. S. cotal appellatione s'intenda deuoluere, & ſia deuoluta ipſo iure al giudice delle appellationi, & alli ſopra Conſoli come ſpecialmente delegati da. S.S. in cotal caſo, & dinãzi a loro l'Ap-

pellante debba prosequire la causa dell' appellatione, nel debito tempo dato dallo statstatuto in detto foro: altrimente l'appellatione sia nulla & di niun valore, & la sentenza data si debba essequire per il giudice & consoli, come se non fusse appellato.

§ 8. Il luogo di detta piazza, oue si habbino a rapunare, i Mercadanti sia la loggia del foro sopra detto, ouero altro luogo, che fusse giudicato migliore.

§. 9. Et in tal luogo si debbano ridur i Mercadanti d'un hora innanzi disnare e cosi d'un hora innanzi la sera per tregiorni la settimana, cióe il' lune, il mercore, & il venere, se saranno giorni di lauoro, altrimente si faccia piazza il giorno auanti se non sarà difesta, & non mai il di di festa per negotiare.

§. 10. Li Cambij si debbano far à scudi d'oro in oro dizécca per tutte le piazze, & i conti e scritture s'abbino a tenere à scudi d'oro in oro dizecca, cosi con li terrieri come con li forastieri.

§. 11 L'vso del tempo a pagare le lettere de Cambio che saranno drizzate a Bologna, & diranno ad vso, sia & s'intenda essere come qui appresso da Roma e Genoua diece giorni vista. d'Ancona la Marca, la Romagna, & altre terre di Lõbardia otto giorni vista. da Napoli giorni quindeci vista. da Lione, Bezanfone & Spagna secondo le fiere d'Anuersa, Pariggi, è tutta la terra della Fiandra, & della Francia due mesi fatta, di Londra, e di leuante tre mesi fatta.

§. 12. Il pagamento de Senzali che saranno mezani a ditti Cambij reali habbida essere vn saldo d'oro per ogni cento scudi da ciascuna delle parti, & che detti sensali debbano esser approuati & licentiati nel foro de mercadanti, & osseruare e fare tutte quelle cose che da loro si ricercano secondo la dispositione de statuti di detto foro. & in specie debbano tener conto in vn libro regolato a guisa di giornale, scriuendo di sua mano di giorno in giorno tutti li Cambij, de quali saranno stati mezani nominando in ciascuna partita chiaramente il datore e Prenditore, la quantita, & a che pretio & il luogo per il quale si sara Cambiato, e mancando essi da far questo in tuto o parte debbano esser cassi e priuati dell' officio, e li sia leuato ogni prouisione che per cio haueßero.

§. 13.

§. 13. Quanto alle liti e queſtioni che per conto di detti Cambij poteſſero accadere, s'alcuna lettera di Cambio fatta in Bologna ritornaſſe da qualſiuoglia luogo ricuſata o non pagata, con il proteſto, il creditore in mano del quale ritornera detta lettera debba preſentar ſi in anzi al giudice & conſoli del foro della mercantia, s'all hora vi ſi rirroueranno, altrimenti dinanzi ad vno de notari di detto foro, & dimandare l'eſſequtione di tale lettera contra quelli che l'aueranno farta, i quali giudici, o conſoli ouero il detto Notaro ſenza altro intimatione o citatione in continente debbano dar li, la detta eſſecutione: & poſſa il creditore con vno de meſſi della Corte andar di ſubito alla caſa del debitore, e far l'eſſecurione ne ſuoi beni, per l'aſſicuratione d'eſſo creditore per quella ſumma che cantera, la lettera di Cambio, & per leſpeſe, damni, & intereſſi, ad arbitrio del giudice e Cõſoli, & caſo che alla detta eſſecutione oſtaſſe qualch' impedimento o diffeſa, debba il meſſo ſubito farne la relatione al Notaro, il quale ſia tenuto dare in continente il precepto perſonale al detto Creditore contro il debitore, & fatta tal' eſſecutione nelli beni, poſſa poi il debitore cõparir dinanzi alli, detti giudici, o cõſoli, e domandar raggione ſe ſi ſentira grauato, o ſe vorra allegare alcuna delle, eccettioni che ſi poſſono opporre alle lettere di Cambio, come di ſotto ſi dirà, mà non ſia vdito in modo alcuno, ſe prima nõ haura aſſicurato il creditore, ancor che non fuſſe il tempo del pagamento delle lettere di Cambio.

§. 14. Ma in caſſo che ritornaſſe alcuna lettera di Cambio con proteſto, e, che ſi ritrouaſſe eſſer morto colui che fece detta littera, ſi poſſa e debba procedere per l'eſſecutione, ne beni dell'heredita del morto, nõ altrimente che s'egli fuſſe viuo, nõ oſtãre che ſi diceſſe detta heredita eſſer giacente & pendere il tempo dato dalla legge, ad adire o repudiare l'heredita, ò à far l'Inuentario, o eſſerui pupilli, a quali non fuſſe ſtaro prouiſto di tutore, & non oſtante qualonque altra coſa o raggione che s'allegaſſe in contrario.

§. 15. Et in euento che glì heredi del morto haueſſero tolta l'heredita col beneficio di legge, & inuentario, e fatto l'inuentario legitimamente

innanzi ch' il creditore sia comparso a dimãdar la detta essecutione & volessero detti heredi seruirsi di tal beneficio per impedir l'essecutione di detta lettera, possa il creditore, e gli sia lecito pigliar la somma de denari di quella lettera a Cambio, e recambio a tutte spese, & danni della detta heredita, sino à tanto ch'egli non sia sodisfatto intieramente.

§. 16. Dichiarandosi ch'ogni sorte di persone di qualsiuoglia grado, ancor che fussero di Magistrato contro de quali ritornasse lettera di Cambio non accettata, o non pagata col protesto, possano e debbamo ad'Instanza del creditore esser essatti nelli suoi beni per il pagamento, o per l'assicuratione del pagamento di tal lettera incontinenti che ne sara fatta l'instanza per il creditor dinanzi al giudice, o consoli, o al notaro, come di sopra e detto non ostante, statuti, leggi, consuetudini, o priuileggij in contrario.

§. 17. Et per che occorre alle volte ch'alcuno che da denari a Cambio, lò fa con hauer sicurtà, la quale sotto scriua la secunda o la terza di Cambio come si costuma in tutte le piazze; perosi dichiara che quando la prima lettera ritornasse ricusata, o non pagata col protesto, Il creditor possa cosi agere contra colui ch'hauera sottoscritto la secũda o terza di Cambio, come contra ii principale che l'hauera fatta, come à lui piacera, e senza suo pregiudicio contra l'altra parte. Et tutto quello che s'e detto del far l'essecutione contra il principale, s'intenda parimẽte detto del settoscribente, non ostante cosa alcuna in contrario.

§. 18. Alle dette lettere di Cambio reale, non corta mai prescrittione di tempo, & a quelle che ritornassero in dietro ricusate col protesto, non se le possa oporre eccettione alcuna, saluo ò che la lettera no sia scritta, o sottoscritta di mano di chi v'è nominato per scribente, ò sottoscribente, o di suo institore, ò ch'ella sia stata pagata, & sopra di queste due eccettioni si proceda conosca e determini sommariamente di piano, e senza strepito, o figura di giudicio a modo di buono mercadante, & reietta ogni cauillatione, & solamente considerata la verita pura d'el fatto. Et si dechiara che in tutti i luoghi di questi Capitoli doue si nomina colui ch' habbi fatto la lettera di cambio

bio s'intẽda per fattor, o ſcribẽte della lettera colui, o coloro che ſono nominati nella ſottoſcrittione in nome de quali e fatta la lettera ſe bene non fuſſe ſtata ó ſottoſcritte di lor mano, pur che ſia ſottoſcritta di mano di perſona ch' habbi il compimento della raggione ancorch' egli non fuſſe compagno, ó altrimente intereſſato in detta raggione.

§. 19. Quanto poi alle lettre di cambio fatte in qualſiuoglia luoco per Bologna, s'alcuna lettera non ſarà accettata, ſecondo il tenor ſuo potrá il preſentante proteſtar d'ogni ſpeſa, danno, & intereſſe, contra chi hauerà fatta la lettera, & contra ciaſcuno che vi fuſſe obligato, & caſo che fuſſe aſſenta da Bologna colui à chi ſarà diretta la lettera, ne ci fuſſe chi per lui haueſſe facoltà, ó compimento d'accettarla, poſſa il preſentante andar alla caſa del detto aſſente inſieme con vno de notari del foro de Mercadanti, & quiui far il ſuo proteſto ſopra l'accettatione ſe per all' hora non ſarà il tempo del pagamento e venuto il tempo del pagamento nõ eſſendo pagata potra rifar il ſuo proteſto ſopra del pagamẽto.

§. 20. L'accettatione delle lettere di cambio che ſaranno drizzate a pagarſi a Bologna, ſi debba far ſolamente per mano di chi haura il compimento della raggione alla quale ſaranno ſtati tratti i denari, o ſia patrone, ó inſtitore ch' habbi tal compimento: altrimente, cotal accettatione ſia di neſſun valore, ſe ben fuſſe fatta per mano d'alcun compagno agente ó gatzone della raggione. Et ciaſcune mercadante ſia tenuto dar notitia al conſeruatore di detto foro, della perſona, ó perſone ch' hanno, ó che pro tempore, hauranno il compimento della ſua raggione. Il quale conſeruatore ne debba far rogito nel libro a ció deputato, e parimente ſi faccia rogito quando ſi reuocaſſe tal compimento.

§. 21. Et quando le dette lettere ſaranno ſtate accettate da chi deue e può accettarle come s'e detto, ſia obligata la raggione farne pagamento al ſuo debito tempo, ne per tal' accettatione s'intenda eſſer pregiudicato al preſentante che non poſſa agere contra qualonque perſona al cambio di quella lettera in qualonque modo fuſſe obligata, con tutta che d'vna parte fuſſe ſeguito il pagamento, ma reſti ſempre ſalda la ſua raggione contra

ciaſcuno intereſſato in detta lettera ſino all' intiera ſodisfattione di quella, tanto della vera ſorte, quanto delle ſpeſe, danni, & intereſſi.

§. 22. Et s'aueniſſe doppo l'accettatione della lettera di cambio, ſeguitaſſe rottura, ó fallimẽto della raggione che la douea pagare & coſi eſſa lettera non haueſſi il ſuo debito compimento in tempo, in tal caſo & il preſentante potrá far il ſuo proteſto, e chi haura fatta la lettera, ſará tenuto al creditore d'eſſa ſodisfare alla vera ſorte, e ad' ogni ſpeſa, danni, & intereſſi.

§. 23. Et in ciaſcun caſo di lite, ó queſtioni, o controuerſia che ſia per occorrere per conto di dette lettere di cambio, non poſſano mai comparire, ne ſi debbano ammettere in alcun modo procuratori, eccetto che nelli caſi ne i quali è permeſſo per li detti ſtatuti del foro de Mercadanti nel trattato delle lettere di cambio & con quelli modi, & con quelle conditioni, ch' in detto trattato ſi contengono quanto ad eſſi procuratori, & non altrimente, ne in altri caſi.

§. 24. E ſe per conto di detti cambij reali occorreſſe liti, o queſtioni in alcun caſo del quale non ſi ſia prouiſto per li preſenti capitoli, in tal caſo ſi ſtia all' arbitrio del Giudice, de conſoli del detto foro, ó della maggior parte di loro: mà in tutti, i ſupra detti caſi ſi debba procedere, far oſſeruare, giudicare, & eſſequire ſecondo la diſpoſitione de preſenti capitoli, è non ſecundo li ſtatuti del detto foro della mercantia, doue ſi tratta delle lettere di cambio, in quanto che ſiano diuerſi ó contrarij ad eſſi capitoli. Mà nel reſto rimanghino detti ſtatuti nel ſuo priſtino vigore, & oſſeruanza, coſi circa le dette lettere di cambio, & circa li ſcritti priuati, comé ancora in tutte l'altre ſue parti, & maſſimamente in tutti i luoghi oue ſi parla della giuriſdittione è poteſtà, o del Giudice, o delli Conſoli, o delli ſopra Cõſoli, ò de ſtatutieri in qualonque modo, ò cauſa non oſtante qualſiuoglia coſa in cõtrario.

§. 25. *Quæ quidem ſtatuta dilecti filij Ioan. Baptiſta Doria Cameræ Apoſt. Præſidens clericus, & modernus ipſius ciuitatis Gubernator, & quadraginta Reformatores ſtatus libertatis dictæ ciuitatis rata & grata habuerunt. Cum autem iidem mercatores cupiant præmiſſa ſtatuta pro illorum ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolicæ confirmationis munimine*

mine roborari. Nos igitur, qui quantumlibet ciuitatum præsertim nobis, & Apostolicæ sedi temporali dominio immediatè subiectarum ornamentum, & decus, ac vtilitatem, quantum cum Deo possumus, libenter procuramus, præfatos Mercatores, eorumque singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, pœnis à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes: Motu proprio non ad ipsorum Mercatorum vel cuiuslibet ipsorum nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera deliberatione, & ex certa scientia nostris, præinserta capitula, ac prout illam concernunt, omnia & singula in instrumento, seu instrumentis aut documentis, seu scripturis publicis, aut priuatis desuper confectis contenta, & inde sequuta quæcunque licita tamen, & honesta, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ ac inuiolabilis firmitatis robur adiicimus: Omnesque & singulos iuris & facti, ac solemnitatum defectus, si qui forsan interuenerint, in eisdem supplemus. Nec non illa omnia & singula capitula, ac in eis contenta, & confirmationem, approbationem, adiectionem, suppletionem huiusmodi præsentesque litteras nullo vnquam tempore quouis quæsito colore vel ingenio, de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis, alióve vitio, seu intentionis nostræ, & quopiam alio defectu notari, aut impugnari posse. Neque sub quibusuis alterationibus, limitationibus, reuocationibus, derogationibus, vel suspensionibus etiam à nobis, & sede præfata, nunc & pro tempore emanatis comprehendi, sed semper ab illis excepta, & quoties illæ emanabunt toties in pristinum statum, & de nouo etiam sub posteriore data per Mercatores præfatos, eligenda concessa, & firma perpetuò, ac valida, & efficacia esse, ac censeri, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & ab omnibus & singulis quos præmissa quomodolibet concernunt, & pro tempore concernent, inuiolabiliter, & ad vnguem perpetuo obseruari debere. Nec non præfatos Mercatores, & eorum singulos cuiusuis status, gradus, conditionis, & præeminentiæ existentes, ad omnimodam illorum capitulorum obseruationem teneri, & efficaciter obligatos esse: ac ad id sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac aliis quibusuis opportunis

tunis iuris & facti remediis, campelli: & ſi per quoſcunque Iudices etiam ipſius ciuitatis Gubernatores pro tempore exiſtentes, ac etiam cauſarum Palatij Apoſt. Auditores, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, nec non dictæ ſedis, etiam de latere legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari vel definiri debere, ac ſi ſuper his à quoquã quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

§. 26. *Quocirca dilectis filiis cauſarũ Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generali auditori, & dilectæ ciuitatis Bononienſis Gubernatori, ac venerab. fratris Epiſcopi Bononienſis vicario in ſpiritualibus generali, motu ſimili mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut vnus eorum per ſe vel alium, aut alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Mercatorum vel alicuius eorum, fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra, Mercatores, illorúmque ſingulos confirmatione, approbatione, adiectione, ſuppletione, & decreto, aliiſque præmiſſis iuxta præſentium continentiam & tenorem pacificè frui & gaudere. Non permittentes illos deſuper per quoſcunque quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, & inquietari. Contradictores quoſlibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo: nec non legitimis ſuper his habendi ſeruatis proceſſibus, illos cenſuras & pœnas ipſas incurriſſe declarando, eaſque etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachij ſæcularis auxilio. Non obſtantibus præmiſſis ac felicis recordationis Bonifacij octaui præcurſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præſentium vltra tres dietas ad iudicium non trahatur, ac aliis fori Mercatorum dictæ ciuitatis iuramentis confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtol. ipſi foro & illius, ac quibuſuis aliis perſonis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarũ derogatoriis aliis efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritãtibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac alias quomodolibet etiã pluries conceſſis, innouatis, & cõfirmatis. Quibus omnibus etiamſi*

pro

pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quauis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita ad hoc ſeruanda forct. Illorum tenores, formas, & datas ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro expreſsis & inſertis habentes, illis alias in ſuis priſtino robore, & efficacia, non tantum circa cambij litteras, verùm etiam circa ſcripta priuata, & denique circa iuriſdictionem, & poteſtatem Iudicis & conſulum, ac reliquas alias omnes, & ſingulas ſtatuti & priuilegiorum & indultorum prædictorum ipſius fori tangentes partes, permanſuris & valituris, illa ſi opus eſt, rurſus & de nouo harum ſerie etiam perpetuo, approbantes, confirmantes, & concedentes, ac etiam ab omnibus & quibuſcumque etiam quauis dignitate, iuriſdictione & auctoritate fulgentibus & fungentibus, etiamſi ſint Legati, Vicelegati, aut Gubernatores, ſublata etiam illis & eorum cuilibet quauis aliter faciendi, iudicandi, definiendi, decernendi, reſcribendi, & ſtatuẽdi facultate, poteſtate, & auctoritate inuiolabiliter obſeruari mãdantes, ac ex nũc, prout ex tunc, & è contra quicquid ſecus vel in contrariũ per eos, aut quemcũque, vel quoſcunque alios quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter quomodocumque, & qualitercũque fieri aut attentari contigerit, irritum & inane decernentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè motu & ſcientia paribus derogamus contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionẽ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 25. Nouembris 1569. Pontificatus noſtri anno 4.

Cæſar Glorierius.

THEOREMA 279.

PRudenter ante inſtitutã cambiorũ negotiationẽ ciues Bononienſes ſumm. Pontificem ſtatuerunt ſibi conſulendum, ne poſtea de eorum iuſtitia contingeret dubitare. Ad Rom. enim Pontificem pertinet declarare an contractus ſit licitus vel illicitus, vt tradit Speculator in tit. de legato. §. nunc oſtendendum num. 23. S. Antoninus 3.p.tit. 22.c. 1. verſ. 13. & Decianus in tract. crim. lib. 6. tit. 11. num. 30. & alij cum fidelium conſcientiis, quorum eſt Paſtor conſulere debeat. Cambiorum enim materia perdifficilis eſt, & ſi plures docti viri in ea ex-

Scortia.

plicanda deſudarint, vt Gabriel. 4. d. 15. Maior ibid. S. Anton. 2. p.t. 1. c. 7. §. 47. & ſeq. Caiet. to. 2. opus de Camb. Conrad. q. 98. de contr. Medina de rebus per vſur. acq. q. 5. ad 10. Bart. Medina in inſtruc. l. 1. c. 14. §. 24. Bannes 22. quæſt. 78. Salon ibid. Valentia 2. 2. d. 5. q. 23. Sotus l. 6. quæſt. 8. ad 14. Molina tom. 2. d. 396. ad 410. Mercatus de contr. tr. de cambio. Azor. tom. 3. l. 10. tr. de camb. Rebell. l. 11. Leſſius. l. 2. c. 23. Tolet. l. 5. c. 50. & ſeqq. Emanuel Sà, v. cambium. Reginaldus l. 25. c. 33. Garzias. tr. de contr. à c. 30. ad 37. Lopez. l. 2. de contr. a c. 1. ad 14. Graff. l. 2. c. 110. Angles. l. 4. flor. Philiarcus l. 5. de off. ſacerd. c. 22. & ſeq. Paulus Comitolus l. 3. quæſt. 15. 16. Hieron. de Luca tract. de camb. vol. 11. tract. iuris. Ioan. Capiſtranus tr. de vſura 2. p. num. 146. & ſeqq. tom. 7. tractat. Iuris. Tho. Boninſegn. tr. de cãb. Fabianus Clauarus tr. de camb. Nauarr. c. 17. n. 284. & ſeq. & conſ. 31. de vſur. & conſ. 8. de empt. & vendit. Sylu. Tabiena, Angel. Roſella. v. vſur. Armill. v. Campſor, & ex Canoniſtis Hoſtienſis, & alij c. fin. de vſur. præſertim. Ioan. Bapt. Lup. in idem cap. com. 3. §. 2. Tuſcul. tom. 1. v. Cambium. Anton. Gabriel. vol. 2. conſ. 158. Salycetus in auth. ad hæc. q. 11. c. de vſur. Scaccia fuſiſſimè in opere de commerciis & cambiis, alij defendentes, alij impugnantes. Ea autem in præſenti conſtitutione de cambiis explicabimus, quæ pro intelligentia illius neceſſaria videbũtur, dimiſſis iis quæ exponenda erunt in explicatione alterius conſtitutionis. num. 118. eiuſdem Pij.

Meminerunt autem conſtitutionis huius à collectoribus omiſſæ, Nauarr. conſ. 31. de vſur. Emanuel Sà, ver. cambium. num. 8. Paulus Comitolus. l. 3. quæſt. 15. num. 10. Sigiſmond. Scacc. §. 6. Gloſ. p. num. 43. Porrò cambij nomen non reperitur apud antiquos auctores Latinos, vt notat etiam Couar. l. de vet. num. coll. c. 7. n. 4. Ioan. Baptiſta Lupus. c. nauiganti de vſur. §. 2. num. 5. & Michael Salon 2. 2. q. 78. diſp. de camb. q 1. art. 1. Et primi ex Cuiacio in lib. de feud. qui illud vſurparint, videntur Gerardus Niger & Obertus de Orto, qui, vt notauit Otto Frigingenſis. l. 2. de reb. geſtis Federici ſecundi circa annum 1160. Federici iuſſu conſules fuerunt Mediolani, auctores librorum de feudis. l. 1. tit. 4. §. cum autem, & tit. 22. §. ſi quis. notauit tamen Tiraquellus de retract. §. 30. num. 1. Chariſium veterem Grammaticum apud Priſcianum (vixit hic ex Volaterrano lib. 18. circa annum. 527.) lib. 10. c. vltimo vſurpaſſe verbum cambio, campſi, pro permuto, vnde forte cambij nomen deductum eſt, pro permutatione. ex quo etiam factum eſt, vt qui pecuniam in alterius vſum dat, aut paratam habet, dicatur campſor, alio modo collybiſta à collybo mercede illa, quæ datur pro permutatione ex Budeo. l. vlt. ff. de pignor. actione. Trapeſita, ex Alciato. l. 1. parerg. c. 45. 46. & Lupo num. 49. 50. Argentarius ex citatis, & Sigonio. l. 2. de antiq. Iur. ciu. Rom. c. 11. & Nummularius; qui verò in vſum ſuum pecuniam recipit, dicitur campſuarius ex communi ſententia Rebell. quæſt. 1. num. 9. Conrad. quæſt. 99. Scaccia §. 1. quæſt. 3. Couar. cap. 7. num.

num.4. Boninſegn. Lupi. loco cit.

Permutationis autem nomine in genere intelligitur omnis commutatio, in qua vna res datur pro alia, ſiue ſit res naturalis, ſiue artificialis, ſiue etiam pecunia ex Conrado. quæſt. 98. Garzia c. 30. Caiet. tr. de camb. c. 4. Hieronym. de Luca. tr. de camb. num. 12. Azor. c. 1. Leſſio dub. 1. Rebell. quæſt. 1. num. 2. Nauar. cap. 17. num. 287. Soto l. 6. Tolet. l. 5. Eius autem ſic in genere acceptæ tres ſunt veluti ſpecies ex Ariſtotel. l. 1. pol. c. 6. 7. quem ſequuntur Theologi. Prima ex l. 1. ff. de contrah. empt. & vend. §. 2. eſt commutatio vnius rei cum alia, vt vini cum frumento, ſcamno, & quæ nomen permutationis vulgo *Baratto* adhuc retinet, eiuſque vſus eſt antiquiſſimus, quippe quæ ſit introducta, cum primum, quæ iure naturæ erãt communia, facta ſunt iure gentium propria. vnde teſte Ariſtot. eſt veluti naturalis, cum humanæ neceſſitati, & naturæ ſubueniat, cum nemo ex ſe habeat omnia neceſſaria, ſed egeat aliquibus. Altera permutatio eſt pecuniæ cum cæteris rebus, & appellatur *emptio & venditio* poſt prima illa ſæcula progreſſu temporis orta. ita enim Paulus l. 1. ff. de contrah. empt. & vend. ſcripſit. *Origo emendi, vendendique à permutatione cœpit. olim enim non ita erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur, ſed vnuſquiſque ſecundum neceſſitatem temporum ac rerum, vtilibus mutilia permutabat. quando plerumque euenit, vt quod alteri ſupereſt, alteri deſit. Sed quia neque ſemper, neque facile occurrebat, vt cum tu haberes, quod ego deſiderarem, inuicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia eſt, cuius publica, ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis ſubueniret, eaque materia forma publica percuſſa vſum dominiumque non tam ex ſubſtantia præbet, quam ex quantitate, nec vtraque merx vtrumque, ſed alterum pretium vocatur.* Hæc Paulus. Non diſſimilia habet Ariſtot. loco cit. & l. 5. Eth. ad Nicom. c. 5.

Accedit fuiſſe & laborioſiſſimum, & cum ſummis periculis, & expenſis, res ipſas in longiſſimas deferre regiones pro aliis rebus neceſſariis habendis, præſertim in magna quantitate, valdeque incertum, an exteri populi egerent noſtris rebus. Ideo ex Plin. l. 18. c. 3. & aliis, rectè mortales communi conſenſu excogitarunt futurum omnibus vtile, ſi ſtatueretur aliquid mole quidem & pondere exiguum, ſed æſtimatione magnum, quod facile in quamcunque regionem trãſlatum commodè poſſet cum alia qualibet re commutari in quauis quantitate. Et initio quidem fuit rude aurum, argentum, æs, habita ratione ſolius ponderis & menſuræ in rebus permutandis, ſed ex Leonardo de portis, l. de ſexteſtio apud Petrum Gregorium Syntag. l. 36. cap. 2. num. 3. cum experimento conſtitiſſet huiuſmodi commenſurationem incommodam, & incertam, ſemperque præ manibus habendam ſtateram, pariumque lapidem ad probandã metalli bonitatẽ, vt adhuc fit apud Chinenſes, ſtatuerunt mortales prædictam materiam publica aliqua forma, & charactere certæ bonitatis, & quantitatis nota ſignare, vt cõſtaret omnibus quanti valeret, & huiuſmodi ſignatum metallũ appellatum eſt, moneta, Græcè νόμι-

ομα, à *νόμος* id eſt *Lege*, ex Ariſtotel. l. 5. eth. c. 5. quod à lege non à natura ſit inuentum. Eiuſque inuentionem Macrob. l. 1. Sat. cap. 7. & Tertul. in Apol. c. 10. tribuunt Saturno, qui à Iano didicerit. Herodotus verò tribuit Lydis ſub fine ſecundæ Monarchiæ Perſarum; apud Romanos autem ouium & boum ſignatam effigie à Seruio Tullo, & ob id ab inſculpto pecore pecuniam dictam, ſcribit Plin. l. 18. c. 3. & l. 33. c. 3. & Petrus Gregorius l. 36. c. 2. Syntag. Tertia denique permutatio eſt pecuniæ cum alia pecunia ſpecie aut loco diſtincta, & appellatur cambium, vt ex hac eadem conſtitutione patet.

THEOREMA 280.

DEfinitur igitur cambium *permutatio pecuniæ cum pecunia*, ita Nauarr. c. 17. num. 286. Azor. c. 1. quæſt. 2. cap. 6. quæſt. 2. Laurent. de Rodulph. in c. conſuluit. de vſur. quæſt. 32. num. 14. Lopez. c. 5. Garſias. c. 32. Medin. de rebus per vſur. acq quæſt. 5. Tolet. l. 5. c. 5. Salon. de Camb. quæſt. 1. art. 1. Sotus. l. 6. quæſt. 8. art. 2. Leſſius dub. 1. Rebell. quæſt. 1. num. 3. & alij. vnde permutatio eſt loco generis, & accipitur amplè prout ſub ſe comprehendit tres prædictas ſpecies: reliqua ſunt loco differentiæ, qua diſtinguitur cambium à cæteris ſpeciebus permutationis, non phyſicè, ſed moraliter & politicè, vt notauit Sotus, cum in moralibus minima circũſtantia ſæpe ſufficiat ad moraliter variandam ſpeciem actus, vt. v.g. eiuſdem rei oblatio facta clam, eſt furtum, facta vi, rapina. Alij tamen putant eſſe venditionem & emptionem vnius pecuniæ cum altera, vt Ioan. de Anania c. nauiganti de vſur. num. 46. Boninſegnius. c. 6. Fabian. cap. 7. num. 6. 2. Caier. c. 6. & 7. Bannes 2. 2. tr. de camb. dub. 3. Petrus Ledeſma in ſumm. tr. 8 concluſ. 2. Scaccia. §. 1. quæſt. 4. num. 35. & 37. & inclinãt Syl. vſura 4. quæſt. 7. dicto 1. Nau. num. 291. dum volunt ex parte campſoris cambium eſſe emptionem, ex parte campſuarij eſſe venditionem, ideoque pecuniam eius, qui dat cambio, eſſe pretium, pecuniam v. g. conſignandam Placentiæ eſſe rem emptam, ac venditam, ſeu mercem. Quibus fauet modus loquendi campſorum, vt notat Leſſius dub. 1. num. 4. & Scaccia §. 1. quæſt. 4. num. 21. nam eorum litterarũ formula hæc eſt. v.g. *Caie in proximis nundinis Sanctorum, virtute harum litterarum primarum de cambio ſolues Titio ſcuta 10000 marcarum pro eorumdem pretio ſeu valore hic Genuæ ab eodem recepto. & adſcribe computo meo.* vbicunque enim fit mentio pretij niſi euidenter aliud repugnet, iudicatur contractus emptionis & venditionis. Sed vt notat ibid. Nau. num. 294. & Leſſius parum refert, ſit ne permutatio an emptio & venditio, modo ſeruetur æqualitas inter datum & acceptum. Vnde auctores promiſcuè his vocibus vtuntur vt Bal. conſ. 348. num. 6. l. 1. Ioan. Capiſtranus. tr. de vſur. p. 2. num. 146. Leſſius dub. 1. num. 4. Azor. c. 9. quæſt. 1. §. ad argumenta.

Quod autem dicit Iuriſconſultus. l. 1. ff. de cõtrah. empt. & vend. & Ariſtotel. l. 1. pol. c. 6. & 7. aliud eſſe mercem, & aliud pretium, &

mercem

mercem pretio emi, rectè dicit considerata pecunia, vt est mensura actiua, regula, & pretium in commutationibus cæterarum rerum l. 42. ff. de deiectis. non autem, vt etiam ipsa subire potest rationem mercis, & mensuræ passiuæ, seu mensuratæ. Vtramque enim rationem pecunia habere potest ex S. Thom. l. 2. de regim. Princip. c. 14. Caiet. c. 4. 5. 7. Soto lib. 6. q. 9. Syl. vsura 4. quæst. 2. & 8. Couar. c. 7. num. 3. Petrus Ledes. p. 2. tr. 8. conclus. 2. Nauarr. num. 291. Rebell. quæst. 8. Lessi. num. 37. 38. Garzias. c. 34. Lopez. l. 2. c. 2. Molina d. 406. num. 3. Azor. c. 1. quæst. 2. c. 3. §. tota c. 4. quæst. 9. Scaccia §. 1. quæst. 4. num. 37. quæst. 6. num. 9. quæst. 7. num. 61. Boninsegn. c. 3. Salon. quæst. 1. art. 2. & alij. idque docet, tū ratio, quia pecuniæ æstimatio crescit & decrescit etiam inuariato pretio & valore legali Principis etiam in eodem, ne dum in alio loco, vt cæterarum rerum venalium, ex Nau. c. 17. num. 294. Azor. c. 1. q. 2. c. 3. q. 2. Rebell. q. 2. num. 1. & seqq. Lessio num. 35. Reginal. l. 25. num. 440. 449. Scaccia §. 1. quæst. 7. num. 48. 49. & supra quæst. 4. num. 25. & seqq. Fabian. c. 5. num. 60. maximè ob copiam vel inopiam pecuniæ præsentis; quo enim alicubi apud mercatores seu campsores est maior copia pecuniæ, eò ipso est minoris æstimationis ad res venales, vel etiam pecunias absentes comparandas; & quo minor copia pecuniæ, eo ipso est maioris æstimationis, & valoris, & respectu mercium, cum plus mercium comparari eadem pecunia possit; cum pecunia quæ datur, pluris æstimetur, & respectu pecuniarum absentium. itemque ob maiorem vel minorem numerum petentium ad cambiū. Sicut enim multitudo emptorum facit, vt mercium pretia crescant, & paucitas eorumdem vt decrescant pretia, sic in casu nostro. Denique ex multitudine vel paucitate dantium ad cambium, pecuniæ valor variatur, vt euenire solet in aliis mercibus; at quod in valore crescit & decrescit, rationem mercis induit, & emi & vendi potest. Tum experientia, vt notat etiam Io. Capistranus citat. num. 146. quotidie enim ituri de vno dominio emunt licitè aureas & argenteas pecunias, vt pluris expendant, aut minus perdant. vt si quis iturus Romam Genuæ Iulios Romanos emat, aut si vsus monetæ alicuius sit alicubi proscriptus, & velit quis aliò deferre, ideo pecunia non solum rationem mensurantis, sed etiam mensurati potest habere. Quare etiam absentes pecuniæ se habere possunt instar mercis, respectu præsentium, & hæ vt pretium illarum, vt ex Syl. & Nauarr. dictum est, & repetit Caiet. cap. 7. & Lessius num. 38. admonentes pecunias non habere pretium legitimum, nisi respectu monetarum, vt sunt mensura actiua, & præsentes in loco, eo quod Princeps sua lege & populus communi consuetudine non intendat imponere pretium nisi vt sunt præsentes in loco, non autem vt sunt distantes, & habent rationem mercis. hac enim ratione id relinquitur imponendum iudicio mercatorum consideratis circunstantiis vt in imponendo computo pro singulis foris à consule Genuensi, & habentibus ius suffragij, tam creditoribus, quàm debitoribus,

seu dantibus, & recipientibus ad Cambia, ad plura medietate suffragia in foro Placentino fieri magna consideratione solet, ex l. 8. & seqq. de cambiis, & si quis proponeret pretium nimis exorbitans, mulctandus esset, ex l. 32. à consule & cõsiliariis. ideo à peritis huius negotiationis nec tantum dantibus, (ne excæcet lucri cupiditas) sed etiam accipientibus bona fide, & omnibus consideratis pretium statuitur, vt solet accidere in aliis mercibus. videatur etiam Theorema 288,

THEOREMA 281.

CAmbiendi necessitatem induxit diuersitas numismatũ, vt colligitur ex Arist. l. 1. pol. cap. 6. S. Tho. ibid. lect. 7. Caiet. de camb. cap 5. Io. Capistrano. de vsura p. 2. num. 146. Mich. Salone. quæst. 1. de Camb. art. 1, Scaccia §. 1. q. 6. num. 7. Io. Baptista Lupo. c. nauiganti de vsur. num. 12. Io. Medina de rebus per vsur. acq. quæst. 7. Cum enim creuisset vsus & abundantia pecuniarum diuersarum non solùm materia, sed etiam pondere differentium, & aliquæ essent vilioris materiæ, vt quæ dicuntur quatrini, aliæ pretiosioris, vt aureæ, & argenteæ, aliæ grauioris ponderis, (etsi eiusdem materiæ) aliæ leuioris: nonnullæ vno charactere signatæ, aliæ diuerso, eo quòd D. Thoma teste l. 2. de regim. Princip. cap. 13. quilibet Princeps putaret pertinere ad bonam gubernationem, vt in ditione sua, monera expẽderetur proprio signo & charactere signata; fortè factum est, vt in diuersis regionibus exercentes negotia, inuenerint diuersarum qualitatum monetas, quarum aliquas alibi expendere non potetant, aut non nisi cum damno, quippe cum numismata sæpe minus valeant in vno, quàm in alio loco. Quare ad euitandum damnum coacti sunt vnam pecuniam cum alia cambire, idémque aliquando factum est commoditatis gratia ad necessarias videlicet quotidianas res pro victu coëmendas, maiores enim ac pretiosiores monetæ cum minoribus & vilioribus, vt aureus nummus cum solidis, mutantur, ad panẽ & olera emenda, vel faciendas in mendicos eleemosyna, ex quo manuale cambium traxit originem.

THEOREMA 282.

IAm verò cum realis translatio pecuniarum ad diuersas regiones obnoxia esset vecturæ, dispendiis, laboribus maximis, latronum, naufragiorum, ac diuersorum casuum periculis, & dubium an propriæ regionis monetæ futuræ essent aptæ in loco, in quo merces erant emendæ, cæperunt Mercatores prudenti consilio exercere cambia de loco ad locum, seu per litteras, quibus solis pecuniæ eo deferrentur, vbi erant expendendæ, præsertim cum ex aliquibus regnis pecuniæ efferri, & in alia certæ inferri non possent, & ideo solum virtualiter cambio litterarum, eas vendi aut commutari liceret.

Factum est autem huiusmodi cambium per litteras tribus modis (omitto cambium siccum, quod est parum mutuum) vt docet Garzias cap. 32. Lopez cap. 3. Lessius dub. 1. Azor c. 3. Aliquando enim merca

mercatores aliquò profecturi, dabant alteri inſtitori, ſeu campſori pecunias ſuas, vt litteris ab eo acceptis ad reſpondentes ſuos eo ad coëmendas merces appellentes, reciperent ab illis idoneo monetæ genere, ſuarum pecuniarum valorem, auctuario aliquo iuſto perſoluto; aut è contra, iam ſuis mercibus diuenditis, receptóque pretio, volentes pecuniarum tranſlationis vitare incommoda, & pericula, & poſt reditum in Patriam regionis ſuæ habere monetas, ibidem inſtitori, vel campſori ſolura ſumma litterarum vigore ab illius reſpondẽte valorem recuperarent.

Poſtea verò inſtitutum eſt, vt vt quis egens præſenti pecunia loco & tempore, fortè quod eius reditus non eſſent maturi, vel pecunias aut merces alibi haberet, conueniret alium mercatorem, aut campſorem, & accepta ab eo pecunia, ei ſolura aliqua mercede litteras daret ad exactorem ſuorum reddituum vel ſuarum mercium venditorem, & iuberet perſoluere ei, quem campſor nominaſſet, conuentam pecuniam. Qui modus differt à ſuperiori, quod ibi campſor prior acciperet, & deinde alibi ſolueret, hic verò prior ſoluit, vt alibi poſtea recipiat.

Tertiò demum inuentum eſt cambium nundinarum, ſeu feriarum, ad ſimilitudinem earum nundinarum, in quibus conueniebant mercatores cum ſuis mercibus, cæptæque ſunt certis anni temporibus, & locis pro ſolis campſoribus, & pecuniarum cambiis celebrari, vt (quod non vbique nec ſemper poterant) quancumque pecuniarum ſummam facile à pluribus pro ſuis negotiis inuenirent ad cambium. Auctáque eſt neceſſitas eius ob bella exorta inter Carolum Quintum, & Germanos, & inter eundem Carolum, & Reges Galliæ, vt ſuppeteret tario, & modus ſoluendorum ſtipendiorum exercitibus, ob quæ ingentes pecuniarum ſummæ ad certa loca, & ſtatis temporibus fuerunt per cambij litteras (quæ vna ſuperat via) in nundinis à campſoribus, ſeu mercatoribus tranſmittẽdæ. Quare ſicut vtilitet inſtitutæ ſunt certis in locis & tẽporibus aliarũ rerum neceſſariarũ nundinæ; ita omnino expediens fuit publicæ vtilitati, conſtitui pecuniarum ſeu cambiorum emporia, in quibus nummi, non ſecus ac aliæ merces, pro cuiuſque indigentiis poſſent comparari, rationéſque accepti & dati redderentur, & fierent, ſolutiones debitorum, vel ſi expediret, recambia. Id enim haud commodè fieri potuit, niſi in nundinis Campſores enim qui olim erant in aliquibus Ciuitatibus tantæ negotiorum moli ſatisfacere non poterant; nec facile extabant mercatores, qui inuicem cambirent, & ſi quando extitiſſent, facile vnus ignoraſſet cambiendi neceſſitatem, quam haberet alius, & ſi ſciuiſſet, occaſio ſæpe fuiſſet inæqualis, vnde ſicut ob inæqualitatem rerum permutandarum, eo quod non ſemper nec facilè accideret vt haberes, quod & quantum ego deſiderabam, vel haberem ego quod & quantum ipſe exoptabas, introducta eſt moneta. l. 1. ff. de contrah. empt. & vend. ita ob eandem inæqualitatem vtilitet inſtitutæ ſunt cambiorum ſeu pecuniarum nundinæ. Et ideo meritò dictum eſt à Pio V. Conſtitut.

118.

118. neceſſitatem & publicam vtilitatem legitimum cambiorum vſum induxiſſe.

Ex his colligere potes legitimos generales cambiendi modos per litteras, de cambio enim manuali actum eſt Theoremate ſuperiori de quorum ſingulis aliquid in particulari dicetur: Aduertendum autem eſt, vt huiuſmodi cambiendi ſpecies debito modo fiant. quod dixerim, quia negotiatores frequenter addunt, & variant plures circunſtantias, cum magno animarum ſuarum periculo & incredibili Theologorum perplexitate: & iam audio fieri cambia cum ſtoccho vt vocant, vt v.g. cum Titio indigenti pecuniam ad cambiũ, Seius ſe offert ei. 10000. ſcutorum daturum pro Neapoli (quo loco Seius probabiliſſimè multum lucrabitur, ob penuriam pecuniarum, ſed velle viciſſim, vt ſibi à Titio dentur 5000. pro Genua, vbi ob abundantiam pecuniarum pro cambio probabiliſſime parum ſoluet, vnde fit, vt Titius non tantum pro 5000. reliquis, auctuarium Neapolitanum ſoluat, ſed etiam magna ex parte pro aliis 5000. quæ dat cambio Seio, pro Genua. quare videtur ei vendere propriam neceſſitatem, vt in non diſſimili caſu dixit Caiet. c. 6. idem damnat Mercatus cap. 7. Gatzias. cap. 35. Lopez cap. 10. quod contractus ſit coactus non voluntarius.

THEOREMA 283.

VLteriùs magna eſt differentia inter cambium, & mutuum, (quidquid ſenſerit Hoſtienſis, ſum. de vſur. §. in aliis, 10. de Lignano. in cap. fin. de vſur. & S. Anton. 3. p. t. 8. cap. 3.) vt aduertit S. Tho. opuſc. 73. cap. 13. Caiet. tr. de camb. cap. 2. 3. 6. 7. Conrad. q. 8. concl. 1. & q. 99. q. 2. Michaël Salon de camb. quæſt. 1. arr. 1. & 2. Tolet. l. 5. cap. 53. Valentia 2. 2. d. 5. q. 23. p. 1. Leſſius dub. 1. num. 2. Rebell. l. 11. quæſt. 1. de camb. n. 4. Medin. quæſt. 5. de reb. per vſur. acq. Boninſegnius. de camb. cap. 6. Fabianus. tr. de camb. p. 2. cap. 5. num. 55. 56. Garzia. cap. 31. Lopez. cap. 1. Graffius num. 1. Nauar. in cap. nauiganti. de vſur. num. 9. & 21. Azor cap. 5. quæſt. 1. & cap. 6. quæſt. 1. & cap. 8. quæſt. 1. Scaccia. §. 1. quæſt. 4. num. 5. & quæſt. 7. p. 1. num. 41. & Bal. in l. 2 num. 2. Cod. de vſur. rei iud. Tum quia in cambio ſua natura res quãtum fieri poteſt, debẽt eſſe diuerſæ, vt ex prima Inſtitutione patet, in mutuo verò quantum fieri poteſt, debent eſſe eædem. ita S. Tho. cum citatis, nec non Tiraquellus. l. 1. de retractu §. 30. Salaſ. tr. de camb. dub. 1. Molina d. 299. Tum quia in cambio per ſe & intrinſecè non intercedit tempus, vt conſtat ex cambio manuali, & in cambio per litteras reperitur ſolum tempus per accidens, nempe vt mittantur litteræ, parentur pecuniæ, & ſoluantur, & aliis huiuſmodi de cauſis, ſi enim fieri poſſet, vt pecunia quam dedi Genuæ, reciperem Lugduni, eodemmet die, non deſineret eſſe verum cambium. ideo hac eadem Conſtitutione §. 11. ſtatuitur, vt litteræ cambiorum Genua & Roma tranſmiſſæ intra decem dies ſoluantur Bononiæ: Mediolano, Venetiis, Florentia, Piſis, intra dies octo; Panormo, Meſſana, Bario, intra menſem litteris viſis; Lugduno,

Lugduno, Biſuntio, Hiſpania iuxta nundinas; Pariſiis & Belgio à datis litteris intra duos menſes, Londino verò tres, vt etiam ex oriente. Si enim longius protraheretur ſolutionis tempus; id omnino videretur fieri in fraudem vſurarum. videbitur enim campſor lucrum capere ratione temporis, quod eſt vſurarium, & non ratione diſtantiæ localis. vnde præcipit Pius V. bulla 118. ne præfigantur lõgiores termini ſolutioni faciendæ, quam locorum diſtantiæ requirat. Videri poteſt hac de re Nauarr. l. 5. conſil. conſ. 15. de vſuris prioris editionis. Ang. v. vſura num. 54. Tab. num. 3. Roſell. n. 6. Syl. quæſt. 13. Garzia cap. 36. Leſſius dub. 6. num. 54. At verò in mutuo dilatio & temporis interuallum requiritur per ſe, cum ideo detur mutuo, vt mutuatarius non eodem tempore reddat, ſed vti poſſit pro ſuis indigentiis pecunia mutuata. ita Sotus, Boninſegnius, Salon, Medina, Azor cap. 5. q. 1. cap. 9. quæſt. 1. Nauarr. c. 17. n. 289. Scaccia quæſt. 4. num. 6. & 13. Tum quia in mutuo ex natura rei non reperitur diſtantia loci, immo eſſet vſura obligare mutuatarium, vt alibi reſtituat mutuum.

In cambio verò per litteras, de quo videri poſſit difficultas, reperitur, cum in vno loco detur pecunia, vt habeatur in alio. Tum quia in mutuo principalis ſors haud minui debet, in cambio autem poteſt licitè euenire, vt campſor in ſorte detrimentum patiatur, vt notauit Caiet. cap 7. num. 8. Boninſegnius. cap. 7. Scaccia §. 1. q. 7. p. 1. num 75. & §. 9. nu. 39 Rota Rom. deciſ. 315. quæ incipit. *Dia fuit*. Vt ſi ſuperuenerit magna pecuniarum copia, vt accidere etiam ſolet in cæteris mercibus, id tamen non frequenter accidit. Tum quia in mutuo per ſe & primariò non conceditur, niſi vſus rei mutuatæ, quia tamen res aliqua vſu conſumitur, inde fit, vt per accidens & conſequenter in huiuſmodi concedatur etiam dominium. At verò in cambio per ſe & primariò transfertur dominium cambitæ pecuniæ.

THEOREMA 284.

VT non licer campſoribus ratione longioris temporis, & diſtantiæ à nundinis accipere ex cambio maius lucrum, ſeu vilius emere à campſuario ſcutũ de Marcha, vt Genuæ mos eſt, ſeu Florenum Germanicum, vt fit in Germania & Flandria, ſiue more Bononienſi ex hac cõſtitutione. §. 10. *Scuto d'oro in oro di Zecca*, in principio nundinarum, quando Marcharum ſolutio expectanda eſt tribus menſibus, quàm inſtantibus ſequentibus nundinis, in quibus ſunt recepturi; quod alij dicunt, non licere magis lucrari ob longius tempus cauſaliter, id eſt quando tempus maius, eſt quaſi cauſa effectiua moralis lucri maioris, exigeretur enim aliquid ratione temporis, quod eſt vſurarium, cum tempus omnino in cambio debeat ſe habere per accidens, ne ſit tacitum mutuum, vt docet Leſſius dub. 6. num. 54. Boninſeg. cap. 2. Toletus lib. 5. cap. 53. Azor cap. 9. quæſt. 4. Salon. quæſt. 4. art. 2. Lopez cap. 13. Vega caſu 29. Soto. l. 6. quæſt. 12. art. 5. Garzia cap. 36. n. 5. Scaccia. §. 1. quæſt. 7. p. 1. num. 76. & p. 3. lim. 1. Caiet. cap. 6. 7. Salas dub. 18. num. 1. Rebell. quæſt. 8.

num. 14. Fabianus p. 1. cap. 7. Nau. in man. cap. 17. num. 210. 296. 297. Molina d. 404. Ita licet ex Valentia 2. 2. d. 5. quæſt. 22 p. 4. condit. 2. Medin. q. 8. de acq. per vſuram Reginal. l. 25. nu. 454. Toler. c. 53. Ledeſma p. 2. tr. 8. quæſt. 20. Angles art. 5. dub. 4. Rebell. quæſt. 8. num. 12. Leſſio num. 56. Molina d. 404. num. 5. & d. 406. & aliis citatis, id facere ob alios iuſtos titulos. vt ſi tunc ſint plures petentes & accipientes ad cambium, quod, vt plurimum, accidit, eò quod tunc liceat diutius pecuniam præſentem negotiari, & conſequenter ſit maior æſtimatio pecuniæ, quàm inſtantibus feriis, quando pauci petunt, plura accidant pericula in lõgiori tempore, quàm breuiori, expenſæ maiores fiant in maiori diſtantia temporis, omittantur plures occaſiones lucrandi, pecunia non adeo abundet multis petentibus, vt etiam contingit in mercium nundinis, in quibus initio nundinarum ſolent pretia eſſe altiora ementibus multis, & mitiora in fine, deficientibus, qui requirant. Etſi etiam in mercium, & cambiorum nundinis aliquando contingat in fine ob ingruentem aliquam neceſſitatem mercium, aut pecuniarum ad bella & alias cauſas, vt earum æſtimario & pretia creſcant, & plus valeant quàm initio, quod aperte oſtẽdit lucrum non ſumi propter tempus, ſicut etiam idem oſtendit varietas pretij, quæ diuerſa eſt, licet tempus nundinarum ſit ſemper æquale. Quare vt arbores in tempore creſcunt, & ſi non propter tempus, ſed propter alimentum, quod in tempore ſugunt, ita in cambio, ſi tempus ſe habeat ſolum concomitanter, non autem cauſaliter, licebit plus lucri capere, cum nundinæ tribus v. g. menſibus diſtant, quàm cum duobus aut vno tantum, ſi adſit titulus iuſtus maioris æſtimationis pecuniæ, minoris abundantiæ, plurimum campſuariorum, & ſimilium, ſicut enim ex his iuſtè variantur mercium pretia, ita iuſtè variari poſſunt pretia cambiorum, cum pecunia tunc ſubeat rationem mercis. ex Couar. c. 7. vet. coll. numis. num. 3. & 4. & aliis, vt ſuperius dixi.

THEOREMA 285.

PEtunt verò Bononienſes. §. 3. declarari à ſummo Pontifice (quod fit. §. 25.) licere inter mercatores, & non mercatores cambia realia, contra quàm ſenſerit Hieronymus de Luca. tr. de Camb. num. 30. 36. etenim iure naturæ omnes cambia realia exercere poſſunt, vt rectè docet Couarr. de vet. num. col. 7. num. 4. Sotus l. 6. de Iuſt. quæſt. 9. art. 1. Nauar. cap. 17. num. 288. Ang. vſur. t. n. 52. Roſel. vſur. 6. nu. 6. Molina d. 399. Reginal. l. 25. num. 440. 451. Valentia 2. 2. d. 5. quæſt. 23. p. 4. Boninſegn. tr. de camb. q. 5. Toler. l. 5. cap. 54. Scaccia §. 1. quæſt. 7. p. 2. ampliat. 12. num. 1. & 10. quod enim ſecundum iuſtitiam commutatiuam eſt iuſtum, naturæ iure licitè à quouis exerceri poteſt; niſi aliud lex diſponat, vt accidit in Caſtella, & Luſitania teſte Rebello. quæſt. 4. de camb. num. 5. & quæſt. 12. num. 2. vbi ſolis mercatoribus proprio nomine cambientibus regni legibus id conceditur & iure etiam Eccl. vt prohibentur cap. 1. ne Cler. vel Monach. &

de

de vita & hon. cler. cap. vltimo. Clerici negotiari, conſequenter etiam ſaltem per ſe ipſos, & immediatè cambia exercere prohibentur, ex Fabiano num.45. Scaccia loco citato n.6.

Sed num idem valeat etiam in cambio manuali, maior eſt difficultas, percipi enim poſſe lucrum à priuato non habente à Repub. officium cambiendi. negat Caiet. cap.1.5.6. Armilla, v.campſor.n.4. Gabr.4. d.15. quæſt.11. art.3. dub. 12. Salon. de camb. quæſt.3.art.1. num. 11. Arbonotus & alij, eò quod priuati non ſuſtineant onera, quæ ſuſtinent campſores deputati, vt ſunt expenſæ tabernæ, labores conquirendi varia genera pecuniarum,&c. Oppoſitum affirmat Tolet.l.5. cap.51. Mercatus. tr. de camb. cap.2. Rebell. q.4. & 5. Ang. loco citato. Conrad.q.99. concl.2. Maior.4. d.15. quæſt.37. Lupus com.7. de camb. §.1.n.52. idémque videtur tenere ipſe Caiet. in ſum.v.cambium.in fine,cum abſolutè dicat cambium licere etiam priuatis. nec eſt ratio, cur priuatus magis quàm publicus campſor id gratis facere teneatur, cum idem obſequium præſtet campſuario, quod campſor publicus. Quæ ſanè ratio, non tantum probat licere priuato lucrari aliquid ex cambio manuali ſeu minuto, verum etiam in cambio locali, ſeu per litteras, vt aduertit etiam Reginaldus l.25.num. 451. Sunt alij, qui media via incedentes etiam priuatis in manuali cambio concedant lucrum, ſed moderatius, quàm publicis campſoribus, quod prædictis expenſis, & incommodis non ſubiaceant, vt Nauar.c.17. num.288. Sylu. loco citato. §.3. Molina d.399.405. Azor cap.4. q.6. & cap.6. quæſt.5. Sotus q.9. art.1. Leſſius nu.9.Reginal.n.445. Si priuatis interdictum ſit, vt in Caſtella, & Luſitania, exercere huiuſmodi cambium, peccabit ne qui aliter fecerit? Azor cap.4. q.7. ſentit peccare, & quidem mortaliter,eò quod iuſtam & Reipub.vtilem legem tranſgrediatur. At molina loco citato & Rebell.quæſt.4. num.6. æquius tenent peccare ſolum veniaiter, niſi grauiſſima pœna eſſet impoſita tranſgreſſori.

Sed numquid cogetur tranſgreſſor perceptum lucrum reſtituere? Affirmat idem Azor. Io.Bap. Lupus,& Sot. loco citato concl.3. negat probabilius. Leſſius nu.17. Rebell. q.4. num. 6. Emanuel Sà, v.cambium. Salas tr.de camb.dub. 3. Molina loco citato. Reginal. num. 445. Salon. quæſt. 4. art.3. contr.1.Garzias cap.31. Tum quia prohibitio Principis, vt ſupponimus, non irritat contractum, nec inhabilem priuatum reddit ad acquirendum percepti lucri dominium. Tum quia per hoc nihil damni ſit illatum, aut reipub. aut campſuario, cum non plus ſit ab eo acceptum, quàm in tali permutatione ſit campſorum,& prudentium iudicio accipiendum, & ob id nulla inſurgat reſtitutionis obligatio.

Iam verò quia cambium eſſe nõ poteſt, niſi ſit, qui det pecuniam, & qui recipiat. vnus enim vendit abſentem pecuniam, & alter eam præſenti pretio emit alibi recepturus; ob id hoc eodem §.3. petitur declarari, licitum eſſe non tantum cambio accipere, verum etiam dare, ſi cambium ſit reale, & non fictum, ſeu ſiccum, quod

iustitiæ succo careat, iustóque titulo accipiendi lucrum, ex Rebell. quæst. 3. num. 1. & 2. Azor cap. 2. Lessio dub. 1. num. 5. 6. Soto q. 8. art. 2. Lupo num. 53. Garzia c. 37. Reginal. num. 439. Scaccia §. 9. num 12. vnde quia sola dilatione soluendæ pecuniæ & mutui, sub prætextu cambij lucrum recipitur, aut speratur, merito damnatum est à Pio V. Constitutione 118. verbis illis. *Primò igitur damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur, & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca, cambia celebrare simulent*; ad quæ loca ij, qui pecunias recipiunt, litteras quidem suas cambij tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, vt transacto tempore, vnde processerant, inanes referantur, aut etiam nullis huiusmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus, nam inter dantes & recipientes vsque à principio ita conuenerat, vel certè talis intentio erat, nec quisquam est, qui in nundinis, aut locis prædictis huiusmodi litteris receptis solutionem faciat.

Bononienses igitur petitionem suam de cambio reali intelligendam protestantur, ita vt cum effectu pecunia detur in vno loco, vt soluatur alibi. iuxta cambij litteras, seu cedulas, & eo realiter mittantur ad correspondentem siue mandatarium cui diriguntur, à quo spatio 24. horarum ex cambiorum l. 1. & 5. acceptentur, & suo tempore soluatur, aut certè prædicto 24. horarum tempore recusentur. Quo casu, qui litteras præsentauit, publicè in actis Cancellarij protestari solet contra eum, qui litteras dedit, eas à mandatario non fuisse acceptatas. Ille enim exinde tenebitur ad omnia damna, & expensas, quas creditor subierit, ob non factam à mandatario solutionem illius cedulæ ex decisione 6. Rotæ Genuens. n. 6. & §. 13. & 19. Cõstitutionis huius. quare creditor summam pecuniarũ cedulæ prædictæ ad cambium, accipere potest, ad rationem tamen computi seu pretij statuti in nundinis pro illa ciuitate, pro qua ad cambium accipit, vt præscribitur l. 15. cambiorum; totum enim damnum ab auctore litterarum, quæ acceptatæ non sunt, sed protestatæ, resarciendum erit. Videri potest de litteris non acceptatis, ac protestatis, Sigism. Scaccia. §. 2. Glossa 4. nu. 17. & Glossa 5. n. 316. & seqq. & §. 7. Glossa 2. num. 3. & 4. Ex his colligis, hic, vt in seqq. §§. esse sermonem de cambiis per litteras, de quarum iustitia maior esse posset dubitatio, de qua pauca dicenda.

THEOREMA 286.

CAmbium reale per litteras, quo campsor prior accipit pecuniam, vt alibi cum moderato lucro, habita ratione distantiæ locorum, expensarum, laborum, periculorum, eam campsuario soluat, non esse illicitum tenent communiter doctores, Gabriel 4. d. 15. quæst. 11. art. 3. dub. 12. Conrad. quæst. 99. Medina quæst. 9. de vsura Caiet. tr. de camb. cap. 6. Sotus lib. 6. quæst. 10. art. 1. Nauarr. c. 17. num. 289. Molina d. 403. 410. Tolet. cap. 54. Lessius loco citato dub. 3. Rebell. quæst. 6. num. 2. & seqq.

seqq. Azor. l. 10. tr. de camb. c. 5. q. 1. Reginal. l. 25. n. 452. Lupus tr. de vsur. comm. 3. §. 2. num. 58. 59. Syl. vsur. 4. quæst. 8. Angel. vsur. 1. num. 53. & alij. Tum quia in illius gratiam hinc pecuniam transfert in locum, vbi illam campsuarius habere cupit. v. g. Romam. quod opus factum in alterius gratiam, est pretio æstimabile, vt constat ex mercede (maiore tamen) quæ nautis. v. g. & agasonibus transferentibus daretur, quare & campsor lucrum aliquod percipere iustè potest, nihil enim refert, quod virtualiter tantùm, & non re ipsa transferat, satis enim est, si id præstet sua industria, & correspondentibus, quod æquiualeat reali translationi, & sollicitudine ac laboribus transferendi campsuarium liberet, vt notat Nauarr. c. 17. num. 295. Reginal. num. 453. Sigism. Scaccia §. 1. quæst. 1. num. 425. & seq. & quæst. 7. p. 1. num. 40. & par. 2. ampl. 10. num. 107. & par. 3. ampliat. 11. num. 9. 10. Lessius, Rebell. Azor. Sotus, & citati. Tum quia campsor in se susçipit periculum transportandi pecuniam, & assecurat campsuarium à pecuniæ periculis; ideoque si pereat, campsori, non campsuario perit, qui etiam titulus est suo præmio dignissimus, vt etiam in aliis assecurationibus, vt docet Lessius. num. 25. Lopez de camb. c. 4. & alij citati, eo scilicet, quòd lege, aut communi æstimatione taxatũ fuerit consideratis circumstantiis, v. g. æstimatione pecuniæ, cum exempli gratia in Europa 700. aurei pluris æstimentur, quàm 1000. in Prouincia Peruana; locorum distantia maiore, aut minore; si enim Genua sit transportanda Antuerpiam, aut Londinum, pretium maius esse oportebit, quam si tantum Mediolanum, periculis maris, bellorum, latronum, &c. quæ subeunda sunt campsori, & reliquis, ex Medina quæst. 8. de acq. per vsur. Scaccia §. 1. quæst. 1. num. 427. & reliquis præcitatis. Tum quia hic nulla potest fingi ratio mutui, cum campsor prius pecuniam accipiat, quàm soluat.

Dices: Pecunia præsens pluris æstimatur quàm absens; ergo potius campsor soluere aliquid deberet campsuario quàm contra. Respondeo negãdo cum Lessio n. 24. consequentiã. Quod enim pluris valeat præsens, id est, ratione commoditatis, quam vtenti affert, quã non tenetur campsor æstimare, cum non cupiat alterius opera pecuniam absentem, facere præsentem, sed alter illius operam flagitat, vt se onere illo transferendi aliò pecuniam, & periculis liberet. Adde absentiam pecuniæ non esse considerandam respectu loci, vbi eam habet, qui accipit ad cãbium, sed ex loco, vbi illam vult habere, ideo quam dat campsori absentem habet, quam ab illo accipit alibi, vbi indiget, præsentem.

Quæres si cambium sit vtrique contrahentium commodissimum, poterit ne illorum alter lucrum ab altero accipere, vt si tu Genuæ pecuniam habeas & Romæ indigeas, ego verò Romæ habeam, sed egeam Genuæ, poterit ne quis nostrum pro cambio ab altero lucrum accipere? Respondeo si neutri se in petitione præueniant, & paria sint onera, & pericula, nullus lucrabitur, cum sit æqua vtriusque conditio: sin verò tu. v. g. à me tamquam à campsore petas, & ego

viciſſim non petam à te tuam operam, cum tui gratia ſubeam onus prerio çſtimabile poſſum licitè lucrifaccre pretium tranſlationis, & cambij cum irrequiſitus à me, & tuæ ſoli vtilitati ſeruiens mecum cambium celebraueris, meũ enim commodum mihi ipſi vendere nõ potes, aut ad illud proſequendum tuam operam mihi locare, niſi conduxerim.

Dices cum Garzia. c.39. diff.2. Mercato. de camb. c.2. ad fin. Lopez l. 2. de contr. c. 3. ex natura cõtractus apud omnes gentes exigi ad omnem permutationẽ æqualitarem: cum igitur in propoſito caſu non minus præſtet vnus virtualem tranſportationem, quàm alter, nec minus ſit id vni quàm alteri vrile, cernatúrque vtrinque æqualitas, non poterit abſque inæqualitate iuſtitiæ accipi merces ab altera parte. Reſpondetur id valere ſolum, cum vnum alterum non præuenit, vt dictum eſt; at verò cum vnus alterum rogat, partem ſuam vtiliorem reddit, ſicut & cæteræ res, quæ venduntur, & locantur ex modo vendendi, & locandi, rogando & quærendo emptorem, aut conductorem vilioris pretij redduntur, vt quotidie patet in ſubhaſtatione, & mercibus vltroneis; quare etiam in cambio, qui rogatur, & præuenitur, poteſt mercedem recipere, ex Soto, Medina, & aliis mox citandis; non ſecus, ac ſi eſſem conductũ equum meis expenſis, niſi mihi aliter conſulerem, Mediolanum tranſmiſſurus, & poſſem alicui locare, qui ad Dominum deduceret, id agens nullam committo iniuſtitiam, ſi adſit æqualitas inter pretium locationis, & vſum equi; nec vllam facio conductori iniuriam mihi conſulens.

Sed poſſum ne tantumdem lucrum, ac mercedem capere, quantum acciperem, ſi & mihi cambium commodum non eſſet? Negat Rebellus quæſt. 7. num. 2. exiſtimans in parte mercedis computandum eius commodum. probabilius verò affirmant Sotus q. 10. art. 1. Medina quæſt. 9. de cambiis. §. ſecus forte. Molina. d. 405. num. 2. Salas de camb. num. 20. Salon de camb. quæſt. 4. art. 2. contr. 2. Tolet. l. 5. c. 53. num. 6. Emanuel Sà. v. cambium. num. 4. Reginald. l. 25. num. 455. 458. 460. cum non teneatur requiſitus ſuum commodum in vtilitatem alterius computare imminuendo pretium oneris, quod ſubit ab altero rogatus.

THEOREMA 287.

NEque pariter cenſetur illicitum cambium reale, quo campſor (etiam inuariato pretio legali monetæ) prior ſoluit, aut dat pecuniam, vt cum moderato lucro alibi eam recipiat, iuxta doctrinam Angeli. v. vſura. 1. num. 54. Syl. vſuræ. 4. quæſt. 9. Roſel. vſura 6. num. 7. Fabiani de camb. p. 2. c. 5. 6. Scacciæ §. 1. quæſt. 1. num. 425. Caiet. de camb. c. 6. Soti l. 6. quæſt. 10. art. 1. Conradi. quæſt. 99. Bannis. 2. 2. quæſt. 78. art. 4. de camb. dub. 5. Garziæ de contr. c. 73. num. 7. Salonis quæſt. 4. art. 2. controu. 7. Valentiæ d. 5. quæſt. 23. puncto 4. Molinæ d. 404. Tolet. c. 54. & Emanuelis Sà locis cit. Leſſij dub. 4. num. 27. & ſeqq. Reginaldi. l. 25. n. 456. & ſeqq. Azor. c. 6. quæſt. 1. (etſi Hoſtienſis, & alij in c. in ciuitate. & c. vltimo de vſur. puta.

putauerint mutuum esse, & damnandum.) Tum quia cum campsor hic Genuæ, vbi eges, dat tibi pecunias, vt abs te Romæ, vbi habes, eas recipiat, tibi officium præstat virtualis transportationis Romæ Genuam pecuniarũ tuarum, quod pretio dignum est, cum te onere leuet; quare pro huiusmodi officio non pro mutuo, aut expectata solutione, iustam mercedem capiet. Non refert autem, quod campsor non transferat huc tuam pecuniam, sed det suam; satis enim est, si faciat, quod prudentum æstimatione æquiualet, ac si transferret eapecuniam. Neque quod plerũque id præstet sine periculis, vel expensis; id enim non euenit per se, & ex rei ipsius natura, cum sine periculis, laboribus, & sumptibus id communiter non fiat, sed est eius industriæ, & fælicitati assignandum, posse sine sumptibus, & laboribus absentem pecuniam facere præsentem; ideóque non perditius exigendi, & recipiendi mercedem. Confirmat Rebellus. quæst. 6. num. 6. quia non maioribus expensis, & industria opus habet campsor, qui Genuæ tuas pecunias recipit, vt tibi litterarũ suarum virtute Romæ tradat, quam alius campsor Romæ, si tibi ibidem easdem daret, à te Genuæ postea recepturus; quantum igitur primus ille cãpsor pro cambio illo cæteris paribus, ita tantumdem secundus, qui dando prius, & gratis expectando solutionem, maiorem tibi præstat gratiam, poterit pro hoc altero cambio moderatum auctuarium recipere; quale scilicet est, quod lege, aut communi consuetudine statutum est, ex Toleto l. 50. c. 51. Tum quia pecunia loco absens hominum æstimatione minus valet, quàm præsens, vt docet Laurent. de Rodulph. in c. consuluit de vsur. p. 2. quæst. 26. num. 8. Ioan. Baptist. Lupus. c. nauiganti. de vsur. §. 2. num. 34. Ioan. Capistranus tr. de vsur. p. 2. num. 147. Nau. c. 17. num. 294. Valent. loco cit. puncto 4. Lessius num. 30. Salon vbi supra, controu. 1. Garziaz c. 34. Emanuel Sà, v. cambium. num. 3. Azor c. 3. quæst. 2. & c. 6. quæst. 3. Caiet. c. 7. Syl. quæst. 4. 8. 11. Fabian. c. 4. & 7. Boninseg. c. 6. Lopez c. 8. Philiarch. c. 23. Tolet. l. 5. c. 54. Rebell. quæst. 8. num. 13. Scaccia §. 1. quæst. 1. num 424. & quæst. 1. part. 7. num. 50. quia cæteris paribus res, quæ magis est vtilis, plus valet, quàm quæ minus vtilis est, eum id etiam sit pretio æstimabile; pecunia autem præsens magis vtilis est, absens verò minus; etenim Dominus præsenti liberè vti potest in rebus omnibus sibi commodis, & sine nouis laboribus, & expensis; absenti vero in campsuarij gratiam, non item; nouique labores, & expensæ ex natura rei subeundi sunt pro illa domum reducenda, & est omnino per accidens, si industria campsoris contingat aliter fieri. Compensanda igitur est huiusmodi inæqualitas cæteris paribus campsori, qui præsentem dat pro absenti, consueto auctuario persoluto.

Confirmatur exẽplo: si librum loco distantem, v. g. Neapoli hic emeres, vbi eo, nisi cum expensis, & laboribus sua natura inde reducto, vti non posses, licitè minoris emeres rogatus à Domino, quam si hic vbi sine labore, & expensis nouis pro libito vti posses, emeres; hic

hic enim tanti emendus esset, quanti præcisè valet, & non minoris; pari igitur modo in casu nostro, licebit campsori emptam, seu cambitam absentem pecuniam campsuarij, minori præsenti sua pecunia emere, seu cambire, quàm facerer, si non abesset, nec esset aliunde domum reducenda.

THEOREMA 288.

Licet pariter cambium ad nundinas. Solent enim, vt dictum est, campsores cambire, non solum pro variis locis nulla habita ratione temporis, quo facienda est solutio, vt cum dicitur tantum, vt visis, seu præsentatis litteris statim, vel post octo, seu 10. dies, vel simile breue tempus, cum parum pro nihilo reputetur, ex Azor. c. 5. quæst. 4. Scaccia §. 2. Glos. 5. num. 5. & aliis, præscripta pecuniæ summa soluatur; verum etiam statis, & determinatis temporibus, quibus celebrantur nundinæ in variis ciuitatibus, vt in Italia Placentiæ, in Gallia Lugduni, in Germania Francofurti, in Hispania Metinæ, &c. Hæque in Italia celebrantur quater in anno, quolibet videlicet trimestri initio Februarij, & dicuntur Apparitionis propter præcedens festũ Epiphaniæ; Maij, & dicũtur Paschatis; ineunte Augusto, & in principio Nouẽbris, quæ dicuntur Sanctorum, vt præscribitur in ll. cambiorum, & testatur Fabianus. tr. de camb. p. 2. c. 2. Azor. c. 8. Scaccia §. 2. Glos. 4. num 3. nec prorogari, aut variari possunt tempora, nisi auctoritate Serenissimi Senatus Genuensis, ex l. 28. accedente consensu saltem trium partium ex quatuor, habentium ius suffragij in conuentu campsorum, ex legibus. & singulæ, ex lege 13. durant octo dies. Francofurti fiunt solùm bis in anno, in Paschate, & Septembri, ex Lessio dub. 6. num. 53. In Hispania, & Gallia solent celebrari singulo quadrimestri, ex Nau. c. 17. n. 296. id verò tempus conceditur potissimùm, vt litteræ cambij commodè mitti, & solutio pecuniarum parari possit, vt sentit Sotus q. 12. art. 2. Reginald. l. 25. num. 465. & Scaccia loco cit. num. 3.

Itaque, vt dicere cæpimus, cambium ad nundinas simplex, de quo nunc agimus (acturi postea de cambio ad nundinas cum recambio, nec non etiam recursa) si absque fraudibus, syncerè, debitoque modo fiat, iuxta præscriptas regulas Pij V. Constitutione 118. est licitum, non vsurarium, quicquid aliàs senserint Doctores aliqui, de quibus Boninseg. c. 6. Azor. c. 6. q. 1. Scaccia §. 1. quæst. 1. puncto 7. num. 22. & seqq. fortè, quòd tunc campsores cambij nomine multas vsuras tegerent; probatur tum ex communi sententia Doctorum Caiet. c. 7. Syl. vsura 4. quæst. 11. Soti quæst. 12. art. 2. Boninseg. c. 6. Fabiani. c. 7. Azoris. c. 8. §. dicendum. Mich. Salon. de camb quæst. 1. art. 2. Lessij num. 55. & seqq. Reginald. num. 465. & seqq. Scacciæ p. 1. quæst. 7. puncto 1. num. 50. 53. & seqq. Lopez, Garziæ, Mercati, Molinæ, Philiarchi, Albornotij, Iosephi Angles, & aliorum. Quin etiam idem sentit Baldus in l. institoria. in fine Cod. de exercit. & institit. act. Salycetus Auth. ad hæc. num. 10. quæst. 11. Cod. de vsur. Iason in l. 1. in 1. lect. num 64. q. 6. & in 2. lect. num. 39. Cod. de sum.

Trin.

Trin. & fid. Cath. Laurentius de Rodulphis in c. conſuluit. p. 2. q. 26. num. 8. & p. 3. num. 1. & ſeq. de vſur. Ioan. de Anan. in c. nauiganti. num. 46. de vſur. Calder. conſil. 11. Imola conſ. 61. Ioan. Capiſtranus tr. de vſur. in 2. p. num. 146. etſi enim hi loquantur de cambio extra nundinas, rationes tamen illorum, vt obſeruat Boninſeg. nempe quod pecunia abſens minus valeat, quàm præſens, & in emptione & venditione varientur iuſtè pretia pro copia, & inopia mercium, & emptorum, & venditorum; locum etiam habent in cambio nundinario. Tum ratione, quippe cum hoc ſit cambiũ reale non ſiccum, aut mutuum. In eo enim pecunia præſens cambitur cum abſente, eiuſque valor taxatur à publico magiſtratu conſtante ex dantibus, & accipientibus ad cambium, qui, cum ſint inuicem contrarij, concordant in medio conſiderata abundantia, & inopia, pecuniarum in ſingulis ciuitatibus, & dantium, ac petentium ad cambium, aliiſque circumſtantiis, litteræ quoque mittuntur, & ſortiuntur ſuum effectum. Tum quia approbatæ ſunt hæ cambiorum nundinæ à Pio V. hoc loco, & Cõſtitutione 118. & à Gregorio XIII. die 27. Aprilis 1574. Conſulenti enim Epiſcopo Panormitano inſtantibus mercatoribus regni Siciliæ, an Pij V. Conſtitutione tolleretur facultas inſtituendi loca nota, vel tempora nundinarum, ſiue terminorum, in quibus cambiorum ſolutiones fiant, conſultatione diligenter examinata, & re collata cum Gregorio XIII. ita de ejuſdem ſententia Cardinalium Congregatio reſpondit, præfatas Pij V. litteras non prohibere feriarum creationem, iis tamen ſeruatis, quæ alias ad earum iuſtitiam neceſſaria ſunt, minuſque ea cambia vulgo ad vſum nuncupata, vbi ſunt feriæ, vt denuo introducantur, cenſeri ſublata. Harum litterarum etiam mentionem fecerunt Azor. c. 9. quæſt. 1. & 2. Michael Salon d. 9. quæſt. 4. art. 2. contr. 12. num. 6. & 7. Scaccia §. 6. Gloſſ. 1. num. 43. immo etiam ibidem approbãtur huiuſmodi cambia nundinarum cum recurſa, vt infra, patebit.

Quærenti verò, cur fiat huiuſmodi valoris, ſeu pretij ſcutorum, & cambiorum taxatio? Reſpondeo id fuiſſe neceſſarium; tum quia multum Reſpubl. intereſt, vt pretia iuſta ſint. Tum quia vti pro abundantia mercium, v.g. olei, & vini, & emptorum copia, variari debent pretia, ita eiſdem de cauſis in hoc genere mercis. Tum quia facile debitores cambiorum grauius damnum, quàm par ſit incurrerent campſorum auiditate, & præſertim in cambio cum recurſa campſoribus ſibi ipſis ſoluentibus, tum ne miniſtri campſorum argui poſſint de negligẽtia in recambio, vt quotidie fieret, ſi vnus remitteret pro minori pretio, & alius pro maiori ad eandem ciuitatem, quod taxatis pretiis accidere non poteſt. Porrò modus, quo ponitur cambiorum pretium Genuæ pro futuris primis nundinis Placentinis, talis eſt. Deputat Sereniſſimus Senatus ſex ciues, quorum tres habeant debita multa cambiorum, & tres è contra multa credita, qui vocatis ad ſe omnibus cambiorum proxenetis, accepto ab eis iuramento de veritate dicenda, quæ-

Scortia.

runt quo pretio in immediatis diebus solutionum cambiotum præteritarum nundinarum fiant cambia pro sequentibus nundinis Placentiæ celebrandis, & auditis pretiis eligunt ad plura medietate suffragia, pretium, quod æstimata copia, & inopia tunc existente pecuniarum, videtur rationabilius. Videri possunt de taxatione pretij cambiorum Valentia d. 25. quæst. 23. puncto 5. Lessius n. 57. Rebell. quæst. 8. num. 12. Molina d. 406. 407. 410. Salon q. 4. art. 2. Caiet. c. 7. Medina de acq. per vsur. quæst 8. §. præcedente, Scaccia §. 2. Gloss. 4. num. 13. 14. Romoald. Coli Lucensis tr. de cambiis c. 16. potest tamen hac in re contingere fraus, & iniustitia, si nimirum aliqui ad augendum, vel minuendum futurum pretium cambiorum intra illos paucos dies ad cambium dent aut accipiant summas aliquas pecuniarum pretio sibi commodo, nempe magno, si volunt dare, vel paruo, si volunt accipere ad cambium, eo fine, vt proxenetis referentibus deputatis pretia, statuatur computum iuxta eorum voluntatem, qua de re Sotus l. 6. quæst. 12. art. 3. Transacto verò toto solutionum tempore, si fiant noua cambia pro futuris nundinis, non necessariò fiunt statuto pretio, sed communiter minori, tum quia non sit vetitum, ne accipiatur minus pretium, sed ne accipiatur maius. tum quia iam pauci sunt, qui indigeant, & exigant ad cambium, vt etiam accidit in nundinis mercium. et si etiam aliquando accidat, tunc fieri maiori pretio, quàm initio, ob varias circunstantias, quæ aliquando eueniunt, vt si repentè exoriatur bellum, pro quo quærantur magnæ summæ pecuniarum; si accidat naufragium classium deferentium ex nouo orbe aurum, aut argentum, & aliæ similes.

Quomodo verò postea imponatur pretium cambiorum in nundinis Placentinis pro singulis foris, id est, quo pretio in præsentibus nundinis debeant campsores dare ad cambia pro qualibet ciuitate iuxta modum computationis monetarum in singulis ciuitatibus vsitatum, quod dicitur, *del ritorno di fiera*, dixi summatim Theorem. 280. & fusiùs explicat Boninseg. tr. de camb. cap. 7. & Sigismundus Scaccia §. 2. Gloss. 2. num. 13. 14. & præscribitur in ll. cambiorum, præsertim 18. & seqq. habeturque pariter ratio copiæ, & inopiæ, pecuniarum, & aliarum circunstantiarum accidentium in singulis ciuitatibus, pro quibus ponuntur pretia. si enim ponitur pretium pro vna ciuitate, in qua probabiliter sit pecuniarum copia, quia ibi pecunia est vilis, pretium erit altius, & maius in dantium commodum, contra verò si adsit penuria pecuniarum, pretium erit vilius ob maiorem æstimationem pecuniæ existentem in dicto loco, quod dantium lucrum minuet, conducet verò accipientibus ad cambium. De genere verò monetæ, in quo pretia taxantur, dicetur inferius.

THEOREMA 289.

REcambium quoque seu iteratum cambium procedens ab antecedenti, cum eodem debitore aucta sorte ex lucro præcedentis (nisi vitietur aliunde) est pari

pariter licitum (quidquid in contrarium ſenſerit Salon loco cit. 94.att. 2. controu. 14.) ex Azor c. 11.q.8.Scaccia §.1.q.4.n.38. & 47. num. 99. 100. & ibidem part. 2. ampliat. 18. & §. 7. Gloſſ.2. n.33. 49.50.ita vt etiam ex prioris cambij lucro poſſit lucrum in recambio, tam prima quàm aliis vicibus iuſtè, & legitimè capi. quia ſemper eſt emptio, & venditio ſcutorum de marca tamquam mercis, dicique non debet ex Menoch.l.2. de arb.caſ.119. num. 19. qui alios citat. intereſſe alterius intereſſe, ſed lucrum capitalis, ſeu ſortis, conuerſo iam priori lucro ſuperioris cambij in partem ſortis non ſecus ac reliqua ſors lucrifacta ex cambiis realibus factis cum aliis campſuariis.

Cum igitur recambium nihil aliud ſit, quàm nouum reale cambium alterius ſummę pecuniarum, alterius loci, diuerſi temporis virtute nouarum litterarum pretio legitimè impoſito, & debitis circumſtantiis, vti licitum fuit primum eiſdem circumſtantiis factum, ita licitum erit hoc ſecundum, quod recambium appellamus, ſiue fiat cum recurſa, quam etiam approbat hic Pius V.& Gregor. XIII. etſi magis dubia videatur, de qua poſtea, ſiue abſque ea, v.g. medio proprio procuratore.

Certum eſt autem ſemper in recambio extingui realiter per acceptationem litterarum, cambium præcedens, ſiue fiat cum noua perſona, vt puta ſi creditor alias cambij litteras acceptet à debitore ſui debitoris, ſiue cum eodem priore debitore, vnde etiam poſteriores nouæ litteræ cambij priores extinguunt, vt aduertit etiam Nauarr.t.2.conſ.1. tit. de vſur.num.7. Salon loco cit.controu.12.num.2. Boninſeg.c 4 Leſſius n.71. Tuſcus v. cambium, qui etiam citat Alexandr. Sigiſmundus Scaccia §. 1. quæſt.5. num. 93. & §. 2. Gloſſ. 5. num.245.& §.6. Gloſſ.1. num. 60. & dicetur etiam Theor. 291.quare etiam Pius V. vt dictum eſt Theor. 264. declarat banchariam ſchedulam datam ab emente cenſum & acceptatam à cenſuario vendente, vim habere ſolutionis & numerationis pecuniæ, vt docuit Bartol. in l. ſoluturus. ff. de ſolut. Puteus. lib.1.deciſ.156.Dec. in l.ſi verò.num.40. Cod.de Inſtit. & ſubſtitution. Rota Rom. deciſ. 124 num.2. & 128.n.7.

THEOREMA 290.

ROgant deinde. §.4. etiam declarari licere quibuſuis perſonis tradere campſori ſuas pecunias, qui tamquam procurator, ſeu negotiorum geſtorum cambiis realibus eas negotietur; immò & ſortem principalem (quod difficilius videbatur) aſſecuret; recepta videlicet pro vtroque officio, iuſta mercede, cæteto lucro, quod pecuniæ in cambiis pepererint, earum Domino perſoluto. Quem contractum approbat etiam Azor. 3. p. l. 10. tr. de cambio c. 11. q.1. Boninſeg.tr. de caub.c.4.& 7.Rota Rom. deciſ. 168. apud Farinac. tom. 2. Sigiſmundus Scaccia §. 1. quæſt.5. num.15. & quæſt. 7. part. 2. ampliat. num.1. 3.5.6.7. & §. 3. Gloſſ. 3. num.36. 40. 41. vt etiam in aliis negotiationibus defendit Leſſius l.2.c.25.tr.de contr.ſociet. dub.3.num.23.& ſeqq.cum Angelo v.ſocietas. 1.§. 7. Gabr. 4. d.15.

q. 11. dub. 10. Maior 4. d. 15. quæſt. 21. 49. Syl. Societas 1. quæſt. 2. Armill. num. 6. Nauarr. c. 17. n. 255. Couar. l. 3. var. reſ. c. 2. num. 3. Tolet. l. 5. c. 41. & aliis.

Probatur igitur, tum quia nullum hic intercedit mutuum, aut iniuſtitia, cum vtrinque ſeruetur æqualitas; ſi enim conferenti pecunias campſor locat cambiendo ſuam operam, & ſimul ſortem aſſecurat, recipit viciſſim, vt ſupponimus, pro vtroque officio mercedem, peritorum iudicio æqualem. Tum quia vt hæc iuſtè fieri poſſunt cum diuerſis, ita poſſunt cum eodem, cum non ſit vlla ratio diuerſitatis. Tum quia & in Italia, & extra, vt hic idem §. 8. habet, contractus huiuſmodi eſt frequentiſſimus, & admittitur tamquam inſtus à Confeſſariis, ſiue fiat vnico contractu, ſiue pluribus, tam in cambiis quam in aliis negotiationibus, Genuæ autem ſub hac, vel ſimili formula celebratur. conceſſa pro vtroque officio parte lucri, quod communiter 8. quæſt. 10. pro centum percipi ſolet, loco mercedis. *Io Tutio in virtù di queſta dico hauer riceuuto in cartulario (v. g.) d' argẽto da voi Sempronio ſcudi 10000. quali prometto, & m'obligo negotiar ſopra cambij reali delle fiere di Piacenza, o di quei luoghi, doue per la natione noſtra ſi faranno dette fiere, per Milano (v. g.) ad vtile voſtro, ſotto mio nome, riſigo, pericolo, & ſpeſe, per vn' anno cominciato in pagamenti d' Agoſto di queſt' anno, & da finire in pagamenti d' Agoſto del ſeguente 1621. Al qual tempo prometto, & mi obligo reſtituire detti ſcudi 10000. con tuti li guadagni, è beneficij, che ſopra eſſi ſaranno ſtati. Il qual pagamento però ſi farà in quella qualità di moneta d'argento, ò d'oro, che all' hora ſi pagheranno li cambij di dette fiere, obligando perciò mia perſona, & beni ſotto hippoteca. Dichiarando che per il ſudetto tempo, & quello di più che reſtaſſero detti denari appreſſo di me, habbi da pagar' a voi Sempronio per conto di detti guadagni, & vtili à raggione ſolamente di 6. per cento (v. g.) l'anno eſſendoſi coſi conuenuti, & che tutto quello, che poteſſe eſſer di più delli 6. per cento netti d'ogni ſpeſa, ſtetti à me per la ſudetta promeſſa, che faccio di negotiarli, o farli negotiar ſopra cambij à detto mio riſchio, pericolo, & ſpeſe. Et quando rendeſſero meno delli detti 6 per cento l'anno ſenza contarli ſpeſa alcuna, raggionando li cambij, come ſaranno li conti, ciò è à Milano per fiera, & in fiera per Milano, s'intenda non hauer' io da pagar, ſe non quel tanto haueſſero riſpoſo, o riſpondeſſero che coſi habbiamo accordato. Et per fede hò firmato di mia mano, &c.*

THEOREMA 291.

SImiliter §. 4. orant à ſummo Pontifice approbari, licere quibuſuis dare ſuas pecunias ad cambium, dirigendo litteras cambij ad eumdem campſorem, qui dedit, & ſubinde continuare quouſque campſuarius debitum perſoluat. hic enim ſolus caſus recuſæ exprimitur, in quo maius periculum videbatur, cum vſura ſe teneat ex parte dantis ad cambium, non ex parte recipientis. Quo caſu campſuarius liberè rogat (non enim ad hoc cogendus eſt, niſi aliunde fieret compenſatio inter contrahentes, v. g. remitteretur de pretio prouiſionum, vt audio fieri conſueuiſſe, & contractus debeat eſſe voluntarius) campſorem, vt in nundinis ipſe, aut procurator ipſius,

ipſius, ſit etiam geſtor negotiorum ſuorum, & faciat quæcumque ipſemet, aut procurator proprius, ſi adeſſet, efficeret: de altera enim recurſa, quæ fit ad campſuarium, aut procuratorem eius, à campſore non habente in nundinis geſtorem negotiorum, quæ inter mercatores eſt frequentiſſima, & propriiſſimè recurſa dicitur à mercatoribus, ex conſil. 3. Nauarr. mox citando, nullo hoc loco fit mentio.

Porrò non eſſe abſurdum, vt vnus, & idem ſecundum diuerſas rationes legitimè ſuſtinere poſſit diuerſorum perſonas (quidquid Sotus l. 6. quæſt. 10. art. 1. & q. 13. art. 1. & Mercatus. cap. 7. ſenſerit) docet Nauar. conſil. 1. de vſur. l. 5. num. 89. & conſil. 31. eodem tit. Impreſſ. Rom. vbi inſerit etiam diſcurſum eruditi, & docti viri Soc. Ieſu approbantis, tanquam licitum huiuſmodi cambium. Albornotius. l. 3. de contr. tr. 4. Boninſegnius cap. 6. & 7. Fabianus. cap. 7. Garzias cap. 37. Lopez c. 12. Leſſius loco cit. num. 63. Rota Genuenſis deciſ. 1. num. 27. & deciſ. 2. n. 35. 36. Scaccia. §. 6. Gloſſ. 1. num. 35. & ſeqq. ex l. in tribus. ff. de iudic. & cap. ex litteris. de probationibus, & Gloſſis in vtrumque textum multa alia iura allegantibus, Decio in d. cap. ex litteris. Panorm. & aliis ſtatuentibus vnum, & eundem multiplici officio fungi poſſe ſibi ipſis non repugnantibus. vti non repugnat eundem, v.g. Curtium tanquam procuratorē Sempronij debitoris ſoluere ſibi, vti geſtori negotiorum Titij creditoris, v.g. aureos mille, & nouo cambio debitum trāſmittere Genuam v.g. ſoluendum, vt notat etiam Baldus conſ. 190. vol. 2. & citati; & ſi opus eſſet, etiam aſſecurare; ſed futurum tantum abſurdum, ſi reſpectu ſui ipſius, & eiuſdem, idem debitor, & creditor eſſet. quod in caſu noſtro nullo modo accidit, cum ſit ſolum reſpectu diuerſorum. ob id ſi quæ iura videntur dicere nullum poſſe ſuſtinere diuerſas perſonas, intelligi debent reſpectu ſui ipſius, vel reſpectu eiuſdem. Nemo enim poteſt eſſe ſibi ſuo nomine, vel nomine vnius tantum, debitor, & creditor, ſed bene poteſt ratione diuerſorum.

Fit autem huiuſmodi cambiendi modus tum primæ tum ſecundæ recurſæ libenter à mercatoribus, tum ob maiorem ſecuritatem, quippe cum negotiatio cum pluribus multo periculoſior ſit, quàm cum vno tantum, vt obſeruat etiam Io. Bapt. Lupus in cap. nauiganti de vſur. §. 2. num. 20. Boninſegnius. cap. 7. & alij. ideo & dans & recipiens ad cambium ſibi magis mutuo fidunt, quam ſi per alios non ita ſibi notos negotia tranſigerent. tum ne pluribus pateant rationes negotiorum ſuorum, tum quia recipiens ſecurior redditur in nundinis remanſurum ſibi creditum illius ſummæ per nouum cambium dictum, *Il retorno.* quo ſanè credito facilius ſatisfaciet cæteris debitis, quod non contingeret, ſi in eiſdem nundinis ſummæ prioris cambij eſſet alicui tertio perſoluenda. tum ob lucrum prouiſionum, quas capiunt vel ipſi principales, vel negotiorum ſuorum geſtores, qui aut cōſanguinei, aut participantes in negotiis eſſe ſolent, aut certè famuli, quibus à principalibus ordinarium ſtipen-

dium pro laboribus omnibus penditur. vnde dictæ prouiſiones id eſt, mercedes datæ pro procuratione ab altera parte geſtori negotiorum, cedunt in rotum, aut partem in lucrum principalium, ſiue campſorum, ſiue campſuariorum. Quod ſanè prouiſionum lucrum magnum eſſe ſoler, quippe cum principales ſiue dando, ſiue recipiendo cum recurſa per ſuos reſpondentes, & miniſtros, quos in nundinis habent, ſæpè exigant, vel ſoluant ſummas ingentes pecuniarum, & aliquando millionum. Quare ſi ſumma ſit vnius millionis, vt belli tempore ſæpè accidit, & prouiſionis taxa ſit, vt in ſingulis nundinis detur vna tertia pars ſcuti de marca pro ſingulis centenis ſcutis, vt conſtat ex vſu communi, & deciſ. 30. Rotæ Genuenſis; prouiſionum lucrum erit ſcut. 3333. ⅓. Videndus de his prouiſionibus Leſſius dub. 8. Garzias num. 37. Lopez cap. 12. Lupus cap. nauiganti. de vſur. §. 20. 21. Sigiſm. Scaccia. §. 3. Gloſſ. 3. Nauar. conſil. 31. cit. Boninſeg. c. 7. Romoaldus Coli tr. de camb. c. 19. 21. Salon loco cit. quæſt. 4. art. 2. controu. 12.

Et licet Sotus quæſt. 10. art. 1. Philiarchus. cap. 24. dub. 3. Mercatus. cap. 7. & aliqui alij damnauerint recurſam. tum quod idem ſuſtineat perſonam dantis, & accipientis. tum quod campſuarius iniuſtè vendiderit marcarum ſcuta, quæ nullibi habebat actu, ſed tantum credito, & maximè ſi credito accipiat ab ipſomet campſore, cui vendidit. tum quod hic non videantur eſſe niſi eædem pecuniæ, puta Titij primo dantis Sempronio, ideoque non ſit emptio, & venditio diuerſarum pecuniarum, vt exigit ratio cambij. tum quod ſolutio fiat in eodem loco, quo datæ ſunt pecuniæ, v. g. Genuæ, ideo litteratum miſſio Placentiam ſit inanis, contra bullam 118. eiuſdem Pij V. Non video tamen, quare nos abſque nota hanc mercatorum conſuetudinem, & contractandi modum, tanquam corruptelam damnare poſſimus, vt aduertit auctor innominatus apud Nauart. conſil. 31. citato, ceſſante omni dolo, & fraude. tum quia quoad hanc primã recurſam eſt hic à Pio V. definitum approbante capitulum hoc. & poſſe (licitè ſcilicet) *ogni perſona ancora dar denari à Cambio, & far che ſiano recapitate le lettere ſopra di eſſi datori* (videlicet campſores) *e coſi tenerli ſu li cambij, ſino che ſaranno rimborſati da chi hauerà preſo il danero.* Vbi non diſtinguit num ſuis, an verò alienis pecuniis campſor, vel geſtor negotiorum eius, ſoluerit primum cambium, & ideo neque nos debemus diſtinguere. Gloſſ. l. de prætio, per illum textum, & alios multos ff. de pub. in rem act. magiſque congruat negotij huius naturæ, vt potius ſuis, quàm alienis ſoluat pro debitore, & ita eſt vſus, vt notat Nauar. loco cit. Michael Salon. 2. 2. poſt q. 78. in diſp. de cambio quæſt. 4. art. 2. contr. 12. Boninſeg. cap. 4. Scaccia §. 1. q. 5. num. 83. & §. 9. diſcurſu 2. num. 43. Azor 3. p. l. 10. cap. 8. & q. de camb. vt etiam cum litteræ diriguntur campſori ipſi, dicitur *pagarete a voi ſteſſo*, vt patet ex formula apud Scacciam loco cit. num. 88. de propriis videlicet pecuniis. tum quia, cum in Sicilia dubitaretur, an huiuſmodi cambium recurſæ ad geſtorem

ſtorem negotiorum campſoris improbaretur in litteris Pij V. Archiepiſcopus Panormitanus Mercatorum nomine rem ad Apoſtolicam Sedem retulit anno 1574. miſſis hiſce litteris Congregationi Cardinalium deputatorum. *Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Signori. Il Regno di Sicilia dopo la publicatione della bolla di Pio V. S. Memoria, fatta ſopra li cambij gli hà fatto dubio, che ſia compreſo il modo, che hoggi ſi fà per tutto della mercantia del cambio nel ſequente modo. Sempronio ha biſogno per coſe ſue priuate di.1000.ſcut. d' oro; & perche penſa che li ſia minor intereſſe prendelli à cambio, che trouarli in altro modo, li prende à cambio per la fiera di Lione, o Beſanſone ſecondo che mercantilmente corre la moneta per la piazza, & ſi ſuol cambiare. Il detto Sempronio non hà in Lione denari ſuoi effettiui, per pagar detto cambio, ma pago in queſto modo, che il proprio mercante, quale li dà a cambio li 1000. ſcut. li fa corteſia, che Pietro ſuo amico, e riſpondente in fiera accetti il cambio, e lo paga, & poi con le ſue prouiſioni, ſecondo vſano i mercanti, torna à mandar per cambio à pagar' al mercante dattore, o ad altri, come, li accommoda li 1000. ſcut. per conto di Sempronio, il quale li paga il detto cambio ſecondo che viene dalla fiera. Et il dubio è ſtato ſe queſto cambio ſia compreſo in eſſa bolla, poiche il datore ne da li denari ſuoi per biſogno principale, che habbi di cambiar li in Lione, ma lo fà per guadagnare, & troua queſta via di mercantia chiamato cambio; ne meno Sempronio prenditore hà denari in fiera per pagar' il cambio ſaluo nel ſudetto modo, che il datore li accommoda il ſue corriſpondente, & amico, il quale accetta la lettera di cambio, & compiſce, & al ritorno di fiera vien la tratta di cambio, & Sempronio paga quel, che deue. E perciò ſi ſupplica S. S. che ſi degni dichiarare, ſe detta bolla di Pio V. comprende detta ſorte di Cambio.*

His vero litteris auctoritate Gregorij XIII. Pontificis Maximi Cardinales deputati reſponderunt 27. Aprilis 1574. non prohiberi hiſce verbis. Congregatio auctoritate S. D. N. cenſuit huiuſmodi cambium litteris Pij V. fælicis recordationis minimè comprehẽdi. Videri poteſt hæc eadem reſponſio ad conſultationem apud Michaëlem Salonem d. 94. art. 2. contr. 12. num. 6 & 7. Azorem cap. 9. q. 2. & Sigiſm. Scacciam. §. 6. Gloſſ. 1. num. 43. & licet Azor d. cap. 9. q. 2. & aliqui alij apud Scacciam §. 6. Gloſſ. 1. num. 58. reſponſionem velint intelligi de actuali ſolum ſolutione ex propriis pecuniis reſpondentis, vel alienis, ſed non eiuſdem campſoris, cum dicatur (*Il quale accetta la lettera di cambio, e compiſce, o paga*) tamen cum acceptatio litterarum, & liberatio paſſiua prioris obligationis Sempronij reali ſolutioni æquiualeat. l. liberationis 47. ff. de verb. ſig. & l. ſolutionis. ff. de ſolut. & liber. & campſor habeat pro accepta pecuniam Lugduni, quæ Genuam v. g. deinde eſt per ſecundum cambium remittenda, non eſt reſponſio illis terminis coarctanda; hic enim eſt modus vbique cambiendi, de quo initio litterarum Archiepiſcopi Panormitani fit mentio. Ideo cum extinguatur Lugduni prius debitum, vt etiam dictum eſt Theor. 289. litteræ non redeunt inanes, ſed effectum ſuum conſequuntur. Non igitur illicitum eſt

cambium

cambium cum huiusmodi recursa, si remota fraude secundum suam naturam spectetur. Tum quia licet vnicuique in consiliis capiendis rerum agibilium sequi opinionem doctoris grauis ratione aliqua fultam, ex S. Tho. q. 3. art. 13. Palud. 4. d. 17. Antonino 1. p. t. 3. cap. 10. §. 10. Nauarr. de pœnit. d. 7. cap. si quis autem. At opinio, quæ affirmat hoc cambium recursę esse licitum, falcitur auctoritate Doctorum, vt Albornotij l. 3. tr. 4. Boninseg. cap. 4. 6. & 7. Nauarr. cons. 1. de vsur. & cons. 31. Impr. Rom. Syl. vsura 4. quæst. 9. dicto 6. Lessij l. 2. cap. 23. dub. 7. vbi ait id esse conclusum à sex viris doctissimis in Lusitania, & speculatiuè esse sententiam veriorem, Auctoris innominati Societ. Iesu apud Nauarr. d. consil. 31. Michaëlis Salonis d. controu. 12. Scacciæ §. 6. Glossa 1. tota maxime n. 21. 62. 63. & plurium. & fauent rationes, quippe cum & adsint tres radices iustitiæ cambij, de quibus Auctor innominatus in citato consil. 31. Nauarr. nempe vera emptio campsoris, & venditio campsuarij; licet enim pecunia nondum sit actu, est tamen potentia, cum alio cambio, aut alia via haberi Lugduni possit, sicut vēdi potest fœtura gregis, iactus retis, captura auium, & cæt. ex l. nec emptio. ff. de contrah. empt. rectéque fiat stipulatio eorum, quæ potentia habere possumus l. interdum. ff. de verb. oblig. sit vera seruitus campsoris, sit incertitudo lucri (solet enim cambium aliquando esse cum iactura campsoris) & auctuarium lucri non dependeat ab arbitrio campsoris, vt aliqui putant, sed ex communi mercatorum, & deputatorum conuentione, & voce; ideo nulla videtur iniustitia. Deinde quia ibi per acceptationē litteratum fit vera solutio prioris debiti, non secus ac si tu, vel alius quis mihi donaret 100. scut. quibus in meum dominium receptis, soluerem debitum antea contractum, vt possem etiam eis vti in emptione mercium, extinctione cambij cum tertio, & aliis negotiis; & obligatio posterior sit diuersa à priori, vnde aliquando accidit, vt vnum cambium habeat hypothecam in bonis campsuarij, & non alterum.

Denique Romani Pontifices, & Ecclesiarum Prælati, cum huius cōsuetudinis notitiam habuerint, si illicitum existimassent, suis constitutionibus reprobassent, vt argumēntatur Salon loco citat. quod tamen nunquam fecerunt. ex quibus etiam constat quid respondendum sit contrariis argumentis. negandum est enim eundem non posse secundum diuersas rationes, & respectu diuersorum sustinere personam dantis, & accipientis, cum etiam in sacrificio sacerdos possit sustinere personam Christi, Ecclesiæ, & personæ indigentis. Itémque non posse vendi, quæ sunt in potentia, & nondum actu; & per accidēs est quod pecunia non soluatur realiter in primis nundinis, cum ex acceptatione litterarum, quæ solutioni æquiualet, habeatur pro facta, & accepta solutione reali, vndecumque legitimo, & reali contractu credito accepto, fiat liberatio obligationis; sicut nec refert, quod equū emam pecunia mea per se, vel accipiam illam ad cambium, vel mutuum; campsor enim facit ex sua pecunia,

nia, vel credito nouo contractu, vt campſuarius poſſit in nundinis contractum debitum verè ſoluere, ob id huiuſmodi in nundinis ſolutio, non eſt ficta, ſed virtualis, cum vera, & realiter fiat prioris liberationis obligatio, & ideo æquiualet reali ſolutioni, vt paulò ante ex l. liberationis. ff. de verb. ſig. & l. ſolutionis. ff. de ſolut. & liber. dicebamus. Itémque negandum eſſe vnicam tantum pecuniam, eſt enim pecunia præſens, quam campſor ſoluit campſuario, & eſt abſens, quam campſuarius nouo cambio, vt prius extinguat, accipit à campſore aut negotiorum eius geſtore, vt poſſet accipere à Martino, & eius dominus factus, iam de ſuis, non de Campſoris pecuniis, ſatisfacit priori debito, vnde etiam in foro exteriori ſemper cenſebitur facta vera ſolutio, non ſecus ac ſi ſolutio facta fuiſſet de pecunia ad cambium accepta à Martino, aut ſicut de ea pecunia ſic ab ipſo eodem campſore ad cambiũ accepta, cui adhuc deberet primum cambium, poſſet, ſi eam ſummam deberet, idem debitor perſoluere cuidam tertio, quid prohibet, vt de ea iam ſua facta poſſit ſoluere, & extinguere primum debitum campſoris? vnde etiam ſequitur, vt ſolutio prioris cambij, non fiat Genuæ, vbi accepta eſt pecunia, ſed in ipſis, v g. nundinis Lugdunenſibus, aut Placentinis, fiat Genuæ ſolius ſecundi cambij ſolutio, cum ex Lugduno, aut Placentia ſecundæ litteræ tranſmittentur.

Scortia.

THEOREMA 292.

DEcernitur §. 10. vt Bononiæ regulentur cambia ſub nomine ſcutorum auri in auro. Iuxta enim diuerſitatem locorum contrahi ſolent cambia diuerſo nummorum genere. Etſi enim realiter dentur ad cambium monetæ currentes, præſertim nummi aurei quinque impreſſionum, Hiſpaniæ, Genuæ, Venetiarum, Florentiæ, & Neapolis, ex l. 10. de cambiis, in cedulis tamen, & cambiis mercatores Romæ reducunt ſummas ad ducatos veteres de Camera, qui nõ ſunt amplius, Neapoli ad ducatos de carlinis, in Germania ad Florenos, in Belgio ad groſſos, Bononiæ ad huiuſmodi ſcuta de auro in auro, in Hiſpania ad marauedinos, Placentiæ ad ſcuta de marcha, alibi ad aliud genus monetæ, vt colligitur ex Hieronymo de Luca, tr. de camb. Molina d. 400. 410. Sarnenſi ad regul. Cancel. de valore expr. q. 9. Leſſio dub. 5. & 6. Io. Bap. Lupo. cap. nauiganti. §. 2. de vſur. Scaccia §. 2. Gloſſa 3.

Porrò ſcutum de marcha, quo vt plurimum regulantur cambia, originem traxit, teſte Hieronymo de Luca ex Germanis, qui ad nundinas deferre ſolebant aureas maſſulas ſignatas vnciarum octo, valentes ſcuta quinque impreſſionum. 65. quarum ſingulas campſores dantes ad cambium emebant præſenti pecunia, in nundinis illas recepturi, v.g. aureis ſolum 63. ſucceſſu temporis exoleta marcha, animaduertentes campſores pretia legalia pecuniarum in dies variari, iudicarunt ſtatuendum aliquod genus monetæ, ſiue verum, ſiue fictum inuariabile, ad quod

reducerentur nummi aurei, & aliæ monetæ currentes. ídque prudenter, tum vt locum fraudibus, & litibus, quæ quotidie ex varietate pretij monetarum oriebantur, intercluderent. tum, vt qui ex diuersis Regnis, & Prouinciis ad cambiorum nundinas cõfluebant, in quibus sunt in vsu variæ monetæ, possent certò conficere calculos, & supputationes suas, habito respectu ad huiusmodi marcharum scuta, quæ secundum se valent singula solidos 67. d. 4. monetæ aureæ (tales enim censentur prædicti solidi, & denarij, non quod sint ex auro, sed vt contradistinguantur à solidis, & denariis currentibus.) Eadémque causa valorem currentium aureorum nummorum mercatores in cambiis semper supputant 68. solidorum aureorum, siue valor legalis currentis aurei nummi crescat, siue decrescat. Ex quibus fit, vt v.g. 100. scuta 68 solidorum aureorũ, æquivalent scutis 101. de marcha in nundinis. Quia tamen, vt superius dictum est, absens pecunia minus æstimatur, quàm præsens, qui pro futuris nundinis emet scuta de marcha, volet solum emere præsenti pecunia pretio currente in foro, iuxta abundantiam pecuniarum, emptorum, & cæt. vt dictum est aliàs, v. g. solidis 66. pro quolibet scuto de marcha reddendo in nundinis solid. 67. & d. 4. quod non facit peculiarẽ difficultatem cambij diuersam ab ea, an liceat in cambio aliquid lucrari.

Ad huiusmodi igitur scuta de marcha, de quibus etiam dixi Theor. 61. Siculus reducet suas oncias, & grana, Neapolitanus carlinos, Venetus marchatos, Bononiensis scuta de auro, Hispanus marauedinos, Romanus ducatos de Camera, Germanus florenos, Flander grossos, quæ cæteri non intelligunt. Neque est in hoc iniustitia vlla, cum non varietur per hoc valor monetæ currentis, quæ in reali solutione ad cambium datur, aut recipitur, & vtrique contrahentium tantundem valeat. Id enim fit tãtum commoditatis gratia, ne sit in dies variè supputandum, iuxta incrementum, aut decrementum valoris monetæ, non secus ac fit à Iurisperitis in supputanda hæreditate per vncias, & libram, & in supputatione 24. caractorum nauium.

THEOREMA 293.

TAndem prædicta capitula, & alia clariora, & quæ explicatione nostra non egent, approbat Pius V. §. 25. grauissimis illis verbis. *Motu proprio non ad ipsorum Mercatorum, vel cuiuslibet ipsorum nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera declaratione, & ex certa scientia nostris, præinserta capitula, ac prout illa concernunt omnia, & singula in instrumento seu instrumentis, aut documentis, seu scripturis publicis, aut priuatis desuper confectis contenta, & inde secuta quæcumque, licita tamen, & honesta Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus.* &c.

Quo loco non possum non mirari Philiarchum, qui cap. 24. dub. 3. censet Pontificem non approbare simpliciter præinserta capitula, sed solum si sunt, aut quatenus sunt, honesta, & licita. dolet enim

enim à Pontifice hic cambiorum recurſam approbari; ſed eius pace res aliter ſe habet. Etenim particula, *Ac*, copulatiua eſt. l. 4. ff. de cuſtod. reo. & l. nullus, in fine. Cod. de ſum. Trin. & fid. Cath. Copulatiuæ autem natura eſt diuerſa copulare, ex Acurſio in rub. ff. de iuris, & facti ignor. & Bartolo ibidem, & Alberic. in dictionario in dictione, &.

Oſtendit igitur Pontificem duo diuerſa confirmare. Primum, capitula inſerta in breui tanquam licita, & honeſta ſimpliciter & abſolutè. Tum quia ſi nó confirmat capitula, niſi ſint honeſta, non ſatisfacit petitioni ſupplicantium, qui petunt confirmationem capitulorum, adhuc enim relinquuntur ſuſpenſi, & confirmatio nihil operatur contra l. quando. ff. de legatis primo. Tum quia non ſatisfeciſſet ſuo muneri. eius enim eſt declarare, an contractus ſint liciti, ex Anton. 2. p. tit. 22. cap. 1. verſ. 13. & Deciano in tr. crim. l. 6. tit. 11. num. 30. ideo de hoc conſultus, cum viderit, ac conſiderare potuerit diligenter capitula, & petitionem, rem debuit ex cathedra tanquam ſum. Pontifex, & Eccleſiæ Paſtor definire ipſe, & non relinquere inferioribus iudicibus, rem diiudicandam, nulla adiecta qualitate, aut conditione.

Alterum, inſtrumenta, & reliquos actus, quos confici contigerit in ipſorum capitulorum executione, & obſeruatione inter contrahentes; quod ſolum reſpiciunt verba illa (*licita tamen, & honeſta*) non enim potuit Pontifex aliquid ſtatuere de his, quæ facienda erant in futuro, cum quæ, & qualia futura forent, cognoſcere non poſſet, ſed relinquere oportuit futuræ declarationi. Et poteſt confirmari ex Bartolo in l. cum propter. ff. de legat. præſtand. qui in ſimili caſu dixit, ſi iudex in alienatione bonorum minoris interponat decretum: ſi & quatenus alienatio de iure proceſſit, illam clauſulam referendam eſſe, non ad decretum, ſed ad non expreſſa, quorum cognitionem iudex non habuit. Qua auctoritate adductus Hieronymus Gabriel conſil. 183. num. 20. lib. 2. dicit clauſulam hanc in breui Apoſtolico. *Confirmamus ſtatuta, & ordinationes prædictas, & omnia, & ſingula in illis reſpectiuè contenta, & inde ſecuta, quæcumque licita tamen, & honeſta*, prædicta verba (*licita tamen, & honeſta*) referri ad ea, quæ in Apoſtolico Breui expreſſa non fuerant, de quibus Papa non cognouit. quod etiam ſcripſit Oldradus conſil. 33. in fine, Alexand. conſil 193. l. 2. Gomez in reg. Cancell. de iure quæſiro non toll. q. 1. num. 47. & Pariſius conſil. 70. n. 12. l. 1. Denique quia quando clauſula, quæ per ſe ſtare non poteſt, poſita eſt in fine, refertur ad actum, & diſpoſitionem immediatè præcedentem. ex Bartolo. l. vltima. ff. de rebus dubiis. Socino ibid. Alex. conſ. 158. num. 7. lib. 6. At hæc verba, licita tamen, & honeſta, per ſe ſtare non poſſunt, ſolum igitur ad immediata, nempe, Ac prout illa, & cæt. & non ad præinſerta Capitula ſunt referenda. quibus etiam fundamentis idem cenſuit Illuſt. D. Iacobus Menochius, in ſpecie de hoc caſu conſultus.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 83. olim 85. editæ anno 1569. quæ incipit.

In omnibus rebus.

EPITOME 108.

Pœnitentiariæ Apostolicæ Officiales aliquid etiã spõte oblatum accipiẽtes, &c. excommunicãtur, priuãtur officio, fiunt inhabiles, & infames, & à solo Papa absoluendi.

OFFICIALIBVS Pœnitentiariæ Apostolicæ præcipit. §. 12. vt officia sua per se ipsos diligenter, & fideliter exerceãt, solíque præsentes, & actu exercentes, nisi legitimè impediti, fructus, & emolumenta percipiant. quorum singulis, statutum aliunde stipendium, cuique conueniens, assignandum est, quo solo contenti esse debebunt; ita vt nihil aliud, etiam sponte oblatum à partibus, aut aliàs siue pro expeditionis celeritate, siue pro alio extraordinario labore, tam procurando, quàm scribendo, aut recognoscendo, & examinando, capere possint. Quicumque secus fecerint, huiusmodi officio priuati, excõmunicationis quoque sententia innodati eo ipso censeantur. cuius absolutionis beneficium, ab alio, Romano Pontifice, excepto mortis articulo, nequeant obtinere.

§. 20. Insuper monet omnes prædictos, vt diligenter caueãt, ne in officiorum suorum exercitio quouis pacto, fraus, aut dolus admittatur, vel captio inducatur, néue ipsi partibus quidquam dolosè, aut fraudulenter suggerãt, quo facilius possint optata impetrare, sed solum petitiones iustas, rationabiles, & honestas recipiant, & proponant. Quod si dolum, aut fraudem feciſſe, aut quicquam vel minimum pro labore, aut aliàs quoquo modo feciſſe conuicti fuerint, præter censuras, & pœnas, quæ contra talia admittentes quomodocũque, proposítæ sunt, in pœnam priuationis officiorum suorum incurrant, & ad futura inhabiles, infaméſque reputentur, prout illos priuatos, inhabiles, & infames ipso facto declarat.

THEOREMA 294.

EXemplo Pij IV. qui constitutione 53. aliàs 69. quæ incipit. *Sublime.* reformarat Pœnitentiariam, Pius V. incumbens in eiusdem curam, in præsenti Motu proprio pluribus sancitis legibus, magnopere diligentiam, fidelitatem, & integritatem exigentibus in Officialibus, præcipit. §. 12. vt officia sua diligenter per se ipsos, & fideliter, ne videlicet per famulos negligentiæ, aut fraudibus detur locus, contenti assignatis aliunde stipendiis, exerceant. Quare sub excõmunicatione Papæ reseruata,

&

& aliis pœnis vetat munera, etiam oblata, recipere. Quod ſanè nouum non eſt, cum etiam huiuſmodi receptionem munerum prohibuerit Iudicibus, & Officialibus Modeſtinus in l. plebiſcito. ff. de offic. Præſid. & Innoc. III. c. cum ab omni. extra. de vit. & honeſt. cler. & Bonifacius VIII. c. ſtatutum. §. inſuper. de reſcript. l. 6. qua de re Gloſſa in d. c. cum ab omni. Hoſtienſ. ibid. num. 11. Turrecrem. c. vendentes. num. 31. quæſt. 3. Anchatan. conſil. 271. tit. de crim. Alexand. conſil. 206. num. 9. lib. 2. Menoch. de arb. l. 2. caſu 517. Decian. l. 8. cap. 35. num. 14. crim.

Ne quis autem poſſet allegare ſalarij defectum, quo caſu aliquid accipi poſſe, ſine iniuſtitia voluit Ang. in l. 1. in fin. Cod. ad legem Iul. repetund. Salycetus in l. iubemus. num. 3. Cod. eodem. Patriſ. de puteo. de ſyndic. in Verbo corruptio. c. 3 Decian. l. 8. c. 40. num. 7. de crim. Menoch. l. 2. de arb. cap. 517. n. 21. qui alios citat, & Maſcard. de probat. l. 1. concl. 164. & auth. *vt Iudices ſine quoquo ſuff. fiant.* §. penult. quæ ait: *Accipient autem nihil ab vllo, ſi aliquis ex Fiſco ſolemnia eis quæſtus erit, aut ſi nihil ex fiſco percipiunt, nihil vltra, quàm ſacra ſtatutum eſt conſtitutione, percipiant.* Pontifex ſingulis commodum ſalarium ſtatuit, vt habeant abſque muneribus, vnde viuant; vt etiam Innoc. III. loco cit. prohibens Eccleſiaſticos quidquam à partibus in iudicando accipere, rationem prohibitionis reddens, ait, iam eis eſſe Eccleſiaſticos reditus aſſignatos, vt ex ipſis honeſtè viuant, & non ex iudiciis. & Iuſtinianus in §. oportet. in auth. de mandat. Princip. ita Triboniano dedit in mandatis. *Oportet igitur te purè ſumentem adminiſtrationem, & ſine omni ſuffragio præ omnibus aliis mundum ſeruare, mundus Deo, nobiſque, & legi manus, & nullum contingere lucrum, neque maius, neque minus, neque captioſum quiddam cõtra ſubiectos facere negotiationes, ſed contentum eſſe ſolis à Fiſco tibi miniſtratis.*

Ideo nec pro expeditionis celeritate (quod tamen aliàs ſi fiat ſine alicuius præiudicio, non improbatur, ex Paride de puteo in pract. Syndic. loco citato, num. 5. Nauarr. comm. de daris, & prom. not. 9. num. 16. Menoch. l. 2. de arb. caſu. 343. in addit. per eum nuper editis, num. 2.) nec pro extraordinario labore, quo aucto angeri ſolet ſalarium, ex Felin. in c. eum olim. num. 1. de re iudic. niſi ſcilicet, in conſtituendo ſtipendio habita ſit etiam ratio huius circunſtantiæ, vt habita eſt hoc loco à Pontifice, aut alia cauſa, quid accipere licet, quod præceptum eſt, tum quòd munera excæcant prudentes, & ſubuertunt verba ſapientum, & mutant verba iuſtorum, vt habetur Exod. 23. tum ne grauarentur, aut exhauirentur, qui pro ſuarum animarum remedio ad Pœnitentiariam Apoſtolicam recurrunt. tum vt euitetur omnis nundinationis vmbra in hoc negotio; quod enim gratis acceptum eſt, gratis eſt concedendum.

THEOREMA 295.

MOnet deinde. §. 20 caueant iidem Officiales, ne hac in re fraus, aut dolus admittatur. Quæ duo etſi in iure ſæpè à Doctoribus pro eadem re accipiantur, ex Bartolo in l quod Nerua.

num. 1. ff. depos. Felin. in c. si autem. num. 1. de rescript. Tiraquel. de retract. lignag. §. 26. Gloss. 1. num. 33. vbi dicit id communiter teneri in l. iuris gentium. §. *sed & si fraudandi*, ff. de pact. & Decian. p. 1. l. 1. c. 5. n. 12. propriè tamen dolus est veluti genus, latiusque patet, quàm fraus, quæ se habet vt species. ob id omnis fraus est dolus, & non è cótra, ex eodé Decian. n. 10. Tiraquell. & Bartolo vbi supra, & Menochio de præsump. lib. 1. præsump. 3. n. 3. Definitur verò *Dolus* ab Vlpian. l. 1. §. 1. ff. de dolo malo, ex Seruij, seu C. Aquilij sententia. *machinatio ad decipiendum, fallendumque alterum adhibita, cum aliud agitur, & aliud simulatur.* Quos sequuntur Menoch. in 5. remed. recuper. possess. num. 73. & Decian. lib. 1. p. 1. c. 4. num. 1. *Fraus* autem ex eodem Deciano ibid. c. 5. rubr. de fraude. num. 1. *est actus malitiosus tendens de permisso ad prohibitum.* Neque enim fraus fit de permisso ad permissum, neque de prohibito ad prohibitum, sed solum de permisso ad prohibitum, cum scilicet permissum agi simulatur, & tamen verè agitur prohibitum.

In quibus verò fraus, & dolus differant, persequitur Baldus in l. quæ fortuitis. num. 5. Cod. de pignorat. act. Felinus in c. si autem. de rescript. Alciatus in l. aliud est fraus. ff. de verb. signif. Menochius de præsump. l. 5. præsumpt. 3. n. 4. Decian. p. 1. lib. 1. c. 5. num. 10. & seqq. & Virginius Boccac. in Constitut. Picen. Gloss. 9. num. 9. committentes autem dolum, aut fraudem, vel accipientes etiam munus aliquod, licet minimum (nec mirum, cum in Iudicibus, senserit Alexander consil. 206. num. 9. & 11. lib. 2. etiam in valore vnius denarij munera vetari) priuat officiis, & reddit inhabiles, & infames ipso facto.

Similia omnino his habentur in eiusdem Constitutione n. 84. olim 86. quæ incipit. *In earum.* edita eodem anno 1569. contra Officiales Cancellariæ Apostolicæ, aliquid etiam minimum, & sponte oblatum recipientes. ita enim se habet. §. 7. *ne vel quid minimum etiam sponte oblatum accipiant, siue pro expeditionis maturatione, siue alio extraordinario labore, aut à famulis, altisque personis capere permittant, sed suis quisque taxis, & stipendiis, vti constituta sunt, contenti esse debeant. Quicunque secus fecerint, præter illas censuras, & pœnas, quæ in talia perpetrantes impositæ sunt, suorum officiorum priuationem incurrant, & ad futura inhabiles, & infames censeantur, vti priuati, inhabiles, & infames eo ipso declarantur.* Non est tamen hic adiecta excommunicatio, eáque Papæ reseruata, vt in præcedenti, etsi vtrobique confirmet, si quæ in tales impositæ sint, censuras. Videatur etiá Theorema 111. & seqq. vbi similem constitutionem. Pauli II. contra rectores status Ecclesiastici accipientes munera, explicauimus.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 93. editæ anno 1569. quæ incipit. Infelicis sæculi.

EPITOME 109.

BONIFACII VIII. Constitutionem, qua aliquem

Offendétes & hostiliter

Insequẽtes Cardinales cum sociis, cõplicibus, receptãtibus, nõ reuelantibus, excõmunicãtur, sũt rei læsæ Maiestatis, diffidati, intestabiles, priuati officiis, beneficiis, &c.

quem ex Cardinalib. violenter iniectis manibus violantes, hostiliterque insectantes, vel id fieri mandantes, socij, ratum habentes; dantes consilium, fauorem, & postea receptantes, aut scienter defendentes excommunicantur reseruata absolutione Papæ, denunciandi publicè festis diebus, donec manserint in contumacia, pulsatis campanis in omnibus Ecclesiis loci, & vicinarum ciuitatum, declarantur rei læsæ maiestatis, infames, diffidati, banniti, intestabiles, priuati feudis, officiis, beneficiis, eorumque bona fisco applicantur, ædes subuertuntur, eisque nullus tenetur reddere debita, aut respondere in Iudicio, & de quibus, habita notitia, temporales Domini tenentur sub excõmunicationis latæ sententiæ pœna, intrà mensem obseruari facere dictam extrauagantem, Pius V. in hoc Motu proprio §. 3. confirmat, & extendit ad qualitercunque scientes, & non reuelantes quemcumque prædictorum.

THEOREMA 296.

GEnus hoc sacrilegij in hoc Motu proprio à Pio V. deploratũ occasione violentiæ passæ ab Illustrissimo ac Sanctissimo Cardinali Carolo Borromeo, iam inter Diuos, cum Christo in cœlo regnantes, adscripto, ab impiissimo siccario, non solum damnatum fuit à Bonifacio VIII. in c. felicis. de pœnis lib. 6. verùm etiam à Leone X. bulla 16. quæ incipit. *Temerariorum.* & iam casus violantium Cardinales, Episcopos, iuxta Clementinam. *si quis suadente.* de pœnis. Sedisve Apostolicæ Legatos, & Nuncios, factus est vndecimus Bullæ cœnæ. Idque meritò, cum Cardinalium auctoritas, & dignitas in Ecclesia, sit Episcopali maior (licèt potestas ordinis Episcoporũ antecellat, cum multa circa Sacramenta possit Episcopus, quæ non potest simplex Cardinalis) & transcendat Patriarcharum, & Primatum Iura, vt Petrus Damiani, & Eugenius IV. in epist. ad Cantuariensem Episcopũ apud Iacobatium. l. 1. de Concil. n. 252. & Petr. Gregor. Syntag. l. 15. c. 4. testantur; quòd Rom. Pontificem eligant Cardinales. c. licet. de elect. c. vbi periculum, de elect. in 6. & cap. in nomine. d. 23. eúmque suo consilio, opera, & studio in totius Ecclesiæ gubernatione iuuent; Prælati verò cæteri solùm certis Ecclesiis præsint. Quare etiam ab eodem Cardinales fratres appellantur. c. per venerabilem. qui filij sint legit. & in extrauag. de elect. cap. 4. & sui corporis partes. in c. felicis. de pœnis. l. 6. Iulio Claro. §. læsa maiestas. num. 4. Ideoque rectè Cardinales dicuntur, hoc est principales, ac primarij ministri, & Senatores Ecclesiæ. Cardo enim præter polos, & vertices, circa quos cœlum rotatur, vel ferrum, circa quod vertuntur fores, significat id quod in negotio, vel causa præ

præcipuum eſt. ob id quatuor præcipuè virtutes à D. Ambroſio in Lucam Cardinales virtutes dicuntur, & à D. Auguſtino l. 1. de bapt. c. 6. Donatiſtæ præcipui, Cardinales Donatiſtæ, vt etiam Cardinalis Epiſcopus, Cardinalis presbyter, Cardinalis Diaconus. c. in nomine Domini. d. 23. c. miniſterium. de officio Archipresbyteri. c. præſul. 2. quæſt. 5. & c. à ſubdiacono. d. 93. qui in eo ordine præcipui ſunt, & cæteris præeminent. Multa de Cardinalibus, quæ ad rem noſtram non pertinent, videri poſſunt apud Cardinalem Albanum in l. de Cardinalibus, Martinum Laudenſem. tr. de Cardinalibus, Barbatiam. tr. de Cardinaliũ præſtantia, Turrecrematam in ſumma de Eccleſia. Auguſtin. Triumphum. tr. de poteſtate Eccleſiæ S. Anton. 3. p. tit. 21. Azorem. p. 2. l. 4. c. 12. Onuphrium Panuinum, & alios.

THEOREMA 297.

QVo ad perſonas igitur, conſtitutio Cardinales omnes protegit, ſiue capellam habeant, ſiue non; dummodo iam ſint declarati Cardinales, & aſſenſerint, quippe cum iam ſint Cardinales, ex Palud. 4. d. 18. quæſt. 2. art. 2. caſu 16. & Sayro. l. 3. c. 15. protegit, inquam, formaliter ab actione iniurioſa, ſecus, ſi actio fieret in propriam defenſionem, vt notat etiam Suarez. d. 21. ſect. 2. n. 69. Sayrus loco cit. num. 5. Anton. 3. p. t. 25. c. 2. & 3. Syl. excommunicat. 11. num. 1. Nauarr. c. 27. n. 67. Gloſſ. c. Fælicis. de pœnis. l. 6. cum vim vi repellere liceat. c. ſignificaſti. 2. §. ſi verò. de homic. & l. vt vim. ff. de Iuſt. & iure. & l. 1. Cod. vnde vi.

De diripientibus verò eorum Palatia, & bona, nulla hic fit mentio, ſed habetur de his particularis conſtitutio. 16. Leonis X. vbi etiã cum complicibus excommunicantur, & ſubiiciuntur cæteris pœnis, dicti. c. Fælicis, vt dictũ eſt Theor. 156. 157.

Quoad perſonas autem oſtendentes, eſt pariter vniuerſalis, cum non tantum comprehendat principales, ſed etiam minùs principales, & poſtea receptantes, & ſcienter defendentes, immo ex hoc Motu proprio Pij V. qualitercunque ſcientes, & non reuelantes opportunè Papæ, vel Ordinario, ante, vel poſt commiſſum crimen, vt notat etiam Nauarr. c. 27. num. 150. §. 63. quemcunque prædictorum.

Quantum ad actiones prohibitæ ſunt, Primò, iniectio manuum violenta in Cardinales occidendo, vulnerando, percutiendo, capiendo, incarcerando, detinendo. Secũdò, hoſtilis inſecutio, phyſica ſcilicet, vel motu corporali, licet ad violentã manuum iniectionem non deueniatur. non verò ſi inſecutio moraliter ſolum fieret, v. g. per verba iniurioſa, detractionem, & ſimilia, vt conſtat ex proprietate verbi, & aduertit etiam Suarez. d. 23. ſect. 3. num. 12. cum aliis. Tertiò, iuſſio vt hæc fiant, ſecuto tum effectu actionis mandatæ, ex Gloſſa in Clement. *Si quis ſuadente*, de pœnis. Verb. mandauerit. Ioan. Andr. ibidem. Syl. excommunicato 7. num. 44. Anton. 3. p. tit. 25. c. 3. ſi enim actio, quæ mandatur ſecuta ſit, v. g. inſecutio, licèt ad captionem, percuſſionémve

non

non sit deuentum, sufficit ad censuras incurrendas. Quod si mandatum fuisset sufficienter reuocatum,& reuocatio ad mandatarium peruenisset, & adhuc ille exequeretur,non præsumeretur id factum vi mandati, sed nequitia mandatarij, & ob id mandans non incurretet censuras. Quartò, socium esse facientium, cum & hic in sacrilegium influat, vnde similes exprimuntur etiam in cit. bulla 16. Leonis X. Quintò, Ratihabitio, dummodo tamen id sit suo nomine factum, ex Ioan. And. & Gloss. in c. Fælicis. de pœnis. l. 6. & in Clementina si quis suadente. de pœnis. & ex regula iuris in 6. Ratum quis. Suarez d. 21. n. 71. Syl. excommunicat. 7. n. 33. & aliis, vt dictum est Theor. 157. alias non contrahitur censura, cum non habeatur pro influxu talis simplex ratihabitio, vt dicetur Theorem. 420. Sexiò, consilium, & fauor,& postea receptatio, & scienter defensio,& non reuelatio horum nequam, & facinorosorum. Similem clausulam habes in scientes,& nõ reuelantes vsurpatores bonorum, & Scripturarum Apostolicarum in Constitutione 4. quæ incipit. *Pastoralis*. Pij IV.

Pœnæ denique præter infligendas à sæculari potestate in hos facinorosos sunt. Primò, excommunicatio Papæ extra mortis articulum reseruata in cit. c. Fælicis de pœnis. l. 6. Clement. *Si quis suadente*. de pœnis. bulla. 16. *Temerariorum*. Leonis X. Pij V. hoc Motu proprio, & Bulla cœnæ. Secus si Cardinalis noctu, vel alieno habitu incedens, non agnosceretur, vt etiam de cæteris Clericis dicendũ est, ob ignorantiam personæ, quæ offendentem excusat à contumacia. habetque hæc excommunicato illud præ cæteris peculiare, quòd iubet Pontifex excommunicatos, donec in contumacia manserint, festis diebus, pulsatis campanis in loco delicti, & vicinarum ciuitatum denunciari. Qua in re dubium est, quænam dicantur ciuitates vicinæ. Et quidem Io. And. & Ioan. Monachus in dictam Bonifacij constitutionem Fælicis. dicunt intelligi ciuitates, quæ sunt intra duas dietas, iuxta c. præsenti. §. loca. de præbend. l. 6. Continet autem vna dieta 20. milliaria, ex l. 1. ff. si quis cautio. Sed communis opinio docet id Iudicis arbitrio definiendum. ita Glossa in d. c. Fælicis. §. præsenti. Aucharan. num. 3. Geminian. num. 2. ibid. Socin. senior in c. perpendimus. num. 248. de sent. excomm. Alexand. consil. 57. num. 6. lib. 3. Gloss. in c. cum nullus. de temp. ordin. l. 6. Gloss. in Clement. *Causam*. de elect. & ibid. Cardin. & Imola, Archidiac. in c. quicunque 16. quæst. 3. Bartholus in l. 4 §. si tam vicinum. ff. de dam. infect. Felinus in c. quosdam. n. 1. & 3. de præsump. & Petr. Gregor. l. 4. Syntag. c. 24. num. 4.

Secunda pœna est criminis læsæ Maiest. ex cit. c. Fælicis. Quæ etiam de re Gigas tr. de crim. læsæ Maiest. quæst. 5. Clatus. §. læsa Maiestas num. 4. Cardinalis Albanus. q. 42. Iacobatius. l. 1. de Concilio. Azor tom. 2. l. 4. c. 1. quæst. 9. & communis sententia, quippe cum hoc crimen incurrat non tantum machinans in Principis mortem, sed etiã machinans in mortem illi assistentium consiliariorum. l. quisquis. Cod. ad. l. Iuliam Maiest. hæc autem non accidit in violandis infe-

rioribus Prælatis. Est autem pœna committentium crimen læsæ Maiestatis, mors ipsa, & ex consuetudine solent hi viui in frusta discindi, & appendi in eminentibus ciuitatum locis, ex Claro ibid. n. 8.

Tertia, infamia ipso iure, qua tamen afficiuntur solum post declaratoriam sententiam Iudicis. l. 1. ff. de his, qui notantur infamia.

Quarta, diffidatio, & bannus, ideoque cæteri Christi fideles cõtra huiusmodi delinquentes iustè bellum mouere, & occidere possunt. Videndus Geminianus in c. 1. de homicid. l. 6. §. sacri. num. 11. Diaz in pract. crim. c 96. Graff. p. 2. l. 2. c. 21. num. 5. 6. Syl. verb. assassini. §. 3.

Quinta, inhabilitas ad testandũ, & consequenter etiam ad hereditates, vt dictum est Theor. 12. n. 5. & 6. & Glossa in c. Fælicis. de pœnis. l. 6. & Gloss. in l. is cui. ff. qui testam. Molin. d. 154. Syl. verb. hæreditas 3. quæst. 2. Azor. p. 1. l. 5. q. 8. quæst. 1. Vasquez. 1. 2. d. 169. cap. 3. num. 32. Menochio consil. 185. Claro. quæst. 34. de testam. num. 2. Lessio l. 2. c. 19. num. 53. quod non item disponitur in Clem. 1. de pœnis. de Episcoporum percussoribus, sed solum de violatoribus Cardinalium. c. Fælicis. præcitato, ob dignitatis prærogatiuam.

Sexta, beneficiorum, officiorũ, feudorum priuatio.

Septima, confiscatio bonorum.

Octaua, ædium demolitio nullo vmquam tempore reædificandarum.

Nona, actionis in iudicio denegatio, quæ esse solet pœna hæreticorum, ex l. 7. Patauina Feder. II. & l. credentes. Cod. de hæret. Gregorio IX. bulla 3. & Innoc. III. c. 13. de hæret. §. credentes.

Decima denique, clauduntur portæ eorum filijs, & nepotibus descendentibus per rectam lineam masculinam, ad officia, & beneficia, & dignitates Ecclesiasticas, & sæculares, & priuantur obtentis, vt ex d. c. Fælicis. constat. Et nisi temporales Domini, seu Rectores intra mensem habita delinquentium cognitione fecerint prædicta obseruari, eo ipso sententiam excommunicationis incurrunt, etsi hæc censura non reseruetur.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 104. aliàs 106. editæ anno 1570. quæ incipit.

Durum.

EPITOME 110.

Recipiẽs aliquid in beneficij prouisione aut admissione in possessionem excõmunicatur, à Papa absoluẽdus, suspenditur, interdicitur.

VM Trident. Concilium sess. 24. c. 14. mandasset Episcopis, vt prauam tollerent consuetudinẽ accipiendi ex fructibus primi, aut alterius anni, aliquid in electione, præsẽtatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, aut alia prouisione, seu admissione ad possessionem beneficiorũ, canonicatuũ, præbendarũ, prouentuum, seu distributionum, Pius V. in præsenti Motu proprio. §. 2. eumdem abusum, quocunque sit iuramẽto, aut præsidio vallatum, abolet, & §. 3. contrafacientes Ecclesiarum Antistites, suspendit ab

ab exercitio officij: Capitula, & Collegia ſupponit interdicto: ſingulares verò perſonas excommunicat, & reſeruat abſolutionem Papæ.

THEOREMA 298.

MEritò hæc Conſtitutio, cuius etiam meminit Nauarr. c.27.num.150.verſ.64. Sayrus. l.3. c.31.num.14. Philiarchus. l.3. de officio Sacerd. c. 30. caſu 25. & Gloſſ. Marginalis, extrauag. vnic. *ne Sede vacante*, ſicut & decretum Concilij Tridentini citatum, ſunt edita ad omnem ſimoniæ labem in beneficiis conſequendis auertendam. & eſt aliud ſimile decretum in Concil. Lateranenſi.c.cum in Eccleſiæ corpore, extra. de Simonia, in quo dicitur nimis horribile eſſe pro Epiſcopis, vel Abbatibus, ſeu quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis ponendis in Sedem, vel introducendis Presbyteris in beneficium benedictionibus, aut Sacramentis aliquid accipere, etiam ſub prætextu conſuetudinis. vt etiam ibidem.c. veniens. prohibetur, ne quid exigatur, etiam ſub eodem conſuetudinis prætextu, à petente admitti in religionem. & c.in tantum. veratur tamquam Simonia, quid recipi pro Eccleſiarum inueſtitura. ſcilicet ex Panor. ibidem, non tantùm pro inueſtitura iuris, ſed etiam facti. id eſt pro inductione in corporalé poſſeſſionem, etiam ſi ibi talis vigeat conſuetudo. Denique in c. Iacobus. Gregorius IX mandat Canonicis, vt recepto Iacobo in Canonicum, ei ſuos aſſignent reditus. quod facere renuebant, niſi prius iuxta conſuetudinem ab eo reciperent prandium. Videri poteſt ad hoc idem propoſitum. 1. quæſt. 3. c. ſi quis præbendas. S.Thom. 2.2. quæſt. 100. art.3. Syl. Simonia. q. 13. Azor.3.p.l.12.c 7.& c.11.q.6.

Nec tantum ſimplicem conſuetudinem Pius V. hic §. 2. verum etiam quocunque iuramento, & præſidio vallatam abolet, cum iuramentum vim nullam habeat cõtra bonos mores, ex Regula iuris. l.6. quæ habet.non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum.& l.vnius §. pacta.ff.de pactis. in qua dicitur. *pacta, quæ turpem cauſam continent, non ſunt obſeruanda.* idem colligitur ex c.quemadmodum. de iureiurando. & ibidem Gloſſa. Per hanc tamen conſtitutionem, vt apparet ex eadem in fine. & notat etiam Nau. Philiarchus, & Sayrus locis cit. non præiudicatur fabricæ, ſacriſtiæ, capitulis, menſis, perſonis,& pijs locis, quibus fructus beneficiorum vacantium ante collationem, vel poſſeſſionis apprehenſionem, ex ſtatuto, conſuetudine vel priuilegio ſunt applicati; eademque mens fuit Concilij Tridentini ſeſſ.24.c.14. cum dicit *ſolutiones, permiſſiones, compenſationeſque illicitas.* & paulò poſt. *vt quacunque huiuſmodi in vſus pios non conuertuntur, atque ingreſſus eos, qui Simoniacæ labis, aut ſordidæ auaritiæ ſuſpicionem habent fieri* (Epiſcopi) *non permittant.*

Tranſgreſſorum pœnas Concilium eaſdem eſſe voluit, quæ in ſacris Canonibus, vt 1. quæſt.1. per totam.& extra.tit.de Simonia. & ſummorum Pontificum conſtitutionibus, quas omnes innouat, contra ſimoniacos ſunt cõſtitutæ.

Pius verò V. hoc loco §. 3. Antistites ab exercitio officij suspendit, Vniuersitates supponit interdicto, priuatos autem gladio ferit excómunicationis, reseruatis censurarum absolutionibus Romano Pontifici. Portò de singulis legitimis modis conferendi beneficia, videlicet, electione, præsentatione, nominatione, &c. inter cæteros fusè disputat Petr. Greg. toto l. 17. Syntag. quem consule.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 114. olim 119. editæ anno 1570. quæ incipit.

Super specula.

EPITOME 111.

Non disputandũ in populariꝫ cõcionibus aut vernaculis libris de cõceptione B. Virginis.

Suspensio priuatio, inhabilitatio, ex cõmunicatio reseruata Papæ.

PRÆCIPIT Pontifex, §. 2. vt nemo cuiuscunque Ordinis, gradus, conditionis, & dignitatis sit, in popularibus concionibus, vel vbicunque promiscuè virorum, & mulierum multitudo conuenire solet, de controuersæ immaculatæ Virginis conceptionis parte alterutra disputare, sententiam propriam asserendo, & confutando contrariam: vel de hac ipsa quæstione cuiusuis necessitatis, vel pietatis prætextu sermone vulgari scribere, aut dictare præsumat. & inobedientes incurrunt ipso facto absque alia declaratione, suspensionem à diuinis, si sint in sacris, priuationem cuiuscunque gradus, dignitatis, & administrationis, inhabilitatemque ad eadem, & similia in futuro, super quibus dispensari, aut absolui non possint, nisi à Romano Pontifice.

§. 3. Cæterum quandiu per Apostolicam Sedem altera pars definita non fuerit, liceat viris doctis in publicis disputationibus, vbi interssunt, qui rem capere possunt, & abest occasio scandali, de huiusmodi quæstione disserere, & contra vtramque partem argumentis disputare, & impugnare, dum tamen neutra velut erronea asseratur, & seruentur, quæ à Sixto IV. sunt constituta, quæ singula etiam quantum ad aliàs pœnas (excommunicationem videlicet Papæ reseruatam) hoc Motu proprio innouantur.

THEOREMA 299.

EAdem mens Pio V. fuit in hoc Motu proprio, quæ etiam Sixto IV. in extranag. *Grauc.* edita anno 1483. tit. de reliqu. & ven. Sanct. & Patribus Concilij Tridentini sess. 5. in fine decreti de peccato originali, nempe præcidere occasiones scandali, & offensionum, quæ in populo Christiano quotidie oriebantur, ex concionibus, & disputationibus quæstionis multis sæculis à Patribus, & Theologis scholasticis agitatæ, aliis affirmantibus Beatissimam Virginem sine originali peccato

conce

conceptam, aliis autem negantibus, quod neutrum adhuc sit ab Ecclesia definitum. Etenim decretum illud Concilij Basilienſis sess. 34. *Nos diligenter inspectis auctoritatibus, & rationibus in hac sancta Synodo doctrinam illam asserentem Gloriosam Dei Genitricem Mariam præueniente, & operante diuini numinis gratia singulari, numquam actualiter iacuisse sub originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni culpa originali, vel actuali; sanctamq; & immaculatam, atque piam, & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, certæ rationi, & sacræ scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam definimus, & declaramus, nulliq; de cætero licitum esse in contrarium prædicare, & docere.* viribus caret. cum illud Concilium propter schisma sub obedientia Papæ non processerit, & ideo legitimum non fuerit.

Hæc itaque Constitutio Pij V. quoad personas vniuersalis est, licet occasionem præbuerint concionatores non adeo in hoc articulo pertractando, moderati; ideo nemo cuiuscunque sit gradus, & dignitatis excipitur.

Quoad actiones verò duo prohibet. Primum, in cætibus, in quibus promiscua virorum, & mulierum multitudo interesse solet alteram cõtradictionis partem asserere, cum alterius confutatione. neque enim improbatur à Pontifice simplex propriæ sententiæ affirmatio, & probatio, sed improbatur alterius refutatio, ex Caiet. V. excom. cap. 78. Nauarr. cap. 27. n. 107. §. 24. Suarez t. 2. q. 27. disp. 3. sect. 6. dicto 5. Sayro l. 3. cap. 30. num. 13. est enim huiusmodi assertio præsumptuosa, cum nondum quiquam sit ab Apostolica Sede definitum, vt constat ex textu constitutionis. §. 2. & 3. vt etiam Sixtus IV. non damnauit assertionem alterutrius partis contradictionis, sed affirmationem, fore hæresis labe pollutos, aut mortaliter peccaturos quicumque sentirent contrarium.

Secundum, quouis prætextu etiam pietatis, & necessitatis vulgari sermone scribere, seu dictare de præsenti controuersia. Quo loco *scribere* formaliter sumendum est pro componere, siue per se auctor characteres exaret, siue per alium, & nõ materialiter, ne etiam comprehendantur amanuenses, vt etiam notauit Suarez t. 5. d. 22. sect. 5. num. 33. vbi Sixti IV. extrauag. prædictam explicat, & pœnæ non sint extendendæ. idque meritò sancitum est; facilè enim imperitum vulgus ex huiusmodi lectione vernacula in varios laberetur errores. Quæ fuit etiam ratio, ne hac de re ageretur in promiscuis virorum, & mulierum concionibus.

Quoad pœnas inobedientium præter excommunicationem reseruatam, positam in extrauag. Sixti IV. quam confirmat Pius §. 3. Tres peculiares pœnas §. 2. statuit in transgressores ipso facto absque alia declaratione incurrẽdas, nempe suspensionem à diuinis, cum sunt in sacris; deinde priuationem cuiuscumque gradus, dignitatis, & administrationis, si qua funguntur: denique inhabilitationem ad eadem, & similia munera obtinenda, vel obeunda, in perpetuo, super quibus non nisi à Rom. Pontifice possint absolui, aut dispensari.

Quibus Sixti, & Pij V. censuris, & pœnis confirmatis sum. Pontifex Paulus V. in bulla edita die 9. Iulij 1616. quæ incipit. *Regis pacifici*, adiecit priuationẽ facultatis concionandi publicè, legendi, seu docendi, & interpretandi, vocis actiuæ, & passiuæ in quibuscumque electionibus absque alia declaratione, & ad illa inhabilitatem perpetuam, in quibus à solo Papa absolui, & dispensari possint, & alias arbitrarias pœnas; concessa Ordinariis, & hæreticæ prauitatis inquisitoribus auctoritate procedendi contra transgressores, & in eos seuerè animaduertendi.

THEOREMA 300.

EST verò licitum ex §. 3. de præsenti quæstione vtrã velis partem tenere donec per Apostolicam sedem altera pars definiatur. Quare haud rectè existimauit Almainus de potestat. Eccl. cap. 16. iam de fide esse B. Virginem fuisse conceptam sine originali peccato; vt etiam Clicthoueus super Damascenum. l. 3. cap. 2. affirmans contrariam sententiam esse contra Ecclesiæ definitionem, & impiam. Nec non Titelman. Io. 2. qui sensit, non posse sine impietate eam pertinaciter defendi. Falsum etenim est, impium; vel temerarium esse defendere B. Virginem in peccato originali conceptam esse. vt constat, tum ex Sixto IV. in extrauag. *Grauc.* de reliq. & ven. sanct. vbi assertionem eius, qui alterutram harum opinionum censeat esse hæreticam, vel continere peccatum mortale, pronunciat falsam, erroneam, & à veritate prorsus alienam; editósque desuper libros id continentes, quo ad hoc, auctoritate Apost. reprobat, & damnat. imposita excommunicationis reseruatæ pœna assertori, post habitam de his notitiam, ipso facto incurrenda, à qua nequeat ab alio, quàm à Rom. Pontifice (extra mortis articulum) absolutionis beneficium obtinere. Quod hoc etiam loco confirmat Pius V. §. 3. inquiens, *dum tamen neutra* (sententia) *velut erronea asseratur, eaq; seruentur, quæ à Sixto IV. sunt constituta, quæ singula, etiam quantum ad, alias pœnas, innouamus.* & Conc. Tridentinum sect. 5. in fine decreti de peccato originali. *Declarat sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; sed obseruandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti IV. sub pœnis in eius Constitutionibus contentis, quas innouat.* Denique Paulus V. in decreto edito die 31. Augusti anno 1617. quod incipit. *Sanctissimus.* ob scandala, quæ oriebantur ex occasione affirmationis, B. Virg. fuisse conceptam cum peccato originali, præcipit omnibus, & singulis, vt in posterum, donec articulus huiusmodi à Sede Apost. fuerit definitus, vel aliter fuerit ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere B. V. Mariam fuisse conceptam cum peccato originali, & contrafacientes incurrunt ipso facto censuras, & pœnas statutas in constitutionibus Sixti IV. & Pij V. & sua. per huiusmodi tamen prouisionem non intendit S.S. reprobare alteram opinionem, nec

ei

ei afferre vllum præiudicium, relinquens illam in ſtatu, & terminis, in quibus reperitur in præſenti, præterquam quoad ſupra diſpoſita. Vlterius ſub iiſdem cenſuris, & pœnis mandat, aſſerentes non fuiſſe conceptam cum peccato originali, ne impugnent in prædictis publicis actibus opinionem contrariam, nec de ea aliquo modo agant. Inſuper voluit, & expreſsè mandauit, vt extra hos caſus expreſſos publicorum actuum, in reliquis omnibus ſupradictæ conſtitutiones firmæ, & illæſæ remaneant, & obſeruentur exactè, perinde ac ſi præſens decretum non emanaſſet, decernens, vt tam Epiſcopi, & Ordinarij locorum, quàm inquiſitores hæreticæ prauitatis contra tranſgreſſores procedant, & ſeuerè animaduertant. Tum quia illa ſententia nondum eſt ab Eccleſia damnata, nec decretum Concilij Baſilienſis vim habet, cum non ſteterit ſub obedientia Papæ, & ideo non habuerit infallibilitatem. Quare qui alterutram iſtarum opinionum damnat, vt erroneam in fide, Eccleſiæ inobediens eſt, & temerarius; cum nihil adhuc fuerit ab Eccleſia definitum: quinimo Alph. de Caſtro l. 1. de iuſt. hær. pun. cap. 8. eum hæreticum eſſe dicit, quod tamen non probat Suarez t. 2. quæſt. 27. d. 3. ſect. 6. dicto vltimo.

Sed tandem die 2. Iunij anni 1622. S.D.N. Greg. XV. in decreto, quod incipit. *Sanctiſſimus.* dictam prohibitionem aſſertionis affirmatiuæ, nempe B. V. Mariam fuiſſe conceptam in peccato originali, in actibus publicis Pauli V. extendit etiam ad priuata colloquia, & ſcripta, vnde mandat, & præcipit. Primò, donec articulus huiuſmodi à Sede Apoſtolica definitus fuerit, vel aliter ordinatum, ne quis etiam in ſermonibus, & ſcriptis priuatis audeat aſſerere, quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit concepta in peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, ſeu tractare ſine ſpeciali indulto, etſi per hoc non intendat ſua Sanctitas reprobare hanc opinionem, nec ei vllum inferre præiudicium, eamque in cæteris relinquens in ſtatu, & terminis, in quibus reperitur, expreſſéque mandans in reliquis omnibus non contrariis his decretis ſeruari exactè Conſtitutiones Sixti IV. Alexandri VI. Pij V. & decretum Pauli V.

Secundò, mandat omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, tã ſæcularibus, quàm cuiuſuis ordinis regularibus, vt in feſto Conceptionis eiuſdem B. Virginis in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, & diuino officio publicè, & priuatim celebrandis non alio, quàm Conceptionis nomine vtantur.

Tertiò, ſubiicit contrafacientes cenſuris, & pœnis contentis in prædictis conſtitutionibus, & decreto prædeceſſorum ipſo facto incurrendis. non obſtantibus in hac parte ſupraſcriptis conſtitutionibus, & præfato decreto Pauli V. conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, nec non omnibus, & ſingulis, quæ Prædeceſſores voluerunt non obſtare, ac aliis quibuſcumque in contrarium facientibus.

Quartò, pro executione præſentis decreti ſtatuit contra tranſgreſſores, etiam regulares cuiuſcumque inſtituti, & quomodolibet

bet exemptos, & alias Ecclesiasticas, & sæculares personas cuiuscumque sint conditionis, & dignitatis, vt tam Episcopi, & Prælati superiores, alique Ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis inquisitores procedant, & seuerè in eos animaduertant; tribuens prædictis liberam facultatem, & auctoritatè procedendi, & puniendi predictos transgressores.

Ex quibus refellas impudens mendacium Ioannis Pomerani Sectarij, qui cap. 1. & 44. Ieremiæ affirmare non erubuit, Catholicos habere pro fidei articulo B. Virginem absque peccato esse concepram. & temeritatem Bartholomæi Spinæ in tr. hac de re, & apud Catherinum in opusc. de immaculata Conceptione Virginis, & Valentiam. t. 4. disp. 2. quæst. 1. p. 2. asserentis repugnare fidei Catholicæ opinionem eam, quæ asserit B. Virginem fuisse conceptam absque peccato originali; cum summi Pontifices, & Concilium Tridentinum senserint neutram continere errorem in fide, & vtramque absque peccato posse teneri, quandiu altera pars non definitur ab Apostolica Sede. Possumus ex dictis colligere etiam contra Caiet. in opusc. de hac re. cap. 5. & Canum l. 4. de locis. & l. 7. cap. 3. & l. 12. c. 11. Ecclesiam posse, cum libuerit controuersiã hanc de Conceptione Dei Genitricis definire, vt rectè docet Suarez loco cit. t. 2. quæst. 27. disp. 3. sect. 6. dicto primo, cum Abulensi paradoxo 1. cap. 21. & Exod. 34. quæst. 8. cum id supponat Sixtus IV. in d. extrauag. *Graue.* dum ait *cum nõdum sit à Rom. Ecclesia, & Apost. Sede decisum.* & Pius V. hic §. 3. *quandiu per Apost. Sedẽ altera pars definita non fuerit:* & Paulus V. ac Greg. XV. *vt in posterum donec articulus huiusmodi à Sede Apost. fuerit definitus, vel fuerit aliter ordinatum, non audeant,* &c.

THEOREMA 301.

IAm verò ex his duabus sententiis illa probabilior, & magis pia videtur, quæ B. V. absque originali peccato concepram fuisse sentit (etsi oppositum tenuerit Magister 3. sent. d. 3. & ibid. Alb. Bonau. Richar. Palud. D. Tho. Alens. etsi deinde mutauerit opinionem, Capr. Dur. Arimin. 2. d. 30. quæst. 2. Anton. p. 1. tit. 8. c. 2. Caiet. opusc. de concep. & 3. p. q. 27. art. 2. & ibid. Barth. Medina, Ferrar. l. 4. contra gent. cap. 50. Turrecrem. opusc. de eadem, & aliqui alij.)

Probatur primò, quia iam ferè est totius Ecclesiæ sensus, quippe cum non sanctificationis, sed Conceptionis festum diem celebret, vt constat, tum ex Summi Ecclesiæ vniuersæ Pastoris Sixti IV. in extrauag. edita anno 1476. quæ incipit. *Cum præexcelsa.* tit. de reliq. & ven. Sanct. in qua huiusmodi celebritatem agentibus, & diuinis officiis assistentibus eisdem concessit indulgentias, quas consequuntur fideles, qui interfuit officiis solemnitatis corporis Christi. Tum ex sensu Episcoporum, & Patrum Concilij Basilien-sis. sess. 36. diserte affirmantium, antiquam esse Ecclesiæ consuetudinem celebrandi in honorem Virginis immaculatæ conceptionis festum; & merito, cum iam in Gallia cæperit celebrari 1171. quod tamen S. Bernardus epist. 174. fieri voluisset,

voluiſſet, conſulto priùs Rom. Pontifice, cuius iudicio ſe ſtare dicit, & adhuc in Anglia vno ſæculo prius, nempe circa annum 1070. ex occaſione reuelationis factæ Abbati Elpino, & miraculo confirmatæ. Cui feſtiuitati deinde multum auctoritatis addidit S. Anſelmus, qui etiam in epiſtola ad Epiſcopos Angliæ ſcripſit, non eſſe verum amatorem Beatiſſimæ Virginis, qui eius Conceptionem non celebrat. In Eccleſia quoque Græca cæpta eſt agi hæc ſolemnitas diu ante, nam extat ſermo Leonis Imp. qui obiit anno 911. de B.V. Conceptione, quæ ex Græcorum Kalend. die 9. Decembris agebatur, & non octano, vt apud Latinos, Videatur Galatinus. l.7. c.4. Azor. p.2. l.1. cap.21. Suarez p. 2. q.27. art.2. diſp.3. ſect.5. & habetur inter dies feſtos in conſtitutione de feriis Emanuelis Imp. anni 1166. apud Theodorum Balſomonem in
3 Nomocanone Photij tit. 7. Tum quod in honorem immaculatæ Cõceptionis inſtituta religio fuerit, & approbata à Summis Pontificibus, Iulio II. Leone X. Alexandro VI. in cuius regula. cap.5. habetur. *Virginis animam in primo Conceptionis inſtanti fuiſſe ſanctam.* Videantur priuilegia Mendicantium. v. *Communicatio.* §. 18. & v.
4 *Conceptio.* §. 10. 12. 13. Tum quia maxima Eccleſiaſticorum Doctorum pars, qui in Eccleſia Dei ſunt membra præcipua, hanc de immaculata conceptione Virginis ſententiam propugnãt, adeo vt Caiet. in opuſc. de Conceptione. cap.5. ſcripſerit, eorum numerum eſſe infinitum, inter quos excelluerunt his poſtremis quingentis annis, Ricardus de S. Victore in illud *Cantic.4. Tota pulchra es amica mea.* Alenſis, qui teſte Ioanne de Bacone, & Franciſco Mairone in fine vitæ ſententiam mutauit, Io. Scotus 3. ſent. d.3. quæſt.1. & d.18.q. vnica. §. *hoc viſo*, Gabriel. Argentina, Maironus, Baconus, Carthuſianus. 3.d.3. Marſilius. 2.quæſt.20. & in 3. quæſt.4. Abulenſis paradoxo.1. cap.20. & in prologo Bibliæ. cap.6. Io. Gerſon alphabeto 17. ſuper Magnificat. & opuſc. de Conceptione. Nicolaus de Cuſa Cardinalis. l. 5. exercit. dum explicat. *Cœlum, & terra tranſibunt*, & l.8. in illud. *ſicut lilium inter ſpinas.* Roffenſis. l.2. contra Lutherum, Clicthoueus opuſc. de purit. Virg. c.5. Driedo. l.3. de dogm. tr.2. cap.4. Lippomanus in Gen. cap.15. Galatinus. l.7. de arcanis. cap.5. Iacobus de Valentia in Pſalm.13. Vigucrius. cap.18. §.5. Alphonſus de Caſtro v. Peccatum. hæreſi 9. Vega l.2. in Trident. cap.6. Catharinus tribus libris de hac re, Corduba. l.1. quæſt.44. Conarr. cap. Alma mater. p.2. §.5. num.2. Nauarr. in ſum. prælud. 8. num.9. & c Societate noſtra Caniſius. l.1. de B. Virgine. cap.5. Fr. Turrianus in epiſt. ad Iacobum Amiotum Epiſcopum Antiſiodoren. Theodorus Pelleranus in diſp. de peccato originali. Valentia t.4. d.2. quæſt.1. p.2. Fr. Suarez. t.2. in 3. p. S. Thomæ. quæſt.27. art.2.d.3. ſect.5. Bellarminus. l.4. de ſtatu peccati. Ferdinandus Salazarus in opere de Conceptione B. Virginis, & alij vſque ad 60. ex Pineda, in Eccleſiaſten. cap.7. 29. num.8. quod ſanè optimè congruit cum reuelatione à Beatiſſima Virgine Dei genitrice facta viro ſanctiſſimo, & ab ea ſummè dilecto Alphonſo

Scotia.

Roderico Soc. nostrę, nempe vnam ex præcipuis causis, ob quas Deus Societatem fundari voluerit, fuisse, vt immaculatam conceptionem suam totis viribus tueretur. Quam reuelationem refert etiam P. Bourghesius noster in libello qui inscribitur: *Societas Iesu Virgini sacra.* Tum ex consensu omnium fere Religionum, quæ strenuè hanc eandem B. V. purissimam Conceptionem prædicant, & docent
5 etiam
6 Academiæ pœnè vniuersæ, adeo vt in pluribus. v. g Parisiensi, Valentina, & aliis nulli pateat ad Doctoratum in Theologia aditus, nisi antea præstito iuramento de huiusmodi sententia non impugnanda, vt etiam in Neapolitana factum est ante triennium
7 Prorege Duce de Osunna. Tú denique, quia fideles populi, quod ex aduerso obiicitur, vix sustinere valent, communitérque à multis annis cum spirituali gaudio, & pietatis sensu, huic sententiæ adhærent, quam etiam tanquam piam, & accommodam populorum deuotioni confitentur ex aduersariis Canus. l. 7. de locis. cap. 1. & Bartholomæus Medina in 3. p. S. Thomæ. quæst. 27. art. 2. concl 4.

Secundò, quia idem docuerunt plures ex sanctis Patribus, quorum clariora testimonia, hæc videntur. S. Andræas Apostolus, vt refert Abdias. l. 4. dixit. *Sicut primus Adam formatus fuit ex terra, antequam esset maledicta, ita secundus Adam formatus est ex terra Virginea nunquam maledicta.* S. Iacobus in Liturgia eam vocat *Sanctissimam, immaculatam, glorioſissimam, & omnibus modis irreprehensam, Angelis puriorem, & honorabiliorem, quam Cherubim.* Ad veritatem autem harum locutionum non tantum requiritur positiua perfectio gratiæ, sed etiam carentiæ culpæ, vt in Angelis. S. Cypr. l. de Cardinal. Christi operibus. cap. de natiuitate Christi, agens de Virgine Beata. *Non sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus laceraretur iniurijs, quoniam plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa.* S. August. l. de natura, & gratia. cap 36. *Excepta Virgine Matre, de qua, cum de peccatis agimus, nullam prorsus habere volo quæstionem; inde enim scimus, quod plus gratiæ ei collatum est ad vincendum omni ex parte peccatum, quia eum concipere meruit, & parere, quem scimus nullum habuisse peccatum.* Et sanè non tantum loquitur de peccato actuali, sed etiam originali cum aduersus Pelagianos concludat, neminem esse sine peccato, etiam infantes, & dicat omni ex parte viciſſe peccatum: ergo, non solum actuale, sed etiam originale. S. Ambr. serm. 22. in psalm. 118. in illud: Errani sicut ouis. *Quare,* ait, *suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, vt incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* Hieron. in Psalm. 77. explicans illud. *Deducit eos in nube diei,* ait. *Pulchrè dixit* diei, *nubes enim illa* (B. Virgo Maria) *nunquam fuit in tenebris, semper in luce.* Athanasius in serm. de sanctissima Deipara. *Dicimus eam igitur, atque iterum, & semper, & vndequaque beatissimam.* Theodoretus. l. 3. in Can. *Inter tot animas hominum, quæ saluantur, vt electa columba, est vna illa sola, quæ Christum genuit, Virgo, mater, puella Maria, quæ puritate profecto Cherubim, & Seraphim antecellit.* ibidémque eam *immaculatissima* appellat.

at si

at ſi vnquam maculata fuiſſet, nec immaculatiſſima, nec Cherubim, & Seraphim purior eſſet. S. Hildelphonſus in lib. contra eos, qui diſputant de perpetua virginitate S.Mariæ, edito in lucem à Fer-ardentio. *Hunc autem* (inquit) *quia ex auctoritate totius Eccleſiæ veneratur, conſtat eam ab omni originali peccato immunem fuiſſe.* Damaſcenus orat.1. de natiuitate B. Virginis: *Natura* (ait) *gratiæ cedit, ac tremula ſtat, progredi non ſuſtinens. quoniam itaque futurum erat, vt Dei Genitrix, ac Virgo ex Anna oriretur: natura gratiæ fœtum anteuertere minimè auſa eſt.* Idiota, qui vixit circa annum 850. rem ex profeſſo tractat, & definit Deiparam abſque peccato originali fuiſſe conceptam. in l. contempl. de B.V.vnde cap.2. ait. *Tota pulchra es, Virgo gloriоſiſſima, non in parte, ſed in toto, & macula peccati ſiue mortalis, ſiue venialis, ſiue originalis, non eſt in te.* Et iterum. cap.6. repetit ab originali peccato fuiſſe præſeruatam. Petrus Damiani in ſermone de Aſſumptione eiuſdem Virginis. *Caro Virginis ex Adam aſſumpta, maculæ Adæ non admiſit.* Rupertus Abb. l. 6. in Cant. ſcribit. *Virginem beatiſſimam, & lucidiſſimam eſſe, & gratia diuina plenam.* & addit. *libera es ab omni iugo peccati.* Fulbertus Carnutenſis, *ſiue* (inquit) *Maria electa, quæ immaculata ſemper extitiſti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras Auctorem totius ſanctitatis.* S. Bruno fundator Carthuſianorum anno 1086. *Hæc* (inquit) *eſt incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea contagione peccati libera, per quam vitæ viam agnouimus, quam, quia digna fuit, Dominus de cælo in terram aſpexit.* S. Anſelmus electus Archiepiſcopus anno 1093.2.ad cor. cap.1. *Omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, dempta Matre Dei, ſiue originalibus, ſiue etiam voluntate additis, vel ignorando, vel ſciendo nec faciendo quod iuſtum eſt.* Denique B. Laurentius Iuſtinianus ſer. de Annunciatione. *Ab ipſa ſui Conceptione in benedictionibus eſt præuenta dulcedinis, atque aliena à damnationis chirographo.* Quare vides per 1500.& amplius annos, Patres ſenſiſſe ſanctiſſimam Virginem ſine peccato originali fuiſſe cõceptam.

Tertiò fauent etiam ſacræ Scripturæ, etſi non conuincant, vt Gen.cap.3. *Quia feciſti hoc, inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum*; at ſi B.Virgo contraxit peccatum originale, ipſa non contriuiſſet ſerpentis caput; ſed ab ipſo icta fuiſſet in capite,& eiuſdem effecta præda. Cant.4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Quæ ſtare non poſſunt, ſi admittimus fuiſſe aliquando originali peccato, quod eſt mortale, glorioſam Virginem maculatam, & ibidem dicitur *hortus concluſus, & fons ſignatus*; ſed quomodo *concluſus hortus*, ſi hunc ſerpentis virus aduſſit? quomodo *fons ſignatus*, ſi de illo antiquus Draco potauit? Quomodo etiam verum erit illud Cant. 6. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata*, ſi ſtatim in conceptione obtenebrata eſt originali peccato? Quomodo *porta clauſa*, Ezechielis cap. 4. ſi eam ingreſſus eſt, & inhabitauit Malignus?

Quartò confirmant rationes.

1 Tum quia Dei Genitrix caruit actuali peccato veniali; ergo etiam originali. Antecedens constat ex Conc. Tridentino sess. 6. cap. 23. Aug. l. de natura, & gratia. c. 36. Anselmo. l. de Conceptu Virginali. c. 18. scribente. *Decuit vt B. Virgo ea puritate niteret, quæ sub Deo maior nequit intelligi.* & S. Tho. 3. p. quæst. 27. art. 4. vbi quatuor rationes ad id probandum, adducit. Consequentia probatur, quia originale peccatum est mortale, & separat animam à Deo, veniale autem minimè; decuit igitur dilectam Dei Genitricem, & sponsam multò magis præseruari ab originali, quàm veniali, cum ignominia parentum redundet in filios, ex Prouerb. cap. 6. & Gregorio Nazianzeno in carmine ad Nicobulum.

Gloria namque patri natorum fama, decusque:
Vt rursus natis est gloria, fama parentum.
Gratia communis, labes communis vtrisque.

Et sit regula D. Augustini l. 5. contra Iulianum. *Quicumque fuerunt sub peccato originali, fuisse etiam sub veniali.* Quod si hoc locum non habuit in Dei Genitrice; ergo nec
2 illud. Tum quia non fuit conueniens, vt quæ fuit Mater vitæ spiritualis omnium, fuerit aliquando spiritualiter mortua, & quæ nobis attulit benedictionis fructum, fuerit aliquando maledicta per originale peccatum, quod est
3 mortale. Tum quia fuit conuenientissimum vt Mater esset Filio, quoad fieri potuit, in puritate similis, id est per priuilegium speciale immunis esset à peccato, sicut ille alio multo excellentiori modo ab eo fuit alienus, scilicet ex ratione ipsa conceptionis suæ, cum sine copula, ex Spiritu sancto conceptus fuerit. Tum quia boni filij 4
est parentes honorare, & ab eis, si possit propulsare miserias, antequam hæ illos contingant, præsertim si id absque suo incommodo facere possit, illíque vitio vertitur, si id negligat; At Dei Filius potuit peccati originalis miseriam à matre propulsare, antequam illam attingeret, absque vllo incommodo suo: id igitur tanquam optimus Filius facere debuit. Tum 5
quia potuit Deus hoc priuilegium conferre matri; ergo contulit. consequentia sumpta est ex D. Augustino in sermone de Assumptione, qui eodem planè modo argumentatur, nempe, Deus potuit excipere Virginem ab illa generali sententia, *puluis es, & in puluerem reuerteris.* ergo excepit, cum id fuerit conueniens illius benignitati. & contra negantes hûc argumentandi modum, adiecit. *Si confitentur id Christum potuisse, proferant rationem, quare non fuerit decens, id etiam voluisse.* Antecedens probatur, quia nulla est implicantia, quin Deus potuerit ex priuilegio corpulentæ substantiæ Virginis infundere animam rationalem ornatam diuina gratia, quæ secum non compatitur essentiam peccati originalis, licet compatiatur effectus, vt mortem, & corporis pœnalitates, cum gratia mentem subiiciat Deo; & ab illo auersionem tollat, & priuationem originalis iustitiæ, quatenus per eam mens Deo subiecta erat, in quibus essentialiter constitit originale peccatum, ex Azore t. 1. l. 4. cap. 26. Valentia, & aliis nobilibus Theologis.

6 gis. Tum denique quia non eſt veriſimile Dei Filium ſibi elegiſſe Sponſam, & matrem vitiatam, & captiuam, cum non dicam Reges, aut Imperatorem huius mundi, ſed ne quidem nobilis id faceret.

Quintò plures, ad hoc idem probandum afferri poſſunt reuelationes, de quibus. S. Anſelmus in Epiſtola ad Coanglicanos Epiſcopos, Henricus. quæſt. 15. quæſt. 13. Bonauent. 3. d. 3. Marſil. ibidem, Dionyſius Carthuſianus concione 1. & 2. de Conceptione. Petrus de Natalibus. l. 1. Catalogi Sanctorum. c. 41. S. Brigitta. l. 1. c. 9. l. 6. c. 49. Azor. tom. 2. l. 1. c. 21. & Antoninus Dauroultius Soc. Ieſu in lib. Catechiſmi. c. 4. tit. 1. num. 9. & 10. & innuit S. Bernardus ep. 175.

Porrò pro ſoluendis iis, quæ ab aduerſariis poſſunt obiici. Sciendum eſt primò ex Suarez ſect. 2. 4. 5. aliud eſſe dicere. B. Virginem ſpiritualiter mortuam eſſe in Adamo, aliud ſpiritualiter mortuam in ſe, ſeu abſolutè, quaſi ipſa aliquando caruerit vita ſpirituali, aut in ſe mortem ſpiritualem, ſeu peccatum originale contraxerit. Locutiones enim ſacræ Scripturæ, vt ad Rom. 3. & 5. quibus dicitur, *omnes in Adam peccaſſe, & ideo indiguiſſe redemptione.* 1. ad Cor. c. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* 2. ad Cor. 15. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* & aliæ ſimiles; nec non & Patrum, vt Leonis ſermone. 1. de Chriſti natiuitate; *Sicut nullum à reatu immunem reperit,* &c. Cyrilli l. 16. in Leuit. *Solus Ieſus eſt, qui numquam inuenitur extra ſanctã, ſolus qui peccatum non fecit.* Auguſtini l. 1. de peccat. mer. c. 29. *Quis innocens? omnes ex illa traduce veniunt, de qua Dauid, In iniquitatibus cõceptus ſum. ſolus ille agnus, qui non ſic venit.* & c. 24. agens de Chriſto. *non ſumpſit carnẽ peccati, licet de materna carne peccati.* & Pſal. 34. in illud. *Ego autem cum mihi moleſti eſſent.* cum ait. *Maria ex Adam conceptam fuiſſe mortuam propter peccatum,* & aliæ multæ, ſunt omnino cum illo addito (*in Adam*) concedendæ: ſolum enim ſignificant eſſe mortuam, aut peccaſſe in alio, & ſecundum quid, alioquin enim nõ poſſet B. Virgo per mortem Chriſti, dici redempta. Si enim non peccauit in Adam, non eguit redemptione, quare non fuit, vt Chriſtus pro ea redimenda, moreretur. nam ex D. Auguſtino epiſt. 157. nullus redimitur, niſi is, qui ſub peccato ſeruit. & ob id ad veram redemptionem neceſſe eſt, vel eſſe in peccato, vel ſaltem ita eſſe ſubditum neceſſitati contrahendi illud, vt ſine ſingulari gratia Redemptoris vitari non poſſit. Quare nec Chriſtus dici poſſet vniuerſalis Redemptor omnium, aut Mediator Dei, & hominum, cum tamen aliquem excipere ſit contra fidem, ex D. Auguſtino l. 1. de peccat. mer. c. 27. 28. & deroget dignitati Chriſti, & ipſi B. Virgini contradicat, quæ canit Lucæ cap. 1. Deum eſſe ſalutare ſuum. & denique Sereniſſima Virgo non contraxiſſet ipſam corporis mortem, & alias pœnalitates, quas contraxit, non includentes tamen indecentiam, de qnibus Damaſcenus in duabus orationibus de eiuſdem Aſſumptione, ſi in Adam non peccaſſet, cum mors Adæ peccatum vt cauſam, & originem conſequatur. dicitur enim ad Rom. 5. per peccatum mortem in omnes ho-

mines introiisse ; ex quo Sancti colligunt neminem pari mortem, nisi vel ratione peccati, quod ad ipsum pertineat, vel vt pro aliorum peccatis satisfaciat, quod Christi proprium fuit. & ob id dixit Augustinus c.4. contra duas epist. Pelagianorum pati mortem sine meritis mortis ab vno solo Mediatore Catholica fides nouit. Habuit igitur B. Virgo meritum mortis saltem in Adamo, cum huiusmodi meritum sit annexum humanæ carni propagatæ via ordinaria ex Adamo, tamquam ex infecta radice, cõtra quam factum sit in Christo concepto è Spiritu sancto. In se autem simpliciter, & absolutè negandum est Virginem spiritualiter aliquando fuisse mortuam, cum absolutè nunquam caruerit spirituali vita, aut fuerit in peccato. efficacius siquidem fuit Christi meritum, & gratia ad præseruandam Matrem, quàm fuerit infecta radix ad influendum originale peccatum. Etenim quamuis Deus contulerit Adæ iustitiam originalem ea lege, & pacto, vt si mandatum transgrederetur, totam etiam posteritatem priuaret ; nihilominus tamen potuit Deus post præuisum Adæ peccatum, velle ne peccatum re ipsa transfunderetur in Mariam, & illud impedire per gratiam ei infusam in primo animationis instanti ; cum hæc voluntas non repugnet priori legi, quippe quæ non includat absolutam, & definitam Dei voluntatem, vt peccante Adamo omnes eius filij conciperentur sine gratia ; sed solùm, vt amitterent ius ad illam. Quo Deus non se priuauit iure, & libertate miserendi cui voluisset ; sicut idem voluit, vt nascerentur sine gratia, & tamé non priuauit se libertate, vt faceret nasci aliquos in gratia, vt constat de Ioanne Baptista, & aliis sanctificatis in vtero matris. Potuit itaque B. Virgo semper in Dei mente esse ad perpetuam sanctitatem præordinata, quamuis permissa sit in Adamo vitiata radice iustitiam amittere, quo sanè sensu intelliguntur citata testimonia, & non simpliciter, & absolutè. Quare re ipsa, & in se potuit numquam carere gratia, & iustitia, licet amisisset in alio. quod non derogat perfectæ puritati, & sanctitati eius.

Sciendum secundò, ex eo quod ponatur Virgo absque peccato originali, non rectè inferri Christum non fuisse illius redemptorem, & liberatorem ; sed rectius inferendum oppositum, nempe fuisse perfectissimo modo liberatorem, & redemptorem eius. Cum enim deberet Dei genitrix, vti cæteri, via ordinaria ex Adamo propagata ruere in originale peccatum, & dæmonis captiua, & serua fieri, per Christi merita præseruata est ; & ideo excellentiùs redempta, quàm fuisset futura post contractum peccatum originale : ni enim singulari Redẽptoris gratia fuisset præuenta, ex vi conceptionis suæ, ex vitiata radice consecutus fuisset influxus originalis culpæ, quem impediuit Deus peculiari Virginis prærogatiua, ab eo multò excellentiùs redempta.

Sciendum tertiò. In ordine ad peccatum originale maxima fuit differentia inter Christum, & Beatam Virginem, quòd Christus eo carnit ipso suo iure ex modo conceptionis ex Spiritu sancto, & non per rationem seminalem, vt

rectè

rectè ponderat D. Augustinus epistol. 57. ad Dardanum; Virgo autem solo priuilegio Christi; vnde optimè saluari potest illud Eccles. c. 7. *Virum de mille vnum reperi*, &c. & illud Eusebij Emisseni ser. 2. de Nat. Christi: ab originali nexu non fuisse immunem, nisi ipsum Dei Filiũ per se. Quod verissimum est, cum solus Christus per se, & vi sua fuerit immunis, B. Virgo verò solum ex priuilegio Filij præseruata. Quo etiã sensu accipiendum est, quod dicitur à Cyrillo l. 16. in Leuit. & Amb. l. 2. in Lucam, solum Dominum Iesum ex natis de fœmina fuisse sanctum; vel solum qui peccatum non fecit. intelligitur enim per se, & ratione suæ conceptionis ad eum modum, quo scriptura dicit de Deo. *nemo bonus, nisi solus Dominus*, scilicet à se, & de se. Vnde non excluditur aliorũ accidentalis participatio, & cõmunicatio per gratiam, & ideo neque hic neganda est immaculata Virginis conceptio ex gratia, & priuilegio Dei. Et eodem modo, cum dicit S. Augustinus carnem Virginis fuisse carnem peccati, non intelligit illam carnem fuisse aliquando peccato subditam, aut informatam anima carente gratia, sed ex debito peccati, cui de se erat obnoxia, nisi per Christi gratiam fuisset præseruata, fuisse passibilem, & mortalem; Christi verò carnem solum fuisse in similitudinem carnis peccati, quia has pœnalitates non contraxit ex peccato, sed illas assumpsit, vt nos à peccato liberaret.

Sciendum denique quartò, ex eo, quod B. Virgo fuerit, & dicatur sanctificata, non sequi eam aliquando fuisse sub peccato, quia sanctificationi accidit, vt expellat peccatum, quando scilicet illud inuenit. Instanti B. Virgo non fuit sanctificata ante animationẽ, cum nondum esset persona Virginis; ergo post animationem; & ita in aliquo instanti inuenta est non sanctificata, & consequenter sub peccato originali. Respondet Gabriel 2. d. 30. quæst. 1. art. 2. concluſ. 1. Azor p. 1. l. 4. c. vltimo, Suarez, & alij in eodem primo instanti, quo Virginis anima creata est, & corpori infusa, in eodem simul fuisse sanctificatam, etsi prius natura sit aliquem, hominem esse, quàm esse peccatorẽ, vel sanctum, cum esse naturale tam ad gratiam, quàm ad culpam, se habeat per modum subiecti respectu accidentis: sed hæc prioritas naturæ non facit ad propositum, non impedit enim, quin eodem momento, quo infusa est anima, infusa sit in gratia, iustitia, & sanctitate, eam Deo præseruante ab originali culpa.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 117. editæ anno 1564. quæ incipit. Quæ ordini. *& 120.* Ad Romanum.

EPITOME 112. 113.

Prohibitio disponendi, & testãdi de bonis Eccl. patrimonialibus, & proprio labore partis, in fauorem illegitimorum.

REVOCAT, & abolet Pontifex omnia quæcunque & à quibuscunque concessa priuilegia, dispensationes, & indulta faciendi testamenta, donationes, siue inter viuos, siue causa mortis, legata, & quascunque alias dispo

dispositiones, de dominiis, terris, castris, domibus, & quibuscunque aliis bonis immobilibus, mobilibus, & se mouẽtibus, etiã patrimonialibus (ex bulla 120. aliâs 152. *Ad Romanũ*) nec non pecuniis, iuribus, actionibus ex beneficiis, fructibus, pensionibus, & aliis rebus Ecclesiasticis quibuscunque confectis, acquisitis, & quomodolibet prouenientibus: nec non de peculio, & aliis, etiam sola industria, labore, muneribus, & alio quocunque modo partis, cuiuscunque quãtitatis, qualitatis, speciei, naturæ, & valoris sint, in quoscunque illegitimos, siue suos, siue extraneos, etiam legitimatos; eosdemque in toto, vel in parte heredes instituendi, & substituendi, seu quòd ipsi ab intestato succedant, cæterasque huiusmodi facultates, & capacitates succedendi in bonis, & rebus feudalibus, & emphyteoticis, ab Ecclesiis, monasteriis, & locis piis profectis. vt etiam abrogat quascunque facultates concedendi similia Legatis, Nunciis, Capitulis, &c. ita vt priuilegiorum, dispensationum, facultatum, habilitationum, capacitatum, indultorum, & aliorũ supradictorum sic reuocatorum, aut etiam litterarum legitimationis prætextu, nullus omnino de huiusmodi bonis, rebus, pecuniis, iuribus, iurisdictionibus, & actionibus in commodum, & fauorem illegitimorũ vtriusque sexus, siue eorum filiorum, siue consanguineorum, affiniúmve, siue extraneorum etiam in statu sæculari procuratorum, ac legitimati quacunque auctoritate donatorum, & ad huiusmodi res, & bona, eiusque successionem testato, vel intestato idoneorum, & capaciũ effectorum, siue testamento, siue donatione, siue legato, siue eleemosyna, siue alio quocunque titulo, & pio opere (exceptis in communi, ac omni fraude, conuentione, seu compositione cessante hospitalibus expositorũ, & orphanorum) disponere; nec illegitimi ipsi eis ab intestato, siue protinus, siue per interpositas personas, ac quomodocunque succedere, aut illa ad eos vllo tempore peruenire possint. Quod si prædictorum quisquam fuerit violator, testamentum, legatum, & dispositio non teneat, nec etiam quoad alios capaces, & res cæteras; sicque disponens priuilegio, dispensatione, facultate, & indulto prædicto, eiusque vsu, & commodo,

etiam

etiam in cæteris omnibus, ſit ipſo iure priuatus. Bona verò, res, & iura feudalia, vel emphyteotica (aliis legitimis non exiſtentibus) eo ipſo deuoluta, ac iuri, & proprietati ſuarum Eccleſiarum, & locorum reſtituta, cum reliquis eorum bonis conſolida eſſe declarat.

THEOREMA 302.

FInis huius Conſtitutionis, vt ex eius initio patet, & aduertit Nauarr. Comm. de Clericorum ſpoliis. §. vltimo num. 3. fuit, tollere ſcandala, quæ oriebantur ex bonorum immobilium Eccleſiarum, & reddituum, ac peculiorum Clericorum, quæ debentur pauperibus, & piis locis, ac operibus, tranſmiſſionem ad fornicarios Eccleſiaſticorum filios, & nepotes, quorum cauſa Eccleſiarum ſubſtantias periclitari dicit. c. de Syracuſana. d. 28.

Prohibet itaque Pius V. hac conſtitutione. Primò, ne poſſit laicus ex feudo, emphyteuſi, aut penſione Eccleſiaſtica, ſi quam habet in teſtamento, aut extra, erogare aliquid in illegitimos vtriuſque ſexus proprios, vel extraneos, ſiue in eorum coniuges, ſiue parentes, ſiue filios, aſcendentes, & deſcendentes, ſeu alios cognatos, etiam paupertatis, & dotis intuitu, ſiue viuis, ſiue mortuis ipſis illegitimis, nec eos ex toto, aut ex parte heredes inſtituere, aut ſubſtituere, ita vt accipiant ab alio ex patris inſtitutione, ſeu ordinatione. qua de re Leſſius. l. 2. c. 19. num. 59. 76. & ſeqq. & Couar. de Teſtament. c. 16. & Gomez tom. 1. c. 3. & ſeqq. valeat, aut ipſi ab inteſtato in prædictis ſuccedere, ne peculium Chriſti ad ſpurios, & illegitimos tranſeat. ita Azor p. 2. l. 7. c. 10. quæſt. 11. Deciſio Rotæ Romanæ 484. p. 1. in nouis 505. etſi Nauarr. Comm. de ſpoliis §. 19. num. 4. intelligat de omnibus bonis. Virtute, inquam, priuilegiorum, & indultorum, quæ conueniunt alicui iure aliquo ſpeciali (de his enim tantùm Pontifex loqui videtur, ex Nau. num. 9. Azor, & deciſ. Rotæ.) non autem de facultatibus teſtandi, quæ conueniunt iure communi, videlicet cauſa dotis, vel alimentorũ, quando tales filij ſunt ita pauperes, vt nihil habeant aliunde, ex quo viuant, etiam ſi ſint ſpurij, ex c. cum haberet. tit. de eo, qui duxit in matr. quod correxit ius ciuile, id ſpuriis denegans. Authent. licet. Cod. de natur. lib. in fine. & Nouell. 74. c. 6. Claro de Teſtam. q. 31. & Couar. de matr. p. 2. c. 8. §. 5. n. 5. ſi enim aliunde habeant, vnde commodè ſuſtententur, cum tunc facultas non poſſit conuenire, niſi iure ſpeciali, quod iure communi, tunc pater nõ teneatur eum alere. l. ſi quis à liberis. §. ſi filius. & §. ſolent. ff. de lib. agnoſc. nihil ei erogari poterit, alimentorum aut dotis cauſa, quæ loco alimentorum ſuccedit, ex Bartol. l. vxorem. §. pater naturalis. ff. de legat. 3. Ex quo infert Antonius Gabriel lib. 6. comm. tit. de alimentis. Hieronymus Gabriel. conſil. 25. Baldus conſil. 457. num. 1. ad finem. Boërius deciſ. 127. Molina de primogen. l. 2. c. 15. num. 50. Barboſa 4. p. l. 1. ff. ſolut. matr. n. 69. & Rebell.

Scortia.

p.2. l. 5. quæst. 17. sect. 1. num. 3. non debere dotem regulariter excedere quantitatem alimentorum.

THEOREMA 303.

SEcundo loco Pontifex prohibet, ne Clericus ex bonis Ecclesiæ, aut ex suo patrimonio, vel quibusuis aliis bonis sua industria partis, aut aliunde, quàm ab Ecclesia acquisitis (quod in laico nõ prohibebatur) etiam dotis, & alimentorum causa in testamento, aut extra, filiis spuriis, & illegitimis, eorúmve cognatis erogare, ne huiusmodi bona cum aliorum offensione ad hos indignos deueniant. quod absolutè dictum cum videatur valdè graue, Nauarr. cir. num. 9. 10. 11. Azor p.2. l.7. c. 10. quæst. 21. & DD. de Rota decis. 505. intelligunt, id non licere aliquo priuilegio speciali. vnde si cui sit concessum priuilegium. v. g. vt talibus illegitimis etiam habentibus aliunde, vnde viuant, possit dotem vel alimenta præbere ex bonis Ecclesiasticis, vel aliis, vel eos heredes ex toto, aut parte instituere, vel substituere, vel vt ipsi ab intestato succedant, præsenti constitutione abrogatur. non autem si aliquid iure communi sit illi concessum; & ideo etiam post editam constitutionem, licere Clericis iure dotis, & alimentorum relinquere filiis spuriis, non solum ex bonis patrimonialibus, & profanis, sed etiam ex fructibus beneficiorum non habentibus vnde aliunde viuant, quia id iure communi conceditur. c. cum haberet. de eo, qui duxit in matrim. & sermo est de spuriis, eamque sententiam ex dicto cap. tradit etiam Innoc. Panor. & Glossa. & non derogetur iuri communi, nisi expressis verbis. Quæ interpretatio mitior est, & æqua. Tum quia Pontifex semper videtur agere de priuilegiis: quod autem iuri communi conceditur, non est, priuilegium, aut licentia, aut indultum. Tum quia naturalis iuris sit, vt filiis quibuslibet debeantur à parentibus alimenta, si aliunde non habeant, vnde viuant. & ideo etiam Clericus suos filios, etiam spurios, tenetur alere, & filias, si velint nubere, dotare; vt etiam tenet Couar. de matr. p.2. c.8. §.6. num.7. & 8. Pontan. tr. de aliment. c. 1. num. 11. 12. Anton. Gomez in l.9. Tauri num.37. Specul. qui filij sint legitimi. §.1. versu. *Sed pone quidam.* num. 12. Bartolus in l. si quis à liberis. §. parens. ff. de lib. agnosc. Cardinalis Palæotus tr. de nothis, & spuriis. c.44. Syl. v. Clericus. 4. quæst. 14. Curtius de Iurepatron. v. honorificum. num. 12. Rebell. p. 2. de oblig. Iust. l. 5. quæst. 8. sect. 1. num. 3. vbi alios plures citat. Lessius. l. 2. c. 19. num. 67. & seqq.

Porrò alimentorum nomine intelliguntur, quæ pro conditione personæ sunt necessaria, vt victus, vestitus, habitatio, medicinæ, &c. l. legatis. ff. de alimentis, & cib. legat. eaque omnia, quibus tuendi, & curandi corporis nostri gratia vtimur. l. verbo victus. ff. de signif. verb. & res, quæ ad disciplinas, & honestas artes addiscendas pertinent. l. qui filium. ff. vbi pupill. educ. debeant, & generatim omnia liberorum onera, vt filij vxorem, & filios, si habent, & familiam, pater sustentare iure cogitur, Bartolus. l. si quis. §. non tantum. ff. de liber. agnosc. & Glossa in

sa in c.admonere.33.quæst.11.quæ sunt præstanda spectata conditione parentis, & prolis, prout prudens arbitrabitur, vt colligitur ex dicto cap. cum haberet. & scribit Menoch. l. 2. de arbit. casu 169. Quorũ loco in filia succedit dos, vt diximus, & docet Nau.num.11. Couar.num.15.& Anton. Gabriel l. 6. commun. tit. de alim. debebit tamen in huiusmodi alimentorum, & doris mensura definienda discrimen constitui inter spurios, inter naturales, & inter illegitimos ex sententia Baldi consil.267. num.6.lib.1.& Rebellij sect.2.n.5. & 6.loco cit.

THEOREMA 304.

TAndem in abolendis facultatibus concessis ad disponendum de rebus Ecclesiasticis, aut sæcularibus in illegitimos, & successionis incapaces filios, & extraneos, ac parentes, & cognatos eorum, Pius V. facit pares Vniuersitates, & collegia, & pia loca, exceptis hospitalibus expositorum, & orphanorum,& hoc in communi tantùm,& omni fraude, & conuentione cessante, & personas singulares, vt Nauarrus etiam num.4.& 6.notauit. Etsi enim huiusmodi Vniuersitates non sint filiorum capaces, nec per hoc detur eis occasio Veneris, vt accidit in personis singularibus, eas tamen comprehendit, vt tollat occasionem à singularibus personis Ecclesiasticis, vtendi iisdem Venereis, quæ poterant tacitè conuenire cum prædictis Collegiis,vt bona, quæ ipsis darent, vel relinquerent, darentur filiis illegitimis,retenta sibi eorum parte aliqua, vt insinuatur, dum in excipiendis hospitalibus orphanorum, & expositorum, limitat, vt solum procedat, cum dantur eis in communi, & nulli eorum in particulari, omni fraude, & conuentione cessante. Vt etiam ad obuiandum fraudibus, quibus Clerici inter se conuenire poterant, vt alter alterius filios illegitimos, vel eorum cognatos, heredes, vel legatarios, aut donatarios institueret, vetuit dispositionem in filios illegitimos extraneos,nec non parentes,filios, aut cognatos eorum.

THEOREMA 305.

QVoad pœnas verò, qui habent huiusmodi facultates, quæ solum reuocantur quatenus tangunt illegitimos, si illis fuerint vsi quoad illegitimos, reuocantur etiam quoad cætera in eis contenta. Vt etiam omnia, quæ earum virtute facta fuerint. Bona quoque res, & iura feudalia, & emphyteotica, de quibus fuerit dispositum virtute prædictarum facultatum Apostolicarum in filios illegitimos proprios, vel extraneos, aut cognatos eorum, cadant in commissum. Ideo si alij legitimè vocati, non extent, eo ipso deuoluuntur iuri, ac proprietati suarum Ecclesiarum, earúmque cæteris bonis incorporantur, vt notat etiam Nauarr. loco cit. num.7.& 8. Irritumque erit, & inane quicquid scienter,aut ignoranter fuerit attentatum.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 118. aliàs 148. editæ anno 1571. quæ incipit.

In eam.

EPITOME 114.

Damnãtur cambia ficca, & pecuniarum monopolia.

DAMNAT Pontifex. §.2. Cambia ficca, nempe quando contrahentes simulant celebrare Cambia ad certas nundinas, & loca, & ad ea dantur quidem, sed non mittuntur litteræ, vel si mittuntur, transacto tempore refetũtur inanes, vel etiam nullis traditis litteris reposcitur pecunia cum interesse eo in loco, in quo contractus fuerat celebratus, quippe cum talis esset intentio contrahentiũ. Vetat pariter tamquam vsurarium, ne in Cambiis realibus Campsores constitutum solutionis terminum ex tacita, vel expressa conuentione, lucro recepto, aut promisso differant. & statuit, ne quis audeat siue à principio, siue postea, censum, & detetrminatum interesse, etiam in casu non solutionis pacisci. Neque realia Cambia aliter, quàm pro primis nundinis, vbi illæ celebrantur, vbi verò non celebrantur, pro primis terminis iuxta receptũ locorum vsum exercere, abusu illo penitus reiecto cambia pro secundis, ac deinceps nundinis, seu terminis exercendi. Curandum etiam est, vt in terminis habeatur ratio longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus solutio destinatur, & quò sunt mittendæ litteræ, quæ effectum suum consequantur, & non sint inanes.

§.3. Contra facientes incurrunt pœnas vsurariis inflictas. Eos quoque, qui congestam vndique pecuniam, ita ad se redigunt, vt quasi monopolium pecuniæ faciant, iisdem vult teneri pœnis, quæ contra exercentes monopolia sunt à iure constitutæ.

THEOREMA. 306.

CVm in Breui ad Bononienses, vt vidimus, Pius V. approbarit cambia realia debito modo facta, hîc de conditionibus tum realium, tum siccorum differit, vt cognitis, quæ cambia vitiant, quæque ad eorum iustitiam exiguntur, iniustitia, & vsuræ vitẽtur. Explicant autem hanc Constitutionem Nau. in Manuali c.17.n.201.& seq. Azor.3.p.l.10.tr.de cambiis. c.8.& 10. Lessius.l.2.c.23. Rebell.p.2.l.11. q.13. Tolet.l.5.c.53. Molina.d.403. & seq. Scaccia §.1.q.7.p.3. Ioan. Baptist. Lupus in c.nauiganti & alij. Illud verò in hac constitutione sancienda spectauit Pius V. vt ipsemet testatur. §.1. ne legitimus cambiorum vsus, quem necessitas, & vtilitas publica induxit, vsuraria cupidi

cupiditate depraueretur; cambiis quippe ſublatis, magna ex parte tollerentur negotiationes, ex Nau. conſil. 31. & Azore. cap. 31. q. 1. ſumptus multiplicarentur ob neceſſariam pecuniarū realem tranſportationē, monetarūmque idonearum conquiſitionem; noua inſurgerent naufragij, & latrocinij pericula; difficilior eſſet euectio, & inuectio pecuniæ in loca, quibus illa egemus; incommodiores redderentur peregrinationes in alienas prouincias, deeſſent ſæpè exercitibus ſtipendia, aliáque ſimilia ſequerentur incommoda in reipub. damnum, quæ videri poſſunt apud Calderinum conſil. 11. de vſuris. Nauarr. in Man. cap. 17. n. 389. in cap. nauiganti. de vſuris nu. 19. & l. 4. tit. de vſuris conſil. 31. Impr. Rom. Sigiſm. Scaccian. §. 1. q. 6. num. 7. 8. & §. 2. Gloſſ. 4. num. 6. Caiet. tr. de camb. cap. 5. Salonem ad S. Tho. 2. 2. quæſt. 78. in diſp. de camb. quæſt. 4. art. 2. Io. Bapt. Lupum. cap. nauiganti. de vſur. § 2. num. 10. 12. Couar. tr. de vet. coll. num. cap. 7. Azor. cap. 3. & 8. Conrad. de Contract. quæſt. 99. Boninſeg. de camb. cap. 2. Molin. loco citato, de quibus etiam Theor. 281. & ſeq. diximus.

THEOREMA 307.

DAmnat igitur §. 2. Pontifex primò cambia ſicca, vt illicita, ſiue dentur, ſed non mittantur litteræ, quarum virtute in locis ſtatutis ſoluantur cambia, ſiue mittantur ipſæ litteræ, ſed pro forma, vnde caſſo effectu, & inanes redeant, ſiue etiam nullæ tradantur litteræ, ſed tranſacto tempore, quaſi celebrata fuerint vera cãbia. ibidem capitale cum vſuris repoſcitur, iuxta contrahentium conuentionem tacitam, vel expreſſam, non ſecus ac ſi fiat etiam in depoſito, & ſimilibus contractibus, in quibus traduntur pecuniæ, vt ibidem ſuo tempore cum vſuris reſtituantur. Id enim cambium fictitium eſt, & vſurarium, vt docet Boninſeg. de camb. cap. 7. num. 2. & ſeq. Burſatus conſil. 399. n. 27. 29. lib. 4. Rota Rom. deciſ. 173. in Impr. Romæ. num. 3. Hieronym. Gabriel conſil. 258. num. 1. lib. 2. Fabianus. tr. de camb. initio n. 22. Verè enim eſt mutuum, & non cambium, vt patet, quia litteris præcipitur alicui, vt fiat ſolutio in alio loco, quàm vbi campſor dat campſuario pecuniã ad cambium, ergo ſi litteræ non mittuntur, aut ſolum mittuntur pro forma, euidens eſt eos indendere reſtitutionē pecuniarum faciendam cum lucro in eodem loco, vbi datæ ſunt, & conſequenter eſſe mutuum ex Caiet. cap. 1. num. 4. Soto q. 13. n. 1. concl. 3. Syl. v. vſura q. 9. 6. dicto 6. Angel. vſura 1. num. 54. Roſel. vſura 6. num. 13. Tabien. vſura 15. n. 4. Armil. campſor. num. 8. Azor c. 8. condit. 2. Salas de camb. dub. 14. & Molina diſp. 404. vnde naſcitur reſtitutionis obligatio. Notat tamen Nauar. cap. 17. num. 289. & in cap. nauiganti. de vſur. num. 21. & ſeqq. & Scaccia §. 1. q. 5. nu. 10. litteras mitti in defectum perſonæ, nuncij, aut procuratoris, quæ plus poteſt, quàm litteræ; ideo ſi mitteretur ad hoc procurator, nihil referret, ſi non mittuntur litteræ; cum hæ illius vicem ſupleant; quod enim fiat per vnum, vel aliud, non pertinet ad iuſtitiam cambij, ſiue id ſit nundinale, ſiue

nou, ſcriptura enim non eſt de eſſentia contractus cambij in foro conſcientiæ, ſed ſolùm requiritur ad probationem, & celerem executionem contractus in foro externo. Ipſa autem cambij ſcriptura aliquando fit per inſtrumentum publicum, quo debitor promittit conuentum pretium cambij tali loco, & tempore ſoluere alicui certæ perſonæ à creditore in inſtrumento deſignatæ, & ſolutionis factæ authenticum teſtimonium tranſmittere, cuius exemplum habes apud eundem Scacciam; ſed frequentius fit per priuatas litteras cambij à recipiente pecunias ſcriptas, vel ſubſcriptas creditori traditas, quorum virtute in conuento loco fiat ſuo tempore ſolutio contracti debiti, de quibus eſt hoc loco ſermo. Videndus Azor cap. 5. quæſt. 4. Caiet. cap 6. 7. 8. Sotus l. 6. de iuſt. q. 10. art. 1. & quæſt. 11. art. 1. & q. 12. art. 1. & 2. Nauarr. cap. 17. n. 289. 290. Lupus tr. de vſur. com. 3. §. 2. num. 58. 59.

THEOREMA 308.

DEclarat ſecundò, illicitum eſſe cambium, cuius lucrum augetur propter auctam dilationem ad ſoluendum, vt ſi Titius det ad cambium Sempronio 1000. pro primis nundinis Placentinis ad rationem ſolidorum 65. pro quolibet ſcuto de marcha, deinde ei proroget ſolutionis tempus vſque ad ſequentes nundinas cum pacto, vt cambium intelligatur ad rationem ſolidorum 64. vnde fiat, vt ratione ſolius temporis lucretur vnum ſolidum pro quolibet ſcuto; id enim habet manifeſtam rationem mutui, & vſuræ, vt colligitur ex cap. conſuluit. tit. de vſuris. Hieronymo de Luca tr. de camb. num. 45. 46. Soto q. 10. art. 2. & quæſt. 12. art. 5. Fabiano de camb. n. 15. Azor cap. 8. condit. 3. Nauar. cap. nauiganti. num. 25. & in man. cap. 17. num. 301. Hier. Gabriele conſil. 158. num. 3. lib. 2. Scaccia §. 1. quæſt. 7. p. 3. limit. 1. num. 4. Leſſio num. 88. 89. Salonio q. 4. de camb. art. 2. controu. 18. cum ſit vſura recipere maius lucrum habita ratione longioris temporis præcisè. Si enim campſor ex maiori ſolutionis diſtantia patiatur lucrum ceſſans, aut damnum emergens, licebit ei non ratione cambij, ſed ratione intereſſe, quod deberur pro quouis credito, ſi verè, & iudicialiter probetur, poſt moram, quod ſua intereſt, exigere in iudicio ex Azor loco cit. condit. 4. vt etiam dixit in cenſu. c. 13. q. 1. & Leſſio loco cit. & cap. 20. dub. 10. de mutuo. Scaccia num. 5. ibidem, & p. 2. ampliat. 8. num. 57. 58. Baldus. l. rogaſti 11. §. ſi tibi. ff. ſi certum pet. 10. de Anan. cap. fin. num. 62. de vſur. Decio conſil. 111. num. 14. & 119. n. 10. 11. Cagnolo in l. 1. num. 51. Cod. de ſent. quæ pro eo. Deciſione Rotæ Gen. num. 91. & Rotæ Rom. 67. & 193. Lupo in l. curabit. §. 6. n. 26. Cod. de act. emp. Alex. conſil. 27. num. 45. Surdo conſil. 327. nu. 54. 55. Molina d. 404. num. 5. Valent. t. 3. d. 5. quæſt. 3. p. 4. Garzia de contract. cap. 36.

THEOREMA 309.

AD tollendas quoque peccandi occaſiones, & fœneratorum fraudes, præcipit tertiò, ne quis

quis audeat ſiue à principio, ſiue aliàs, certum,& determinatum intereſſe, etiam in caſu non ſolutionis paciſci. timet enim legiſlator ne exactam excedat ſummam lucri ceſſantis, aut damni emergentis verè paſſi. cum ex iure naturali obligatio ad maiorem ſummam non poſſit contrahi,quàm ſit damnum datum, ex Iaſone in l.rogaſti. 11. §. tibi. ff. ſi certum pet. Leſſio. num. 82. Rebell. l. 11. quæſt.13. Non prohibet tamen ne fiat pactum de lucro taxãdo per iudicem, aut arbitrio viri prudentis, ſed ſolum ne is, qui ad cambium dat, taxet in cauſa propria, ex Azor cap.11. quæſt.2. ad 3. & quæſt.4. Leſſio nu.89. Scaccia §.1. quæſt.7. p.2. ampl.8. num.296. & limit.12. vt etiam accidit in cenſu ex Nau. cap. ſi fœnerueris. num. 93. verſ. tertium. Tum quia fieri poſſet, vt ex mea mora nullum damnum paſſus eſſes, ex Nauarr. cap. 17. num.292. Tum quia ipſi cambientes taxare non poſſint lucrum, aut intereſſe cambij futuri, cum ſit incertum, & modò cambium vno pretio fiat, modò alio. Tum quia aperiretur via vſuræ,& fraudibus. Quod ſi lucrum eſſet à partibus probabiliter, & abſque fraudibus taxatum,tenereturnè in foro interiori, vbi ceſſat fraudis ſuſpicio, facta taxatio? Affirmat Nau. c.17. num.301. verſ. 4. Garzias cap.35. num.8. Leſſius. num.90. Reginal. l.25.num.467. Salon de camb.q.4. art.2. controu. 14. & art.3. controu.13. num.2. Salas dub.26. n 2. & 4. Scaccia §.1.quæſt.7.p.2.ampl. 8. num. 61. quia nulla in re facta eſſet inæqualitas. & conſequenter poſſet lucrum retineri. In foro tamen externo habebitur pro non facta, vnde non obſeruabitur pactum vt conuentum, ſed ſolum vt debitum in ea quantitate, quæ probata fuerit ſua interfuiſſe, ex Baldo in l.11. rogaſti. §. ſi tibi. ff.ſi certum pet. Io. Anan. cap. fin. de vſur. Craueta conſil. 189. num.8. Leſſio loco cit. Rebell. quæſt.13. num.5. Deciſ. Rotæ Rom. 173. & 172. Imp. Rom. & ſanè cum mens Pontificis abſolutè videatur id vetare, vt illicitum cauendum eſt, vt rectè monet Leſſius, & Rebell.qui vltimus dubitat eſſe mortale. Non eſt tamen contra hanc conditionem, ſi campſor paciſcatur cum campſuario, vt ſi cambiorum lucrum iuxta pretium nundinarum excedat. v. g. duo pro centenario, duo tantum exigat, ſi verò minus, minus ſoluatur:ratio eſt, quia non fit pactum de lucro certo,cum poſſit eſſe maius, & minus, ſed ne excedat duo pro centenario.

THEOREMA 310.

ADiicit præterea, ne cambia realia aliter fiant, quàm ad primas nundinas, ſeu terminos, ſi nundinæ ibi non agantur. Intellige cum Nauar. cap.17. num.301. verſ. nota 5. & conſil. 31. de vſur. & opuſc. de Camb. num. 76. Molina d.404. Leſſio. num.91. Tolet. l.5. cap.53. & 55. Reginal. n.467. Salone contr.18. & 20. Salas dub. 26. Azor cap.9. quæſt.4. niſi cum eodem lucro, quo fieret ad primas nundinas (neque enim Pontifex prohibet, ne detur maior dilatio debitori,ſine vllo campſoris lucro. argumento quod ob gratiam. de reg.iur.lib.6.)& fundatur hæc conditio in iure naturæ. vnde etiam ante bullã eam poſuit Sotus q.12. art.5.

art. 5. Caiet. cap. 7. Sylu. vsura 4. quæst. 11. quia lucrum ex cambio licitum est ob distantiam locorum, non temporis, vt Nauarr. cap. 17. num. 290. & cæteri omnes notant & ideo vsura esset, si ratione longioris temporis intercedentis inter nundinas intercalares, vt vocat Rebell. Scaccia, & alij, & non intercapedinis locorum percipere tur lucrum. Nomine autem primarum nundinarum intelliguntur ex Nauarr. Molina locis cit. Scaccia §. 1. quæst. 7. cap. 3. limit. 14. num. 4. nundinæ illæ, ad quas post factum cambium peruenire primùm potest, & solui cambium. nam. v.g. instante tempore nundinarum Apparitionis posset quis dare ad cambium pro immediatè illas subsequentibus, seu intercalatis nundinis Paschalibus non percepto maiori lucro quàm si daret, iisdem Apparitionis nundinis finitis absque vllius vsuræ suspicione; secus si maiori lucro fieret, ex Fabiano de camb. cap. 15. Boninseg. cap. 7. Azor cap. 10. vers. 7. Romoaldo Coli. de camb. cap. 26. Scaccia loco citato.

THEOREMA 311.

IN constituēdis solutionum terminis præcipit Pontifex esse habendam rationem distātiæ, & propinquitatis locorum, ad quæ mittuntur litteræ, & faciendæ est earum virtute solutio, ne dicantur inanes, & absque effectu redire. Si enim longiores præfigerentur termini, videretur lucrum capi ratione temporis, & non distantiæ locorum, vnde aperiretur via fœnori, vt etiam notat Azor cap. 9. quæst. 3. Lessius num. 92. & Scaccia §. 5. Gloss. 1. Quare merito S. Anton. 2. p. tit. cap. 7. Rosel. vsura 6. Tab. vsura 15. Angel. vsura 1. num. 54. Sylu. vsura 4. quæst. 13. damnant vt vsurarium, qui dat Romæ 100. vt intra octo menses recipiat Parisiis 108. eo quod non sint in eo cambio tot menses necessarij, & ideo incrementum illud sumatur ratione temporis. Et quidem etiam in praxi seruatur, vt minus lucrum percipiatur (seruata paritate aliarum circunstātiarum) ex ciuitate proxima loco nundinarum, putà Genua, Mediolano, Bononia; quàm ex remotiori, Neapoli, Messana, Panormo; vt etiam minus lucrum percipitur Genua ad Placentinas, quàm ad Lugdunenses, & Metinenses nundinas. ex vicinitate enim locorum minuuntur causæ lucri cambiorum, & ex eorundem distantia augētur. vnde ob exiguam distantiam occasionem sumpsit Sotus l. 6. quæst. 10. art. 1. & quæst. 13. art. 1. & Lupus n. 70. negandi intra idem regnum licere cambium cum lucro; sed rectius solum moderatius lucrum deberi docuit. Medina quæst. 8. Nauarr. cap. 17. num. 290. Garzias cap. 36. Lopez cap. 11. Mercatus cap. 6. & 8. Molina d. 405. Boninseg. cap. 7. cum ex vicinitate locorum non tollantur omnino causæ lucri. Sed iam communi consensu Mercatorum sunt assignati termini faciendis solutionibus cambij in regressu è nundinis habita ratione distantiæ locorum, & commoditatis parandæ pecuniæ in feriarum, seu nundinarum capitulis Genuensibus. Neque enim de ipsis nundinarum terminis agitur, vt notat Lessius nu. 92. & Scaccia §. 5. Gloss. 1. num. 1. qui triplo, & sæpe

sextu

sextuplo sunt longiores, quàm postulet intercapedo locorum, quia in nundinis alia tempora non constituuntur, quàm nundinarum, sed vel de litteris cambij in redditu nundinarum, quibus certus dies apponitur faciendæ solutionis, vt Genuæ v. g. post 20. dies à die impositionis pretij factæ Placentiæ, Florentiæ verò 25. &c. vel, quod probabilius videtur, sermo est de terminis extra nundinas, ex auctoribus citatis solutionis faciendæ ex vna ciuitate in alia, vt v. g. in cambiis factis Mediolani pro Genua dantur dies octo à præsentatis litteris; pro Roma, & Florentia dies 10. ab iisdem litteris præsentatis; pro Venetiis dies 20. à scriptis litteris; pro Antuerpia dies 60. à litteris scriptis. & ob id solet in litteris apponi (nisi aliud conuentum fuerit) clausula. *pagarete ad vso.* quod idem est ac solues tempore communi vsu recepto. Quod si aliquando vrgeat necessitas, ob quam ita inter partes sit conuentũ, vt statim soluatur cambium, apponitur, *pagarete à lettera vista*, seu visis litteris. quamuis & tunc dari soleat aliquantula dilatio. qua de re Scaccia §. 2. Glossa 5.

THEOREMA 312.

IAm §. 3. statuit Pontifex, vt qui contra hanc Constitutionẽ commiserint, incurrant pœnas à sacris Canonibus inflictas vsurariis. vt primò sint ipso iure infames. cap. infames 3. quæst. 7. §. porrò. & l. improbum. Cod. ex quib. cau. infam. irreg. Secundò, ne eis Sacramenta ministrari possint, antequam vsuras in quantum possunt, restituant, aut præstent idoneam cautionem de restituendo. c. quamquam de vsur. l. 6. nolentibus id facere nemo potest esse testis in testamento, nemo illorum confessiones audire, testamenta sunt irrita, & carent Ecclesiastica sepultura. Debent tamen esse manifesti, & notorij, quales sunt, qui in conspectu populi exercent vsuras. Qua de re Nauarr. cap. 17. num. 280. Clarus §. vsura. num. 13. 14. Menoch. l. 2. de arb. cap. 285. Rebell. in fine l. 8. Quæ verò dicatur idonea cautio, explicatur ab eodem Nauarr. ibid. num. 279. Tertiò ex c. 1. de vsur. l. 6. vt à nulla persona Ecclesiastica, siue Collegio, Vniuersitateque, aut alia particulari, vsurarij externi admittantur aut patiantur admitti in locis ad exercendas vsuras, eósque Clerici intra tres menses expellant, alias Patriarchæ, & Episcopi ipso facto suspendũtur. Si verò sit Collegium, aut Vniuersitas, ipso facto incurrunt interdictum. Quod si per menses indurato animo sustinuerint, ex eo tempore ipsorum terræ supponuntur etiam interdicto quoulque prædictos vsurarios expellant. Laici autem per Ordinarios compescantur censuris Ecclesiasticis, non obstante quouis priuilegio. Qua de re Azor t. 3. l. 5. cap. 18. Lessius l. 2. cap. 20. dub. 20. Couarr. l. 3. var. resol. cap. 3. Sylu. vsura. 9. quæst. 4. Clarus §. vsura. Menoch. l. 2. de arb. cap. 398. Molina de contr. d. 344.

THEOREMA 313.

TAndem Pontifex vetat fieri pecuniarũ Monopolia, quod etiam ante bullam damnauit Sotus

quæst. 12. art. 3. cum scilicet vnus, vel pauci Mercatores omnem pecuniam, aut certè magnam partem hinc inde corradunt, & congregant penes se, vnde magna sequitur pecuniarum penuria. & ob id, qui pecunias collegerunt suo arbitratu ponunt pretia exigentibus ad cambium. Factum est autem Monopolij nomen ex l. vnica. Cod. de Monop. Glossa ibidem. Salone 2.2. post quæst. 78. tit. de Monop. Iodoco in pract. crim. cap. 132 à græca voce, *monos*, quæ vnum significat, & polium, quod est venditio: vnde monopolium denotat singularem venditionem, seu negotiationē, & damnatur in qualibet negotione. l. 1. Cod. cit. tanquam contra iustitiam, & commune Reipublicæ bonum, eo quod merces cariores fiant, & nemo debeat locupletari cum iactura alterius. de reg. iuris. l. 6. num. 48. Videndus Tolet. l 8. cap. 53. Gabr. 4. d. 15. quæst. 10. art. 3. Medin. de restit. quæst. 36. Azor 3. p. l. 8. cap. 28. tr. de vendit. & l. 10. cap. 11. q. 14. Petr. Greg. l. 36. Syntag. cap. 30. Menoch. l. 2. de arb. cas. 569. Reginal. lib. 25. num. 327. & seq. & n. 454. Boninseg. de camb. c. 7. Fabianus de camb. n. 20. 21. Less. lib. 2. c. 2. n. 144. Molina d. 341. Graff p. 1. l. 2. cap. 114. Sylu. v. emptio. q. 13. & v. negotium q. 2. Rosel. emptio. num. 23. 24. Sotus l. 6. quæst. 1. Nau. cap. 23. num. 91. 92. & opusc. de camb. num. 19. Scaccia §. 1. q. 7. p. 2. limit. 10. Aragona 2. 2. q. 27. art. 4. Porro l. 1. Cod. citato, auctores Monopoliorum bonis omnibus spoliantur, & mulctantur perpetua exilij pœna. Quibus verò modis soleant monopolia in genere fieri, explicat Iodoc. loco citato, & Menoch. vbi supra, sed an semper insurgat restitutionis obligatio, consulendi sunt Theologi locis citatis.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 133. aliàs 135 editæ anno 1571. quæ incipit.

Romani Pontificis.

EPITOME 115

Regulares non approbati ab Ordinariis non audiant sæculares Confessiones.

STATVIT legislator, quicquid aliàs Constitutione 41. *Eisi mendicantes.* constituisset, vt Regulares cuiuscumque ordinis confessiones sæcularium audire non possint, nisi fuerint ab Ordinariis approbati: Ita tamen, vt qui semel ab Episcopo in ciuitate, & diœcesi præuio examine approbati sunt, non iterum ab eodem examinentur; ab Episcopo tamen successore pro maiore suæ conscientiæ quiete de nouo examinari possunt.

THEOREMA 314.

MAteria huius Constitutionis habetur etiam in Greg XIII. bulla *In tanta* & in Concilio Trident. sess. 25. cap. 15. & tangitur etiam 16. quæst. 1. cap. peruenit. & §. ecce. & §. hoc idem. déque ea disserit Hostiensis extra de officio Archidiac. cap. 1. §. Confessiones. Archidiac cap. perlectis. d. 25. n. 17. Dubitatur autem an approbatus in vno Episcopatu ad Confessiones audien-

audiendas, possit etiam sęcularium etiam sacerdotũ confessiones excipere in cæteris diœcesibus absque noua illarũ Ordinariorũ examinatione. Qua in re affirmatiuam sententiam secutus est Henriquez l. 3. cap. 6. num. 7. & l. 7. cap. 12. num. 4. qui pro se alios citat. Ægidius Conich. t. 2. d. 8. de ministro pœnit. dub. 7. num. 52. dummodo Confessor sit approbatus absque limitatione facultatis, nec Ordinarij locorum prohibuerint in particulari, Confessarios alibi approbatos audire confessiones in suis diœcesibus. & Corduba in sum. quæst. 10. dub. 2. quia in Concilio Tridentino, & bulla Pij V. solum dicatur, ne possint audire, nisi fuerint approbati ab Ordinario, non autem specificatur, vt à singulis, in quorum diœcesibus audire debent, Ordinariis sint approbandi. Sed oppositam sententiam multò probabiliorem censent Archidiaconus. in d. cap. perlectis d. 25. qui etiam citat Raymundum, Hostiensis loco citato. Rodericus t. 1. quæst. 59. qq. canon. & regul. Suarez t. 4. disp. 28. sect. 7. num. 5. Reginal. l. 1. num. 186. 188. 201. Vazquez de pœnit. q. 93. art. 3. dub. 4. num. 3. Quaranta v. Confessor. Beia 4. p. casu 20. Zerula in praxi de Sacram. Pœnit. cap. 16. quæst. 8. Tum ex loco Concil. Tridentini, quod ex communi sententia intelligendum est, vt ab Ordinario loci illius, vbi vult audire confessiones, sit approbatus, vnde Illustrissimorum Congregatio apud Quarantam & Roderic. locis cit. respondit Io. Riberæ Archiepiscopo Valentino eam consulenti, approbatum ab alio, quàm à Valentino Episcopo in diœcesi Valcatina non censeri approbatum. interpretatio enim Concilij facienda est, quantum fieri potest conformis iuri communi, in quo teste Archidiac. loco citato ita decisum est, & fauet. cap. peruenit. 16. q. 1. & ibid. §. ecce. & §. hoc idem. Tum ex communi praxi. 2 Tum quia conuenit, vt 3 Episcopus diœcesis cuiusque cognitionem habeat suorum cooperariorum, eum ei præcipua incumbat cura suarum onium. cap. vt animarum periculo. de constit. l. 6. Tum quia sicut mortuo Episcopo, 4 successor potest iterum examinare à prædecessore approbatos Confessarios, ex hac eadem extrauag. Pij V. pro quiete suæ conscientiæ, ita potest examinari ab Episcopo alterius diœcesis, in qua sacerdos auditurus est sæcularium confessiones, qui in alia fuit approbatus, vt sciat Episcopus cui suas oues curandas committat, cum par sit vtriusque ratio. Tum 5 quia cum huiusmodi facultas sit Ordinariis præiudicialis, strictè est interpreteranda, iuxta ea, quæ de iure notantur. cap. olim. de verb. sig. Tum quia idem colligitur ex 6 Eugenio IV. qui concessit Mendicantibus, vt si semel habita licentia ab Episcopo audiendi confessiones subditorum, casu aliquo aliò transferantur, & denuo redeant, vnde discesserant, non esse necesse, vt se iterum eidem Episcopo præsentent, & denuo obtineant licentiam; innuens manifestè, secus dicendum, si confessiones velit audire in diœcesi, in qua nondũ fuit approbatus, vt notat etiam Rodericus. Tum quia Gregorius 7 XIII. speciale priuilegiũ concessit Patribus Societatis Iesu, vt dum transeunt per alienas diœceses, si

semel fuerint approbati, possint confessiones fidelium excipere in locis scilicet, vbi Ordinarij non residenr, secus vbi residenr, nisi eorum licentia desuper prius obtenta; quod sanè aperte ostendit eos præciso tali priuilegio non potuisse audire fidelium confessiones in noua, seu aliena diœceli, in qua nondum ab Ordinario approbati essent. Quod autem ait Nau. cap.27. num.264. 265. mendicantibus saris esse, si licentiam ab Episcopis petierint, quamuis ipsi non concedant, meritò improbatur à Suarez t.4. d.28. sect.5. n.6. & 11. necesse est enim, vt non tantum sit petita, sed eriam obtenta. ex præsenti Constitutione Pij V. & quia Concilium decernit, nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem obtineat. non obstantibus, &c. quæ eriam Gregorius XIII. in bulla. *In tanta.* reduxit ad formam Concilij.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 135 olim 138. editæ anno 1571. quæ incipit.

Ex proximo.

EPITOMES 116.

Ecclesiastici non recitantes Officium non faciunt fructus suos.

VM Lateranense Concilium sub Leone X. sess 9. cap.9. statuisset, vt qui beneficium habent, si post sex menses, quàm illud obtinuerint, diuinum officium legitimo cessãte impedimento non dixerint, beneficij fructus pro rata non faciant suos, sed in beneficiorum fabrica, vel pauperibus erogare teneantur; Pius V. in §.1. huius extrauagantis ratam declarat, nempe, vt qui omnes horas omiserint, omnes fructus beneficij pro illo tempore amittant; qui matutinum, dimidiam partem; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui earum singulas, sextam partem fructuum illius temporis; &, vt Canonicus iii choro præsens, sed non cantans, fructus, & distributiones amittat, quas, si cantasset, lucrifecisset: quamuis prædictis sex mensibus non recitans, non cogatur fructus restituere, etsi grauiter peccet. Habentes quoque pensiones, fructus, & res Ecclesiasticas, vt Clericos, obligari ad Officium paruum B. V. Mariæ, codémque modò obnoxios esse amissioni pensionum.

THEOREMA 315.

CErtum est morem recitandi certis temporibus diei, ac noctis Psalmos, & hymnos in Dei honorem esse antiquissimum in Ecclesia, nempe vsque ab Apostolorum tempore, etsi processu temporis aliqua sint addita, & magis ordina

ordinata, vt patet ex 1. Cor. 14. *orabo ſpiritu*, &c. Clement. l. 8. conſtit. c. 34. Tertull. in Apol. c. 2. vt etiam ibidem annot. 520. notauit Pamelius. Cypriano, in expoſitione orationis Dominicæ circa finē. Athanas. l. de Virgin. ſeu exercit. Baſil. in reg. fuſ. diſp. interrog. 37. & ſerm. 1. de ſtatu Monach. vbi omnium horarum meminit. Hieronym. epiſt. 22. & 28. Ad Euſtoch. epiſt. 7. ad Lætam. epiſt. 8. ad Demetriadem. Chryſoſt. hom. 59. ad pop. Amb. qui hymnos pro ſingulis horis compoſuit. Caſſiodor. l. 6. c. 29. vbi refert Iulianum id æmulatum tranſtuliſſe etiam ad Paganos. Beda. in c. 18. Lucæ. quod & Synagogæ tempore obſeruauit Dauid Pſal. 118. mediâ nocte, &c. & Eſdras. l. 2. c. 9. quare malè ſenſit Sigebertus id à Damaſo inſtitutum, in Chron. anni 382. Id autem eſſe iuris diuini putauit Abbas. c. 1. de celeb. Miſſ. Cardin. in Clem. eodem tit. Turrecrem. c. presbyter d. 91. ſed Canonici tantum iuris eſſe docent Syl. v. hora. quæſt. 9. n. 8. Toletus l. 2. c. 10. & ſeq. Azor. p. 1. l. 10. c. 1. quæſt. 7. Suarez tom. 2. de religion. l. 4. de horis canon. Nau. de horis. Ledeſma. 2. 4. q. 16. art. 4. & cæteri communiter, ideo enim dicuntur horæ Canonicæ, quia præceptæ ſunt à Canonibus. d. 91. & 92. & c. dolentes. de Miſſ. celeb. & Clement. 1. eōdem tit. Leone X. in Concil. Lateran. ſeſſ. 9. c. 9. non enim, vt aliquid dicatur eſſe iuris diuini, ſufficit ſi in ſcriptura habeatur, idque etiam Dauid, & Eſdram feciſſe, aliter idem tenerentur facere omnes Chriſtiani Reges.

THEOREMA 316.

AD huiuſmodi autem horarum Canonicarum recitationem quotidianam ceſſante legitimo impedimento, tenentur primò, qui ſacris Ordinibus ſunt initiati, ſiue ſint Sacerdotes, ex communi iuris Canonici interpretibus, Nauart. de oratione. c. 7. & in Man. c. 25. n. 97. Syl. v. horæ. Azor. t. 1. l. 10. c. 3. 5. & ſeq. Leſſ. l. 2. c. 37. dub. 9. S. Thom. quodlib. 6. art. 8. Et conſtat ex. c. presbyter. d. 91. & de celeb. Miſſæ c. 1. quamuis de initiatis ratione ſui patrimonij contrarium plures ſenſerint, teſte Gloſſa. c. vltimo. d. 92. ſine Diaconi, & Subdiaconi, ex generali totius Eccleſiæ conſuetudine, etſi de hoc non extet expreſſus Canon, ex Nauarr. de oratione. c. 7. num. 2. Azor. t. 1. l. 10. c. 5. quæſt. 1. Leſſio loco cit. Suarez t. 2. de releg. l. 4. de horis, ſi non habeant beneficium, de quibus eſt ſermo. c. ſi quis presbyter. d. 92. licet aliqui adducant c. dolentes. de Miſſ. celeb. quod tamen non exprimit, quinam intelligantur per presbyteros, & minores Clericos, quibus horarum recitatio præcipitur in virtute S. Obedientiæ, ad quam recitationem prædicti, & cæteri tenentur, etiam ſi fuerint degradati, ex Couar. l. 3. var. reſol. c. 13. num. 8.

Secundò, beneficiarij. c. vltimo. d. 92. & c. quod à te, & c. diuerſis fallaciis. de cler. coniug. vbi Pontifex præcipit eos ſpoliari beneficiis, quòd ob coniugium non poſſint diuinis officiis vacare. & c. quia per ambitioſam. de reſcript. l. 6. vbi dicitur, beneficium Eccleſiaſticum dari propter officium.

Concil. Later. sub Leone X. sess. 9. c. 9. & Pio V. hoc loco. Quibus locis non recitantes dicuntur grauiter peccare, & priuantur fructibus. Incipit autem onus recitandi Officium in non beneficiatis à die, quo suscipiunt Subdiaconatum; satis tamen est, si eo die recitent horas Canonicas ab illa hora Canonica, quæ respondet tempori, in quo collatus est Subdiaconatus. v.g. Sexta, vel Nona, ex Azor. t. 1. l. 10. c. 13. quæst. 17. In beneficiatis autem secundum Nauarr. c. 7. de orat. num. 29. ab eo tempore, quo per collationem, vel per institutionem, aut confirmationem incipiant habere ius in re, & incipit beneficium esse illorum, cum ex eo tempore illis debeantur fructus, etsi nondum possessionem acceperint. Secundum Parisium verò l. 1. de resig. quæst. 9. num. 15. solum post adeptam possessionem, tum quod tamquam sententia verior id seruetur in Rom. Curia. Tum quia sæpe ante initam possessionem ius sit incertũ, & possit multis modis impediri, qui vult possessionẽ adire, quã etiã opinionem probabilem censet Less. l. 2. c. 34. n. 167. & Azor. t. 1. l. 10. c. 4. q. 7.

Tertiò, Religiosi professi, & ad chorum deputati, licet ad nullum ordinem sacrum sint adhuc promoti, ex Innocen. Hostiensi. Io. And. Abbate in c. 1. de celeb. Missæ Nauarr. c. 7. de orat. n. 4. 5. Anton. 3. p tit. 13. c. 4. §. 1. Tolet. l. 2. c. 12. & aliis, idque ex communi consuetudine. etsi Caiet. v. horæ. Ang. eodem num. 10. & Armil. num. 4. dubitent, an obliget sub mortali. Cõmunis tamen opinio Palud. 4. d. 15. q. 5. Ant. 3. p. tit. 14. c. 4. §. 1. Nau. de horis. c. 7. Henric. de Gaudauo quodlib. 29. quæst. 3. Turrecrem. d. 91. §. 1. Tolet. & aliorum, tenet obligare sub mortali, dummodo sit iam consuetudo introducta, ex Valentia 2. 2. d. 6. quæst. 2. de orat. puncto 1. Idemque de Sanctimonialibus professis applicatis Choro, ex Anton. loco cit. Turrecrem. c. 1. d. 91. q. 15. Nauarr. de orat. c. 7. num. 21. in Manuali c. 25. num. 97. Notat autem Sotus quæst. 4. art. 3. & Azor t. 1. l. 10. c. 6. quæst. 7. posse Prælatum Regularem eum, qui erat deputatus Choro, facere conuersum, & è contra, conuersum deputare Choro, ideo ille in conuersum redactus, si non sit in sacris, non tenebitur amplius ex officio Choro, vel Officio. & è contra tenebitur, qui fuerat conuersus. Quærenti verò an Episcopus, vel superior Religionis possit commutare Officij diuini pensum inferioris potentis recitare, in aliud? Dicendum est non posse, ex Turrecrem. d. 91. c. Eleuterius. §. ad 5. Archidiac. ibidem. n. 1. Nauarr. de horis. c. 12. num. 24. 25. Humberto in c. 1. reg. S. Aug. cum sit præceptum superioris maioris. Neque prædicti liberantur ab hac officij obligatione ratione alicuius excommunicationis, suspensionis, interdicti, irregularitatis, aut etiã degradationis realis, vt ex Conar. dixi, & docent Archidiac. c. presbyterum. d. 28 Cardin. ibidem. Syl. v. hora. quæst. 3. Nau. de orat. c. 7. num. 16. 17. Azor. p. 1. l. 10. c. 5. q. 6. Lessius l. 2 c. 37. num. 45. tùm quod huiusmodi censuræ non tollant ordinem, beneficium, professionem, quibus hoc onus annexum est. Tum quod æquum non sit, vt quis ex delicto commodum inferat, & soluatur vinculo præcedentis

tis obligationis, præsertim cum recitatio officij non repugnet illi pœnæ. Idem iuris de Monacho fugitiuo, aut eiecto è monasterio, etiam si aliunde viuat, quàm è bonis monasterij, ex Nau. loco cit. n.19. 20. Azor c.6. q.5. & 6. quidquid de eiecto senserit Sotus l.10. quæst.5.art.3.eo quòd qui per sententiam expellitur,non sit amplius Choro addictus; nam adhuc est religionis professus,& ad Clericorum munia addictus, nec ab officio absolutus, etsi ipsius culpa sit extra monasterium; vnde non debet ex delicto reportare commodum, nec consequi libertatem.c.1. de postul. prælat. & l.itaque fullo. ff. de furtis. Denique idem dicit de damnatis per sententiã Iudicis ad Triremes, aut captiuis à Turcis. Azor loco cit.c.5. q.6. Lessius tamen dicto num. 45. putat vsum esse in contrarium, tum quod cederet in Ecclesiastici status dedecus, si in illa hominum colluuione damnari ob scelera sua, ostenderent ex recitatione Officij,suum statum. quæ sententia mitior quidem est, sed tutior est prior, nisi exensenrur aliunde.

Quartò, Nouitij autem, cum non sint adhuc vere religiosi, etsi gaudeant priuilegio Canonis. c. religiosus. de sententria excomm. l.6. non renentur ad officium ex Nauarr. num. 23. Lessio num. 49. Azor.c.6.quæst.3. quicquid senserit Palud. 4. d. 15. quæst.5. Angel. Ancontranus,teste Syl.v.hora.q.2. dicto. 7. Vt neque Conuersi, licet sint religiosi, cum non profiteantur ad munia Clericorũ videlicet Chori, vt argumentatur Caietanus.v.horarum. Azor.loco cit.q.4. & Lessius, & destinati tantum sint ad exercitia corpotalia, multique sint valdè rudes. vnde eis sufficit, si orationes alias à regula, aut superiore præceptas recitent. Scisciranti an ad id teneantur sub mortali,vel veniali, difficultas est. Sub mortali teneri voluit Archidiaconus, Aneharanus,Tabiena,v hora. § 8. Graff.p.1.l.2.c.50. §.7. sub veniali verò Azor c.6.quæst 4 & Syl. v. hora. §. 3. vbi notat eos esse in statu periculoso, si notabiliter sint negligentes in exerciriis corporalibus, quod ad hæc in ordine recipiantur, & alantur ex eleemosynis, vt inseruiant deseruientibus populo in exercitiis spiritualibus, secundum S.Thom. opusc. contra impugnantes religionem. Nau. de horis.c.7. num.33.&c.21.num.20. dicit teneri sub mortali,aut veniali,aut temporali iuxta præceptum regulæ, non autem quòd præceptum Ecclesiæ de penso horarum se extendat ad eos, vt etiam sentit Sotus loco cit. art.3. & Armill. v. hora. num.4. Quæ etiam dicenda sunt de Monialium Nouitiis, & Conuersis, cum non sint deputatæ choro; vt etiam de religiosis militaribus,qui profitentur ad bellũ, ob eamdẽ rationem, ex Nau. loco cit.n.23.& in Manuali. c.25. n.97. Azor.c.6.q.4. Lessio num.49. saris enim illis est quotidie ea recitare, quæ regula illorum præscribit.

Quintò, tenentur etiam ad officium Moniales professæ Choro deputatæ, ex communi sententia. Tolet l.2.c.12.Azor c.6.quæst.1.& 3.Soti l.10. quæst.4.art.3. Nauarr. de horis. c.7 num.21.& in Man.c. 25. num. 96. Turrecrem. d.91. ad 10.Graff. p.1.l.2. c.50. num.6. nec Priorissa,aut Abbatissa potest cum monacha dispensare ne dicat officium

cium

cium ex eodem Nauar. c. 12. de horis. num. 24. 25. Archidiacono; & Turrecrem. d. 91. c. Eleuterius. vt de Abbate, & Episcopo diximus. n. 3. respectu inferiorum.

Sextò, Clerici denique ad minores ordinati, si non habent beneficiū, non tenentur ad officium, ex Soto l. 10. quæst. 5. art. 3. Azor. c. 5. quæst. 2. Lessio num. 46. Armill. v. horæ. num. 6. Ledesma 2. 4. q. 16. art. 4. dub. 6. Medin. Cod. de orat. quæst. 7. Nau. c. 7. de orat. num. 12. & c. 31. num. 8. cum id nullibi sit cautum, quicquid in contrarium senserit Glossa. c. fin. d. 92. Panorm. & Ioan. And. c. presbyter. de celeb. Miss.

THEOREMA 317.

OBligatio verò huiusmodi est sub mortali, ita vt quicunque ex dictis obligatis cessante legitimo impedimento quotidie singulas horas non recitauerit, mortaliter peccet, ex Nau. in Manuali c. 25. num. 97. & de orat. c. 7. num. 5. Azor p. 1. l. 10. c. 7. Lessio. l. 2. c. 37. num. 52. Henric. de Gandauo quæst. 29. quæst. 34. Turrecrem. c. 1. d. 91. art. 5. Palud. 4. d. 15. q. 5. Syl. v. hora. quæst. 12. Tolet. l. 2. c. 12. 13. & reliqui (exceptis Angelo v. hora. §. 10. & Richar. quem ille citat. dicentibus non esse mortale, nisi omittatur ex consuetudine, aut contemptu. Quod etiam de Monialibus sentit Aragona. q. 83. art. 11. apud Lessium num. 49. si bis, aut ter priuatim omittant officium; eò quod huiusmodi obligatio sit eis orta ex regulari statuto, quod non solet obligare ad mortale) vt colligitur, tum ex. c. dolentes. de celeb. Missæ. Tum quia quælibet hora sit materia grauis, & sufficiens, vt sub mortali præcipiatur, & Pius V. hoc loco ait, eos, qui sex primis mensibus nō dicunt, grauiter quidem peccare, etsi non obliget eos restituere.

Idem dicendum de scienter omittente partem notabilem vnius horæ, v. g. primæ, aut tertiæ, ex Nau. in Man. c. 25. num. 98. & de oratione c. 7. num. 6. 9. & c. 10. n. 11. 43. 44. 48. Azor. c. 7. quæst. 3. Lessio num. 52. An autem sit censenda pars notabilis ab initio vsque ad finem primi Psalmi, sunt vtrinque opiniones. Affirmat Nau. de orat. c. 10. num 44. & Azor loco cit. Negat Lessius vbi supra cum Ang. v. hora. num. 8. & Palud. 4. d. 15. q. 5. si tamen recites cum socio alternatim, non censetur omissum, quod per ipsum profertur, aut legitur, ex Nauarr. de orat. c. 10. num. 16. Henrico de Gandauo q. 29. q. 30. S. Anton. 2. p. t. 9. c. 12. §. 3. Palud. 4. d. 15. quæst. 2. Maior. 4. d. 12. q. 6. Syl. v. hora. quæst. 7. Azore, c. p. 1. l. 10. cap. 7. quæst. 5. Lessio, loco cit. quia id, quod communione socij audis, fit tuum, & sit consuetudo Ecclesiæ, vt alternatim recitetur, vt constat ex Basilio. ep. 63. Aug. l. 9. confess. c. 6. 7. Isidor. l. 1. de Eccl. off. c. 7. Rabano l. 2. Instit. cler. c. 50. incæpta à S. Ignatio in Ecclesia Antiochena, ex Socrate. l. 6. c. 8. Cassiodor. l. 10. Tripar. c. 9. Niceph. l. 13. c. 8. Amalario l. 4. c. 7. idemque posse fieri in recitatione coronæ, &c. dicit Azor c. 7. quæst. 10. Palud. Nau. de horis. c. 10.

Sed vtrum omissio omnium horarum vnius diei vnicum sit peccatum tantū, an septem; Nau. de hor. c. 7. num. 6. Archidiac. &

Turre

Turrecrem.c.Eleuterius d.91. Syl. v. hora. quæſt. 12. d. 6. Azor loco cit.quæſt.4. Suarez t.2.de relig.l.4. de horis.c.24.num.2.& c.25.n.17. & ſeq. qui dicit eſſe communem, vnicum eſſe volunt, quia ſeptem horæ canonicæ ſint vnum diuinum officium, & vnica oratio. Et ideo eius omiſſio vnicum peccatum omiſſionis, quod tunc completur, quando non ſupereſt amplius tempus dicendi. Etſi internus actus voluntatis ſæpius repetitus de omittendo, poſſit eſſe multiplex actus commiſſionis.

Tabiena verò v.hora. n.18.Leſſius n.53. Sanchez l.1. in Decal. c. 19.S.Anton.3.p.t.13.c.4.§.5.& alij volunt eſſe ſeptem peccata diſtincta, tum quia obligatio ſub mortali ſit de ſingulis,& ſingulæ horæ ſunt diſtinctæ orationes, diſtinctiſque temporibus dicendæ,ideóque ſingularum omiſſiones ſingula peccata diſtincta.Tum quia ſingularũ recitatio ſit impletio præcepti ſaltem virtute diſtincti; & præceptum dè dicendis horis implicitè contineat ſeptem præcepta, eo quod ſint ſeptem opera diſtincta, vnde poſſum implere præceptum de prima & non de 3. vel 6. præcepta verò de diuerſis operibus præceptis multiplicentur, ideo ſingulorum omiſſio videtur peccatum diſtinctum. Tum quia licet vna ſit volitio, qua quis omittere vult omnes, virtute tamen ſeptuplex eſt, cum per eam ſint volitæ ſeptem omiſſiones diſtinctæ, quæ ſunt diſtincta peccata externa; ſicut ſi quis initio Quadrageſimæ ſtatuat totum ieiunium omittere, tot peccata committet, quot dies non ieiunabit. & ideo in confeſſione explicandum erit, quot horas omiſerit recitare, ſicut & quot dies ieiunij.

THEOREMA 318.

PRædicti ad officium obligati accedente legitimo impedimento excuſantur ab obligatione recitandi horas, ex Concil.Later. ſum Leone X. Pio V. hoc loco. Innoc. c. 1. de celeb. Miſſæ. Hoſtienſi ibidem. Nau. de horis.c.11. num. 1. & ſeqq. & in Man. c. 25. num. 100. Azor. c.13. Leſſio lib.2. c.37. num. 54. Syl. hora. quæſt.9. Valent. 2.2. d. 6. quæſt. 2. de orat. puncto 10. Tolet. l. 2. c. 14. Philiarch. l.1.c.5. Graff. p.1. l.2. c.54. S.Thom. Opuſc. 65. de horis can. Panorm.& Ioan. And.c.1. de Miſſ. celeb. vt. v. g. accedente graui infirmitate, ob quam recitatio nocitura eſſet infirmo, vt eſt illa, quæ impedit etiam tractare alia negotia, toto illo tempore, non autem infirmitas leuis, aut febricula, excitatis, notabilis dolor capitis,vel oculorum, ſi cui ex recitatione officij graue immineat periculum ab hæreticis, &c. ſi neceſſaria concio eſſet habenda, ex inſperato,aut ſedandus tumultus, vel vitandum ſcandalum, & nequiret fieri conuenienter cum officij recitatione ex Nau. c. 25. num. 101. Henrico de Gandauo quæſt.15.q.2. Maiore 4.d.12.quæſt.6.Syl.hora quæſt.vlt. Azor,Leſſio, ſi deſit breuiarium. argumento. l. Impoſſibilium.ff. de reg.iur.& c.nemo.eod.tit.l.6. Nau. Valentia,Toleto, Azore.

Qui verò totum officium recitare non poteſt, valet tamen recitare maiorem partem, ad eam tenetur; ſin verò ſecus, ad nihil tenetur, ex Sanchez. l.1.Decal.c.19.

Nauarr. de orat. c. 11. num. 15. 16. Azor. c. 13. quæſt. 4. Leſſio loco cit. quippe cum non omnis lex, qua iubemur quidpiam efficere, afferat obligationem faciendi particulam, ſi non poſſimus totum. non enim qui die feſto rem diuinã audire non poteſt, tenetur quamlibet eius particulã audire, cum id non intendat Legiſlator, & regulariter maior pars ad ſe trahat minorem. l. quod maior pars. ff. ad Municip. Etſi in debitis pecuniariis, & aliquibus aliis, qui totum non poteſt, partem facere teneatur.

THEOREMA 319.

SAltem Canonico iure nouo (veteri enim diſſenſio erat inter Calderinum c. 1. de celeb. Miſſ. Ancharan. conſil. 228. Gemin. c. vltimo de reſcript. Couar. l. 3. var. reſol. c. 13. & Sotum. l. 10. quæſt. 5. art. 6. affirmantes, eo quòd datum ex cauſa, ea non ſecuta, iure repetatur, & inter Innoc. Hoſtienſem, Ioan. Andr. & Abbatem. c. 1. de celeb. Miſſ. Sylu. v. Clericus. 4. q. 23. Tabien. v. beneficium 3. quæſt. 11. Nau. de orat. c. 7. num. 31. Leſſium l. 2. c. 34. num. 178. & ſeq. Azorem p. 1. l. 10. c. 14. quæſt. 1. & alios negantes, quod id veteri iure nullibi præciperetur) beneficiarius culpabiliter omittens diuini officij recitationem, non facit fructus ſuos, ſed pro rata omiſſionis tenetur eos in beneficiorum fabricam, vel pauperes erogare, ſi id contingat poſt ſex menſes ab obtento beneficio; ita enim ſanxit ſeſſ. 9. §. ſtatuimus. Concil. Later. vltimum ſub Iulio II. cæptum, & ſub Leone X. finitum. ſtatuimus quoque & ordinamus, vt quilibet habens beneficium cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio diuinum officium non dixerit (legitimo impedimento ceſſante) beneficiorum ſuorum fructus non faciat ſuos, pro rata omiſſionis recitationis officij, & temporis, ſed eos tamquam iniuſtè perceptos in fabricas beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur.

Quod ſanè ſtatutum obligat in conſcientia, vt docet Nauarr. de orat. c. 7. num. 33. & in Man. c. 25. num. 122. Couar. l. 3. var. reſol. c. 13. num. 10. Cord. in ſum. caſuum. quæſt. 33. Azor. p. 1. l. 10. & 14. q. 2. & ſeq. Leſſ. l. 2. c. 34. num. 175. & ſeq quicquid in contrarium ſenſerit Sotus l. 10. quæſt. 5. art. 6. ratus non fuiſſe vſu receptum. Cui ex parte danda eſt venia, cum ante hanc Pij V. Conſtitutionem ſcripſerit. Nec decretum eſt librariorum vitio corruptum, vt idem opinatur, exiſtimans legendum *per ſex menſes*, & non poſt ſex menſes: ita vt ea fuerit Concilij mens, vt qui per ſex menſes, id eſt, quicunque ſex menſium tempore, non dixerit officium, ſolum debeat fructus reſtituere pro rata; elapſis verò ſex menſibus, ſi poſt admonitionem, tempore quindecim dierum, bis non dixerit, priuetur beneficio. Alioquin, ait, ſi legamus, *poſt ſex menſes*, ab obtento beneficio, vidébitur, & nimia indulgẽtia Concilij, vt per illos ſex menſes primos beneficiarius non cogatur reſtituere; & verba Concilij non cohærere cum aliis ſequentibus (ſi verò vltra dictum tempus in ſimili negligentia cõtumaciter permanſerit, legitima admonitione præcedente, beneficio ipſo priuetur

tur cum propter officium beneficium detur) nam, ait, verba illa, *in ſimili negligentia*, apertè ſignificant negligentiam priorem fuiſſe ſex menſium.

Sed reiicienda eſt ſententia. Soti, cum omnes Codices Concilij legant. *poſt ſex menſes.* & habeatur in hac Conſtitutione Pij V. Nec ſit adeo magna Synodi indulgentia, ſi concedat impunitatem quoad reſtitutionem tantùm, non quoad culpam mortalem, cum graue peccatum contrahatur in non recitando, ipſis prioribus ſex menſibus; expreſsè enim ait hic Pius V. *graue peccatum intelligat ſe commiſiſſe.* Et ſequentia verba rectè cum præcedentibus cohærent, vt ſenſus ſit. Beneficiarius intra ſex menſes omittens diuinum officiũ, non cogatur fructus reſtituere. At poſt ſex menſes cogatur ad reſtitutionem pro rata: & ſi poſt ſex menſes, prius monitus, contumaciter in ſimili negligentia perſiſtet, ita vt quindecim diebus bis non peroret, beneficio ſpoliari queat.

THEOREMA 320.

NOn eſt autem reſtitutio neceſſariò facienda fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus illius loci, vbi beneficium ſitum eſt, cum etiã alibi id fieri poſſit, ex Nauarr. c. 7. de orat. num. 33. & in Manuali. c. 25. num. 122. Azor. c. 14. quæſt. 10. Leſſio l. 2. c. 34. num. 177. eo quòd Concilium, & Pius V. in genere loquantur. Vnde ſi ipſe beneficiarius eſſet pauper, confeſſarius eidem tamquam vni ex pauperibus concedere poſſet huiuſmodi fructus, ex citatis. Si tamen reſtituenda ſint, lucrifacta per diſtributiones quotidianas, non poſſunt Eccleſiæ, aut pauperibus dari. quæ enim amittunt in Choro non recitantes, accreſcunt cæteris in Choro recitantibus. c. 1. de cler. non reſid. l. 6. & Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 12. de reform.

Fieri verò debet hæc reſtitutio, ex hac Pij V. extrauag. pro rata omiſſionis officij, & temporis, cum beneficiarij fructus non faciant ſuos. ob id qui per diem totum omiſit officium, tenetur reſtituere omnes fructus illius diei, etiam beneficiorum reliquorum, ſi plura poſſideat. Qui matutinum tantum, dimidiam partem: qui reliquas omnes horas, alteram dimidiam: qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum omnium illi diei reſpondentum.

Sed nunquid poſſit beneficiarius prætermittens officium retinere tuta conſcientia eam partem fructuum, quam meretur eius labor impenſus in audiendis confeſſionibus, miſſa dicenda, & cæteris huiuſmodi Eccleſiaſticis functionibus obeundis, an potius teneatur integros reſtituere? Nõ deſunt, qui exiſtiment partem ſibi retinere poſſe, vt Sotus, Ang. Syl. Bartol. Medina, Lopez, Penna, & alij apud Henriquez c. 13. de excomm. qui dicit in Hiſpania cum hac limitatione prædictam Conſtitutionem receptam, vt Epiſcopus, & Parochus quintam tantùm partem reſtituant, reliquas quatuor ratione onerũ, & tituli retineant. Canonicus reſtituat quartam partem, alij beneficiarij tertiam. Leſſius quoque nonnihil concedit beneficiariis habentibus alia onera dicto n. 177. vt operæ

ſtipendium debitum. Azor verò. c.14. quæſt.5. dicit nihil tuta conſcientia retinere poſſe, ſtante nunc Canonico iure Concil. Later. quod generatim præcipit fructus beneficiorum ſuorum tanquam iniuſtè perceptos reſtituendos; & ideo cum ius non diſtinguat, nec nos diſtinguere debere. & Pius V. expreſsè hoc loco ſtatuit, vt quicunque habet beneficium cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio, officium non recitauerit, pro rata omiſſi officij omnes fructus, qui illis diebus reſpondent, ſi diuiderentur, ſuorum beneficiorum amittat. Quæ ſanè ſententia videtur mens Concilij Lateranenſis, & Pij V. etſi prior ſit mitior.

THEOREMA 321.

DEcernit item Legiſlator, vt Canonicus quoque, qui adeſt in Choro, ſed cum cæteris non recitat officium, fructus, & diſtributiones amittat, quas lucrifeciſſet, ſi cantaſſet cum aliis. Et meritò, cum diſtributiones non ſint inſtitutæ ob ſolam præſentiam, ſed vt in Choro officium cantent, vt rectè dixit Concilium Baſilienſe ſeſſ.21. §. 3. & docet Sotus l.10.q. 5. art.4. Nau. de orat. c.10.n 47. & c.11.num.42. & Miſcell.79. Caiet. t.1.opus. tr.vltimo reſp.8. Azor.c. 11. quæſt. 5. tum quia in c. ſi quis presbyter. d.92. habetur: Statuitur, vt quilibet clericus Eccleſiæ deputatus, qui ad quotidianum pſallendi officium matutinis, & veſpertinis horis non conuenerit, deponatur à Clero. Tum ex Concil. Aquiſgranenſi ſub Ludouico Pio Imper. coacto. c.131. Tum ex Concil. Trident. ſeſſ.24. c.12. quod decernit, vt omnes Canonici, non obſtantibus quibuſcũque ſtatutis, & conſuetudinibus, per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire, & exequi officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti aſſiſtere, & inſeruire, atque in Choro ad pſallendum inſtituto hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, deuotéque laudare.

Itemque declarat legiſlator præſtimonia, & præſtimoniales penſiones, & qualiacunque alia beneficia, etiam nullum habentia ſeruitium, obtinentes, cum præfatis pariter contineri, ita vt, ſi non recitent officium, obligentur ad reſtitutionem fructuum pro rata omiſſionis, nam & hæc inter Eccleſiaſtica beneficia numerantur. in c. quoniam. de præb. l.6. & ab Hoſtienſ. Ioan. Andr. Ant. de Butr. & Ancharan. c. poſtulaſti. de reſcript. Abb. conſil.47.p.2. Oldrad. conſil. 81. Decio in c. ad aures de reſcript. Menochio de arbit. caſu 207. num. 59. Soto l. 10. quæſt. 3. art.3. concluſ.2. quidquid ſenſerit Medin. tr. de orat. & Gigas. de penſion. quæſt.28. num.5.

Sunt autem Præſtimonia quidam annui prouentus inſtituti, ad ſuſtentandos Canonicos, qui tenues habebãt redditus, clericos, & iuuenes, qui dabant operam litteris, vel pro fide, & religione Catholica decertabant. de quibus ſi non dantur ad Titulum, ſed tantum ad certum tempus in vitæ ſubſidium, nulla eſt difficultas, cum aliquando dentur etiam in ſtipendium operis profani diſciplinarum magiſtris, & aliis. Sed difficultas eſt ſolum ex Azor. to.1. l.10.

l. 10. cap. 3. & r. 2. l. 3. cap. 7. quando dantur in titulum, & vacant ſolum per mortem poſſidentis; hæc enim eſſe beneficia Eccleſiaſtica ſimplicia colligitur ex d. cap. quoniam. quamuis habentes illa ſint immunes, & liberi ab obligatione reſidendi per ſe, vel alios. vnde ſolum ab Epiſcopo, & aliis Eccleſiarum Prælatis conferri poſſunt, idque abſque vllo pacto, aliàs eſſet Simonia. Quare meritò Pius V. in præſenti extrauagante habentes ea, obligat ad recitationem officij. Videatur Nauar. cap. 21. de oratione num. 9.

Denique in fine eandem reſtitutionem fructuum, aliarũmque rerum, quæ percipiuntur à penſionario, vt clerico prædicto modo, nempe pro rata, fieri iubet iure nouo, ſi quotidie officium paruum B. V. Mariæ non perſoluerit penſionarius, videlicet omnes, ſi omnes illo die omiſit horas; medietatem, vel ſextam partem, ſi dimidium omiſit, vel vnam ex horis. de qua re Nauar. cap. 25. n. 108. Azor t. 1. l. 10. cap. 14. quæſt. 12. Leſſius l. 2. cap. 34. num. 208. & dictum eſt. *Vt Clerico.* quia aliquando datur penſio laico propter aliquod miniſterium temporale præſtitum, aut præſtandum, vt Cantoribus, Aduocato, Procuratori, Oeconomo, Medico, Campanario. de quibus hoc loco nihil ſtatuitur. Videndus Azor t. 2. l. 8. cap. 5. q. 1. & 5. Nauarr. r. t. conſil. 52. num. 6. tit. de præbend.

THEOREMA 322.

QVoad modum verò recitandi officium, nihil hoc loco ſtatuit legiſlator, ſupponit enim ſeruandum. cap. r. de celeb. Miſſ. vbi dicitur, vt ſtudiosè (quod ex Gloſſa ad externam pronunciationem pertinet) & deuotè (quod interiorem affectum, & attentionem denotat) recitetur. Porrò ea debet eſſe pronunciatio recitantis officium, ſi priuatim recitet, vt verè verba pronuncier, non vt mente tantum oret, aut murmuret in gutture, ſed voce oret, ex S. Tho. 4. d. 15. quæſt. 4. art. 4. 2. 2. quæſt. 83. art. 12. Caiet. ibidem. Ledeſma 2. 4. quæſt. 16. art. 4. Medina. Cod. de orar. quæſt. 7. Azor l. 10. cap. 11. q. 4. Nauarr. de orat. cap. 20. num. 14. Et omnino reiicienda eſt opinio. Io. de Cruce. l. 2. de ſtatu Relig. cap. 8. dub. 2. exiſtimantis Leonem X. viuæ vocis oraculo conceſſiſſe minoribus, vt mentaliter recitare poſſent officium, & quæ præcipiuntur in Miſſa diei ſecretò. is enim conceſſit tantum, teſte Roderico, vt ſubmiſsè dicerent, aliàs conſecratio fieri poſſet mentaliter, quod falſiſſimum eſt. Non eſt tamen præceptum, vt dicatur alta voce, quicquid Medina loco citato ſenſerit; ideo requiritur ſolùm, vt vox ſit articulata, & audibilis moraliter, vt cum recitans, ſe ipſum poteſt intelligere, ex citatis, & Graff. l. 2. cap. 52. Tolet. l. 2. c. 13. vnde multi pij, & docti in præſentia amicorum, & dominorum ex ciuilitate, & vrbanitate ſæpè ſubmiſsè recitant, ne eos impediant. Si verò cum alio recitet, neceſſe eſt ita proferat, vt à ſocio audiri queat, ſiue priuatim recitet, ſiue publicè, ex Caiet. in ſum. v. hora. §. quoad 5. & rr. 31. reſp. 8. Nauar. de orat. cap. 22. Miſcell. 79. & cap. 10. n. 47. & cap. 11. num. 42. & Azor l. 10. cap. 11. quæſt. 5. 6. 7. 8. quia cum

totum officium per se, vel alternatim cum aliis teneatur dicere, si illius pars nō est audibilis ab aliis, suam partem dicit vt singularem, non vt communem. ob id non dicet totum officium nec per se, nec communicando cum aliis.

Qui etiam horarias preces recitat mente vltro distracta, mortaliter peccat secundum probabiliorem opinionem Caiet. 2.2.q.83. art.13. Maioris 4. d. 12. quæst. 7. Nauarr. de orat. cap. 13. num.19. Soti l.10.quæst.5.ar.5.concl.7. Ledesmæ.2.4. quæst.19. art.6. dub.3. Tab.v. hora. quæst. 20. Gabr. in Can. leg.62. S.Tho.4. d. 15. q.4. art.2. Azor. p.1. l.10. cap.12. q.6. Lessij l.2. cap.37.n.64.

Sed dubium est an distractè vltro recitans teneatur ad fructuum restitutionem, cum ex vna parte videatur Ecclesiæ præcepto satisfacere, cum dicat officium, licet mortaliter peccet, sicut qui debitum persoluit, & restituit alienum ex odio, malevolentia, &c. & ex altera non videatur satisfacere, cum Ecclesia non solum præcipiat, vt recitet, sed etiam præscribat modum, vt attentè recitet. Ideo Doctores in contrarias iuerunt sententias. Et quidem Medina de orat. quæst. 16. Cordub. l.4. q.13. ad finem. Tolet. l.2. cap.12.& alij sentiunt ita distractè sponte, & scienter recitantem facere fructus suos, nec teneri restituere, quia restitutio fructuum sit pœna constituta in non recitantes. Sicut qui in Paschate communicat indignè, satisfacit præcepto Ecclesiastico. Sotus verò. l.10. quæst. 5. art. 6. concl.4. & 6. Nauar. de orat.c.20. num.32. Azor. p.1. l.10. cap.12. quæst.6.& cap.14. quæst.8. Lessius num.67. & alij, existimant huiusmodi non satisfeciſſe Ecclesiæ præcepto, & non facere fructus suos, ac si non recitasset; cum. cap. dolentes de celeb. miss. præcipiat, vt recitetur attentè. quam etiam opinionem secuti sumus.l.2. de Missæ sacrif. cap.20. nu.12. potest enim Ecclesia præcipere actus internos, si non solitarios, saltem quatenus sunt necessarij ad externos debito modo præstandos, vt scilicet sint actus virtutum,& idonei ad finem supernaturalem consequendum.

Quærenti an qui debebat recitare officium de sancto, & per errorem, aut incogitantiam recitauit de feria, aut contra, suo muneri, & Ecclesiæ præcepto satisfecerit? Satisfeciſſe respondet Sylu. V. hora. quæst.12. d.1. Azor c. 10. quæst.2. Lessius num. 77. Caier. hora. cap.2. immo etiam si dedita opera mutasset, non peccasse nisi venialiter, nec referre etiam si beneficiarius, vel religiosus sit (licet Angelus hunc excipiat) quia id, quod Ecclesia primariò præcipit, est, vt quotidie recitentur septem horæ canonicæ: quod autem de hoc, vel illo sancto, aut feria dicatur(iuxta tamen præscriptum breuiarij Pij V.) ad modum, & secundariam circunstantiam officij pertinet, quo non violatur legis, seu præcepti substantia. Idem docet Nauarr. de orat. cap.19.n.217. §.4.& 5. si talis mutatio sit rara. Valent.2.2. d.6. q.2. p.10.Maior 4. d.12.q.6. Zabarell. Armil. etsi esse peccatum mortale senserit Philiarh.l.1. cap.6. & Tolet. l.2. c.13. laudabile tamen erit, vt qui errauit, suppleat, hymnum, antiphonam, vel lectionem, quæ pertinebant

bant ad proprium illius diei officium. ex Leſſio.

Roganti quoque, an qui horas præpoſtero ordine recitauit v. g. ſextam, nonam, veſperas, ante primam, aut tertiam, peccarit mortaliter, vel teneatur repetere? Reſpondet Sylu. v. hora. quæſt. 9. d. 4. Palud. ibid. Tolet. l. 2. c. 13. Leſſius cap. 37. num. 80. Azor loco citato quæſt. 1. negatiuè, eo quod ordo horarum extra chorum non ſit ſub præcepto, niſi ſecundariò, & tanquam circunſtantia minoris momenti. Ideo ſi inuitatus à viro graui, aut ſuperuenias choro volenti recitare veſperas, licet nondum ſextam, & nonam dixeris, erit iuſta cauſa mutandi ordinem etiam abſque veniali; ſi nulla ſubſit cauſa, erit ſolum veniale, ex Anton. 3. p. t. 13. cap. 4. §. 4. Angel. hora §. 18. Nauar. de orat. cap. 21. num. 30. & in Man. cap. 25. inu. 99. Soto d. 9. quæſt. 5. art. 4. Innoc. c. dolentes. de celeb. miſſ. Valentia loco cit. Suarez t. 3. d. 82. ſect. 1. Ledeſ. 2. 4. quæſt. 16. art. 4. dub. 7. Graff. l. 2. c. 52.

In tempore verò officij publici dicendi, ſeruanda erit recepta conſuetudo, ex Clem. 1. de celeb. miſſ. Syl. v. hora. quæſt. 9. dicto 6. & communi ſententia, vt dicantur horæ ſingulæ conſueto tempore. Sin dicantur hora valdè indebita, cenſet maximè in prælato eſſe mortale Syl. Angel. Nauar. Sotus, Suarez, niſi intercedat publica cauſa. Sed eſſe ſolum veniale dicit Caiet. & Valentia, quod tempus non videatur pertinere ad ſubſtantialia materiæ perceptæ.

In dicendo autem priuatè laudabile eſt etiã ſingulas recitare conſueta hora, ex Inno. Hoſtienſi, Io. And. Panorm. in cap. 1. de celeb. miſſ. & Petro Damiani epiſt. ad Deſiderium. de miraculis ſui temporis. Quænã hæc ſit. docet Nau. cap. 3. de horis. num. 38. & ſeq. ſed non conſiſtit in indiuiſibili. Dicere autem eas priuatim hora indebita (dummodo dicatur totum ante mediam noctem illius diei) non eſt peccatum mortale. ſed tantum veniale, ex Ant. 3. p. t. 13. cap. 4. §. 4. Syl. hora. quæſt. 9. Ang. num. 22. Caiet. v. hora. §. quoad 4. Nauar. cap. 25. num. 97. & de horis. cap. 3. num. 49. 58. Valent. 2. 2. d. 2. quæſt. 2. p. 10. Suarez t. 3. d. 82. ſect. 1. Tolet. l. 1. cap. 13. etiam ſi ſine cauſa id fiat (licet eſſe mortale dixerit Humbertus in reg. S. Benedicti ex Syl. hora. q. 9.) ſiue initio, ſiue in medio, ſiue in fine eiuſdem diei dicantur, cum ſatisfiat ſubſtantiæ præcepti, ex Leſſio num. 78. Azor loco cit. quæſt. 3. & 8. Cum verò timetur impedimentum, ſatius eſt anticipare, quàm poſtponere, cum illud diligentiæ ſit, hoc negligentiæ ſignum. Idémque conſulitur. cap. presbyter. d. 91. Eſt tamen conſuetudo, vt ſaltem, priuatim matutinum, & laudes poſſint recitari præcedenti ſero, ex S. Tho. quæſt. 5. art. 28. Caiet. v. hora. Syl. ibidem, d. 3. Leſſio n. 79. Azor. cap. 9. quæſt 5. & 7. Ant. 3. p. t. 13. cap. 4. §. 4. Pedraza l. 1. c. 5. & cæteris, quod feſtus dies incipiat in veſperis diei præcedentis. cap. 2. de feriis.

De hora eſt res admodum incerta. Suarez vult recitandum ſaltem hora 4. poſt meridiem more Hiſpanico, vt ſcribit t. 2. de releg. l. 4. de horis can. cap. 27. num. 13. 14. ſiue hyeme, ſiue æſtate. Azor verò iuxta horologium Italicum ſentit

ſentit æſtate poſſe inchoari hora 21. data, & hyeme hora 22. ſimiliter pulſata, vnde inter eos erit differentia vnius horæ. eſt tamen vtraque ſententia probabilis. Poſſe verò ſeparari laudes à matutino docet Nauar. de horis. cap. 3. n. 28. Henriquez l. 9. cap. 24. 10. Steph. Durandus. l. 3. de ritibus Eccleſiæ. cap. 5. etſi Azor l. 10. cap. 8. q. 4. id minus probet, niſi adſit honeſta aliqua cauſa. Num verò non perſoluto adhuc Matutini, & Laudũ officio, poſſit ſacerdos Miſſam celebrare, explicauimus l. 2. de ſacrificio Miſſæ. c. 6. n. 4.

Superest difficultas de interruptione officij. qua in re dicendum eſt primò ſi interruptio fiat ex iuſta cauſa, non eſſe peccatum, vt ſi oporteat reſpondere amico, aut famulo, prouidere alicui negotio vrgenti, excipere hoſpitem, confeſſionem audire, opus aliquod facere ex charitate. in his enim non eſt neceſſe repetere à capite horam, ex Nau. de oratione. c. 16. num 66. 67. Azor cap. 8. q. 3. 5. 9. Leſſio cap. 37. num. 57. 58. Medina de orat. quæſt. 17. art. 3. ad finem. Graff. l. 2. num. 52. Suarez t. 2. de relig. l. 4. de horis cap. 24. num. 10. & ſeq.

Secundò, ſi abſque iuſta cauſa id fiat, eſſe peccatum, cap. dolentes. de miſſ. celeb. & cap. nihil contra 7. quæſt. 1. & dictat ratio naturalis, cum non debeat alloquens Principem inurbanè, & ruſticè abſque cauſa ſermonem abrumpere, & intermiſcere impertinentia, ideo cum contineat irreuerentiam, peccatum erit ex Azor loco cit. q. 1. Leſſio n. 57. Nauar. n. 64. 65.

Sed quid ſi interruptio ſit ad vnam. v. g. aut duas horas, oportebit ne officium repetere? Affirmat Nauar. de orat. cap. 16. num. 75. Medina de orat. quæſt. 16. artic. 3. Azor cap. 8. quæſt. 5. in fine, eò quod interruptum ad longũ tempus videatur finiri, & non continuari, vnde non ſatisfieret debito recitandi officium. Sed oppoſitum docet Caiet. v. Quando horæ. §. quoad 4. Leſſius numer. 57. vbi etiam pro hac ſententia citat Peltanum. l. 3. de bonis operibus. c. 4. concl. 4. & Lelium Zeccum in ſum. cap. 83. de officio diuino. n. 10. & Aragonam, quia, non eſt de ſubſtantia præcepti continuatio; vnde vt non repugnat ex pluribus partibus orationis, declarationis, diſputationis, confeſſionis habitis diuerſis temporibus, vnam integram orationem, declamationem, diſputationem, confeſſionem inſtitui, ita nec repugnat per huiuſmodi diuiſionem officium diuinum ſuam retinere vnitatem. verùm prior ſententia tutior eſt & conſulenda.

EIVSDEM PII V.

Conſtitutionis 136. editæ anno 1571. quæ incipit. Expoſcit.

EPITOME 117.

LEGISLATOR ſtatuit §. 3. præſentis Conſtitutionis omnes, & ſingulos locorum Epiſcopos, & alios Superiores tanquam Apoſt. Sedis Legatos omnes, & quaſcumque parochiales Eccleſias, cæteráq; Eccleſiaſtica beneficia ſuarum

Ordinarij tanquã delegati Sedis Apoſt. viſitent Eccleſias Hieroſoly. militum, quibus ani-

marum incumbit cura in his, quæ ſpectant ad curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum.

ſuarum ciuitatum, & diœceſum, quibus imminet animarum cura ad Religionem militum Hieroſolymitanorum eiúſque milites capellanos, miniſtros, rectores quomodolibet pertinentia, etiam quod in eis Epiſcopalem, & temporalem iuriſdictionem Religio, & milites prædicti haberent, eorúmque Eccleſias, rectores, vicarios, & miniſtros quoſcumque (in his tamen dumtaxat, quæ animarum curam, illiúſque exercitium, & Sacramentorum adminiſtrationem reſpiciunt) viſitare, omnéſque actus concernentes viſitationem exercere, poſſe, & debere. & rectores, cæteróſque miniſtros curam animarum exercentes minus idoneos repertos, ſi ſint ad nutum amouibiles, ſtatim amouere; ſi titulares, ſtatim ſuſpendere, ac ſuperiores eorum monere, vt intra breuem aliquem terminum ſubrogẽt alios idoneos, prius tamen per ipſos Epiſcopos & alios ſuperiores examinatos, & approbatos, vt ſupra in coadiutores, ſeu vicarios, iuxta decretum Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 6. Interim ipſi Epiſcopi, & ſuperiores pro neceſſitate curæ animarum prouideãt arbitrio ſuo. Quod ſi ſuperiores dictorum rectorum, & miniſtrorum intra præfixum tempus non deputauerint, ipſi Epiſcopi, & alij ſuperiores idoneos repértos præuio examine iuxta formam Concilij Tridentini in locum amotorum ſubrogent. Titularibus verò ſuſpenſis coadiutores deputent iuxta dictum Concil. Trid. ſeſſ. 21. cap. 6. qui in dictis parochialibus inſeruiant, & ſi ſubrogati, aut deputati fuiſſent ab ipſa religione, & militibus. §. 4. Facient autem Epiſcopi, & alij ſuperiores gratis, & tanquã delegati Sedis Apoſt. prædictam viſitationem.

THEOREMA 323.

INter ordines inſtitutos ad militandum pro fidei, & religionis Catholicæ defenſione inſtar Machabæorum, S. Io. Hieroſolymitani ſemper milites effloruerũt, qui ita ſunt nuncupati, quod olim recuperata à Gothifredo Buglione, cæteríſque Chriſtianis Principibus Hieroſolyma, ibi primum cæperint habitare obtenta à Gelaſio II. anno 1120. & Honorio II. anno 1124. Ordinis confirmatione, vt inter innumeros refert etiam Azor t. 1. l. 13. cap. 5. quæſt. 3. Mox tenuerunt Rhodum inſulam vſque ad annum 1523. quo poſt tres obſidionis menſes ingenti claſſe à Turcis ſuperati, inſulæ amiſerunt imperium; vnde & factum eſt, vt Rhodienſes Equites dicti ſint. Vnde expulſi, ab Imp. Carolo V. donati Melita inſula

inter Siciliam, & Africam, ab ea Melitenſium Equitum nuncupationem obtinuerunt, & inſulam bello à Solimano Turcarum Tyranno ingenti claſſe petitam anno 1565. incredibili virtute defenderunt. In eo verò Ordine ſicut & in aliis militaribus, non tantum recipiuntur milites, qui contra fidei inimicos armis decertent, vt ex hac Conſtitutione conſtat, ſed etiam Clerici, qui in ipſorum ſacris ædibus officia diuina cantent; ſacra faciant, Confeſſiones audiant, Euchariſtiam impertiant, reliquaque ſacramenta miniſtrent iis, quorum eis demandata eſt cura; & tam milites, quàm Clerici tria paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ perpetuæ vota nuncupant, quod in aliis ſecus accidit, vt notat Sotus l. 7. de Iuſt. quæſt. 5. art. 3. Couar. in 4. lib. decret. de matr. p. 2. cap. 3. §. 1. Sarmentus de reddit. Eccl. p. 4. cap. 1. Hæc igitur Conſtitutio de Eccleſiis parochialibus, aliiſque habentibus animarum curam per Militum Capellanos, miniſtros, rectoréſque adminiſtratis agit, ne quis prætextu priuilegiorum dictæ religionis, in iis, quæ animarum curam, illiúſque exercitium, & adminiſtrationem Sacramentorum pertinet, à viſitatione immunes eſſe prætenderent.

THEOREMA 324.

POntifex igitur. §. 3. ſtatuit, vt ſicut Epiſcopi, & Antiſtites iis ſuperiores ſibi ſubiectas Eccleſias viſitant, iuxta cap. diſcernimus, quod ſingulis annis præcipit diœceſim ab Epiſcopo viſitari. & cap. Epiſcopum. 10. quæſt. 1. & Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. de reform. quod ita ſtatuit: Capitula Cathedralium, & aliarum maiorum Eccleſiarum, illarúmque perſonæ nullis exemptionibus, conſuetudinibus, licentiis, iuramentis concordiis, quæ ſuos tantum obligent auctores non etiam ſucceſſores, tueri ſe poſſint, quo minus à ſuis Epiſcopis, & aliis maioribus Prælatis per ſe ipſos, vel illis, quibus ſibi videbitur adiunctis iuxta Canonicas ſanctiones, toties, quoties opus fuerit, viſitari, corrigi, & emendari, etiam auctoritate Apoſtolica poſſint, & valeant. Et ſeſſ. 24. cap. 3. de reform. Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Epiſcopi propriam diœceſim per ſe ipſos, aut ſi legitimè impediti fuerint, per ſuum Generalem Vicarium, aut Viſitatorem, ſi quotannis totam propter eius latitudinem viſitare non poterunt, ſaltem maiorem eius partem, ita tamen, vt tota biennio per ſe, vel Viſitatores ſuos compellatur viſitare, non prætermittant: Ita iidem tanquam Apoſt. Sedis Legati omnes, & quaſcumque parochiales Eccleſias, cæteráque Eccleſiaſtica beneficia ſuarum diœceſum, quibus imminet animarum cura, quomodolibet pertinentia, & Hieroſolymitanos milites, capellanos, miniſtros, rectoréſque eorum viſitent in iis, quæ ad animarum curam, eiúſque exercitium, & Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant. Idémque præcepit. ſeſſ. 7. cap. 7. de refor. verbis illis. *Locorum Ordinarij Eccleſias quaſcumque quomodolibet exẽptas auctoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur, & opportunis iuris remedijs prouidere, vt quæ reparatione indigent,*

reparen

reparentur, & cura animarum, ſi qua illis immineat, aliiſq; debitis obſequiis minimè defraudentur, appellationibus, priuilegijs, conſuetudinibus etiam ab immemorabili tempore præſcriptis, iudicum deputationibus, & illorum inhibitionibus excluſis. & ſimilia habentur ſeſſ. 21, cap. 8. & ſeſſ. 24. cap. 9. de reform.

Additúmque eſt, *tanquam Sedis Apoſt. delegati*, quia prædicti Equites immediatè ſubiiciuntur Apoſtolicæ Sedi, vt ceteri Religioſi, & non Ordinariis, quare hi nullam iuriſdictionem per ſe in illos habent, & ideo nec poſſunt viſitare, cum vnum alterum ſupponat, vt colligitur cap. 1. §. hanc de cenſibus. l. 6. & extra. cap. cum venerabiles. eod. tit. Calderino conſil. 10. de cenſibus. Oldrado. conſil. 240. Abbate. cum Apoſtolus. de cenſibus. Sylu. viſitatio. quæſt. 1. Baldo conſil. 158. lib. 3. Crauera conſ. 138. num. 13. Solum igitur id facere valent, vti delegati Sedis Apoſtolicæ.

Viſitationis autem forma colligitur ex cap. placuit. 10. quæſt. 1. & cap. Romana de cenſib. l. 6. Finis verò præſcribitur à Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. nempe iſtarum omnium viſitationum precipuam, eſſe ſanam, orthodoxámque doctrinam expulſis hæreſibus inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum exhortationibus, & adminiſtrationibus ad religionem, pacem, innocentiámque accendere. Hic tamen Pius V. reſtringit viſitationem militum Eccleſiarum ad animarum curam, illiúſque exercitium. v.g. vt cuſtodiantur dies feſti, audiatur ſtatutis diebus res diuina, doceantur quæ ad fidem pertinent, ſeruentur ieiunia, ne permittantur adulteri, ſortilegi, blaſphemi, fæneratores, concubinarij. Et ad Sacramentorum adminiſtrationem. an pro Eccleſiæ, & Parochianorum facultatibus ſanctiſſimum Eucharitiæ Sacramentum mundè, & honorificè aſſeruetur, adminiſtretur in Eccleſia, deferatur ad ægrotos, quómodo templum niteat, altaria ſint inſtrumenta decenti ſupellectili, religioſè aſſeruetur fons baptiſmalis, oleum ſanctum, adminiſtretur iuxta præſcriptum Eccleſiæ ritum Sacramentum Pœnitentiæ, non contrahantur in gradibus prohibitis matrimonia, & ſic de aliis; & ſic quæ correctione digna in his, vel Eccleſiæ miniſtris inuenerint, corrigant, & delinquentes pœnis coërceant. c. 1. de cenſib. l. 6. §. ſanè. & Concil. Trident. ſeſſ. 7. cap. 8. de refor. iis præſertim, quæ in præſenti Conſtitutione deſumpta ex Concil. Tridenr. ſeſſ. 21. cap. 6. & 8. de refor. habentur, de amouendis, ſubſtituéndíſque miniſtris prauio examine, iuxta eiuſdem Conc. formam. ſeſſ. 7. cap. 13. de refor. & ſeſſ. 24. cap. 18. de refor. Vana enim eſſet viſitatio, niſi delicta corrigi poſſent, ex Sylu. v. viſitatio. quæſt. 6. d. 4.

Denique §. 4. decernit Pius prædictam viſitationem ab huiuſmodi delegatis gratis faciendam, ne videantur ſua potius, quàm Ieſu Chriſti quærere. etſi iure communi viſitatori debeantur expenſæ, ſeu procurationes. cap. 1. & vltimo de cenſibus. l. 7. Gloſſa, & Doctores ibid. de quibus procurationibus plura differit Azor p. 2. l. 3. c. 42. & p. 3. l. 13. cap. 30.

EIVSDEM PII V.

Constitutionis 140. olim 145. editæ anno 1571. quæ incipit. Etsi. *& 150. quæ incipit.* Cum nuper. *editæ anno 1572.*

EPITOME 118. 119.

Dignitates, & Officia habentia administrationē iurisdictionis ambientes, & possidētes pretio, vel promissione, incurrunt cum cōplicibus pœnas confiscationis bonorū, degradationis, & amissionis Doctoratus, & quorumcunque officiorum sæcularium, & Ecclesiasticorū, & vltimi supplicij.

PRÆCIPIT. Legislator §. 3. & 4. nemini in statu Ecclesiastico licere mediante pecunia, aut alia re, vel promissione illarum, Dignitates, & Officia habentia administrationē iurisdictionis, procurare, assequi, vel obtinere per se, vel per interpositas personas, & contrafacientes eo ipso incurrunt irremissibiliter pœnam confiscationis omnium bonorum, degradationis, & amissionis priuilegij Doctoratus, & quorumcūque officiorum tam sæcularium, quàm Ecclesiasticorum, & vltimi supplicij, & quandocumque pro huiusmodi officiis habentibus iurisdictionis administrationem constiterit fuisse alicui Curiali, vel familiari aut alteri personæ, quid datum, aut promissum, per interpositam personam, ipso iure præsumendum id de consensu, aut mandato obtinentis huiusmodi dignitates. factum fuisse, ideo subiacere pœnis prædictis nulla admissa excusatione ignorantiæ.

Et in eiusdem extensione, quæ in bullario veteri est 150. & incipit. *Cum nuper.* §. 1. extendit, vt liget etiam pretium, & promissionem, recipientes, ac etiam mediatores, innouátque iuris ciuilis, & Canonum pœnas.

THEOREMA 325.

EXtrauagantis huius materia tractatur etiam l. vnica. §. quod si. ff. ad leg. Iul. de ambitu. Authent. vt iud. sine quoquo suff. & Auth. de mand. princip. & Nouella. Constit. 8. tit. 2. & 3. & c. 1. & 2. ne prælat. vices suas. S. Tho. opusc. 21. ad missam Barbantiæ, Panor. cap. 1. & 2. ne prælati vices suas. Caiet. v. efficiorum venalitas. Soto l. 3. quæst. 5. art. 4. Syl. v. dominium. quæst. 4. Nauar. c. 25. nu. 7. Azor. p. 2. l. 11. cap. 7. Lessio l. 2. cap. 32. num. 28. Claro §. Simonia num. 4. Tusco v. Simonia. consil. 251. Rebell. l. 9. quæst. 18. lect. 2. Molina d. 340 Bonacina de Contr. d. 3. q. 2. p. 2. num. 10. & aliis. qui vno ore huiusmodi officiorum iurisdictionem habentium venalitatem, tanquam rerumpub. pestem, & perniciem auersantur. Vnde Concil. Turonense. cap. 2. *ne prælati vices suas.* dicit non esse dubium huiusmodi venalitatem in iudiciorum subuersionem redundare. & Iustinianus citata Auth. vt iud. sine quoquo suff. eidem acceptam refert impunitam oppressionem subditorū, nullo præsumente cum fiducia officialem redarguere, quod ille repente se emisse

emiſſe cingula (ideſt dignitates) reſpondeat, vnde per fas, & nefas, expilat quæcunque quæ merito ab eodem Iuſtiniano furta dicuntur. publicas, & manifeſtas populorum ſeditiones, officialium auaritiam malorũ omnium matrem, accuſantium. Fugas habitatorum. c. prouinciis. non habentium ob huiuſmodi extorſiones modum ſoluendi Principi conſueta tributa. Commerciorum confuſiones, reorum impunitatem, illis vendentibus magiſtratibus delicta, condemnationem innoxiorum, vt noxiis præſtent, furta, latrocinia, inuaſiones, vulnera, homicidia, adulteria, raptus virginum, legum, & Iudicum contemptum, dum hæc, & alia ſine periculo cõmittuntur, quod habeantur ob impuras officialium manus, venalia. ideo quiſque videns omnia auro vendentẽ, & præſumens quia quicquid egerit illicitum, hoc pecunias dando redimet, nihil adeo eſt graue, aut atrox facinus, quod non ſibi impune futurum putet; quare adminiſtrationũ emptio vna omnino eſt malorum omnium occaſio, & rerumpubl. peſtis. Itaque in officiis tẽporalibus, vt notat Clarus loco cit. cum Anan. c. 1. num. 4. de ſimonia, admittitur quidem oblatio, quę fit palam Principi, per eum, qui cupit prodeſſe, ſed non præeſſe, cum ibi ceſſet crimen ambitus. ſed non, quæ fit alteri occultè, & clam. quo caſu non modo dantes, aut offerentes aliquid pro officiis, ſed etiam ea petentes puniuntur pœna infamiæ, & centum aureorum, ex l. vnica. ff. ad. l. Iul. de amb. addidit Inſtinianus in Auth. vt Iud. ſine quoquo ſuff. §. vltimo. pœnam reſtitutionis in quadruplum, indignationis Imperatoris, periculi amiſſionis cinguli, & ſuppliciorum, quæ congruent delictis eorũm. & extendit hæc etiam ad obedientes in his huiuſmodi officialibus. Quæ innouantur hic etiam bulla 150. à Pio V. extenſis etiam pœnis ad mediatores; & pretium, aut promiſſionẽ accipientes, addita præſumptione, vt ſi quid datum, aut promiſſum fuerit per interpoſitam perſonam, familiari, curiali, aut alteri cenſeatur id factum ab eo, qui obtinuit adminiſtrationem. Quare ad huiuſmodi incommoda præcauenda præceptũ eſt in auth. vt Iud. ſine quoquo ſuff. §. vltimo & Authent. de Mandat. princip. & Conſtitutione Nouell. 8. tit. 2. & 3. vt Officiales in principio officij iurent, ſe occaſione ſuffragij, aut patrocinij nihil dediſſe, aut promiſiſſe, nec daturos, aut promiſſuros. qua de re Clarus, & Tuſcus locis citatis.

EIVSDEM PII V.

Conſtitutionis 149. aliàs 56. editæ anno 1571. quæ incipit.

Licet omnibus.

EPITOME 120.

PIVS V. §. præſentis Conſtitutionis in fauorem Chriſtianorum habitantium in Turcarum Dominio, & Terris ita legem ſanciuit. *Decernimus, & mandamus, vt nullus* (fidelis) *Chriſtianos capiat, aut præter eorum voluntatem, etiam data mercede, remigare*

Chriſtiani ſubditi Dominio Turcarũ non ſunt captiuãdi, nec cogendi remigare, aut ſe pretio redime-

te, sed cũ bonis, vxoribus, liberis relaxãdi. *excomm.*

gare cogat, imponat eis taleam, bona eorum diripiat, quinimmo fraternè, & amicabiliter, vt Christianam pietatem decet, tractet, & liberè cum suis coniugibus, filiis, & bonis, abire permittat. Singulos verò, qui contrauenire præsumpserint, declaramus ipso facto in pœnam excommunicationis latæ sententiæ incidisse, à qua non possint, præterquam in mortis articulo, absolui, nisi à nobis, & successoribus nostris.

THEOREMA 325.

CVm Selimus Turcarum Tyrannus Christianorum prouincias longè, latéque depopulatus esset, & multas suo subiecisset imperio, tatus Pius V. communem hostem communibus Christianorum Principum armis oppugnandum, summâ ope perfecit, vt iniretur belli societas inter summum Pontificem, Hispaniarum Regem Philippum II. & Rempubl. Venetam, quorum coniunctis armis anno 1571. die D. Iustinæ facto, Io. Austriaci Caroli V. filij ductu, nauali prælio, propitio Numine, & fœliciſſimo euentu contra Turcas pugnatum est, ad Naupactum Corinthiaci sinus oppidum, captæque triremes ducentæ, cæsa ad 30. Turcarum millia, sex millia capta, & quindecim millia captiuorum Christianorum seruitio exempta.

Veritus igitur, ne occasione belli, Christiani degentes in terris Turcarum male à Christianis eas hostiliter inuadentibus, haberentur, illorum incolumitati consulens Pius, præsentem extrauag. promulgauit, qua vetat Primò, à Christianis captiuari, sunt enim fratres, & non inimici nostri, & ideo non addenda afflictio afflictis; nec est eadem ratio de his, & de filiis infantibus Turcarum, qui in bello capiuntur & iure gentium serui fiunt, in pœnam delictorum parentum licitè, cum sint quid patris, & ideo sæpe ob eiusdem delictum, perpetua etiam puniri possint infamiâ.

Secundò, contra, aut præter, eorum voluntatem cogi ad remigandum in triremibus Christianorum, etiam soluta mercede; quia non liberè cedunt iuri suo; & ideo non tollitur iniustitia. Non enim minus libera debet esse iuris cessio, quàm ipsa donatio, vt tollat iniuriam. & locum habeat regula iuris 27. l. 6. Scienti, & consentienti non fit iniuria.

Tertiò, imponi eis taleas. neque enim in his locum habere iustè potest mos inter Christianos receptus, vt Christiani in bello capti serui quidem non fiant, seruari tamen possint captiui, vt pretio redimantur, vt docet Bartolus communiter receptus, l. hostis. ff. de captiu. Syl. v. Bellum. 1. §. 1. Cum enim hi nobiscum bellum non gerant, sed agros, aut negotiationes, artesve exerceant, non sunt taleis, aut pretio cogendi ad se redimendum.

Quartò, bona illorum diripi, cum enim hostes non sint, non sunt eorum bona, vt hostium, diripienda, aut in prædam militibus concedenda, vti ductores bellorum ad excitandos milites, & puniendas subactas ciuitates, solent

aliquan

aliquando concedere. In eo verò differt rapina à furto. l. quo naufragium. in fin. ff. de incen. ruin. nauf. quod includat violentiam, quæ fit Domino ſcienti, furtum verò ignorante, quare cæteris paribus rapina grauius eſt peccatum, ex S. Thom. 2. 2. quæſt. 66. art. 9. & Caiet. ibid. Quintò, vult liberos cum ſuis coniugibus, natis, & bonis dimitti, & amicabiliter tractari. aliàs enim crimen plagatus, ſeu plagium eſſet, retinendo vel ad vendendum, vel ad habendos in mancipia, liberos homines. de quo Plato l. 7. de leg. & in Sophiſta, Alciatus 1. Pararg. c. 27. Bald. in l. alienum in fin. Cod. de furt. & cæteri. tit. de plagiat. Leſſius. l. 2. c. 12 num. 5.

Tranſgreſſores verò plectit pœna excommunicationis Papæ reſeruatæ, extra mortis articulum; & meritò, quippe cum res ſit grauiſſima, non ſecus ac piraticus diſcurſus maritimus. & in iure ciuili, cum antea pœna huius criminis eſſet pecuniaria, ex l. fin. ff. ad l. Fabian. de plagiar. poſtea capitalis eſſe cæpit, & plerumque exiliũ, vel damnatio in metallum, ex cit. l. fin. ff. d. l. Fab. de plag. & l. fin. Cod. eodem tit. & c. 1. extra. de furtis, quæ pœna rapientis liberum hominem etiam conformis eſt Deuter. 24. vetſ. 7. Exod. c. 21. Videndus etiam Iulius Clarus. §. finali. quæſt. 68. num. 32. Anan. in c. 1. de furtis. num. 4. Pet. Gregorius, Syntag. l. 36. c. 31.

EIVSDEM PII V.

Conſtitutionis 147. olim 155. editæ anno 1572. quæ incipit.

Romani.

EPITOME 121.

RENOVAT in præſenti Conſtitutione Pontifex in ſtatu Eccleſiæ pœnas impoſitas à legibus ciuilibus contra componentes, & retinentes libellos famoſos, & à Canone. Qui in alterius. 5. quæſt. 1. vbi ſtatuitur, vt tales flagellentur, & excommunicentur, & extendit ad componentes, ſcribentes, dictantes, exemplantes, retinentes, tranſmittentes litteras nuncupatas, *d' Auiſi*, continentes alicuius famæ læſionem, vel reuelationem ſucceſſuum futurorum, & eorum, quæ pro regimine vniuerſalis Eccleſiæ ſtatus ſecretò tractantur, ſub pœna etiam confiſcationis bonorum, & capitis, niſi antequam vim earum manifeſtarint, corruperint.

Libelli famoſi, & litteræ *d' Auiſi* cõtinentes alicuius famæ læſioné, vel reuelationem ſecretorum cõcernentium regimen vniuerſalis Eccleſiæ, prohibẽtur. *Cõfiſcatio bonorũ, & vltimum ſupplicii.*

THEOREMA 326.

LIbellus famoſus, de quo hoc loco eſt ſermo, dicitur ſcriptura in publicam contumeliam alicuius edita, vt conſtat ex l. vnica. Cod. de famoſ. lib. Azore ibidem, & aliis Iuriſconſultis in l. lex Cornelia. ff. de iniuriis. §. fin. & inter detractiones peſſima eſt, quæ per

per huiuſmodi libellos fit, tum quia ad plures permanat, tum quia vix aboleri poteſt, cum auctor nequeat deprehendi, ideoque & qui fecit, & qui ſparſit, & qui inuentum euulgauit, & non lacerauit, morte puniuntur, ex dicta l. vnica. Cod. de lib. fam. & l. lex Cornelia cit. Angel. ibidem. Tuſcho. tom. 5. pract. concluſ. iuris. concl. 321. Plaza. l. 1. delict. c. 3. Syl. v. libell. num. 5. Molina diſp. 39. & extenditur etiam ad picturas turpes, quæ ad valuas, parieteſque alicuius, ad eius dedecus, delineantur, vt notauit Iulius Clarus §. fin. q. 68. Molin. tr. 4. diſp. 35. Graff. l. 1. de caſibus reſeruatis. c. 19. num. 21. Zechius caſu 17. de caſibus reſeruat. Berraza conſil. ſuo crim. 237. num. 3. Idem valet in componentibus cantilenas contra Magiſtratus, & illorum honorem, ex Angel. qui monet talia facientes, vt caueant, in l. lex Cornelia. §. fin. ff. de iniuriis, etiamſi cantilenæ non ſint ſcripræ, & ſint ſine nomine auctoris, ſi id aliũde ſciatur, ex eodẽ Angelo, loco cit. Sed Menoch. l. 2. de arb. c. 263. num. 42. vult puniri pœna arbitraria. nec ſanè immeritò, qui non compoſuit, ſed repertum non delenit, & publicauit famoſum libellum, capite plecti debet, ex d. l. vnic. Cod. de fam. lib. tum quia hic præſumitur compoſuiſſe, ex Doctorum ſententia in c. qui in alterius. 5. quæſt. 1. Syl. loco cit. verſ. *Aduertendum eſt tertiò.* Menochij. l. 2. de arb. caſu 263. num. 38. rum quia ſine iſtius opera fruſtra libellus compoſitus fuiſſet, & ideo iſte ad effectum deduxit delictum, & ob id puniendus eſt. vt etiam pari pœna punitur ſcribens, dictans, vel fieri mandans, ex eodem Ang. in cit. l. lex Cornelia. §. fin. ff. de iniuriis. & efficiuntur etiam inteſtabiles. l. ob carmen. ff. de teſtibus. Menochio num. 34. & Graff. p. 2. l. 2. c. 17. num. 26. Mol. d. 137. Leſſ. l. 2. c. 19.

Quoad pœnas autem Canonicas. c. qui in alterius. 5. q. 1. videndus Geminian. Archidiac. Turrecremata. ibidem. Syl. loco cit. n. 5. Plaza l. 1. epit. delict. c. 3. Menoch. loco cit. Eaſdem pœnas capitis, confiſcationis bonorum, &c. idem Pius extendit ad componentes, ſcribentes, dictantes, exemplantes, retinentes, tranſmittentes commentarios dictos *litteras d'Auiſi*, ſi contineant læſionem famæ alicuius, vel reuelationem eorum, quæ pro regimine vniuerſalis Eccleſiæ ſtatus ſecretò tractantur, ſi non corruperint, antequam illorum vim manifeſtauerint.

Edidit eadem de re conſtitutionem aliam num. 4. olim 7. quæ incipit. *Ea eſt.* Gregorius XIII. anno 1572. continentem infamiæ notam, & damnationem ad Triremes. *Prohibemus* (inquit §. 2.) *ne quis in poſterum tales Commentarios conficere, néue ab aliis confectos recipere, deſcribere, ſpargere, aut ad alios mittere audeat. Qui horum quid fecerit, ipſo facto perpetua infamiæ nota affectus ſine vlla ſpe ueniæ ad Triremes, aut perpetuò, aut ad tempus pro admiſſi qualitate damnetur. Qui verò huiuſmodi ſcriptorum quidquam vndecunque, aut à quocunque receperit, id quamprimùm vrbis noſtræ Gubernatori ſignificare, & omnia ei conſignare debeat. Quod ſi non fecerit, ipſum pœnis prædictis ſubiacere decernimus. Antiquis iuribus contra ſcribentes, aut mittentes libellos famoſos editis nihilominus in ſuo robore duraturis.*

GRE

GREGORII XIII.

Conſtitutionis editæ anno 1572. quæ incipit. Omni certè.

EPITOME 122.

Agni Dei cerei non ſunt miniandi, nec venales habendi. excomm.

PROHIBET legiſlator quemquam depingere, vel minio inficere, auróve, vel colore notare, Agnos Dei è cera à Papa benedictos, aut etiam facere miniari, vel depingi, ſeu etiam illos venales proponere, vel tenere ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & aliis pœnis arbitrariis, ſed eos albos, & mundos decenter ac reuerenter à cunctis haberi, deferri, & cuſtodiri iubet.

THEOREMA 328.

1 VEtus eſt mos Eccleſiæ Catholicæ, vt Romani Pontifices anno. 1. & 7. ſui Pontificatus, hos cereos & candidos ſacratos agnos, purum illum mundum, & innocentem Agnum, qui pretioſo ſuo ſanguine nos redemit, repræſentantes, ſolemnibus cæremoniis, & precum ritu, ac benedictione ſanctificent, pluráque ſanctè à Deo precentur iis, qui pio, & religioſo animo eos ſecum habuerint, & detulerint. Quare cum Carolus Magnus à Leone III. coronatus fuiſſet Imperator, ab eodem tanquam præclaro munere vno ex huiuſmodi cereis agnis donatus eſt, quem ille cum inſigni pietate vti magnum theſaurũ accepit, vti ex Regiſtro Summorum Pontificum conſtat. Imperator quoque Conſtantinopolitanus cũ aliquot ab Vrbano V. qui in Pontificatu ab anno 1363. ad 1370. vixit, ſibi miſſos audiuiſſet, ſolemni inſtituta cum clero & populo ſupplicatione obuiauit, & triumphali more in vrbem inuexit ex eodem Regiſtro. quin etiam Abiſſinorum Imperator ante biennium vna ex his ſacris ceris donatus ſumma reuerentia, multíſque oculis tanquam tutiſſimum in bellis clypeum collo ſuſpenſam ferendam, recepit, vt in annuis litteris Æthiopicæ miſſionis ſcripſit anno 1620. Michaël de pace Societatis IESV. Experientiáque didicimus eos præclaram vim habere contra fulmina, grandines, incendia, ventorum, ac imbrium tempeſtates, præſtigiáque, & incantationes ſagarum, & dæmonum, vt teſtatur Durandus l. 6. diuin. off. c. 79. & Concil. Mediol. ſub D. Carolo Borromeo celebrato. Extat etiam apud Greg. Turonenſem de miraculis. S. Martini. c. 2. teſtimonium S. Paulini, referentis l. 6. inuidia tentatoris factũ, vt immiſſum incendium voraci flamma domum combureret; ſed ceræ particulam allatam à templo D. Martini iniectam in ignem, illum, ſua natura alere ſolitam, eius violentiam oppreſſiſſe. Haud igitur mirum, ſi ex his ceris, quæ ex cereo acceptæ Paſchali, aliíſque puris admixtis, & ſacro oleo delibutæ, ac à Chriſti Vicario benedictione ſanctificatæ, ſignatæq; imagine Agni Dei, ex quo nomen ſortitæ ſunt, ſimilia quotidie edantur miracula, quorum nonnulla refert Antonius Daurouultius in Cate-

2 *Scortia.*

3

chiſmo. cap. 3. tit. 73. Soc. IESV, ex annuis litteris ſocietatis eiuſdem.

Videntur autem præcipuè hæ ſacræ ceræ inſtitutæ, vt notauit Baronius ad annũ Chriſti 68. c. 60. vt ſuſpenſæ collo recenter baptizatorum, dæmonum illuſiones, & faſcinationes maleficarum auerterent, vel diſſoluerent, multò fælicius, quàm Gentilibus eueniret, qui infantibus ſuis ad eaſdẽ faſcinationes auertendas ſuperſtitioſas bullas, ex Varrone lib. 6. de ling. lat. appendebant. Huius rei exempla plura referuntur à Patre Martino Delrio tom. 1. diſq. Mag. l. 2. c. 12. & tom. 3. l. 6. cap. 2. ſect. 3. q. 3. & Antonio Daurouultio loc. cit. Porrò munus ſignandi, & renouandi fractos huiuſmodi cereos Agnos Dei Sum. Pontifex Paulus V. in Conſtitutione 27. aliàs 43. conceſſit in Vrbe Reuerendis Patribus ordinis Ciſtercienſis ſanctæ Mariæ Iulienſis.

THEOREMA 329.

HAbendos verò decẽter & religioſè huiuſmodi Agnos, & ad eos duntaxat vſus, ad quos ſacris Eccleſiæ precibus conſecrantur, & ratio ipſa, & diuorum Imperatorum, de quibus ſupra diximus exempla docent. Ideo Concilium Mediolanenſe præcipit, vt non ſolùm cum geſtantur è collo ſuſpenſi in theca aurea, argentea, chriſtallina, aliáue nobili materia incluſi ſint, (nullo autem modo in annulo, quòd tunc parum religioſè geſtari videantur) caueántque habentes, ne quid impurum, aut turpe tangant, aut faciant à re ſacra alienum, ſed etiam cum domi iuxta piam fidelium conſuetudinem aſſeruantur, decenti loculo includantur, ne tactu violari poſſint; quippe cum nec laicis, nec clericis in minoribus ordinibus eos contrectare liceat, ſicut nec ſacra vaſa, calices, patenæ, ex cap. in ſancta de conſec. d. 1. & cap. ad ſacras d. 23. aut ſacratus altaris lapis; ſed tantum clericis in ſacris conſtitutis, eò quod ſacro oleo, & chriſmate conficiantur. Quamuis ſi abſit contemptus, & honorificè, ac reuerenter à non ſacratis hominibus tangantur, veniale ſolum videatur Azorri. p. 1. l. 9. cap. 9. q. 3. quinimmo Sanchez l. 2. decal. c. 43. num. 27. nullam culpam eſſe ſentit, quod vſus obtinuerit, vt poſſint tangi.

THEOREMA 330.

PORrò huius Cõſtitutionis cenſura tria hominũ genera comprehendit. Primò, inficientes auro, colore, aliáue re ſimili has ſacras cereas imagines, cum ex candore debeant puritatem Agni cœleſtis, & tollentis peccata mundi Io. c. 1. Apoc. c. 5. 6. 7. D. Petr. ep. 2. c. 1. Iſaiæ c. 53. demonſtrare. Poſtquam tamen contracta eſt excommunicatio ab inficientibus, Sanchez loco cit. num. 28. ſentit non eſſe vetitum eas ſic pictas retinere, cum non debeant deſtrui, & in motu proprio infinitiuum (*tenere*) coniungatur cum dictione (*venales.*) Secundò, facientes idem fieri, ne in crimine participantes à criminis pœna ſint immunes, & liberi. Tertiò, eaſdem venales tenentes, vel proponentes, ad vitandam ſcilicet ſpeciem omnem Simoniæ, ex Azor. p. 1. l. 9. cap. 9. q. 4. Verùm Thomas Sanchez n. 29. id intelligit

git tantùm de venalitate Simoniaca, vt si pluris vendantur ratione benedictionis, quàm materia ipsa, & impensæ factæ valeãt, hoc enim apertè illicitum, & Simoniacum est, non item illud; cum etiam calix consecratus tanti vendi possit, quanti materia, & artificium valet, nihilo penitus pro consecratione recepto. excommunicatio tamen hæc non reseruatur.

Eiusdem GREGORII XIII.

Constitutionis 11. in bull. vet. editæ ann. 1572. incipientis. Illius, *& 12. incipientis.* Sanctissimus, *editæ anno 1576.*

EPITOME 123.124.

Conceduntur Indulgẽtię docẽtibus, & discentibus doctrinam Christianam.

GREGORIVS in priori bulla Indulgentias extendit ad cẽtum dies docentibus, & addiscentibus Christianam doctrinã singulis vicibus, cum Pius V. bulla, *Ex debito.* n. 156. solùm 40. concessisset. In posteriori verò cõcedit omnibus quando ingrediũtur Christianæ doctrinæ confraternitates, & confitentur, & communicant, decem annos, & totidem quadragenas Indulgẽtiarũ, idémque bis in anno, si fuerint cõfessi, & communicauerint. Nec non dictis confratribus vtriusque sexus descriptis, & describendis quotiescunque in tam sancto exercitio se occupauerint, annos 100. Itémque dies 100. cum se congregant ad tractandum de rebus ad promouendam huiusmodi puerorum institutionem. Itémque semel in anno eisdem confessis, & communicatis iuxta superiorum suorum determinationem, & in articulo mortis contritis, & pœnitentibus largitur plenariam indulgentiam.

THEOREMA 331.

MVnus tradendi pueris, & rudibus doctrinam Christianam summi momenti esse in Ecclesia Dei; summósque viros ad hoc fuisse delectos, vt etiam Philosophis de fide interrogantibus satisfacere, & errores illorum confutare possent, clarius pomeridiana luce constat. & meritò, tum quòd ipsius Christi omnium Magistri Matth. 17. & 23. Lucæ 9. & Apostolorũ à Domino electorum ad totum orbem veritatis splendore illuminandum, Matt. 10. munus fuerit. tum quod in hoc vertatur hominis æterna salus: tenentur enim fideles quoad credibilia, explicitè, & non solum implicitè multa scire, vt contra Innoc. c. firmiter de sum. Trinit. & fid. Cath. Ioan. Andr. ibid. n. 26. Abb. num. 6. & Hostiens. n. 11. docent Eymericus p. 2. Direct. Inquis. q. 10. hæresi 8. Valentia 2. 2. q. 11. art. 2. p. 4. Bannes 2. 2. q. 11. art. 2. vt v. g. contenta in articulis fidei, ex August. l. de fid. & symb. c. 1. Cyrill. catech. 5. D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 5. Valentia,

& Banne locis cit. Alb. Bon. Dur. 3. ſent. d. 25. Io. Azor. t. 1. lib. 8. c. 6. 7. Caſtro. lib. 1. de iuſt. hæret. punit. c. 9. Gabr. 3. d. 25. quæſt. vnica art. 2. & cæteris Theologis, licet inter eos ſit deinde aliqua diuerſitas, vt videre licet apud Sanchez l. 2. decal. cap. 3. & quoad agibilia etiam multa, v. g. præcepta, ſacramentáque, vt ex præſcripto Chriſtianæ legis viuentes, vitam conſequantur æternam; ideo neceſſe eſt, vt hæc, & ſimilia doceantur, cũ ignorantes, hæc præſtaré nequeant; idque cum primum rationis vſum aſſequuntur, cum iam actum fidei explicitè elicere, rectéque viuere debeant, vt rectè docent Sanchez loco cit. n. 12. cum Bonau. 3. d. 25. art. 1. q. 5. Ang. v. fides n. 7. Nau. c. 11. n. 22. Azor. loco cit. c. 7. q. 2. Philiar. t. 1. p. 2. l. 3. c. 9. de off. ſacerd. Vaſquez 1. 2. q. 26. art. 2. & ignari teneantur ſub mortali (cum res ſit grauiſſima, & neceſſaria ad ſalutem) curare vt addiſcant, & ſciant ſaltem quoad ſubſtantiam, etſi neſciant iiſdem verbis referre, ex Valentia, Banne, Pet. Ledeſma, Sanchez n. 16. Syl. Ang. v. ſcientia, & aliis citatis. Cúmque id ſit Paſtorum munus, Parochi ignaros docere tenentur, & ad id cogi cenſuris ab Epiſcopis poſſunt, vt aliquando contigiſſe docet Emanuel Roder. to. 1. ſum. in 2. edit. c. 88. n. 3. & Sanchez n. 15.

THEOREMA 332.

CVm igitur tantum negotium vrgeretur remiſſiùs, inuigilantes ſummi Pontifices cæperunt varia mali remedia excogitare, ideo Leo X. bulla 7. olim 11. quæ incipit *ſuperna*. §. 32. iuſſit ſcholarum magiſtros, præcipuè diebus feſtis, ſuis diſcipulis catechiſmum tradere: Pius V. bulla 137. olim 156. vt Ordinarij locorum inſtituerent confraternitates doctrinæ Chriſtianæ, & tam docentibus, quàm diſcentibus vtriuſque ſexus conceſſit, vt quoties ad doctrinam conueniunt, ſi pœniterent, & confiterentur, aut haberent propoſitum confitendi ſuo tempore, lucrarentur 40. dierum indulgẽtias. De quadragenæ autem nomine videndus Rodericus t. 2. q 86. art. 3. Paludan. 4. d. 20. q. 4. art. 2. Snatez t. 4. d. 50. ſect. 5. n. 11. & ſeqq. & ſupra Theor. 48. demum nũc in præſenti Conſtitutione Gregor. XIII. eas liberaliter adauget, vt res ſerius, & diligentius vrgentur. Cui ſanè pio operi, & inſtituto, plurimum vbique attulit adiumẽti noſtra hæc minima Societas IESV vſque ab initio, ex S. P. Ignatij inſtitutione, qui & ſuo exemplo in hoc cæteris præluxit, & voluit Profeſſis ſocietatis noſtræ peculiariter munus hoc tradendæ Chriſtianæ doctrinæ pueris, & rudibus commendatum eſſe, & locorum ſuperiores, cum primum aliis ſociis præficiuntur per dies 40. eam publicè profiteri, quæ ſatis patent ex conſtitutionibus ſocietatis, & bullis Pauli III. Iulij III. Gregorij XIII. & aliorum Pontificum in eiuſdẽ confirmationibus. Vix enim explicari poteſt quantum ſit iuxta Ariſtotelis l. 2. Ethic. & Virgilij l. 2. Georg. ſenſum, qui ci penè totum tribuunt, à teneris aſſueſcere, vt etiam ex Lycurgi canibus altero coquinæ, altero venationibus ab initio aſſuetis, colligit Plutarchus in eiuſdem vita; quippe cum, vt ſcribit Horatius,

Quo

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu.

Et Seneca Trag.6.

Dediſcit animus ſerò, quæ didicit diu.

Cuius cauſam docuit Plato, dum lib.4.de virtute.& l.26.de pulchro, ait. *Quia in pueris ingenia ſunt mobilia, & ad percipiendum facilia, ita celeriter capiunt, vt non tunc diſcere illa videantur, ſed reminiſci, atque recognoſcere.* Et Quintilianus l.1. cap.12. *Dociliora ſunt ingenia, priuſquam obduruerint.* Et Vegetius l.1.c.4. *Non tantum celeriùs, ſed & perfectiùs imbibuntur, quæ diſcuntur à pueris.* Et denique Pius V. in motu proprio. *Ex debito paſtoralis officij.* n. 156. agens de vtilitate inſtitutionis puerorum in doctrina Chriſtiana, teſtatur ſe aduertiſſe infantes, & pueros bonis moribus, & exercitiis educatos, quaſi ſemper vitam pudicam, honeſtam, & exemplarem, ac aliquando ſanctam egiſſe; è conuerſo autem, qui in curia, & ignauia, non ſic educati ſunt, perſæpe ad exitium, & duci, & quod peius eſt, alios plures ſecum ducere, qui ſi diligenter educati, & in doctrina Chriſtiana inſtructi fuiſſent, à vitiis, & multis aliis erroribus abſtinuiſſent. Quod etiam in D. Petro Martyre perſpicuè eluxit, qui cum a teneris in ſcholis Apoſtolorum ſymbolum didiciſſet, nullis nimis, blandiiiis nullis, euinci potuit, quin etiam ſanguine ſemel agnitam veritatem, & fidem, confirmaret.

Eiuſdem
GREGORII XIII.

Conſtitutionis 24. editæ anno 1574. quæ incipit. Ab ipſo.

EPITOME 125.

Prom ittétes vel dantes,& rem, aut promiſſionē acceptãtes, pro obtinēda iuſtitia,aut gratia apud Sedē Apoſtol. ſcientéſque, & nō reuelantes, necnon fautores, cōſultores, &c. excommunicãtur,teſtetuata abſolutione Papæ, priuãtur omnibus officiis, & benef. ſunt infames, & inhabiles,& expeditiones ſunt nullæ.

CVM Bonifacius VIII. excōmunicationis ſententiam tuliſſet in dantes aliquid,vel recipientes,ſiue promittentes etiã ſub verbis generalibus, & non planè expreſſis, & promiſſionem recipientes etiam rei paruæ, pro obtinenda iuſtitia, aut gratia, ſiue pro ſe, ſiue pro alio, à ſede Apoſtolica. Vel qui ſciret aliquem eſſe in tali culpa, & intra triduum non notificaret, à qua excommunicatione nemo poſſet abſoluere abſque ſpeciali mandato Papæ,aut mortis articulo, & tũc ſi tantum pauperibus daret, quantum recepiſſet, aut dediſſet. Et expeditiones ipſas ſic obtẽtas declaraſſet nullas, adeo vt,qui ſcienter litteris illis vteretur, in eandem cenſuram incideret: Gregorius XIII. eaſdem ſordes abhorrens præſenti extrauag. §.2.Conſtitutionẽ prædictam cõfirmat, & extendit ad prædictorum conſiliarios, fautores,& auxiliatores. & §.3 priuat ipſo iure omnes prædi-

ctos quocunque beneficio, & officio Ecclesiastico, & sæculari, reddit infames, & inhabiles ad illa, & alia beneficia, & officia. & §.4 concedit impunitatem socios, complices, & fautores, manifestantibus.

THEOREMA 333.

BOnifacij VIII. prædictam constitutionem editã, anno 1295. supra Epitome 18. retulimus, & explicuimus Theoremate 56. 57. Quoad præsentem verò Gregor. XIII. cupiens sum. Pontifex Curiam purgare à sordibus (*sunt sordes* ex. l.ti filius. ff. de iudiciis, cap. 1. de re iudicata. l. 6. Baldo in d. l. si filius, Deciano in tr. crim. l. 8. c. 33. Alberico in dictionario, Virginio Boccacio tr. de pact. p. 3. n. 80. Nau. com. de dat. & promiss. not. 3. *præmia, seu corruptiones pecuniariæ*, quæ eriam iure diuino damnatæ sunt. Deut. 16. *Iudices, & magistratus constitues*, &c. Isaiæ cap. 1. *Principes tui infideles*, &c. Iob c. 15. *Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui libenter munera accipiunt*. Eccl. 20. *Xenia, & dona excæcant*. Isaiæ 5. *Væ qui iustificatis impium*, &c. l. 1. Reg. c. 8. *Et non ambulauerunt*, &c.) renouat in præsenti extrauag. §. 2. & confirmat cum omnibus pœnis, & censuris, prędictam Bonifacij, eo quod huiusmodi quæstus cupiditas, & nundinatio iustitiæ, & gratiæ apud sedem Apost. & pessimæ sint, & Curiæ existimationem grauissimè offendant. Qua in re imitatus est Gregorium II. qui eadem de causa in bulla, quæ incipit. *solicitè*. promittentes, aut dantes aliquid nunciãti. us promissionem beneficiorum, excommunicauit reseruata absolutione Papæ. Ideo iam cessat difficultas, an dicta Constitutio Bonifacij obliget, nec ne, quod auctore Caldermo, & Ioan. de Lignano, Palud. 4. d. 18. q. 3. Angel. excomm. 5. casu 25. Sylu. excomm. 7. casu 46. Caiet. excomm. post casum 80. diceretur reuocata à Clemente V. vt notat etiam Nauarr. in Man. c. 27. n. 206. in fine, & com. de dat. & promiss. vbi eam diligenter explicat. n. 1. & 38. qui etiam multa ad eandem pertinentia tractat. to. 2. consil. 8. 46. 47. 48. 50 52. tit. de sent. excomm. sicut etiam Azor. t. 2. l. 7. c. 16. q. 1. & to. 3. l. 12. cap. 23. initio, Sanchez l. 2. decal. c. 20. n. 19. Suarez t. 5. d. 22. sect. 5. n. 36. Sayrus l. 3. c. 30. n. 12. Farinacius to. 1. p. 3. pag. 564. 568. n. 338.

Ligat igitur hæc Constitutio Gregor. XIII. audentes qualecunque facinorum dictæ extrauag. Bonifacij. Audere autem non includit quomodocunque facientes, sed tantum temerariè, & præsumptuosè, iuxta Nauarr. in d. com. n. 38. & Cardinalem in Clem. 1. q. 38. de priuileg. Ideo ad incurrendas has pœnas sufficit sola pactio, promissio, & acceptatio promissionis, etiam si non sequatur effectus implementum, aut datio, & acceptio rei, nec obtenta fit iustitia, aut gratia, (sub quibus includitur etiã si datio, aut promissio fiat pro iniusta sententia, aut gratia, vel pro auferenda iustitia, ex Nauarr. in d. com. n. 19. & 26. qnicquid Io. Monachus in d. extrauag. com. c. 1. de sent. excom. in verb. sub generalibus, senserit. Immo si pactio fiat dandi aliquid, vt iudex faciat aliquid arbitrarium, ad quod iudex non obligat, vt dare, vel non dare

date maiorem dilationem, differre, vel anticipare ſententiam definitiuam, deferre, vel non deferre appellationi, quæ ſunt arbitraria, vt docet Nauarr. n. 17. vult enim Pontifex ne venales fiãt huiuſmodi expeditiones.) Vnde ſatis eſt ad incurrendas has pœnas, ſi aliquid horum fiat. ex Nauarr. ibid. n. 13. 15.& Azor.p.3.l.12.c.23. q.5. cum pœna ſit impoſita etiam conanti, & attentanti. quod non eſt nouum, vt patet ex cap.magna. cap.ſi quis non dicam rapere. c.quiſquis cum §. ſi quis cum telo. de pœnit. d.1.Non ſufficit tamen ſola intentio promittendi, aut paciſcendi non facta expreſsè, aut tacitè promiſſione,& pactione,ex Nau.n.23. Num verò hæ pœnæ locum habeant in promiſſione gratitudinis iure naturali debitæ, verbis, vel ſcriptis generalibus eodem modo, quo ineſt, expreſſa, ſine vllo augmento, quo obligatio anridoralis tranſeat in ciuilem, eſt difficultas; & quidem Nauar.n.21. negat,quia expreſſione eius, quod ex ſe licitum eſt, non fiat illicitum; quare cum licear beneficiato gratum eſſe benefacienti, expreſſio huius non erit illicita. Oppoſitum docet Io. Monachus ibidem, & Azor loco citato q. 1. quia leges prohibeant has promiſſiones, quia ſolent animum eorum, quibus fiunt, allicere, & iudicium peruertere; aliúdque ſit gratum animum habere erga benefactores, qui in nos beneficium contulerunt, aliud verò ante beneficium in nos collatum, promittere nos futuros gratos in eos à quibus conſequemur beneficium, vnde non prohibetur gratitudo, ſed promiſſio ante beneficium impetratum.

Quid ſi religioſus, vel pauper ſuas ad Deum, & ſanctos promittat pro iis, quos rogant, ſuper huiuſmodi iuſtitiis, & gratiis? Non incurret pœnas ſtatutas, vt notat etiam Nauarr. n. 23. eò quòd res tam paruæ, & ſpirituales non ſoleant mouere notabiliter recipientem ad faciendum aliter, quàm ius exigat.

Roganti quoque an liceat aliquid dare,vel recipere pro iuſtitia, vel gratia iam facta; nulla tamen præcedente promiſſione,pactione, acceptatione? Reſpondet Nauarr. n.31. Io.Monachus loco cit.Azor. 3.p.l.12.c.23. q.4. licere, tum quia hæ pœnæ imponuntur danti,& accipienti, vel promittenti ad obtinendam iuſtitiam,vel gratiam,non danti, vel accipienti poſt eam obtentam, ideo lex pœnalis diſponens de illo, non eſt ad hunc extendenda.cap.pœnæ.de pœnit.d.1. tum quia in hoc non militat eadem ratio, nam dare, promittere, accipere ante tendunt ad corrumpendum Iudicem, vel authorem gratiæ,dare autem poſtea non tendit ad illud, ſed potius ad oſtendendam animi gratitudinem, & beneuolentiam.

THEOREMA 334.

EXtendit deinde Gregorius ad dantes,auxilium,conſilium, & fauorem, facientibus prædicta, ab eodem Bonifacio ſtatutas pœnas, nempe excommunicationem ipſo facto incurrendam,nullitatem obtentorum, & pauperibus reſtitutionem acceptorum contra hanc conſtitutionem, antequam abſoluantur, quæ locum habent etiam in foro interiori, ex Nauarr. n.44.

quibus

quibus addit alias quatuor, nempe
1 priuationem ipſo iure ab officio, & beneficio Eccleſiaſtico, & ſæculari, perpetuo, vel temporali, quæ tamen non contrahitur niſi poſt ſententiam iudicis, ex Nauar. n. 44.
2 & Azor loco cit. q. 8. Infamiæ perpetuæ incurſionē, ſi videlicet conuictus, vel confeſſus fuerit in iudicio, vel notorium fuerit per facti
3 euidentiam ex DD. citatis. Inhabilitatem ad prædicta, & alia beneficia, & officia obtinenda, quæ incurritur etiam ante ſententiam iudicis, quia eſt inhabilitas ad acquirendum beneficium, & officium, ex Azor, quæſt. 8. non de dimittendo habito, & ſi contrarium teneat Nauarr. eod. num. 44. eò quod nimis durum videatur, vt quis tam magnam pœnam contra ſe exe-
4 quatur. Denique pœnas alias pro rei qualitate extra ordinem arbitrio Iudicis, etſi non teneatur quis eas ſubire, antequam imponantur.

Quod autem dictum eſt, *ne quis admittatur ad abſolutionis gratiam, niſi prius eroget in pauperes quantum dedit, vel recepit*, intelligitur niſi impotentia tunc reſtituendi excuſet à reali reſtitutione. tunc enim ſufficiet, ſi detur poſſibilis cautio de reſtituendo, vt docet Nauarr. hoc loco n. 38. & in ſum. c. t 7. num. 56. Sanchez l. 2. decal. cap. 20. num. 19. Molina to. 1. de Iuſt. d. 92. verſ. pœnæ. Soſa in explicatione motus proprij Clementis VIII. de munerum largitione num. 96. Henriquez l. 13. de excomm. cap. 28. num. 1. Manuel. tom. 1. ſum. in 2. edit. cap. 87. num. 8. quicquid alij ſenſerint.

Porrò conſtitutio ſolùm agit de iis, quæ contingunt apud Sedem Apoſtol. quo nomine Nauarr. d. comm. num. 29. intelligit Romanum Pontificem, prout habet iuriſdictionem ſpiritualem, ad excludendas actiones factas apud eũ vt Regem temporalem. Vnde ſecundum eum hæc conſtitutio non comprehenderet eos, qui impetrãt gratiam, vel iuſtitiam à Gubernatore vrbis, Burgi, Iudicibus Capitolij, eorum delegatis, & ſimilibus miniſtris, ſed comprehenderet ſolùm, qui impetrant v. g. à ſumm. Pœnitentiario, Camerario, Vicario vrbis, Cubiculariis, Secretariis, & ſimilibus. At Ioan. Azor. loco cit. quæſt. 7. rectiùs exponit Rom. Pontificem, quatenus ſpiritualem, vel temporalem iuriſdictionem habet, ideo hanc prohibitionem comprehendere quoſcunque miniſtros, etiam habentes in Rom. Curia iuriſdictionē temporalem, quod Pontificis ſit mens, & intentio non tantum à Rom. Curia Simoniã repellere, ſed etiam ambitionem, & auaritiam. Non cõprehenduntur tamen Rom. Pontificis miniſtri, qui temporalem, vel ſpiritualem iuriſdictionem habent extra Curiam Rom. quales ſunt Legati, Nuntij, Commiſſarij, Collectores, teſte Nauarr. & Azor locis citatis, eo quod facta apud eos non cenſeantur facta in Rom. Curia ex Clem. 1. de ſequeſt. poſſ. in verbo. *dumtaxat*. & c. 2. de præbendis, & dignitat. lib. 6.

Eiuſdem

Eiusdem
GREGORII XIII.

Cōstitutionis 28. editæ ann.1575. incipientis. Vbi gratiæ, & *Constit.75.edit.ann.1581. incip.* Dubiis.

EPITOME 126.127.

Fœminæ prohibētur Monialiū, & virorum ingredi monasteria, & viri fœminarū, exceptis Prælatis in casibus necessitatis. excommunicatio reseruata, priuatio, inhabilitatio, suspensio, & interdictum.

REVOCAT Gregorius §.1. priuilegia omnia ab Apost. Sede concessa quibuscunque fœminis ingrediendi monasteria tā mulierum, quā virorum, aut concessa viris ingrediendi loca monialium, eisque omnibus inhibet, ne ipsorū prætextu quouis modo dicta loca ingredi audeāt, idque §. 2. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, extra mortis articulum, Papæ reseruatæ. § 3. eandémq; pœnā imponit Abbatissis, Abbatibus, Cōuentibus, & aliis Superioribus, & personis vtriusque sexus quocunque nomine vocentur, monasteriorum, necnon dignitatum, beneficiorum, & officiorum priuationem, atque inhabilitatem ad illa, & alia, si in sua loca quamquam prætextu prædictarum facultatū faciant, aut permittant ingredi. Quin etiā sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis, interdicit §. 4. omnibus quibuscunque Ecclesiasticis, sæcularibus, & regularibus quorumcunque ordinum, etiam mendicantium, ne prætextu licentiarum obtentarum ab Episcopis, & superioribus, quibus in casibus necessitatis eas licet, ex Concil. Trident. sess. 25 c. 5. concedere, vt medicis, fabris, &c. Monialium loca ingrediantur, extra dictos casus necessitatis. Quas similiter pœnas incurrant Moniales ipsæ, si eos admittant extra prædictos casus.

In illius autem declaratione, quæ incipit. *Dubiis.* edita anno 1581. prohibet similiter. §. 1. Prælatos quoscunque sæculares, & regulares, quibus ex officio tributa est facultas ingrediendi Monialium monasteria, ne dicta licentia vtantur vllo modo, nisi in casibus necessariis, & tunc à paucis, eisque senioribus, & religiosis personis comitati. Secus autem facientes §. 2. si sunt in Pontificali dignitate, prima vice interdicuntur Ecclesiæ ingressu. Secunda à Pontificali munere, & à diuinis suspenduntur. Deinceps verò absque alia declaratione ipso facto excommunicantur. At si fuerint Regulares, excommunicātur, & priuantur officio, & ministerio.

Scortua.

THEOREMA 335.

REuocatis quibuſcunque antea cõceſſis facultatibus vetuerat Pius V. bulla 20. ſub excommunicationis reſeruatæ pœna, deinceps fœminas earundem prætextu ingredi virorum monaſteria, vt explicuimus Theoremate 234. 235. Gregorius verò XIII. in præſenti conſtitutione 28. prohibitionem, & pœnas extendit, ideoque ſublatis etiam quibuſuis priuilegiis conceſſis, vetat eorundem prætextu quaſcunque fœminas ingredi monaſteria, locave regularium, tam virorum, quàm Sanctimonialium, nec non & viros intrare ſepta, ſeu clauſuram Monialium. Quod etiam iure antiquo prohibitum fuerat. c. periculoſo. de ſtatu regul. l. 6. nec non in Concil. Trident. ſeſſ. 25. c. 5. quin etiam frequẽtem ad Moniales acceſſum interdixerat Conc. Lateranenſe in c. monaſteria. de vita, & honeſt. cler. clericis quidem inobedientibus ſub pœna priuationis officiorum, laicis verò excommunicationis, eò quod etiam ſola collocutio frequens cum Monialibus, ſine rationabili cauſa, pariat ſuſpicionem. Monaſteriorum autem nomine, vt rectè notauit etiam Emanuel Rodericus. p. 1. quæſt. 46. art. 1. non veniunt hoc loco Eccleſia, crates, parlatorium, ſed tantùm domus, officinæ, clauſtra ſeu interiora habitacula, in quibus tamquam in clauſura Moniales, & Regulares degunt. Sic exponunt Innoc. IV. Nicol. III. & Gregor. IX. explicantes regulam Minorum vetantem dictum ingreſſum; ſicut neque per Monaſteria intelliguntur, quæ ſunt in fieri, & fabricantur, licet ibi frater aliquis habitet pro fabricæ ſeruitio, ex reſp. Card. Alexandrini apud Sorbum. Verbo. *Ingredi monaſteria*, neque etiam grangiæ, & hoſpitia, quæ ruri regulares habent, ex Graff. in add. fol. 88. & Hyeron-Ilamas in Append. §. 12.

Dubitant autem Doctores num huiuſmodi prohibitio, & cenſuræ à Pio V. & Gregor. XIII. hoc loco impoſitæ, locum etiam habeant, ſi huiuſmodi ingreſſus fiat abſque prætextu dictorum priuilegiorum, ſeu facultatum? Qua de re diximus Theor. 235. cum Nauarr. comm. 4. de regul. num. 62. & in man. c. 27. num. 150. Azor. t. 1. l. 13. c. 8. quæſt. 10. Ioan. de Cruce l. 1. c. 5. dub. 1. concluſ. 2. & aliis (quicquid Sayrus, & alij nobiles Theologi ſenſerint.) Niſi enim viuæ vocis oraculis Pij V. & Gregor. XIII. de hac difficultate conſultorum, affirmauimus; Idemque cenſuit Congregatio Illuſtriſſ. ſuper Concilio Trident. ſeſſ. 25. c. 5. & probat ſtylus Curiæ, & Pœnitentiariæ Romanæ; ac demum colligitur ex bulla. 52. quæ incipit. *Facultatum.* S. D. N. Pauli V. in qua cum §. 1. declaraſſet licentias conceſſas mulieribus ingrediendi pluribus vicibus Monialium monaſteria, intelligendas reſpectu vniuerſorum, & non monaſteriorum ſingulorum: ita vt cui v. g. conceditur, vt bis in anno ingredi ea poſſit, liceat tantum bis vniuerſa, non autem eorum ſingula, aut aliqua intrare. §. 2. inobedientes plectit ipſo facto pœnis, & cenſuris inflictis à Concil Tridentino, & Conſtitutionibus Apoſtolicis cõtra ingredientes ſepta Monialium abſque licentia.

Non

Non igitur ad huiuſmodi cenſuras, & pœnas incurrendas, neceſſarium eſt, vt ingreſſus fiat ſub tali prætextu licentiarũ, ſed ſolum vt ſit abſque licentia. Et in bulla 74. §.2. & 3. reuocat licentias omnes, hactenus cõceſſas mulieribus ingrediendi monaſteria Monialium; & excommunicat pariter ipſo facto poſthac ingredientes, & Abbatiſſas, & Prioriſſas eas admittentes priuat abſque alia declaratione officiis, & inhabilitat in futuro; ſufficit igitur ſimplex ingreſſus abſque licentia ad pœnas incurrendas abſque tali prætextu. Accedit, quia iam fruſtra eſſe viderentur huiuſmodi Conſtitutiones, cum vix ſuperſit amplius, qui talem prætextum priuilegiorum habucrit, aut poſſit adhuc habere.

THEOREMA 336.

DVbium eſt, an pœnæ ſtatutæ §.3. imponantur non tantùm Abbatiſſis, Abbatibus, & aliis, quocunque appellentur nomine Superioribus, an etiam ſingulis Monialibus, & regularibus priuatim admittentibus in monaſteriũ vetitas perſonas? Et quidem Rodericus p.1.q.41. art.3. & Ioan. de Cruce l. 1. c. 5. dub. 2. concluſ. 1. exiſtimant de ſingularibus perſonis priuatis, nullam hoc loco haberi mentionem; etſi enim dicat textus (*& perſonis*) ex addito tamen (*quocunque nomine vocentur*) colligi Pontificem non loqui de perſonis priuatis, ſed tantum de Prælatis in monaſteriis tam virorum, quàm mulierum, diuerſam habentibus appellationem; ideo ſolum ad ſuperiores monaſteriorum vtriuſque ſexus dirigi pœnas, excommunicationẽ videlicet, priuationem dignitatum, officiorum, & inhabilitatem, ſi dictas perſonas vetitas permittant ingredi in monaſteria, & non ad priuatas perſonas, Suarez verò t.5.d.22.ſect.6. num.14. & Azor t.1. lib.13. cap.8. quæſt.3. ſentiunt non tantum ſuperioribus vtriuſque ſexus admittentibus perſonas vetitas, ſed etiã aliis particularibus in hoc peccantibus, imponi, quia dicitur in Conſtitutione *Abbatiſſis, Abbatibus, Conuentibus, & aliis ſuperioribus, & perſonis vtriuſque ſexus, quocunque nomine vocentur, monaſteriorum.* vnde particula (*&*) diuerſa coniungere videtur, præſertim cum nomen (*ſuperioribus*) anteponatur perſonis, & non poſtponatur, iuxta enim priorem opinionem dicendum fuerat, *Abbatiſſis, Abbatibus, Conuentibus, & aliis perſonis vtriuſq; ſecus quocunque nomine vocentur ſuperioribus monaſteriorum.* quare in re grauiſſima ſecunda ſententia amplectenda eſt, vt pote tutior.

Quo etiam loco quis dubitabit, cum in textu ſolum habeatur: *ſi in ſua loca quemquam prætexu,* &c. non autem *ſi in ſua loca quemquam, aut quamcumque prætexu,* &c. an etiam admittentes fœminas, pœnis plectantur, & non tantum viros. Et augetur ratio dubitandi, quia in pœnalibus maſculinum non ſolet fœminum includere, ex Ant. Gabrile in comm. opin. tit. de verb. ſignif. Sed omnino ſentiendum eſt cum Roderico p. 1. quæſt.47. art. 3. includi etiam admittentes fœminas, licet in textu non addatur etiam (quamcumque) cum maſculinum etiam fœmininum ſæpè includat, vt docet Tiraquellus de

retract. consang. §. 1. Gloss. 9. n. 221. Decius vol. 3. consil. 416. & Menoch. de adipiscen. poss. remed. 4. num. 61. 72. & constat, ex l. 1. vbi Barthol. ff. de verborum signif. l. si quis maior. Cod. de transact. Gloss. fin. in l. si quis in tantam. Cod. vnde vi. & ex præcitata bulla 74. D.N. Pauli V. §. 2. & 3. vbi Abbatissæ, & Prioriſſæ fœminas recipientes intra septa monasterij incurrunt censuras.

Habet & illud difficultatem, an Moniales introducentes pueros, aut puellas lactentes, trimulas, vel quadrimulas, contrahant censuras harum constitutionum, idemque de introducentibus puellas in virorum monasteria. Rodericus. p. 1. quæst. 46. art. 1. Io. de Cruce. l. 1. c. 5. dub. 2. concl. 3. & Nau. comm. 4. de regul. num. 59. negant, cum nondum discretione polleant, nec apti sint ad peccandum. Sed oppositum tenet noster Paulus Comitolus lib. 6. resp. mor. quæst. 19. num. 6. & quæst. 22. etsi enim pueri ipsi, & puellæ prædictæ nondum peccare possint, peccare tamen possunt introducentes viri, & moniales agentes contra summ. Pontificis præceptum, & contra. c. periculoso. de statu regul. l. 6. vers. nulli, &c. & Concil. Trident. sess. 25. c. 5. per illa verba. *cuiuscunque ætatis, & sexus.* & sanè id docet etiam ratio ipsa, tum quia occasione illius ætatulæ, vtriusque sexus religiosi multis obscænitatibus, & impudicitiis peccare possent, & impuniùs, quàm cum aliis grandioribus, cum nondum ætas illa vim repellere sciat, aut valeat; tum quia aliàs incertum remanebit, quo præcisè tempore lex incipiat obligare; si enim concedis introductione infantis trimuli, aut quadrimi moniales non peccare, ita alius asseret neque intromissione pueri. 10. aut 11. annorum incutri peccatum, & censuras. Tum quia si huiusmodi quadrimus intromissus ibidem perseueret vsque ad 10. aut 12. annum v. g. si supponimus introducentes moniales initio non peccasse, neque contraxisse censuras, neque sequentibus annis contrahant, cum eum ibi esse, aut retineri non sit ingredi, nec intromittere. Tum denique quia de hac difficultate consultus Illustrissim. Cardinal. sanctæ Seuerinæ summ. Pœnitentiarius, & Inquisitor à Reuerendissimo Episcopo Perusino Napolione Comitolo, respondit, recipientes, seu intromittentes censuras incurrere. quod etiam respondisse Clementem VIII. ex citato loco Pauli Comitoli constat.

THEOREMA 337.

SVb iisdem pœnis ipso facto contrahendis, imperat idem Gregorius. §. 2. quibuscunque Ecclesiasticis, sæcularibus, & quoruncunque Ordinum etiam Mendicantium regularibus ne licentiarum prætextu obtentarum ab Episcopis, & superioribus, quibus à Trident. Concilio tribuitur potestas concedendi eas in necessitatibus, loca monialium pro libito ingrediantur, sed tantum in prædictis necessitatibus, néve ipsæ moniales sub iisdem pœnis eos aliter admittere præsumant. Quare etsi Prælati nec debeant, nec possint facultatem concedere, nisi in casibus necessariis iuxta dictam Tridentini Concilij dispositionem, sess. 25.

ſeſſ.25.c.5. ſi forte tamen malè, & abſque tali neceſſitate concedant, Gregorius ſpecialiter præſenti §. 4.prohibet talis facultatis vſum, eámque tacitè declarat irritam, & nullius momenti. Cum autem ex iuſta cauſa conceſſa eſt, ea ceſſante prædictus Pontifex eiuſdē vſum vetat, & ſaltem pro eo tempore declarat inſufficientem, vnde locus erit impoſitis pœnis, & cenſuris, tam reſpectu ingredientium, quàm monialium admittentium, vt rectè monuit Suarez tom. 5. d. 22. lect.6.n.14.

Rogabis an liceat Epiſcopo cōcedere licentiam ingrediendi monialium clauſuram matri, aut ſorori, vt viſitet filiam, vel ſororem emiſſuram profeſſionem,aut morti proximam; & negatiuè reſpondendum eſt, ex reſponſo Illuſtriſſ. Cardinalium apud Rodericum dicta quæſt.46. art.11.& Io.de Cruce l.1.c.5.§.Secundò nota.& Graff. in addit. pag. 88. licentiam tamen dare libet, niſi id repugnet monaſterij legibus, aut monialium voluntati, vt recipiatur puella inſtitutionis gratia, quamuis Religionis habitum nolit ſuſcipere, dummodo non retineatur vltra 25. annum,vel mulier apud virum ſuſpecta de adulterio, vt ſibi paratam declinet perniciem, conceſſa, ex Concil. Trident. loco cit. licentia in ſcriptis, vt cenſuit teſte Azor. tr.1. l.13.c.8. quæſt.4. Illuſtriſſim. Congregatio, & conſtat ex praxi Curiæ, vt refert etiam ex Farinacio, Ioan. à Cruce l. 1. c. 5. dub.2. in fine.

THEOREMA 338.

EPiſcopi tandem, & alij ſuperiores regulares, habentes ius concedendi aliis facultatem ingrediendi ad Moniales, & ipſi ingredi poſſint, cum huiuſmodi,ingreſſus illis conueniat ratione ſui muneris, & officij. Gregorius tamen XIII. in cōſtitutione. *Dubiis*, vt notauit etiam Nauarr. citato comm. 4. de regular. num. 62. & Azor.t.1.l.13.c.8.quæſt.9. declarauit, eos tali facultate vti non poſſe, niſi iuſtis, & neceſſariis ex cauſis; & à paucis, iiſque ſenioribus, & religioſis viris comitatos, ſub pœnis, & cenſuris ſtatutis ibidem, ipſo facto incurrendis. Quo ad pœnas verò regularium Graff. in add. pag. 88. intelligit pro tertia vice tantùm, quod nullo modo conſulerem, cum id Pontifex non expreſſerit.

THEOREMA 339.

CIrca colloquia denique cum Monialibus in Auditorio aduertendum eſt, præter ea,quæ ſancita habentur in c. definimus. 18. quæſt. 2. & in Concilio Cabilonenſi. 2. ſub Carolo Magno. can. 55.56.& 61. in pluribus Epiſcopatibus vetari huiuſmodi colloquia abſque licentia, etiam ſub cenſuris, & reſeruatione caſus. Quin etiam mādato Sixti V. anno 1590. nonis Maij Congregatio Illuſtriſſ. ſuper regulares, ſtatuit, ne vlli religioſo (exceptis Superiore, cui monaſterij cura incumbit, viſitatoribus, nec non Confeſſario ordinario, & extraordinario ad tempus deputato) liceat abſque expreſſa licentia eiuſdem ſacræ Congregationis, accedere ad monaſteria Monialium ſui, aut alterius ordinis, ad colloquendum, ſiue tractandū cum eis. Quod ſi quan-

do mandato sui Superioris ad prædicandum, siue celebrandum in Ecclesiis, vel oratoriis exterioribus mittentur, prohibentur alloqui Moniales, aut alias personas intra claustrum degentes. Confessariis quoque interdicitur, ne in ædibus monasterij, aut monasterio coniunctis pernoctent, aut alios pernoctare faciant, néve extra tempora generalium Confessionum (quibus tantum soli confessario refectionem diurnam accipere permittitur, tunc videlicet, cum sua habitatio, aut virorum domus nimium distant, nisi tamen eo casu specialiter contrarium constitutum sit) vllo modo comedãt; & hæc omnia, & singula sub pœna priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda.

Eiusdem

GREGORII XIII.

Constitutionis 43. editæ anno 1577. quæ incipit. Officij nostri.

EPITOME 128.

Bona regulariũ extra claustra degentium nisi habeant priuilegium testãdi sufficiens, spectant tanquam spolia ad Camerã Apostolicam.

CVM Paulus IV. bulla incipiente. *Postquam.* statuisset, vt bona Regularium Apostatarũ, male translatorum, & degentium extra claustra suorum regularium, tempore, quo extra huiusmodi claustra fuissent acquisita ab ipsis professis, ex redditibus beneficiorum Ecclesiasticorum, aut ex propria industria, artificio, mercatura, vel ex testamento, siue ab intestato, quorumuis consanguineorum, affinium, amicorum, aut quorũcumque aliorum, deberentur monasteriis, in quibus primò professi fuissent, idque non seruaretur, Gregorius XIII. definit §. 3. vt res, & bona quæcumque per dictos regulares extra claustra Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum locorum regularium degentes, quocunque iure, & actione, siue ex causa testati, siue intestati acquisita, & in posterum acquirenda, vel ad eos delata in quibuscumque regnis, & locis consistant, nisi iidem, ad quos illa spectauerint, sufficienti fuerint testandi, aut de illis disponendi facultate suffulti, eáque legitimè vsi fuerint, ad Cameram Apostolicam pleno iure pertinuisse, & spectare; & bona quæcumque eorundẽ sub spoliorum nomine comprehensa, per ipsam Cameram, quæ cæteris successoribus ampliore munita est priuilegio, eiusque nomine, à quibuscumque illa detinentibus potuisse, & posse recuperari iuxta Pauli tertij, & aliorum prædecessorum litteras.

THEO

THEOREMA 340.

REgularis iure testari non potest, nec validam facere vltimam voluntatem, vt rectè docet Nauar. com.2. de regul. num.43. & tract. de redd. Eccl. q.3. monit. 11. Lessius l.2.cap.19.dub.4.n.40. & cap.41. dub. 8. num.71. Mol. d. 139. Couarr. cap.2. de testam. Tuscus. t.8. concl.104. Clarus l.3. §. testamentum. quæst.28. num.7. Tum ex Authent. Ingressi. Cod. de sacrosanctis Eccl. quæ allegatur etiam à D.Gregorio l.7.indict. 2. epist. 7. & habetur cap. quia ingredientibus.19.quæst. vltima,statuente ingressis monasterium vltra non relinqui facultatem testandi. *Quia* (inquit) *ingredientibus monasterium, conuertendi gratia nulla sit testandi licentia; sed res eorum eiusdem monasterij fiant, aperta legis definitione decretum est.* & cap. si qua mulier. quod etiam ex Authent. de sacrosanct. Eccl.collat.9. §. si qua mulier. sumptum est. vbi dicitur.*si qua mulier,aut vir monasticam elegerit vitam,& intrauerit monasterium liberis non extantibus,monasterio, quod ingreditur, res eius competere iubemus.* idemque habetur Auth. de monachis. §. illud. Et extra.de testam. cap.2. scribit Gregorius IX. Abbatissam quandam, licet nunquam induerit monachalem habitum,non potuisse condito testamento irrogare præiudicium monasterio, sed ipsius res eodem loco, ex quo illic ingressa, & Abbatissa constituta est, de iure competere.

Congruúmque est rationi, vt qui se diuino mancipat obsequio, etiam res suas Deo, & non mundo, faciat deseruite. Accedit,quia cum debeat alimenta à monasterio accipere, par est,vt eius res monasterio potius, quàm aliis, quibus nihil debet, cedant.præsertim cum eriam à Christo Domino dictum sit, *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Tum quia per votum paupertatis incapax est dominij cuiusuis rei pecuniæstimabilis (etsi possit habere administrationem) nihilque habet, aut habere valet. atque si de facto absque superioris concessione teneat, quod ante mortem non renunciauerit, sepeliri nó debet in loco sacro. cap. monachi. de statu monach. & de facto ibi sepultus, si absque magno scandalo potest, inde proiiciendus est. cap. super quodam. & cap. cum ad monasterium. eodem tit. & cum re propria, in signum perditionis, extra monasterium in sterquilinio subterrandus. Itaque cum non sit rerum dominus, testari non potest. Tum quia regularis per votum obedientiæ alterius est potestatis, nec habet velle, aut nolle. cap. non dicatis 12. quæst. 1. Iure igitur testari non potest, sicut nec filiusfamilias, aut seruus, & cæteri sub alterius potestate existentes. Instit. quibus permissum non est fac. testam.

THEOREMA 341.

CVm igitur ex dictis ius non habeat regularis, vt in suum commodum acquirat sibi aliquid, quicquid aquirit, iure communi monasterio acquirit. ex ll. cit. & cap. Abbates.18. quæst. 2. vbi dicitur, *omnia, quæ acquisierit monachus auferenda ab eo, & profutura monasterio.* Nauar. com.4.de regul. n.68.

num.68. Lessio l.2.cap.41.dub.11. (qui excipit successione ab intestato domos, & collegia Societatis Iesu, Minorum de obseruantia, & Capucinorum) hæc intellige, si beneficium non habeat; si enim extra suum monasterium habeat beneficium, beneficio, & non monasterio acquiret.cap.statutum.18. quæst. 1. quod habet, religiosum ad Episcopatum proiectum, non acquirere monasterio, sed Episcopatui: & idē, si habeat Parochiam, Abbatiam, & cæt. ex Nau. com.2. de regul. num.6.& Lessio loco cit. Quod ius commune seruari etiam voluit Paulus IV. in constitutione. *Postquam*, ita vt bona religiosorum, qui egrediuntur, vel eiiciuntur, vel ad alium ordinem transeunt, vel etiam suorum Superiorum consensu extra claustra monasterij commorantur, vndecumque, vel quomodocumque fuissent acquisita, siue ex testamento, siue ex beneficiis, siue industria, arte, mercatura, negotiatione, siue donatione aliorum essent monasterij, in quibus illi primò professionem emisissent, vt scilicet hi præter iura, & canones egressi, eiecti,& translati ad alium Ordinem facilius reciperentur in sua monasteria. Sed quia huiusmodi constitutio Pauli IV. vsu non fuisset recepta, Gregorius XIII. hoc loco constituit, vt seruaretur id, quod seruati cæptum erat ante Paulum IV. nempe, vt huiusmodi bona religiosorum spectarent tanquam spolia ad fiscum, & Cameram Apost. nisi prædicti, ad quos spectabant, fuissent suffulti sufficienti Papæ auctoritate, & ea vsi legitimè disponendi, & testandi de illis; solo enim Papæ priuilegio id religioso concedi potest, licet illum non soluat à paupertatis voto, quippe cum id non sit facere religiosum dominum rei alicuius, vt malè aliqui putarunt, sed solum etiam in vltima voluntate illum efficere talium bonorum administratorem, & dispensatorem, qualis religiosus iure communi esse potest. cap.2. de testam. l.8. (nisi fuerit Ordinis Minorum ex Clementina. *Exiui.* §. proinde, & §. verum. de verb. signif.) qua de re videndus Nauatr. com. 2. de regul. num.57.58.& tr.de redd. Eccl. quæst.3. monit.11. n.2.3.

Sed cum ex eodem quadruplices sint religiosi, quidam, qui in conuentibus perfectæ communitatis residunt, nullamque rem separatam habent; alij, qui beneficia habent; nunnulli, qui nullum quidem habent beneficium, sed non in perfecta communitate viuunt. vnde aliqua ad victum necessaria ex superiorum licentia habent à monasterio, vt tantum panis, vini, &c.& si quid supereſt, suis necessitatibus reseruant; si verò desit quid, debent aliunde quærere, alij tandē cum sufficienti licentia extra monasteria degunt,& bonis sua industria, laboribus, eleemosynisue quæsitis viuunt, nihil à monasterio capiunt, nihil ei tribuunt; summus Pontifex testandi priuilegium non solet dare primis, cum non deceat, vt quis in morte disponat de bonis, quorum in vita nec proprietatem, neque administrationem habuit. Secundis verò quotidie solet concedere.cum monasterio, aut beneficio nullum inferatur damnum, cum ea, quæ donare possent in vita, haud donent, vt possint in morte relinquere, iuxta priuilegium.

gium, quod habent testandi. Vnde si decedant intestati, id cedit in monasterij, vel beneficij, quæ succedunt, vtilitatem. & sæpè quoque parciùs viuunt, quàm facerent, si nequirent testamento relinquere. Tertiis quoque Pontifex solet concedere facultatem testandi, eo quod hoc non sit facere religiosos proprietarios, sed eis etiã in morte prorogare bonorum administrationem, quam in vita ex tacita, vel expressa superiorum licentia obtinebant. Sic etiã quartis eadem, & maiori ratione, qua tertiis, quia licet bona, quæ virique habent, quoad proprietatem, & possessionem sint monasterij, cap. 2. de testam. & Authent. *ingressi.* Cod. de sacrosanct. Eccles. ea tamen, quæ tertij habent, è bonis eiusdem monasterij, viuendo parciùs, quæsierunt; quarti ex aliis bonis.

Vult igitur Gregorius, vt bona religiosorum degentiũ extra claustra, tanquam spolia pertineant quæcumque ad Cameram Apostolicam, nisi fuerint suffulti possessores sufficienti authoritate testandi, eáque legitimè fuerint vsi; cum possit quis habere priuilegium testandi, sed morte præuentus, vel alia causa eo non vti, vel certè non legitimè vti, vt si testator crimen aliquod committat, cui iure annexa sit pœna, vt ipso facto sit intestabilis. l. is cui, & l. cum lege. Qui testam. vt est crimen hæresis. l. fin. Cod. de hæret. & insecutionis Cardinalium. cap. fælicis. de pœn. l. 6. Aut si is, qui instituitur hæres, non possit institui, vt si esset hæreticus, aut Apostata. l. fin. Cod. de hæret. & l. hi qui sanctam. Cod. de Apost. illorumque receptatores, defensores, & cæt. cap. excommunicamus 1. §. credentes. de hæret. & alij. Aut si ipsum testamentum sit minus legitimum.

Eiusdem GREGORII XIII.

Constitutionis 50. olim 53. editæ anno 1577. quæ incipit.

Volentes.

EPITOME 129.

PRÆCIPIT, ne quouis prætextu directè, vel indirectè quis frumenta, blada, legumina cuiusuis generis, aut animalia, extra statum Ecclesiasticum educere, seu transportare præsumat, sub pœna excõmunicationis latæ sententiæ, amissionis rei transportatæ, & scutorum quinque pro qualibet frumenti, & leguminum salma, & scutorum duorum pro quouis animantis capite.

Non extrahenda frumenta, legumina, animalia, & cæt. extra statũ Ecclesiasticũ. *exem.* &c.

THEOREMA 342.

RES est, tanquam omnino iusta, communi vsu recepta, vt non liceat è ciuitatibus, vel prouinciis quædam exportari, tam ad hostes, quàm ad exteros amicos. Et quidem ad hostes, vel Barbaros deferre non licet commeatum, arma, tela, equos, naues l. cuiusque. ff. ad leg. Iul. Maiest. & l. 2. Cod. quæ non deb. export. nec etiam aurum, aut pecuniam, etiam pro mancipiis, & quibusuis speciebus,

ex Gratiani, Valētin. & Theodosij. l. 2. Cod. de commerc. & mercat. & suppliciis subiiciuntur contrafaciētes. Sicut neque oleum, vinum, liquamina, ne gustus quidem causa, ex Valentis, & Gratiani l. 1. Cod. quæ res exportari non debeant. ne scilicet hostes, aut Barbari allecti nostrarum rerum dulcedine, arma in nos moueant, sicut obseruarunt Alciatus, Ripa, & Menochius. l. 2. de arbitrariis. casu. 585. vt teste Liuio l. 5. Galli contra Italos fecerūt, allecti vino, quo ipsi carebant. Immo etiam mercium delationem ad Persas extra designatas Vrbes, & nundinarum tempora vetuerut Honorius, & Theodosius l. 4. Cod. de cōmerciis, & mercat. sub pœna amissionis pretij rei venditæ, & mercium emptarum, nec non & exilij perpetui.

Quoad amicos autem extraneos ea licitè ad illos exportare è ciuitate, aut prouincia prohibentur quibus ipsi indigemus, cum id fiat, non vt eos lædamus, sed vt Patriæ vbertatem conseruemus, ne fortè pauperes, & inopes fame laborent, nisi edicto prohibeantur extrahi è Prouincia, annona, & cætera cibaria, vt docet Ripa tr. de peste. tit de remediis ad conseruandam vbertatem n 42. Ludouicus Mexias tr. de taxa panis, concl. 1. num. 56. & Menochius loco cit. num. 10. Quare rectè Gregorius secutus exemplum Prędecessorum, vt Pij V. num. 108. & Pij IV. n. 99. qui pariter vetuerant è statu Ecclesiastico, eiusque terris mediatè, vel immediatè subiectis extrahi frumenta, blada, legumina, animalia, carnes, oua, & quodcumque genus grasciæ, vt vocant, præsenti constitutione 50. eandem vbertatem conseruandam curauit, educentibus impositis excommunicationis, amissionis rerum eductarum, & scutorum quinque pro frumenti, & leguminum salma, & duorum pro quolibet animali, pœnis. Cui anno 1578. aliam adiecit, quæ incipit. *Inter.* prohibens etiam §. 1. ne quis Baro sine licentia Papæ subscripta, faceret extrahi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, rebellionis, læsæ maiestatis, amissionis feudorum, & priuilegiorum suspensionis. & §. 2. ne impedirent subditos, vassallos, & alios quoscumque hæc Romam deferte, qui est casus §. bullæ cœnæ. vt dicetur Theoremate. 417. & §. 3. ne emerent tritici, hordei, & leguminum, omnisque generis frumentorum, & frugum, aliam quantitatem, quàm pro vsu anni vnius suæ familiæ, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis. quod etiam cauetur l. lege Iulia. ff. ad legem Iuliam. de Annona. ne scilicet cibaria cariora fiant, & crescat annonæ penuria. qua etiam de causa legibus prohiberi solet, ne quis res ad victum necessarias emat, vti eas iterum vendant. est enim spēcies Monopolij ex Iodoco in pract. crimin. c. 132. num. 9. & Menoch. l. 2. de arbitr. cap. 569. quo Respub. graui damno afficeretur.

Idem studium fuit Clementis Octaui bulla 49. qui sublata pœna excōmunicationis, cæteras pœnas extendit etiam ad eos, qui vendunt extrahentibus; & addidit priuatis personis transgredientibus condemnationem per decemnium ad Triremes prima vice, altera verò pœnam mortis, & confiscationem bonorum

bonorum ipſo facto, abſque alia declaratione.

Tandem Paulus V. Num. Pontifex conſtitutione 12. aliàs 10. incipiente *Inter.* prædictas conſtitutiones Prædeceſſorum renouat in ſingulis partibus. §.6. etiam quoad excommunicationem, & alias Eccleſiaſticas cenſuras, in quantum attinet ad extractionem frumentorum, bladorum, leguminum, & olei tantum. Quoad cęteras autem pœnas contentas in eiſdem, non ſolum quantum attinet ad præmiſſorum extractionem, ſed etiam ad aliarum rerum ad annonam, & graſciam pertinentium, auctoritate Apoſtolica approbat, & confirmat. Et §.7. reuocat omnia, & ſingula priuilegia, licentias, & facultates, frumenta, blada, legumina, animalia, oleum, & alia id genus annonam, & graſciam concernentia, extrahi e ſtatu Eccleſiaſtico, quibuſuis communitatibus, vniuerſitatibus, & perſonis cuiuſcumque dignitatis, præterquàm dumtaxat ex cauſa verè oneroſa, videlicet congruæ ſolutionis, & exburſationis pecuniarum, aut ratione appaltuum, & locationum, introituum, iurium que, & bonorum Sedis, & Cameræ Apoſtolicæ.

THEOREMA 343.

IAm verò ſimilia ſtatuta prohibentia exportari victualia, non comprehendunt fœnum, auenam, & ſimilia ad victum equorum, ex Ripa loco cit. num.58. cum ex ſermonis proprietate, appellatione victus, veniant ſolum, quæ ſunt ad vſum hominis. l. verbo victus. ff. de verb. ſignif. vbi copioſè Rebuffus, & Menochius. l.4. de præſumpt. præſumpt.157. n.15. Cum verò prohibetur exportari frumentum, ſub frumento non continetur etiam hordeum, ex eodem Ripa num.57. ex l. modicos. Cod. de ſuſcept. præpoſ. & arc. lib. 10. vbi Iacobus Rebuffus, & Petrus Rebuffus in l. frugem. verſ. *ſecundò non procedit.* Sicut neque ſub frumento comprehenduntur legumina. l. frugem. §. frumentum. Cod. de verb. ſignif. & l. mala. ff. de alim. & cib. leg. Ripa loco cit. num.53. Menoch. lib.2. de arb. caſu 585. num. 12. Si verò prohibeatur extrahi triticum, continentur etiam legumina, & melica. Gloſſa in l. Triticum. de verborum obligat. Ripa num.55. Menochius loco citato num. 13. Itémque ſi prohibeatur exportatio bladi, cenſetur etiam prohibitum exportari legumina, ex Ripa ibid. num.56. Vt etiam ſi veretur exportatio frumenti, intelligitur quoque vetita extractio farinæ, ex Ripa d. tr. de peſte. tit. de remed. ad conſeruandam vbertatem. num.42. verſ. *quæro igitur* 1. Menoch. loco cit. n.11. Alberic. in tract. ſtatutorum p.2. quæſt.105. Guido Papę quæſt 373. Boerius quæſt. 177. & copioſius Ludouicus Mexias tr. de taxa panis. concl.4. n.2. & ſeqq.

Sed num ſi prohibitum ſit exportari vinum, idem intelligatur vetitum de vuis? Affirmat l. quod non ratione. ff. de leg. & Ripa loco cit. num.60. qui etiam num.61. vult ſub vino comprehendi quoque aquaticum, ſeu, vt alij vocant poſcam, ſi plus habeat vini, quàm aquæ, non comprehendi tamen acetum, cerniſiam, &c. ex eod. n.62. 63. ob l. ſi quis vnum ff. de vin. trit. ole. leg. Gloſſa, & Bartolo ibidem.

Sed ineidetne in pœnas legis, si quis gustus gratia metretam, aut phialam vini exportet? Affirmat Bald. in l. 1. Cod. *quæ res exportari non debeant.* & Boërius. q. 77. qui idem tribuit Ioan. de Anania, & Andrææ Barbatiæ. Oppositum tenet Ripa num. 64. Salicetus in l. 1. Cod. *quæ res exportari non debeant.* Bertachinus tr. de Gabellis p. 8. principali. partieula 2. quæst. 27. Iason in l. 2. num. 26. ff de Iurisdict. omn. Iud. Felinus in eita quorumdam nu. 2. de Iudæis. Aleiatus. l. 4. disiunct. iuris. cap. 11. Ludouicus Mexias conel. 1. num. 29. Menoch. de arbitr. cap. 585. num. 17. ob paruitatem materiæ.

THEOREMA 344.

POenæ autem statutæ contra inobedientes, seu extrahere præsumentes, qui Italicè dicuntur Sfrosatori, teste Menochio, loeo cit. hærecensentur. Primò, apud Græcos pœna corporalis, vt fustigationis, præsertim caritatis tempore, ex Petr. Greg. l. 36. Syntag. cap. 30. num. 5. & 7. ad quam faeile respexit lex. 2. Cod. de commereiis, & mereat. in qua dieitur, contrafacientes suppliciis subiiciendos.

Secundò, rerum euectarũ amissio, vt in hae Gregorij XIII. constitutione, quod etiam statuerant Honorius, & Theodosius in l. 4. de commereiis, contra ementes, & vendentes extra ciuitates deputatos, & extra nundinas, Persis merees.

Tertiò, pœna peeuniaria arbitrio Principis, quæ hie statuitur aureorum quinque pro singulis salmis frumenti, &c. & duorum pro quolibet animali, quæ confirmatur etiam à sum. Pont. Paulo V. in eitata constitutione 12. §. 6.

Quartò, banni, seu exilij etiam perpetui pœna, vt in citata l. 4. Cod. de Commerciis.

Quintò, damnatio ad Triremes; vt in citata bulla 49. Clementis Octani, confirmata patiter à Paulo V. vbi supra.

Sextò, vltimum supplieium, vt statuit Clemens in eitata Constitutione 49. in secundo delinquentes, & sæpè faciunt Principes sæculares, vt eonstat ex Menoehio dicto casu 586. etsi rarò id exeeutioni mandetur.

Septimò, addidit contra Barones faeientes extrahi, pœnam rebellionis, læsæ maiestatis, amissionis feudorum, & suspensionis priuilegiorum, idem Gregorius præeitata bulla. *Inter.* ita vt complectatur etiam eos, qui maiorem quantitatem tritiei, hordei leguminúmve comparant, quàm pro vsu vnius anni suæ familiæ, ad quod faeit vers. 26. prouerb. c. 11. *qui abscondit frumenta, maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium.*

Octauò denique, excommunicatio latæ sententiæ eontra extrahentes, & ex Constitutione. *Inter.* contra faeientes extrahere supradicta, quam tamen Paulus V. restrinxit solum ad frumentorum, bladorum, leguminum, & olei extractores, liect cæreras pœnas statutas in prædictis Constitutionibus eonfirmet, & approbet, sublaris quibuscumque priuilegiis, exceptis eausis onerosis appaltuum, & similium.

Eiusdem

Eiuſdem
GREGORII XIII.

Conſtitutionis 66. aliàs 68. editæ anno 1580. incipientis.
In Eccleſiis.

EPITOME 130.

Collationes beneficiorum factæ perſonis prohibitis ob hęreſim, Apoſtaſiam, &c. nullæ ſunt.

ANNVLLAT Pontifex, §. 1. Collationes beneficiorum, quæ fiunt perſonis prohibitis propter genus, vel hęreſim, & à fide Apoſtaſiam, ſiue proprio, ſiue ſtirpis, ſiue cognatorum vitio contaminatis; & declarat beneficia illa vacare à die diſpoſitionis, & à Romano Pontifice de nouo conferenda. §. 2. & nemo ignorantiam prætexens, excuſari valeat, cum huiuſmodi prohibitiones ſint manifeſtæ, & notæ, & quiſque ante petitionem, & acceptationem beneficiorum ſe probare debeat, num ſit illorum capax.

THEOREMA 345.

CVm ex prima regula iuris. l. 6. Eccleſiaſticũ beneficium (latiſſimè accipitur hoc nomen, ex Gloſſa, & Azore p. 2. l. 6. cap. 2.) licitè obtineri non poſſit ſine Canonica Inſtitutione; Canonica autem inſtitutio (quæ ex Gloſſa ibid. eſt obtinere Canonicum ius in beneficio) eſſe nequeat, cum ſacri Canones in beneficiis promotos repellunt, eo quod inſtitutio (quæ etiam hoc loco latè ſumitur, ex Leſſio l. 2. cap. 34. num. 14. vt comprehendit etiam collationem, & confirmationem, non preſsè, quo modo ex Panor. in cap. auctoritate de inſtit. & Azore p. 2. l. 6. c. 22. ſolùm comprehendit conceſſionem Eccleſiaſticam, ſeu beneficij legitima auctoritate Epiſcopi, vel alterius Ordinarij, non cuiuis clerico ſimpliciter factam, ſed ei, qui eſt à Patrono nominatus, & oblatus) tunc aduerſetur iuris Canonici diſpoſitioni, meritò Gregorius XIII. imitatus Paulum Quartum ſtatuit beneficiorum collationes factas perſonis, per ſacros Canones, Summorúmque Pontificum Conſtitutiones prohibitis ob genus, hæreſim, Apoſtaſiam à fide, ſiue proprio, ſiue ſtirpis, ſiue cognatorum vitio, contaminatis nullius eſſe momenti, cum factæ non fuerint inſtitutione Canonica, ideoque ad nonam Rom. Pontificis diſpoſitionem perrinere. Oportet enim meminiſſe dictum fuiſſe ſuperiùs Theoremate 33. 37. 52. §. 17. & alibi, ex cap. 2. de hæreticis. lib. 6. §. hæretici. & c. cõmiſſi. §. vlr. ibidem, & Innoc. IV. bulla 1. §. 9. & bulla 9. §. 30. & bulla 18. aliiſque iuribus, non ſolum hæreticos, & à fide Apoſtatas, irregulates eſſe, ſi hæreſis ſit externa, quamuis occulta, vt conſtat ex Antonino 3. p. tit. 28. cap. 6. initio, Sylu. irregularitas, quæſt. 28. Armilla eodem num. 85. Nauar. cap. 27. num. 205. Ledeſma 2. 4. quæſt. 26. art. 2. Tolet. l. 1. cap. 8. num. 1. Valentia t. 4. d. 7. quæſt. 19. p. 3. Penna in direct. Inq. p. 3. quæſt. 136. cap. 175. & q. 113. cap. 162. in fine Sanchez l. 2. decal. cap. 26. num. 2. Suarez t. 5. d. 45. ſect. 1. & colligitur ex cap. Saluberri

berrimum. 1. quæſt. 7. & c. conuenientibus. ibidem. & ex c. nos conſuetudinem. d. 12. Verum etiam hæreticorum, fautoreſque in ſuo errore morientium filios, & deſcendentes eſſe inhabiles, & irregulares ad beneficia Eccleſiaſtica, publica officia (quo nomine veniunt etiam Ordines, ex Sanchez l. 2. decal. c. 28. num. 7. Nau. c. 27. num. 205. Leſſio l. 2. c. 34. num. 121. Ledeſma loco cit.) atque dignitates, per lineam quidem paternam vſque ad ſecundam generationem, videlicet filios, & nepotes; per maternam verò ſolùm vſque ad primam, id eſt filios tantùm, vt limitatum eſt c. ſtatutum 2. de hæret. l. 6. & explicant Molina tom. 3. de Iuſt. p. 1. d. 158. num. 19. Suarez t. 5. d. 43. ſect. 3. num. 1. Azor. to. 1. l. 8. c. 13. quæſt. 8. Leſſius l. 2. c. 34. num. 121. Sanchez l. 2. c. 28. num. 7. & alij plures.

Prædictis igitur addidit Paulus IV. & Gregor. XIII. hoc loco deſcendentes ex Iudæis, & Mauris vſque ad quartam generationem, fortè, vt ait Nau. l. 1. tit. de Iudæis. conſil. 1. quod rari illorum vſque ad quartã generationem in Chriſtiana fide firmi reperiantur. etſi teſte Roderico in qq. regul. q. 14. art. 1. in fine, & Sanchez l. 2. c. 28. num. 3. fuerit hæc extrauagans à Sixto V. reſtricta vſque ad ſecundam generationem paternam, & primam maternam iuxta reſtrictionem. c. ſtatutum. 2. de hæret. l. 6.

Decernit igitur hoc loco Gregorius beneficia collata clericis prohibitis propter generis originem, aut hæreſim, vel Apoſtaſiam à fide nulliter eſſe collata, & ſpectare ad nouam Pontificis prouiſionem. & conſtitutionis huius meminerunt etiam Nauarr. l. 5. tit. de Iudæis conſil. 1. Sanchez l. 2. decal. c. 27. 28. Azor. t. 2. l. 6. c. 34. quæſt. 12. in fine. Rodericus in qq. regul. q. 14. art. 1. Auila de cenſuris. p. 7. d 4. dub. 3. Notauit tamen Mandoſius in praxi ſignaturæ gratiæ in verbo. *diſpenſatio cum Neophytis.* ſignaturam cum Neophytis, & Marranis diſpenſare ſolere ad omnes ordines, & beneficia, quando ipſi ſemper vixerunt Catholici, licet parentes eorum fuerint combuſti. arg. c. cum te. de reſcript.

Eiuſdem
GREGORII XIII.

Conſtitutionis 68. aliàs 71. editæ anno 1581. quæ incipit.
Aliàs.

EPITOME 131.

CONFIRMAT Conſtitutionem tertiam Pauli IV. & Pij V. numero etiam 3. prohibens §. 3. ne medici Iudæi, vel infideles curent Chriſtianos ægrotantes & §. 4. mandat ſub indignationis pœna, vt Ordinarij, ac Parochi, vbi ſunt Iudæi, & Infideles ſingulis annis initio Quadrageſimæ, publicent hanc extrauagantem. & §. 5. ſtatuit, vt Chriſtiani, qui ab his curantur, careant ſacramentis, & Eccleſiaſtica ſepultura; atque Ordinarij contra vtroſ

Chriſtiani infirmi non curandi à medicis Iudæis, vel infidelibus. *Priuatio Sacram. & ſepult. Eccleſiaſtice.*

vtroſque delinquentes proceedant,& illos puniant.

THEOREMA 346.

IAm bis de Iudæis diſſerui,nempe Theor.41.& 54. Quæ autem hoc loco à Gregorio prohibentur, vetita quoque ſunt à ſexta Synodo. c.11.in c.nullus.28. quæſt.1.in quo ita ſtatuitur. *Nullus eorum, qui in ſacro ſunt Ordine conſtituti, aut lautus azyma Iudæorum manducet,aut cum eis habitet, aut aliquem eorum in infirmitatibus ſuis vocet, aut medicinam ab eis percipiat, aut cum eis in balneo ſe lauet. Si verò quiſquam hæc fecerit,ſi clericus eſt, deponatur; ſi laicus,excommunicetur.*

Id autem ſtatutum prudenter eſt, tum ob periculum ſubuerſionis, quod fidelibus ſolet imminere ex conuerſatione, & familiaritate cum Iudæis.c.ad hæc.de Iudæis. eadémque eſt ratio cum Saracenis, ex c.Iudæis 2.de Iudæis,& Gloſſa ibid. verbo *Iudæi*, & notat Sanchez l.2. decal. c.31.n.5. vnde fit, vt qui ita ſunt in fide firmi, & docti, vt ex dicta communicatione ſperari poſſit infidelium conuerſio, non prohibeantur, quia cum ceſſat periculum, ceſſat quoque prohibitio, ex S.Thoma 2.2. quæſt. 10. art. 9. & Sanchez loco cit. num. 1. & 2. tum vt tempore adeo periculoſo inducatur à fideli medico ad confitenda tempeſtiuè ſua peccata idoneo Confeſſori, ne fortè inconfeſſus, etſi Catholicus, obeat, iuxta Conſtitutionem Pij V. de qua diximus Epitome 88.

Obligat autem huiuſmodi prohibitio ſub mortali, niſi quis aliũde, v. g. neceſſitate excuſetur, ex Ang.v. *Iudæus.* num.1.fine.Syl.eodem quæſt.1. d. 1. Armilla num.5. Tabiena q.1. num.2. Azor. t.1.l.8. c.22. quæſt.2. Sanchez loco citato num. 3. & patet, tum ex graui pœna impoſita tranſgreſſoribus. d. c. nullus. 28. quæſt. 1. tum ex additis à Gregorio hic.§.5. & dixi, v.g.neceſſitate,quia prohibitio accerſendi medicos Iudæos, & infideles ad medendum Chriſtianorum morbis, intelligitur extra caſum neceſſitatis; ſi enim nullus alius eſſet medicus, vel Iudæus eſſet notabiliter doctior pro eo morbo curando, poſſet aduocari, ex Roſella v. *Iudæus* 1.num.1.Ang. num.8.Armill. num.9. Syl. eodem quæſt.1, dicto.4. Tabiena q.5. n.6. & v. *Medicus.* quæſt. 16. num. 17. Sanchez num.8. qui idem iudicat, ſi morbi grauitas multis egeret medicis, nec eſſet copia fidelium, quia etiam tunc fideles non ſufficerent pro illo morbo. & ideo Clemens VIII. Conſtitut. 42. *Cum ſicut.* epit. 161. vetans Italis extra Italiam in locis hæreticorum degentibus accerſere medicos hæreticos, excipit. §. 2. caſum neceſſitatis, & vbi non ſuppetit copia idonei medici Catholici.

In præcitato verò c. nullus. 28. quæſt. 1. inter dicitur etiam medicinas à Iudæis exhibitas, accipere. Vnde multi dubitant an poſſit Chriſtianus emere medicinas à Iudæo.Qua in re Gloſſa in d.c.nullus.Angel.v.*Iudæus.*num.7.Armill. num.9. Tabiena quæſt. 5. num. 6. negant ſi præparatæ ſint, niſi deficiente Chriſtiano, qui bene præparet, ſecus ſi ematur tantum materia, à Chriſtiano poſtea præparanda. Azor verò tom.1.l.8. c.22. quæſt.5. ſentit non prohiberi emptionem medicinæ etiam præparatæ,

ratæ, ſed tantum acceptionem illius à Iudæo vltrò oblatæ, vel datæ, vt vitetur familiaritas, & conſuetudo Iudæorum cum Chriſtianis. Denique Sanchez l. 2. decal. c. 31. num. 9. ſcribit legitimum ſenſum illius cap nullus. eſſe, vt interdicatur Chriſtiano à Iudæo miniſtratam medicinam accipere, quia hoc ſit Iudæum curare, & mederi Chriſtiano ægrotanti, quæ familiaritas inter medicantem, & ęgrotum ibi prohibetur, non autem, quæ eſt inter vendentem, & ementem, vel donantem & recipientem, aliàs non eſſet maior ratio, cur prohibeatur fidelis acceptare medicinam donatam, quàm. v. g. vitulum. quod etiam docuit Archidiac. eod. c. nullus. num. 2. Bellamera num. 1. Turrecrem. num. 4. & 5. Syl. v. *Iudæus.* q. 1. dicto 4. quare cum vetetur in eo capite, ne Iudæus ipſe ægroto fideli medicinam exhibeat, vel miniſtret, quod hoc ſit etiam mederi infirmo; non mirum ſi Gregorius XIII. hoc loco prohibens, ne fidelis curetur à Iudæo, ſeu infideli, nihil in ſpecie de ſuſceptione medicinæ præſcripſerit, quippe quæ includatur in curatione. Mandat autem §. 4. & 5. ſub indignationis ſuæ pœna (de qua re aliàs diximus) à Prælatis ſingulis annis publicari hanc extrauagantem, & inobedientes Chriſtianos priuari ſacramentis, & Eccleſiaſtica ſepultura, de qua etiam pœna videri poteſt Theorema 52. num. 14. & tam hos, quàm Iudæos debitis pœnis coërceri.

Eiuſdem GREGORII XIII.

Conſtitutionis 70. olim 73. editæ anno 1581. quæ incipit.

Antiqua.

EPITOME 132.

IVBET hoc loco. §. 2. Gregorius, vt Iudæi, & infideles negantes, quæ habent communia circa fidem cum Chriſtianis vt Deũ vnũ, & æternum, omnipotentem, creatorem omnium, eſſe, aut id alicui etiam priuatim inſinuantes, vel §. 3. dæmones inuocantes, conſulentes, eis immolãtes, vel thus, & fumigationes offerentes, aut §. 4. verbo, facto, exemplo, alióve modo nefaria huiuſmodi docentes Chriſtianos, vel ad ea perducere tẽtantes. §. 5. Chriſtum purum hominem, aut peccatorem, Deíve matrem non virginem, ſimileſque blaſphemias hæreticales proferentes. §. 6. auxilio, conſilio, opere, fauore, Chriſtianum â fide ad impias ſectas, ſuperſtitiones, aut hæreſim ſollicitantes, §. 7. aliquem à fidei, vel baptiſmi, poſt eius declaratam, nutu, verbo, facto, aut alio quocunque modo voluntatem retrahentes, dehortantes, impedientes quouis modo

Iudæorũ errores circa veterem legem, & blaſphemiæ circa nouã, dæmonũ inuocationes, aliáque flagitia eorũ, ſeuere per ſacros Inquiſitores punienda.

modo. §.8.hæreticos,Apoſtatáſve ſciẽter receptãres, alentes,commeatu iuuantes,aſſociantes, deducẽtes, vel deducendos, & aſſociandos curantes, defendentes, & quomodolibet auxilium, conſilium,fauorem deferentes, vel facientes,ne ab eis perperrata inueſtigari queant. §.9.prohibitos libros, deferentes, retinentes, aut diuulgantes, vel ad eam rem operã ſuam conferentes.vt dictum eſt Theor. 41. §.10. deriſioni habentes Chriſtianos,ſacram Hoſtiam, Crucem,Chriſtum Dominũ, conſpuentéſve, vel facientes quid ſimile, ouem, agnum, aut aliud quid Cruci affigentes, aut appendentes. §.11. Chriſtianas nutrices renẽres, vel cogentes quãdo communicant vno, aut pluribus diebus effundere lac in cloacas, aut latrinas. §.12. acriter per ſacros Inquiſitores flagellis, remigiis etiã perpetuis,publicatione bonorũ,exilio,& aliis ſimilibus,puniantur,in omnibus Regnis, Prouinciis,Ciuitatibus, Dominiis, & locis vniuerſi Orbis Chriſtiani.

THEOREMA 347.

ET ſi Iudæi,& infideles in ſpiritualibus non ſubiiciantur Eccleſiæ,& ob id nequeant ſpirituali pœna excommunicationis puniri. c.multi.2.q.1.poſſunt tamen plecti ſtatutis à iure pœnis, ſi quæ committant crimina,vt ſi in Deum,vel Chriſtianã religionem, blaſphemi ſint,aut in Principem, & Rempub. quibus ſubſtant, aut alios priuatos homines peccent,vt conſtat ex l.1. Cod.ne Chriſtianum mancip.l.hac valitura. l. Iudæis. Cod.de Iudæis. & cap. poſtulaſti. extra. de Iudæis. Gloſſa ibid. c.Iudæis. Eymerico in decret. inq. p.2. q.46. Repert. inquiſ.v.Iudæus. §. an,& ex qua cauſa. Zanchino tr. de hæret. cap.36. Azor t.1.l.8.c.22.q.11.12.Oldrado conſil. 36. & communi ſententia, vt etiam tactum eſt Theorem. 41. 42.54.

Rectè igitur Gregorius XIII. præſenti Cõſtitut. cõfirmata etiam à Clem.VIII. bulla 20. quæ incipit.*Cum Hebræorum*.decernit,vt per Eccleſiaſticos iudices, & inquiſitores puniantur, ſi in his decem, aut eorum aliquo criminibus deliquerint. Primò,ſi negent eis cum Chriſtianis cõmunia circa fidem, licet oppoſitum tenuerit Simancas tit. 25. n.11. ex parte tamen venia dignus eſt, cum ſcripſerit ante hãc Conſtitutionem Gregorij; quare etſi iure communi Epiſcopi, & inquiſitores id antea non poſſent, iam Pontificiis Conſtitutionibus punire illos debent. Sic enim hoc loco ait Gregor. *Statuimus inquiſitores hæreticæ prauitatis liberè poſſe procedere in omnibus cauſis, & caſibus, quæ ſequuntur.* (quorum primus eſt ſupradictus.) Idem faciendũ multò ante hanc Gregorij Conſtitutionem, ſcripſerat Oldradus cõſil.36.

Secundò, ſi dæmones inuocauerint,cõſuluerint, eiſve ſacrificia, thus, fumigationes, & ſimilia impietatis obſequia detulerint, cum id Deut.18. Leuit.19.20. Exod.22.

Scortia.

Num. 25. vetitum ſit ſub pœna mortis, nedum legibus ciuilibus. l. cuicunque. l. multi. l. nullus. Cod. de maleficiis, vt diximus Theor. 65. 66.

Tertiò, ſi Chriſtianos hæc docuerint, vel ad ea quouis modo perpetranda inducere tentauerint; id enim eſt verbo, exemplo, vel facto inficere, & peruertere Chriſtianos, apud quos commorantur. Habet ſi quidem Chriſtiana reſpublica ius tuendi ſe, fidem, ſuóſque, ne ab his perditis corrumpantur, vel depranẽtur, & ideo poteſt procedere contra perturbatores, vt conſtat ex Nauarr. to. 2. conſil. 7. de hæretic. & ex dictis Theorem. 75. vnde ob ſolum periculum, quod Neophytis imminet ex illorum malo conſortio. c. ſæpè. 28. q. 1. hos caſtigari iubet; & illos publicis cædibus deputari, ſi conuerſentur ſimul.

Quartò, ſi in Chriſtum Dominum, & B. Virginem blaſphemias hæreticales proferant. cap. in nonnullis. extra. de Iudæis, & ex Sylu. v. *Iudæus.* n. 10. & Hoſtienſi, apud eundem, ſecundum leges eſſent plectendi capite. fortè alludunt ad Authent. 77. *vt non luxurientur.* Ob quas etiam blaſphemias in Chriſtum, & religionem Chriſtianam,
2 Gregorius IX. anno 1230. & Innoc. IV. anno 1244. iuſſerũt Thalmudicos comburi libros, & Iulius III. anno 1554. illos retinentes in ſynagogis, & domibus priuatis, mulctari iuſſit bonorum publicatione, & contumaces etiam vltimo ſupplicio, vt dixi Theorem. 41.

Quintò, ſi eorum conſilio, fauore, opera, auxilio Chriſtianus à ſuſcepta fide ad hæreſim, Iudaïſmum, impiáſque ſectas, & ſuperſtitiones tranſierit. quibus ſimilia ſtatuit Gregorius X. & Clemens IV. vterque in bulla, quæ incipit. *Turbato corde*, vt aduertit etiam Gloſſa in cap. contra Chriſtianos de hæret. l. 6. in vtraque enim ſic habetur. *Iudæos autem, qui Chriſtianos vtriuſque ſexus ad eorum ritum execrabilem hactenus induxerunt, aut inuenerint* (inquiſitores compellantur) *de cætero inducentes, pœna debita puniatis.* & eſt etiam caſus dicti cap. contra Chriſtianos, qui cum eſſent infantes, vel pueri baptizati fuerunt, & poſtea redierunt ad infidelitatem parentum, ſed etiam contra fautores & receptatores eorũ. Idem docet Nau. to. 2. conſil. 7. de hæret. Oldradus dicto conſil. 36. & alij, vt eſt videre Theoremate 54.

Sextò, ſi auertant à fide, vel inſtructione eius, aut baptiſmo volentem venire ad Chriſtianam veritatem, vt contra Elymam fecit Paulus Act. 13. cum iniuſtè impediant Euangelij propagationem commiſſam Eccleſiæ Marc. vlt. & Matth. 28. vt cum D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 8. & aliis dictũ eſt Theoremate 75. & omnibus magiſtratibus conceſſum ſit, ſecundum ius ſuæ poteſtatis ſuam iuriſdictionem pœnali iudicio defendere ex Vlpiani ſententia.

Septimò meritò pariter puniuntur, ſi hæreticos, & Apoſtatas receptant, occultant, defendunt, & iuuant contra Reipub. Chriſtianæ leges, aut Inquiſitorum impediunt officium ex iacto fundamento, eo quod iudex in aliqua cauſa poſſit procedere cõtra impedientem eius iuriſdictionem, & proceſſum in dicta cauſa. c. 1. 5. 7. 21. de offic. delegati. & l. 2. ff. de iuriſdict. omn. iud. & ideo etiam Eccleſia habens iuriſdi

iurisdictionem ad defendẽdam fidem, poterit etiam procedere contra turbantes illam. Quod etiam pluribus ostendit Franc. Bursatus consil. 90.

Itémque octauò, puniendi si toties proscriptos à Sum. Pontificibus Rom. ex Theoremate 41. citato, ob similes blasphemias contra Deum, & Christianam religionem Thalmudicos libros tenuerint, quocunque detulerint, diuulgauerint, impositа etiam contumacibus pœna confiscationis bonorum, & vltimi supplicij; immo ex bulla 20. Clementis VIII. pœnis statutis contra fautores Apostatarum à fide, & hæreticorũ præcipitur, ne quis Christianus audeat opem, consilium, auxilium, fauorem præstare Hebræis pro iis libris habendis, scribendis, afferendis, aut pro eorundem legendorum licentia impetranda. & Gregorius XIII. extendit hoc loco ad eosdem Hebræos pœnas, si hæreticorum tenuerint libros, custodierint, diuulgauerint, detulerint in quæcunque loca, aut ad eam rem operam suam accommodauerint. Cum autem ipsi non subiaceant pœnis spiritualibus, quales sunt censuræ Ecclesiasticæ, nisi aliarum pœnarum metu deterrerentur, facili negotio possent damnatis hæreticorum libris Christianam pessundare rempublicam.

Nonò, si ludibrio Christum Dominum, & res nostræ religionis habeãt. Qui casus ex parte etiã habetur in c. nonnullus, extra. de Iudæis, & Saracen. vbi Innocentius III. cum Concil. Lateranensi præcipit per magistratus locorũ condigna animaduersione compesci, ne in triduo Passionis in contumeliam Christi ornatius in publicum procedant, illudántve Christianis exhibentibus lamentationis signa in memoriam Passionis Domini; vnde fiat, vt pro gratia, quam Christianis deberent reddere, quod eos receptent, contumeliam reddant, & illis eam rependant retributionem, quam mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu, suis exhibere hospitibus consueuerunt, vt idem Innocentius scribit. Videri possunt de Iudæorum in Christianos odio, & flagitiis D. Clemens l. 2. Constit. Apost. cap. 64. & Nicephor. l. 4. cap. 6. l. 14. cap. 16.

Decimus casus, quo Iudæi, & infideles in quibusvis Christiani orbis partibus per sacros Inquisitores puniri debent, est, si nutrices Christianas filiorum suorum causa, teneant, vel tenentes, si in communionis die, vel sequentibus diebus cogant eas lac effundere in latrinas. quæ etiam damnata sunt ab Innoc. III. in cap. *& si Iudæos.* extra. de Iudæis, & Alexandro 3. c. Iudæi. & cap. ad hæc. ibidem. & Innoc IV. bulla 2. vt vidimus Epit. 11. Putabant enim stolidi Eucharistiam cibum esse corporis, & in sumentis substantiã conuerti, contra quam dicitur. c. tribus de consec. d. 2. quippe cum sit animæ cibus. vnde dictum est ad Augustinum. *Non ego mutabor in te, sed tu mutaberis in me.* An autem in communi matres filios suos nutricibus aliis alendos, & lactandos tradere conueniat, copiosè explicant Macrobius l. 5. Saturn. cap. 11. Plutarchus in opusc. de liberis educ. Gellius lib. 12. noct. Att. c. 1. & Tiraquellus de nobilit. c. 20. n. 76.

Eiusdem

GREGORII XIII.

Constitutionis 74. editæ anno 1582. quæ incipit, Inter.

EPITOME 133.

Aboletur Calendariũ vetus, & approbatur nouum, & corrigitur Martyrologium. & sine licẽtia Papæ non imprimantur, proponãtur, recipiantur. *excommunicatio,* &c.

APPROBAT noui Calendarij restitutionem, & correctionem Martyrologij, & vtrumque diuulgari iubet. Ac §. 13. sic statuit. *Vt verò vtrumque vbique terrarum incorruptum à mendis, & erroribus seruetur, omnibus in nostro, & sanctæ Rom. Ecclesiæ dominio mediatè, vel immediatè subiecto, cõmorantibus impressoribus, subamissionis librorum, ac centum ducatorum auri Cameræ Apost. ipso facto applicandorum, alijs verò in quacunque orbis parte consistentibus sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, ne sine nostra licẽtia, Calendarium, aut Martyrologium simul, vel separatum imprimere, vel proponere, aut recipere vllo modo audeant, vel præsumant, prohibemus.* & §. 14. Vetus Calendariũ omnino abolet, & Ecclesiarũ Præsidibus præcipit, vt nouo tantũ vtantur, (ad quod etiam accommodata est ratio Martyrologij) tam ipsi, quàm cæteri omnes Presbyteri, & clerici sæculares, & regulares vtriusque sexus, nec non Milites, & omnes Christi fideles.

THEOREMA 348.

ÆQuinoctia paulatim singulis annis versus mensis principium anticipare solent suas sedes, adeo, vt singulis ferè 134. annis vno die integro præcurrant. & in annis 402. tribus circiter diebus, vt rectè docet noster Christophorus Clauius vir de Mathematicis disciplinis apprimè meritus. l. 1. Apol. noui Kal. Rom. c. 3. & cum eo Io. Azor tom. 2. l. 1. c. 5. Quare cum tempore primi Concilij Nicæni circa annum 324. Patres vernum æquinoctium, vnde pendet ratio celebrandi Pascha, ex Anatolio Laodiceæ vrbis Syriæ Episcopo, qui vixit circa annum 282. apud Eusebium l. 7. hist. cap. 26. Ambr. epist. 85. August. epist. 119. c. 8. Beda l. de ratione temporis c. 28. Cassiodoro. l. 9. tripart. c. 37. Niceph. l. 12. c. 35. Clem l. 5. constit. c. 18 c. nosse. cap. celebritatem. de consecr. d. 3. die 21. Martij habuerint, per correctionem Iulij Cæsaris factã ante Christum natum annis 45. cum intercalati sunt dies 67. ex Appiano l. 2. belli ciuilis in anno vrbis 708. ex Macrob. l. 1. sat. c. 14. Plin. l. 18. cap. 15. Dionys. l. 43. Plut. in Cæsare. Onufr. & Genebrard. in chron. & deinde post annos 30. Octauiani, qui ex malè intellecta intercalatione Iulij Cæsaris sustulit natum errorem ex Lucido. l. 7. de emendat. temporum, Macrobio, Onufrio, Genebrardo, & aliis nostris temporibus ante correctionem anni fuit die 11. Martij.

Itaque prudenter Gregor. XIII. Sum. Pontifex præsenti Constitutione vernum æquinoctium reuocauit ad tempora Concilij Nicæni, nempe ad diem 21. Martij, demptis

à mense

à menſe Octobri (quippe qui pauciores dies Sanctorum celebritatibus dicatos habeat, quàm cæteri) anni 1582. diebus decem; ita vt poſt quartum diem Octobris anni illius, qui D. Franciſco ſacer eſt, loco diei quinti, immediatè numeratus ſit quintusdecimus dies, decem interiectis eo anno prorſus omiſſis. Hæc enim anni corrigendi ratio inter cæteras, quæ à Mathematicis afferebantur, facilior, & expeditior viſa eſt, & ſummo Pontifici probata. Et ne iterum æquinoctium prædictam diem 21. Martij deſerat, verſúſque menſis principium, vt antea progrediatur in poſterum, ex eodem Clauio. l. 1. c. 5. decretum eſt, vt ſeruata conſueta ratione intercalandi quarto quoque anno diem vnum, in poſterum non ſinguli quique centeſimi anni biſſextiles ſint (licet ſecundum conſuetam rationem annorum biſſextilium eſſe deberent) ſed primi tres centeſimi poſt annum 1600. fiant communes, dierum ſcilicet ſolum 365. nempe annus 1700. 1800. 1900. quartus autem ſubſequens, nempe 2000. biſſextilis ſit, id eſt, dierum 366. Item tres cēteſimi proximi 2100. 2200. 2300. eodem modo cōmunes ſint, quartus verò cēteſimus proximus, nempe 2400. ſit biſſextilis, atque ita deinceps eodem ſemper ſeruato ordine.

Quærenti cur non certo menſis die celebret Eccleſia Paſcha, vt facit diem Natiuitatis. Reſpondeo, tum quia ex S. Petri inſtitutione reſte Beda in retract. in Act. Apoſt. c. 20. & l. 5. hiſt. Angl. c. 22. & fatetur ingenuè Proterius Epiſcopus Alexandrinus ſcribens ad Leonem Rom. Pontificem, cuius epiſtolæ fragmētum recitat idem Beda l. de ratione temp. cap. 47. Paſcha celebrandum eſt die Dominico poſt Lunam 14. primi menſis, & non ſimpliciter Luna 14. quæcunque ſit Hebdomadæ dies, vt faciunt Iudæi; illorum enim Paſcha celebrabatur in memoriam liberationis ex Ægypto, & ſimul erat typus futuræ mortis Chriſti Saluatoris noſtri Agni immaculati; noſtrum autem celebratur in memoriā Reſurrectionis eiuſdem factæ poſtea die Dominico, ex Ambr. cit. epiſt. 83. Beda l. de ratione temp. c. 57. & Euſebio l. 5. cap. 23. Quin immo ſi aliquando in ipſam Dominicam diem Luna 14. incidat, qua Iudæi Phaſe celebrant, Paſcha noſtrum differendum eſt in ſequētem diem Dominicū, ex S. Ambr. loco cit. eò quod Dominus reſurrexerit poſt comeſtum Agnū Paſchalem à Iudæis proximo die Dominico, & ideo non potuit aſſignari certus, & fixus dies. tum ex D. Auguſtino epiſt. 119. c. 1. & 2. & à cap. 9. vſque ad 17. vt oſtendatur debere nos cum Chriſto initio anni depoſita veteri conuerſatione, reſurgere in nouitate vitæ, in verno enim æquinoctio vetera tranſeunt, & annus, cæteráque omnia renouantur.

THEOREMA 349.

ITaque abolito vetere Kalendario præcipit §. 13. & 14. Eccleſiarum Præſidibus vt tā ipſi, quàm cæteri Preſbyteri, & Clerici ſæculares, & regulares vtriuſque ſexus, necnon ſacri milites, & omnes Chriſti fideles vtantur tantum nouo, ad quod etiā accommodata eſt ratio Martyrologij, quod in choro ad primam quotidie recitatur.

Atque vt vbique terrarum incorruptum vtrumque seruetur, verat §.13. absque licentia Papæ Kalendarium, aut Martyrologium separatim, vel cõiunctim imprimi sub pœna impressoribus in statu mediatè, vel immediatè Ecclesiæ Romanæ subiecto amissionis librorum, & ducatorum auri centum, alibi verò sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne pariter imprimantur, proponantur, recipiantur, vnde extenditur excommunicatio ad impressores, superiores, & cæteros proponentes aliis recipiendos, & denique ipsos recipientes, absque licentia Papæ impressos. Debet enim in toto Christiano orbe esse eadem omnino ratio, & idem ritus celebrãdi Paschæ, ac cæteras festorum dierum celebritates, quod non admittit Kalendarij, & Martyrologij variationem. Ob id Victor Papa, & Martyr in cap. celebritatem. de consec. d. 3. cum dixisset celebritatem sancti Paschæ die Dominico agendam, mandasse prædecessores, & se quoque eodem celebrandum solemniter, statuere, subdit, *quia non decet vt membra à capite discrepent, aut aliter gerant.*

Eiusdem GREGORII XIII.

Constitutionis 80. olim 84. editæ anno 1583. quæ incipit.

Exposcit.

EPITOME 134.

In Italia Abbatissæ ad triennũ tantum eligantur, quo finito, triennio etiã vacent.

§ DICIT §. 2. vt in vniuersa Italia, & præsertim in vtraque Sicilia, Abbatissæ, & aliæ Præfectæ Monialium eligãtur tantũ ad triennium; quo finito saltem per aliud triennium vacent, omníque prorsus auctoritate careant, ac monasterij regimine, & administratione. & §. 4. si quid autem secus factum fuerit, sit prorsus irritum, & nullum.

THEOREMA 350.

SApienter Gregorius XIII. præscribit Præfecturis Monialium tempus, tum vt Christi Domini, qui factus est obediens vsque ad mortem, & non venit ministrari, sed ministrare, humilitatem imitentur; tum ne ambitione, & frequentia regendi, curæque continuationem per quandam machinationem munus renouando, fiat aliquibus infinita prædicta gubernatio. §. fin. de defensor. ciuit. in Auth. collat. 3. tit. 3. & Gordianus Imp. l. 2. de muneribus, & honoribus non continuandis, voluit ab honoribus ad honores eosdem dari quinquẽnium vacationis, triennij verò ad alios eod. lib. 10. tit. 40. tum vt certæ de reddenda post triennium suæ administrationis, ac villicationis ratione, diligentius monasterij bona curent, cæteráque munia sui regiminis diligentius exequantur. tum vt cæteræ religiosæ subditæ alicuius fortè Præfectæ mores asperos, vel durusculum imperium, certæ de fine administrationis, leuius ferant. Conditiones autem monialium eligendarum in Abbatissas, seu Præfectas tradit Concil. Trid. sess. 25. c. 7. ita definiens. *Abbatissa, & Prioriss a, & quocunque*

quocunque alio nomine Præfecta, vel Præpoſita eligatur non minor annis 40. *& quæ* 8. *annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit. quod ſi his qualitatibus non reperiatur, in eodem monaſterio, ex alio eiuſdem ordinis eligi poſſit. ſi hoc etiam incommodum ſuperiori, qui electioni præeſt, videatur, ex his, quæ in eodem monaſterio annum* 30. *exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem rectè vixerint, Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente vna eligatur. Duobus verò monaſteriis nulla præficiatur.* Quod etiam Concilium eadem ſeſſ. 25. c. 6. circa rationem ferendorum ſuffragiorum in his electionibus diſtinctè præcipit. Vt in electione ſuperiorum quorumcunque Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatiſſarum, atque aliarum Præfectarum ſuffragia debeãt fieri ſecreta, ita vt ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur, nec voces, aut ſuffragia abſentium per alios ſubſtitutos ſuppleantur. quod ſi electio fiat alio modo, irrita ſit. & qui alio modo ſe eligi permiſerit, ad omnia officia in religione obtinenda exiſtat inhabilis. In Abbatiſſarum quoque electione poteſt Epiſcopus vna cum ſuo Vicario, vel Secretario, vel alio, quem ipſe ad id ſibi aſciuerit ſuffragia, ſiue vota cuiuſque monialis ore tenus expreſſa audire, cum id cenſuerit Congregatio Cardinalium.

Eiuſdem

GREGORII XIII.

Conſtitutionis 85. olim 87. editæ anno 1584. quæ incipit.

Humano.

EPITOME 135.

FORMAM præſcribit publicandi reſignationes beneficiorum, & iurium ceſſiones. ſcilicet. §. 1. vt omnes reſignationes, & iurium ceſſiones publicari debeãt intra ſex menſes, ſi beneficium ſit citra montes; ſi verò vltra montes, intra nouem.

Beneficiorũ reſignationes, & ceſſiones iurium quomodo ſint publicãdæ, & omiſſa forma, gratia eſt nulla.

§. 2. vt ipſa publicatio fiat in Cathedrali, & in beneficij Eccleſia, aut Eccleſiis, ſi in pluribus illud ſit, dũ frequens populus conuenit ad Miſſarum ſolemnia; litteræ Apoſtolicæ, vel tranſumptum authenticum palam omnibus exhibeatur, claráque, & intelligibili voce reſignatio, ſeu ceſſio huiuſmodi, ac beneficij qualitas, & innouatio, nominaque, & cognomina reſignãtis, ſeu cedentis, ac illius, in cuius fauorem facta eſt gratia, pronuntientur; ita vt hæc omnia poſſint ad notitiã omnium ibi exiſtentium veriſimiliter peruenire, ſcriptóque de his omnibus exemplo collato valuis dictarum Eccleſiarum relinquatur affixum. Si autem

autem Ecclesia sit ruralis, vel careat populo, fiat in parrochiali, intra cuius limites consistit beneficium, & in Ecclesia Cathedrali: quod si ad illas, vel vtramuis non sit securus aditus ob pestẽ, &c. in alia Cathedrali, vel parrochiali viciniori periculorum immuni peragatur publicatio.

§. 3. apprehensio verò possessionis beneficij fiat intra dictum tempus vigore litterarum Apostolicarũ desuper confectarum, vel si ob litem, vel aliud legitimum impedimentum nequiuerit, saltem litteras Apostolicas cum earũ publicatione, si tunc facta erit iudici, vel executori earum, vel aliis, ad quos pertinet per se, vel procuratorem suum legitimum intra idem tempus præsentare, & apud illum, vel illos pro illarum litterarum executione instare, & possessionem huiusmodi instanter petere teneatur.

§. 5. hac forma omissa gratia redditur nulla, cum omnibus inde secutis; nec suffragetur iis, quibus cõcessa fuerat. Sed ipsi tales inhabiles, & incapaces sint ad huiusmodi beneficia sic resignata, & cessa quandocunque obtinenda, ipsaque iura à prima statim resignatione vacare, & vacasse cẽseantur, & ad Sedis Apostolicæ dispositionẽ spectare.

§. 7. Additur modus resignationis, quæ fit in manibus Ordinariorũ, vel legatorum etiam causa permutationis, vt vniuersum negotium expediatur intra mensem, & fiat prouisio, & ipse prouisus intra tres menses à die factæ prouisionis illam publicet, & possessionem capiat modo prædicto, aliàs prouisio sit nulla, & beneficium intelligatur vacare.

§. 8. Ordinarij, & alij prædicti, qui hæc vti eis præscribuntur, non perfecerint, eo casu potestate disponendi de ipsis beneficiis sint ea vice priuati, & dispositio sit ad Sedem Apostolicam deuoluta.

§. 9. non obstantibus Pij V. & Prædecessorum Constitutionibus de publicandis huiusmodi resignationibus.

THEOREMA 351.

IAm plura de beneficiorum resignationibus sunt à nobis disputata Theor. 248. & seqq. cum Flam. Parisio in lib. de resignat. Mandosio in regul. Cancellariæ, Rebuffo in praxi benef. tit. de resignat. Azor p. 2. l. 7. cap. 24. & aliis: Adiiciemus nunc quæ specialiter ad præsentem Constitutionem pertinere videntur. Iusserunt igitur Rom. Pontifices beneficiorum resignationes publicè denũciari, seu promulgari. Tum ne si fierent occultè, plures fictè, & simulatè fierent,

rent, & resignantes se denuo in dimissa beneficia inferrent, eorúmque fructus perciperent. Tum vt sciat populus quibus Pastoribus debeat parere, quibus decimas persoluere, & à quibus petere sacramenta. Tum ne fraudentur Ordinarij locorũ iure suo, & deludantur in Collationibus beneficiorũ.

Intelligitur autem hæc extrauagans vniuersim de omnibus beneficiis, tum quia Gregorius ait: *de quibuscunque Ecclesijs, monasterijs, prioratibus tam virorum, quàm mulierum, dignitatibus, officijs, & beneficijs Ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumuis Ordinum etiam militantium, regularibus, etiam electiuis, & manualibus & etiam de Iure Patronatus.* Tum ex regulis Cancellariæ.

Difficultas esse potest de resignationibus beneficiorum consistorialium, quæ scilicet conferuntur in consistorio, qua de re Sarnensis in regul. Cancell. de publ. resig. quæst. 5. Rebuffus in praxi regul. de public. glos. 1. Parisius l. 11. quæst. 3. de resignat. n. 25. & seqq. testantur ex praxi in consistorialibus maioribus, Episcopatibus videlicet, & Archiepiscopatibus, qui in consistorio conferuntur, non requiri huiusmodi promulgationẽ; in consistorialibus verò minoribus, vt sunt Abbatiæ, & Prioratus, si extra consistorium conferuntur, requiri, cum dicat hoc loco Gregorius XIII. & de quibus in consistorio nostro disponi consueuit, seu debet, quæ posthac quacunque ex causa fient, & per nos, & per dictos successores, extra dictum tamen cõsistorium admittentur. Sin verò eadem beneficia conferantur in consistorio, promulgatione non indigent.

Sed huiusmodi beneficiorum resignationes vbinam, & quomodo sunt faciendæ? Respond. antea id fuisse dubium, sed iam ex §. 2. Constitutionis huius id patere. quare non sufficiet fieri alio modo promulgationem, quæ promulgationi huic præscriptæ æquinaleat, cum præcisè dicatur §. 5. Cæterum modus, & forma hic tradita semper, & vbique obseruari debet, nec alia, vel æquipollens vllo modo admitti.

Quærenti etiam intra quantum temporis hæ beneficiorũ resignationes sint publicandæ? Respond. haberi in hac eadem bulla, quidquid antea per prædecessores constitutum esset. Cõcedit enim Gregorius §. 1. resignantibus beneficia in Curia Romana, si beneficia citra montes existant, sex menses, si vltra menses nouem. Et fiet intra idem tempus apprehensio possessionis vigore litterarum Apostolicarum ex §. 3.

Dubitanti, assignati menses ad publicè resignandum beneficium in Curia, à quo die computandi sint, num à die supplicationis datæ, & signatæ an à tempore dati consensus expressi? Respondet Parisius l. 11. quæst. 2. num. 12. ex bulla Pij V. incipiente. *Sanctissimus.* à die supplicationis datæ, & non à die præstiti consensus. quod etiam habet Pius V. & Gregorius XIII. Quod tantum habere locum in resignationibus, in quibus præstatur consensus, dum viuit resignans, non etiam in iis, in quibus post obitum resignantis datur consensus, ait Parisius ibid. n. 17.

Quid si plures reperiantur datæ supplicationes, vt si prima fuit recognita, & in meliorem formam

mutata? Sunt menses numerandi à die primæ datæ supplicationis, vt declarat hic Gregorius, cum ait. *& si postea concessio gratiæ*, &c. Resignantibus verò extra Curiam coram locorum Ordinariis præcipit §. 7. vt Ordinarij resignationes admittant, aut reiiciant, & beneficia resignata conferant intra mensem, & resignatarius intra tres menses resignationem promulget, & possessionem capiat, qui menses computantur non à die resignationis admissæ, sed à die, quo est beneficium collatum. cum possit v.g. viginti dies ante admitti resignatio, quàm beneficium resignatum conferatur. aliàs prouiso sit nulla, & beneficium intelligatur vacare. & eo etiam casu dispositio pro ea vice sit ad Sedem Apostolicam deuoluta, & non amplius spectet ad Ordinarium, qui non perfecerit hæc, vt præscribuntur.

Quod decretum comprehendit non tantùm Episcopos, & alios inferiores Ordinarios, quorum est beneficia conferre, sed etiam Archiepiscopos, Patriarchas, Legatos de latere, Delegatos, & Cardinales, qui nó solum cum iure ordinario resignationes beneficiorum admittunt, sed etiam cum ratione indultorum, & facultatum à Sede Apostolica concessarum. Quare nisi præscripta forma resignationis seruetur, gratia nulla redditur, cum omnibus inde secutis. & ij, quibus concessa fuerat, fiunt inhabiles, & incapaces ad beneficia sic cessa quandocunque obtinenda. ideoque apprehensa possessio, & continuata ad annum, aut triennium iuxta regulam Cancellariæ, nihil in hac parte resignatario prodest. ob id ipso iure de eis disponet Papa.

Eiusdem GREGORII XIII.

Constitutionis 92. olim 106. editæ anno 1584. quæ incipit.

Sancta Mater.

EPITOME 136.

Iudæi statis diebus interfine Euangelicæ concioni, & eos ab hoc auertentes, etiam indirectè, Christiani excõmunicãtur.

PAtriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis præcipit §. 1. vt in suis ciuitatibus, & locis, in quibus competens aliquis numerus Iudæorum, qui Synagogam constituat, commorantur; cuirent Sabbato, vel alio cuiuscunque hebdomadæ die in loco, vbi sacra fieri non solẽt, haberi à Theologo ad eos sermonem, assignata illi congrua mercede ex ipsorũ Hæbræorum collatione, in quo illis exponantur Scripturæ veteris testamenti iuxta SS. Patrum interpretationes, ac disseratur de veritate Christianæ fidei, de certo Aduentu, & Incarnatione Filij Dei, &c.

§. 2. Ad quem singuli vtriusque sexus Iudæi maiores annis 12. conueniant, adeo vt saltem tertia eorum pars, nec vnquam minor, semper adsit, aliàs prohibeantur commercio

mercio fidelium, & puniantur pœnis arbitrariis.

§. 3. Si quis autem Christianus eos ab hoc auerterit, etiam indirectè, & impediuerit, excommunicationis sententia sit eo ipso ligatus, & aliis pœnis plectatur.

THEOREMA 352.

ETsi Iudæi compelli non possint, vt Christianam fidem recipiant, tum ex c. Iudæis.c.qui sincera.d.45. & c. sicut.cit.de Iudæis. tum ex S.Thom.2.2.quæst.10. art. 8.Rich.4.d.6.art.3. quæst.3.Palud. 4.d.4.q.4.art.3.Dur 4.d.4.quæst.6. Alens.p.4.quæst.8. m.7. art.2. §.1. Bonau.4. d. 4. art.2. qnæst. 1. Anton.p.2.c.2.tit.12.§.1. Soto. 4. d.5. quæst.1. art.10. Caiet. 2. 2. qnæst. 10. art. 8. Abulens. t. regul. c.8. quæst. 182. Syl. v.*Baptismus*.4.q.6. Valentia 2. 2. d. 1. quæst. 10. p. 6. Azor. p.1.l.8.c.24. Tum quia credere est actus voluntarius, quare non admittit vim, & coactionem, possunt tamen à Christianis Principibus, quibus subditi sunt, cogi ad audiendum Euangelium, seu prædicationem eius, licet oppositum senserit Sotus loco cit.concl. 2.& 3.& alij aliqui nobiles Theologi. Tum quia sententiam hanc, vt veriorem, defendunt Bannes 2. 2.quæst.10.art.10.dub.3.Azor.p.1. l.8. c. 24.q.3. & plures alij. Tum quia non idem Iuris est de audiendo, ac de credendo, cum audientes adhuc liberi maneant ad credendum. Tum quia cum dixerit Christus: *Ite, prædicate Euangelium.* consequenter obligauit Infideles ad audiendum, aliàs data potestas esset frustra. Tum vt hac ratione, si qui conuerti cupiunt, non possint à suis impediri, & mendaciis à fide auocari, vnde non illis auferetur libertas, sed confertur, adeo vt sit eis libetum, vtram velint religionem amplecti, iam de Christiana veritate, & Iudaica falsitate commoniti. Tum ex præsenti Cõstitutione Gregorij XIII. Nicolai III. num.1.quæ incipit. *Vineam Soreth.* & Pauli III. num.26. quæ incipit. *Cupientes,* qui iussernnt sacris huiusmodi disputationibus vtriusque sexus Iudæos maiores 12. annis, cum iam de sua salute, & veritate fidei deliberare valent, interesse, & audire veritatem de præterito aduẽtu Messię, Incarnatione Filij Dei, & Christiana religione, ita vt saltem tertia pars illorũ adsit, nisi fidelium cõmercio priuari, aliisque pœnis puniri velint. aliàs certè fœminarum, & adolescentium eorum esset pœnè salus desperata, & ob confictas à Rabinis de Chtistianorum rebus infinitas fabulas, & virorum, ac patrum reuerentiali timore præpeditorũ, nisi hæc vna daretur commoditas audiendi sincerè veritatem fidei. *Cum fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Illos autem Christiani ab huiusmodi auditione etiam indirectè auertentes, & impedientes, ipso facto excommunicarionem incurrunt aliis pœnis arbitrariis puniendi. & merito, cum id sit eos priuare optimo salutis illorũ medio, & imitentur Elymam magum conantem Act.13.à fide Proconsulẽ auerrere, cæcitate à D. Paulo percussum. Quod etiam Iudæis ipsis facere vetuit idem Gregorius Constit. 70. vt vidimus Epit.132. Salarium

autem Theologi iubet solui ex eorundem contributionibus, quippe cum huiusmodi labor eorum salutis causa suscipiatur, & dignus sit operarius mercede sua. Matth. 10. & ex toto Tit. de præbendis.

Eiusdem GREGORII XIII.

Constitutionis 93. olim 103. editæ anno 1584. quæ incipit.
Inter Apostolicas.

EPITOME 137.

Iurantes, & iurare facientes damnosa, illicita, contra libertatē Ecclesiæ, & Conc. Trident. excōmunicātur, suspenduntur, interdicuntur, & inhabilitantur, & priuātur vsu gratiæ, & solus Papa absoluit, & relaxat.

INNOVAT §. 2. Constitutionem Nicolai III. contra iurantes, vel iurare facientes, Prælatos, Canonicos, Officiales ciuitatum, &c. ante, vel post receptionem ad officia, illicita, impossibilia, damnosa, Ecclesiæque libertati, & decretis Concilij Tridentini aduersantia, & ea iuramenta nulla sunt.

Et §. 3. exigentes huiusmodi iuramenta, si sunt in Pontificali dignitate, suspenduntur à diuinis; si Capitula', & Conuentus, eorum Ecclesiæ, & loca omnia interdicuntur, & personæ singulares excommunicantur & inhabilitantur eo ipso ad obtenta, & obtinenda, & absolutio, ac relaxatio Papæ reseruatur.

§. 4. Qui verò scienter hæc iuramenta fecerint, eo ipso priuati sunt vsu, ac commodo rei, & gratiæ, cuius causa iurarunt, alij verò ignorantes non tenentur ad obseruationem præstiti iuramenti, irritumque est quicquid contigerit attentari in contrarium, non obstantibus, &c.

THEOREMA 353.

OLim in aliquibus Ecclesiis, & locis fuit abusus, & corruptela, ne Prælati, vel Canonici in iis admitterentur, nec ciuitatum, locotúmque Rectores, & Officiales ad officia reciperentur, nisi ante vel post receptionem iurarent, se dictarum Ecclesiarum, & locorum statuta, & consuetudines, scriptas, & non scriptas, & clausas seruaturos; in quibus interdum reperiebantur aliqua illicita, impossibilia, & contraria libertati Ecclesiasticæ, & Consilij Tridentini decretis. Quare ne sub generalitate huiusmodi iuramenti præberetur iurantibus occasio peccandi, cum iuramentum non fuerit institutum, vt esset iniquitatis vinculum. 22. quæst. 4. c. inter cætera. & c. quanto. extra. de Iureiur. & c. non est obligatorium. & c. in malis. de regul. Iuris. l. 6. & l. si quis Inquilinos. ff. de leg. 1. Gregorius XIII. hoc loco. §. 2. & Nicolaus III. de Iureiurando. c. 1. l. 6. declarant talia iuramenta quatenus mala contra libertatem Ecclesiæ, & Concilij decreta sunt, non ligare iurantes, & esse nulla.

Quod etiam ex Theologis docent. S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 2. Sotus lib. 8. de Iust. quæst. 1. art. 7. ad 2. Aragona 2. 2. quæst. 89. art. 7.

art.7. Valentia 2. 2. d. 6. quæſt.7. p 4.Gutieres de iuram.2.p.cap.72. Azor. p.1.l.11.cap.5.quæſt.1. Suarez. t. 2. de releg. tr. de iuram. l.2. cap.17. Sanchez l. 3. decal. cap.9. num.11. & ſeq. Rebell.p.2.l.1.q.9. Leſſius l. 2. cap.42. num. 20. Sayrus in claui regia l 5.cap.7.Couar. de pactis 1. p.§.6.num.6.& 7. Nau. cap.12. num.16. 17. & ideo Concilium Lateranenſe ſub Alexan. 3. vt habetur extra. *de his, quæ fiunt à mai. par. cap.* dixit,non iuramenta, ſed periuria potius dicenda eſſe, quæ contra vtilitatem Eccleſiæ, & SS. Patrum veniunt inſtituta. vt etiam dicitur in cap.ad noſtrum.3. & cap.ſicut noſtis.extra. de iureiurando.Rectéque conſulit Hoſtienſis, vt iurans ſic dicat, *Iuro ſeruare ſtatuta, & conſuetudines iuſtas, poſſibiles, & honeſtas, quæ de facto, & de iure ſeruari poterunt.* iuxta regulam iuris l. 6. nemo poteſt ad impoſſibile obligari.

Poſito tamen, iuramentum fieri in genere, fiat interpretatio iuramenti ſolum quoad licita,honeſta, & poſſibilia. ex dictis Gregorij XIII. & Nicolai III. conſtitutionibus, Gloſſa in cap. 1. *de his, quæ fiunt à mai. par. cap.* & Gloſſa dicti cap.1. de iureiur. l. 6. quæ affert ad hoc idem confirmandum. l. qui cum tutoribus.§.vltimo.ff.de tranſact. l. ſi Procurator. §.penultimo. ff. de condit. indeb. & l. conditiones, cum l. ſeq. ff. de cond. iuſtit. Nullas quoque & irritas huiuſmodi conſuetudines, & ſtatuta, ac ordinationes contra libertatem Eccleſiaſticam, & ex Capitularibus delendas, decreuit Imp. Federicus II. in 2. lege Parauina approbata ab Honorio III. cap. nouerit, de ſententia excommunicationis, vt vidimus Theor. 15.

THEOREMA 354.

QVoad pœnas verò tranſgreſſorum tam exigentium tale iuramentum, quàm præſtantium, ſtatuit Gregorius §.3. vt ſi exigentes ſint in Pontificia dignitate, ſint à diuinis ſuſpenſi; ſi priuatæ perſonæ, ſint excommunicatæ, & inhabiles ad obtenta, & obtinenda; ſi vniuerſitates, conuentus, ciuitates, loca, ſint Eccleſiæ omnes eorum interdictæ, reſeruatis abſolutione & relaxatione ſuſpenſionis, & interdicti, Papæ.

Præſtantes verò tale iuramentum, ſi ſcienter præſtiterint, præter graue peccatum, quod contrahunt, vt in communi docent Sotus 3. d.39. quæſt.vn. art.3. l.8. de Iuſt. q.2. art.3. concl.3. Caiet. 2.2. q.98. art.2.& in ſum. v.periurium. cap.2. Couar. de pact. p.1.§.6.n.6. Val. 2.2.d.6. q.7. p.3. Sanchez l.3. cap.4. num.26. Suarez t.2. de rel. l.3.cap.19. Leſſius l.2.cap.42.n.18. Tum quia cum ſic iurantes teneantur effiecre contrarium, perinde eſt, ac ſi falſum iurarent; tum quia magnam Deo irrogant iniuriam afferendo Deum in teſtem faciendi, quod eius legi contrarium eſt. præter, inquam, peccatum, quod committunt, vt punianrur in quo delinquunr,priuantur §.4. ipſo facto vſu, ac commodo rei, & gratiæ, ob quam iurarunt; ſi ignoranter, non tenentur ſeruare iurata. cap. quanto. extra de iureiur. & cap.1. l.6. eodem tit. cum non ſint ſeruanda, quæ vergunt in præiudicium animæ, & diſpendium æternæ ſaluris. cap.2. de pactis lib.6. & cap. ſi verò.extra de iureiur. cum nemo poſſit obligari

gati ad peccatum, quippe cum id implicet contradictionem. & declaratur irritum quicquid fuerit in contrarium attentatum.

SIXTI V.

Constitutionis 6. editæ anno 1585. quæ incipit. Hoc nostri.

EPITOME 138.

Fauentes bannitis, & facinorosis hominibus, sunt rei læsæ Maiestatis, rebelles, priuati omnibus feudis, officiis, honoribus, iuribus, &c.

INNOVAT §. 1 omnes, & singulas Constitutiones Prædecessorum, cum omnibus, & singulis in eis contentis, quæ his non aduersantur, excepta excommunicationis sententia per easdem Constitutiones promulgata contra transgressores, quam ne animarum perniciem potius, quàm salutē afferat, tollendam ducit.

§. 2. Mandat Baronibus sub pœna 5000. aureorum, Communitatibus 2000. & Vniuersitatibus 1000. ipso facto incurrenda, præter alia in prædictorum Constitutionibus contenta, vt teneant exquisitissima diligentia territoria libera à Bannitis, & similibus facinorosis hominibus, etiam nondum condemnatis, quos S. R. E. rebelles, & publicos hostes declarat.

§. 3. Qui si ad dicta loca declinauerint, studeant illos capere, captósque tradant Pontificiis officialibus. nequeuntes autem capere ad Campanæ pulsum concitato populo ac Communitatibus, & Dominis circūuicinis persequantur, & profligent.

§. 4 Nullæque cauillosæ excusationes in posterum prædictis Communitatibus, & populis suffragentur.

§. 5. Particulares verò personæ armatæ accurrant contra bannitos sub pœna 500. ducatorum aliisque corporalibus, etiam vltimi supplicij, conatúmque omnem adhibeant in persequendis, capiendis, profligandis hisce nefariis.

§. 6. Sub iisdem pœnis tam in vrbe, quàm extra nemo se opponat iustitiæ ministris, & executoribus, sed omnes eis egentibus in præmissis auxilio, opem ferant.

§. 7. Si huiusmodi perduelliones furtum, latrocinium, damna commiserint in ciuitatibus, terris, oppidis, dominiis, locis, territoriis, & impunè euaserint; Barones, Cōmunitates, loca, in quibus perpetrata fuerint, teneantur parti læsæ, & hæredibus resarcire damna, & tantundem etiam soluere Cameræ.

§. 8. Duces, Principes, Marchiones, Officiales, & alij cuiuscumque dignitatis etiam

Ecclesia

Eccleſiaſticæ, & gradus, ſexus, & ætatis maiores annis 15. S. R. Eccl. mediatè, vel immediatè in temporalibus ſubiecti, dominia, iuriſdictiones, & loca, etiam extra ſtatum prædictum obtinentes, qui prædictos perduelliones, & nefarios homines in ſuis terris, dominiis, domibus, tam in ipſo ſtatu, quàm extra conſiſtẽtibus, receptauerint, vel fouerint, vel id fieri permiſerint, vel impedierint, ne caperentur, vel liberauerint captos, carceres fregerint, inuaſerint, aut violentè tentauerint, vel ad hoc arma, aut homines miniſtrauerint, vel auxilium, conſilium, fauorem, publicè, vel occultè, per ſe, vel alios præſtiterint, vel præſtare permiſerint, iuſtitiæ miniſtros perterrefecerint, violauerint, impediuerint, vel conclamauerint ad arma, alióſue concitauerint, aut facientibus fauerint, vel alicuius Magnatis nomen auxilij cauſa aduerſus iuſtitiæ miniſtros inuocauerint, ſeu Franchiſias appellarint (contra quos etiam innouat conſtitutionem 12. Gregorij XIII. quæ incipit. *Et ipſa ratio.*) læſæ Maieſtatis reatum, & S. R. Eccl. rebellionis incurrant, omnibúſque priuilegiis, gratiis, libertatibus, indultis, exemptionibus, immunitatibus realibus, & perſonalibus, Ducatibus, Marchionatibus, Comitatibus, Ciuitatibus, caſtris, dignitatibus, etiam Eccleſiaſticis honoribus, iuribus, officiis, penſionibus, beneficiis, fructibus Eccleſiaſticis, reliquíſque immobilibus, mobilibus, & ſe mouentibus bonis, iuribus, & actionibus eo ipſo priuantur. Ipſique & filij eorũ ad illa, & alia in poſterum obtinenda, & ad quoſcũque actus legitimos exercendos, redduntur inhabiles, & indigni, perpetuíque exilij à toto ſtatu Eccleſiaſtico vna cum familiis pœna damnantur; arces, domus, ędificia, ſolo æquentur, & Cameræ Apoſtolicæ bona incorporentur. Nec vllius vnquam dignitatis Eccleſiaſticæ, vel mundanæ, eis portæ patere poſſint. Eorum ſubditi liberantur à fidelitatis iuramento, & feuda, ac ſtatus, tanquam finita linea, & deuoluta ad Cameram confiſcantur: fideicommiſſa, ſubſtitutiones, & aliæ diſpoſitiones ſub quacumque verborum forma, ad hoc, vt durante vita delinquentis, fructus bonorum in vſum dictæ Cameræ deueniant, tolluntur, & abrogantur.

§. 9. Eaſdem pœnas incurrant Communitates, & Vniuerſita

uersitates, si eosdem facinorosos receptauerint, tolerauerint, cibis, cõmeatu, auxilio, consilio, vel quomodolibet iuuerint.

§. 10. & 11. Particularibus personis, qui prædictos nefarios non possunt capere, præcipit, vt eos illico propalent, & Officiales, ac populos conuocent, & vicinos, vt non possint euadere. Nec non & scientibus, aliquem in his culpabilem, vt intra tres dies reuelent, sub pœna arbitraria iudici etiam vsque ad mortem inclusiuè.

§. 13. Reuocat omnia priuilegia de recipiendis, & non consignandis talibus facinorosis.

§. 14. Neque receptores, & fautores excusentur prætextu agnationis, aut consanguinitatis ab huiusmodi pœnis incurrendis.

THEOREMA 355.

SIxtus V. in præsenti constitutione §. 1. innouat pœnas latas (excepta excommunicatione) in Prædecessorum constitutionibus contra bannitos, eorúmque complices fautores, & receptatores in terris mediatè, vel immediatè subiectis iurisdictioni temporali Romanæ Ecclesiæ, cuiusmodi est Pij II. num. 8. quæ incipit. *Ad retinendã*, vbi prohibentur, etiam habita pace, ab Officialibus status Ecclesiastici habere remissionem, vel saluum conductum, etiam per diem vnum, vel noctem, iubentúrque abesse à loco delicti per 50. milliaria; & si quando fuerint remissionem consecuti, non posse tamen obtinere in locis, in quibus fuerant banniti officia, vel dignitates, sed semper futuros infames, & suspensos, inhabiles ad testimonium ferendum, ad exercendum officium rabellionarus, iudicis, cæteróque actus legitimos, inualidáque futura quęcumque fuerint in contrarium atrentata, & tam ipsi, quam eligentes incurrunt mulctam 500. ducatorum. Itemque Pauli II. num. 4. quæ incipit. *Viros*. Innoc. VIII. num. 14. cuius initium est. *Licet*. Iulij II. num. 6. *Cum homines*. Leonis X. num. 36. *Omnes*, Clementis VII. num. 10. *In sancta*, Iulij III. num. 17. *Cum ciuitates*. Pauli IV. num. 27. *In eminenti*. Pij V. num. 10. *ex superna*. Gregorij XIII. num. 65. *Tanta*. & aliæ. Videatur Sayrus, l. 3. cap. 31. num. 16. 17.

THEOREMA 356.

DEinde §. 2. & 7. præcipit Barones, Ciuitates, & Vniuersitates quàm diligentissimè custodire territoria ab his facinorosis, & perditis hominibus, siue iam condemnati sint, siue nondum, sub præscripta pecuniaria pœna, & aliis (excepta excommunicatione) in prædecessorum constitutionibus decretis, & satisfactione damnorum, si quæ ab his perditis in territorio data fuerint, & pari mulcta pecuniaria applicanda Camerę, ex §. 7. si prædicti banniti impunè euaserint, de qua re Farin. t. 2. prax. crimin. quæst. 24. n. 198.

ob-

ob præſumptam conniuentiam, & fauorem. Ideo in multis Italiæ locis, eorum ſtatutis conſtitutum eſt, vt datum damnum in ciuitate, caſtro, loco, villa reſarciatur ab incolis, quod ab iis datum præſumatur. ex Bartolo in l. dominus horreorum. ff. locati. in l. ſi ita. §. vltimo. ff. de fundo inſtructo inſtrum. leg. & l. 2. ff. de vi publ. Tiraquell. tr. de pœnis legum. & c. cauſa. 23. num. 11. Socin. ſen. conſil. 54. n. 12. lib. 3. Calcaneo. conſil. 39. & 63. Grammet. in conſil. 22. Cepolla conſil. 18. num. 23. Pariſio conſil. 158. num. 7. lib. 4. Quod etiam habetur apud Ariſtotelem lib. admirabilium. cap. 79. his verbis: *Ex Italia viam eſſe ad vſque Celtas, Gallos, & Celtiberos Heracleam vocatam, in qua Graci, & indigenæ tranſeuntes ab incolis obſeruantur, ne quid forte mali accidat: Nam & ij pœnas pendunt, damnumq; lege ſarciunt, in quorum finibus datum fuerit.*

Declarat verò ibidem Pontifex, hos facinoroſos, vulgò Fornſciti, rebelles, & publicos hoſtes S. R. E. Rebellis autem opponitur fideli, cum fidem datam ei, cui ſubditus eſt, non ſeruet, vt docet Bartolus in Conſtitutione Henrici VII. qui ſint rebelles. & Gigas lib. 1. de crim. læſæ maieſt. q. 25. & antiquitus Perduelles, ſeu Perduelliones dicebantur, quod parati ſint ad pugnam, & duellum contra Principem ſuum, & in eum arripiant arma, ex Giga loco cit. q. 27. Quare etiam efficiuntur hoſtes publici S. R. E. qui ſcilicet ei, aut quibus ipſa bellum decernit, ex l. 118. ff. de verb. ſig. & l. 24. ff. de captiu. ideo impune offendi poſſunt. ſtatutū enim permittens quemquam impunè offendi, cenſetur ei bellum indicere, cúmque eſſe rebellem, & hoſtem, ex Bartolo in cit. Conſtitutione. Qui ſint rebelles. in verbo. *rebellando.* num. 22. Menochio l. 5. de præſumpt. præſump. 45. num. 8. Baldo in l. 1. num. 21. Cód. de hæred. inſtit. Anchárano & Imola in c. 2. de teſtam. Tuſco v. banniti. concl. 19.

Quia verò hoſtis patriæ gaudere non debet priuilegiis, & beneficiis patriæ. l. amiſſione. §. qui deficiunt. ff. de capit. diminut. cum non ſit præſumendum patriam velle in hoſtem, & rebellem ſibi odioſum conferre beneficium. l. Lucius. §. Lucius Titius de leg. 2. cenſetur etiam talis bannitus hoſtis declâratus, priuatus commodis, & beneficiis ciuitatis, à qua bannitus eſt; vnde non poterit teſtari, alióſque actus legitimos exercere, ſecundum ſtatuta ciuitatis, à qua bannitus eſt. ex Menoch. loco cit. num. 3. 4. & ſeqq. Claro. §. teſtamentum. quæſt. 19. Bartolo. in l. eius qui. §. 1. ff. de teſtam.

THEOREMA 357.

STatuuntur §. 5. 6. 8. & ſeq. pœnæ in receptatores, conſulentes, fauentes, anxiliantes bannitis per ſe, vel per alios, publicè, vel occultè, & fieri permittentes, vel non impedientes, quas extendit etiam ad reſiſtentes miniſtris iuſtitiæ, vel eos perterrefacientes, de quibus Menoch. l. 2. de arb. c. 583. & Farinacius t. 2. prax. crim. q. 32. vel eorum è manibus aliquem extrahentes, aut facientes aufugere; quod etiam facere monachos vetuit Arcadius, & Honorius in l. additos de Epiſc. aud. Videndus Roder. t. 2. quæſt. 33. art. 3. aut vio-

lantes carceres, aut conclamantes ad arma, aut appellantes Franchisias, &c. cuiuscumque sint dignitatis, etiam Ecclesiasticæ, & gradus, sexus, ætatis, maiores annis 14. mediate, vel immediatè subiectos temporali iurisdictioni S.R.E. tam in ipso statu, quàm extra, obtinentes dominia, loca, & iurisdictiones.

Porrò in additionibus ad decisionem. 61. Romanæ Rotæ, littera E. declaratum est, per mediatè subiectos non intelligi eos, in quos sunt maiora feuda alienata, vt Ducatus Vrbini, Parmæ & Placentiæ, Neapolis, & Siciliæ regna. Et §. vltimo negat admittendam excusationem, etiam prætextu affinitatis, vel consanguinitatis receptatoribus, aut fautoribus horum perduellium. receptio enim eorum, inter quos nulla est affinitas vel vel consanguinitas, iam ante hanc bullam, indicium, & præsumptio erat recipientem scienter delinquentem, delictum fieri mandasse, vel certè eius fuisse conscium. vt docet Menochius lib. 1. de præsumpt. quæst. 89. num. 108. cum Gandino tr. de Maleficiis, in Rubr. de indiciis dubit. ad torturam. Bonifacio de Vitalinis in tract. maleficiorum. in Rub. de indiciis n. 35. Paride Puteo. tr. de Syndicatu. in verb. Tortura. 3. Angelo Aretino tr. de maleficiis in verb. fama publica. & Iacobo Nouell. in pract. Crim. tr. ad defensam. num. 94. Denique hoc etiam loco moneo, iussu Clementis Octaui anno 1601. promulgatum fuisse edictum Congregationis super Regulares, de non retinendis in locis Ecclesiasticis, in Italia tamen, Bannitis, & decoctoribus; idque regularibus quidem, sub pœna priuationis officiorum, cæteris verò Ecclesiasticis sub pœna suspensionis. Similium litterarum scriptarum à Card. de Flor. ad Neap. Nuncium nomine Clem. VIII. meminit Farin. de Imm. Eccl. cap. 3. num. 57. & 64. & Mar. Italia l. 1. de Imm. Eccl. c. 5. & referuntur cum aliis ad Bononienses ab eodem Farinacio, loco cit. num. 348. 349.

EIVSDEM SIXTI V.

Constitutionis 15. olim 17. editæ anno 1585. quæ incipit. Romanus Pontifex.

EPITOME 139.

DECERNIT §. 3. vt omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi & Episcopi, etiam si Cardinales sint; antequam consecrentur, vel si sint consecrati, antequam pallium accipiant, aut si ad aliam Ecclesiam transferantur, antequam se immisceant regimini illius, si sint in Curia Romana, in manibus Cardinalis Diaconi, ordine prioris; si absentes, in manibus Antistitis, delegari à Sede Apostolica ad impendendum munus pædictum, aut ad tradendum pallium, iurent iuxta formam Cancellariæ Apostolicæ personaliter statutis temporibus, se visitaturos limina Apostolorum, & reddituros rationem de toto pastorali

Visitãda à Prælatis certis temporibus Apostolorũ limina. Suspensio ab ingressu Ecclesiæ, administratione quę spirituali, & tẽporali, & perceptione fructuũ.

ſtorali eorum officio, déque rebus omnibus ad ſtatum Eccleſiarum, quibus præſunt, ad Cleri, & populi diſciplinam, & animarum, quæ illorum fidei ſunt creditæ, ſalutem pertinentibus: Ac Apoſtolica mandata humiliter excepturos, & quàm diligentiſſimè executuros.

§.4. Vel ſi legitimo impedimento detenti fuerint, ſe id facturos per nũcium ad id habentem ſpeciale mandatum, de gremio Capituli, aut alium in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutum; aut ſi talem non habeant, per Diœceſanum ſacerdotem, & ſi careant clero omnino per alium aliquem presbyterum ſæcularem, aut regularem ſpectatæ probitatis, & religionis, de prædictis omnibus planè inſtructum. déque huiuſmodi impedimento debeant docere per legitimas probationes ad dictũ primum Diaconum per ſuprà dictum nuncium, tranſmittendas.

§. 5. Et tunc poſſẽt Principes temporales per Epiſcopum, aut nuncium ſua negotia cum Sede Apoſtolica tractare.

§.6. Porrò qui ſunt in Italia, aut eius inſulis, veluti Siculi, Sardi, Corſi, & alij adiacentium prouinciarum Italiæ, ac etiam Dalmatiæ, & Græcorum è regione Italiæ, & Siciliæ, tertio quoque anno; Germani verò, Galli, Hiſpani, Belgæ, Boëmi, Vngari, Poloni, Angli, Scoti, Hiberni, & cæteri omnes, qui in Europa ſunt citra mare Germanicum, & Balticum, ac omnium inſularũ maris mediterranei, quarto anno. Et qui intra Europæ fines ſunt, his prouinciis remotiores, ac etiam Africani littoris noſtri aduerſi, ac inſularum Oceani Septentrionalis, & Occidentalis Europæ, & Africæ citra continentẽ noui Orbis, quinto anno. Aſiani verò, & cæteri omnes, decimo anno. & nouus Prælatus annos numerare debet ab vltima viſitatione ſui Prædeceſſoris.

§.7.& 8. Inobedientes autem ipſo facto ſuſpendit ab ingreſſu Eccleſiæ, adminiſtratione ſpirituali, & temporali, perceptionéque fructuum, quos interim Capitulum ſine mora exigat, & expendat in fabricam, vel ornamenta Eccleſiæ, prout exiget maior neceſſitas. & tandiu ſint ſuſpenſi, donec à Sede Apoſtolica obtineant relaxationem.

THEOREMA 358.

ANtiquiſſimus mos eſt inuiſendi religionis gratia ex to-

to Chriſtiano orbe limina SS. Petri, & Pauli. Quare etiam perſecutionis tempore ſub Claudio iuniore ex Perſide Romam ad ea viſitanda venerunt Marius, Martha, Audifex; ſub Numeriano ex Africa Maurus, & alij, vt ex Martyrologio Romano, illorum actis, Surio, Baronio, & aliis conſtat. & multo magis Eccleſiæ pace reddita, adeo vt non tantum Prælati, & Eccleſiaſticæ perſonæ, & fideles priuati, ſed etiam Imperatores, & Reges ipſi ad veneranda Apoſtolorum Petri, & Pauli ſepulchra humiliter accederẽt. vt teſtis eſt D. Auguſtinus ſerm. 28. de ſanctis, vbi inquit, *Nunc ad memoriam Piſcatoris flectunt genua Imperatores; ibi raduant gemmæ diadematis, vbi fulgent beneficia Piſcatoris.* & epiſt. 42. *Videtis & imperij nobiliſſimi eminentiſſimum culmen, & ſepulchrorum Piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare.* & D. Chryſoſtomus in 2. ad Cor. hom. 26. *Seruorum Chriſti ſplendida ſunt ſepulchra, quæ vrbem maximè Regiam occuparunt, & dies perſpicui ſunt: diem feſtum terrarum orbi facientes, non ædificiorum amplitudine, & ſplendore* (hac enim parte excellunt) *ſed quod amplius eſt conuenientium ſtudio. Nam & ipſe ille purpura indutus peregrè proficiſcitur ſepulchra illa complexurus, & faſtu depoſito contingit ſanctos, rogans, vt ſibi apud Deum patrocinentur: & tabernaculorum opificem, & piſcatorem patronos etiam mortuos deprecatur, diadema geſtans.* & in homilia. quod Chriſtus ſit Deus. *Relictis omnibus ad ſepulchra Piſcatoris. & Pellionis currunt & Reges, & Præſides, & milites. & Conſtantinopoli Reges noſtri magnam gratiam putant, ſi non prope Apoſtolos, ſed ſi vel extra eorum veſtibula, corpora ſua ſepeliantur, fiantq; Piſcatorum oſtiarij Reges.* Ibidem plurima ſolita patrari miracula ſignificat Hermetis nutrix in actis S. Alexandri Papæ apud Surium die 3. Maij, cum ait. *Tu ſi ad limina Petri duxiſſes eum, & Chriſto credidiſſes, hodie filium tuum haberes incolumem.* Videatur etiam S. Paulinus Nolanus epiſt. 13. & 16. de huiuſmodi conſuetudine, & infra Tiberem. 419.

THEOREMA 359.

Ecclesiæ igitur paſtores Apoſtolicæ ordinationi ſubiectos, adſtrictos fuiſſe viſitare certis temporibus eadem ſacroſancta limina, etiam ante Anacletum, perſpicuum eſt, ex cap. iuxta. d. 93. quod ita habet. *Iuxta ſanctorum Patrum, & Canonum inſtituta, omnes Epiſcopi, qui huius Apoſtolicæ ſedis ordinationi ſubiacent, qui propinqui ſunt, annuè, circa Idus Maij Sanctorum Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli liminibus præſententur, omni occaſione ſepoſita: qui verò de longinquo iuxta chirographum ſuum impleant. qui autem huius Conſtitutionis contemptor extiterit, præterquam ſi agritudine detentus fuerit, ſciat ſe Canonicis ſubiacere ſententijs.* In forma quoque iuramenti, quod Epiſcopi, à Papa promoti ei præſtabant, præſcripta à S. Gregorio extra. de iureiur. cap. Ego. §. 7. ita ſcriptum eſt. *Apoſtolorum limina ſingulis annis, aut per me, aut per certum nuncium viſitabo, niſi eorum* (ſucceſſoribus Petri) *abſoluar licentia. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Euangelia.*

Quare etiã videmus anno 723. Gregorium II. certiorem factum de progreſſibus Euangelicæ prædicatio

dicationis S. Bonifacij, illum Romam vocasse ad Apostolorum limina. & ab eo post confessionem rectæ fidei præstitum Iuramentum, ab omnibus ordinatis Episcopis præstari consuerum, de obedientia Romanis Pontificibus exhibenda, & omni sacræ fidei traditione exactè obseruanda. Et Gregorius VII. ànno 1081. reprehendit Archiepiscopum Rothomagensem, quod distulisset inuisere sacra limina Apostolorum, *cum tamen* (vt ait) *ab ipsius mundi finibus etiam gentes nouiter ad fidem conuersæ, tam mulieres, quàm viri, studerent annuè ad ea venire.* Eadémque de causa eodem anno corripuit Lanfrancum Archiepiscopum Cantuariæ, quod etsi inuitatus distulisset Romam ad eadem Apostolorum limina accedere: cum multi longè remoti licet inualidi, & infirmi, & à lectulis vix valentes surgere, ad eadem limina vehiculis properarent. Quare decreuit, vt si intra quatuor mẽses Romam non accederet, suspensus esset ab officio Episcopali. Videatur etiam c.4.extra. de electione, & Concilium Romanum Generale in causa Henrici Imperatoris celebratum à Paschali anno 1102.

Sixtus igitur V. in præsenti Constitutione rectè statuit Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos statutis temporibus teneri ex Iuramento iuxta formam Cancellariæ initio suarum assumptionũ præstito accedere ad Apostolorum limina, & reddere successoribus D. Petri rationem suæ administrationis, & suarum Ecclesiarum status, nec non recipere à Sancta Sede cęterarum omniũ matre, ac magistra, mandata, vt exigit obedientiæ ratio, quæ à cæteris illi debetur, cáque quam diligentissimè executioni mandare, iuxta c. sic omnes. cum tribus seqq. dist. 19. vt hoc modo inter caput, & membra reliqua legitima, & debita subordinatio, & fides Catholica in toto Ecclesiæ corpore seruetur incorrupta. rectè si quidem scriptum est ab Irenæo l.3.c.3. *ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vbique fideles: in qua semper ab iis, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* Et ab Anacleto epist.3.c.3. & habetur.c. sacrosancta d. 22. *Hæc verò Apostolica Sedes cardo, & caput* (vt prætactum est) *omnium Ecclesiarum à Domino, & non ab alio est constituta; & sicut cardine ostium regitur, sic huius Sanctæ Sedis auctoritate omnes Ecclesiæ Domino disponente reguntur.* Id verò per se ipsos cessante legitimo impedimento facere tenentur, quod si non possunt, facient, ex §. 4. per idoneum nunciũ, vt præcipitur étiam de Iureiurando. c. Ego. & c. iuxta. iuncta Glossa d. 93. Et quidem, quicquid antea seruaretur, cum nõ semper seruatum sit idem temporis interstitium, Itali, & proximè Siculi, Sardæ, Corsi, Dalmatæ, Græci è regione Italiæ ex § 6. tertio quoque anno inuisent. facile enim, nec longum, nec periculosum iter conficere possunt, quanquam Siculis D. Gregorius indulserit, vt non tertio quolibet anno, vt antea consueuerant, sed solum quinto, inuiserent: Germani, Vngari, Galli, Hispani, Angli, Scoti, Hiberni, quarto: Qui remotiores Europæ partes habitant, litus Mediterraneum Africanum, Insu-

las Oceani Septentrionalis vltra mare Germanicum,& Balticum,& Occidentales citra continentem noui Orbis, quinto: Asiani,& cæteri remotiores, decimo. Ita tamen vt anni ab vltima visitatione prædecessoris computentur à nouo Prælato innumero. aliàs enim nimis diuturnum interstitium ob præcedentem mortem, aut alium casum intercedere posset, inter vnam, & alteram visitationem, quod perquàm damnosum esset Ecclesiis. Et nisi id faciant, incidunt in statutas §. 7. & 8. censuras, & pœnas. vt sint reliquis documento, & magnitudine pœnæ perterreantur cæteri, iuxta sensum Platonis in Gorgia, Cæsaris lib. 6. de bello Gallico, Senecæ lib. 1. de ira, & Gellij l. 6. c. 14. Vt etiam Gregorius VII. Lanfrancum Archiepiscopum Cantuariensem ab Episcopali officio suspendit, ni intra quatuor menses veniret, vt diximus.

EIVSDEM SIXTI V.

Constitutionis 17. olim 21. editæ anno 1585. quæ incipit.

Cœli, & terræ.

EPITOME 140.

Astrologi iudiciarij subiiciũtur punitioni Inquisitorum, & scripta huiusmodi prohibẽtur subcensura Indicis.

ORDINARIOS, & Inquisitores iubet §. 3. procedere, & canonicis, atque aliis arbitrariis pœnis punire Astrologos, Mathematicos, atque alios quoscunque Astrologiam iudiciariam (præterquam circa agriculturam, nauigationem, & medicinam) exercentes, & facientes iudicia, & natiuitates, quibus de futuris contingentibus successibus, casibus fortuitis, & actionibus ex humana voluntate pendentibus affirmant aliquid euenturum, etiam si protestentur se id non certò affirmare. Similiter eos, qui huiusmodi diuinandi artes docent, aut discunt, eosque, qui illicitas diuinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, præmissaque scelera faciunt (nempe Hydromantiæ, Pyromantiæ, Negromantiæ) ad inueniendos Thesauros, & facinora perpetranda, vel adhibitis circulis, diabolicis characteribus, candelis,&c. vel in eis se quomodolibet intromittunt.

§. 4. Prohibet quoque omnes, & singulos libros, & tractatus huiusmodi Iudiciariæ Astrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, artis Magicæ, vel in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, & superstitiones cõtinentur, sub pœnis, & censuris Indicis, legi, aut quomolibet retineri, sed vult eos Ordinariis, aut Inquisitoribus consignari non obstantibus,&c.

THEO

THEOREMA 360.

DAmnat hoc loco Sixtus Genethliacos, eorúmque doctrinam, de futuris euentibus, & fortuitis casibus prædictiones, vtpote vanas, & falsas, improborúmque hominum ad consulentium euacuanda marsupia, ex Clemente Alexandrino l. 10. in Iulianum, & Phauorino apud Gellium l. 14. c. 1. astutia, & fraudibus dæmonum introductas, vt miseros homines auertant à salutis via, & laqueo damnationis inuoluant.

1 Neque id nouum est. Etenim & diuino iure pestis hæc damnata est, Isaiæ. c. 47. *Stent, & saluent te augures cœli, qui contemplantur sydera, & supputant mensis, & ex eis annunciant ventura tibi*, &c. Ieremiæ c. 10. *iuxta vias gentium nolite discedere, & à signis cœli nolite timere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt.* Et Ætorum 19. libri, qui ad curiositatem geniturarum, teste D. Aug. in Psal. 61. Chrys. Beda, OEcumenio ibidem, pertinebant, combusti sunt.

2 Et iure Canonico. 26. quæst. 2. c. illud. c. illos planetarios. c. sed & illud. & quæst. 3. c. igitur. quæst. 5. c. si quis Episcopus. c. Augustiis. & de sortilegis. c. 1. vbi dicitur. *Nec diuinationes aliquas in aliquibus rebus quis obseruare præsumat, qui autem contra fecerit, 40. dies pœniteat.* & c. 2. presbyter, qui per inspectionem astrolabij, furtum inquisierat, per annum suspensus est à diuinis. Concil. Tolet. 1. c. vltim. *Si quis Astrologiæ, vel mathesi credendum esse duxerit, Anathema sit.* Concil. Bracarensi. 1. c. 9. *Si quis animas, & corpora humana fatali signo credit adstringi, sicut Pagani, & Priscillianistæ dixerunt, anathema sit. Si quis* 12. *signa, quæ Mathematici obseruare solent per singula animæ, vel corporis membra esse disposita, credit, anathema sit.* In Indice librorum prohibitorum Concil. Tridentini regula 9. Concilio Mediolanensi sub D. Carolo. p. 1. Alexandro IV. bulla 12. §. 4. Innoc. VIII. bulla 1. Leone X. bulla 7. §. 41. Adriano VI. bulla 2. Et à Patribus communi consensu, 3 Tertuliano. l. 2. de Idololatria, Taciano in oratione contra gentes, Eusebio. l. 14. c. 4. de præpar. & apud eundem. l. 6. cap. 9. Origene, Epiphanio, qui lib. de ponderibus. ait Aquilam Ponticum eruditione interpretandi diuinam scripturam celebrem ab Ecclesia eiectũ, quod geniturarum interpretationibus, & natiuitatum horoscopis vacaret, Lactantio lib. 2. diuin. Instit. c. 17. Cyrillo Alexandrino. l. 10. in Iulian. Hieronymo l. 2. in Ieremiam. c. 10. Ambr. l. 4. in Hexam. c. 4. Aug. l. 2. de Genesi ad litt. c. 17. l. 4. confess. c. 3. l. 7. c. 6. l. 2. de doctr. Christ. c. 19. 20. 21. l. 5. de ciuit. c. 5. & seq. l. 83. qq. q. 45. & in Psal. 61. Chry. hom. 2. ad. c. 2. D. Matt. Greg. hom. 2. in c. 5. D. Matt. Et Theologis scholasticis. S. Thom. 1. p. q. 115. 1. 2. quæst. 9. art. 5. 2. 2. quæst. 95. l. 3. contra gent. c. 92. l. 3. de anima. tex. 150. & opusc. 26. de Iudiciis astrorum, Scoto. 2. sent. d. 19. quæst. 3. Bonan. 2. d. 14. art. 4. quæst. 3. Richar. ibidem art. 3. quæst. 5. Michael Medin. l. 2. de recta in Deum fide. Suarez 1. 2. de superstit. c. 11. & disput. metaphy. 35. quæst. 4. Molina 1. p. quæst. 57. art. 3. Azor tr. 1. l. 9. c. 13. & seq. Tolet. l. 4 c. 14. 15. 16. Pereria, de Magia toto l. 3. præsertim c. 2. Salas 1. 2. quæst. 9. art. 5. Valentia. 2. 2. d. 6. quæst. 12. puncto 3. Fonseca l. 6. Metaphy. c. 2. quæst. 4

2. quæſt. 1. Vaſquez. d. 207. Martino del Rio l. 1. c. 3. quæſt. 1. l. 4. c. 3. quæſt. 1. Sanchez l. 2. in decal. c. 38. 40. & ſeq. Leſſio l. 2. c. 43. dub. 6. Alexand. de Angelis totis quinque libris in Aſtrologos, & aliis pluribus. 5. Et ll. ciuilibus l. artem. Cod. de Malef. & Math. vbi dicitur. *ars autem Mathematica damnabilis eſt, & interdicta omnino.* l. Nemo. ibid. *ſileat* (ait) *omnino perpetuo diuinandi curioſitas, etenim ſupplicio capitis feretur gladio vltore proſtratus, quicunque iuſſis veſtris obſequium denegarit.* Et in Cod. Theodoſiano ſub tit. de ſacrif. Pagan. ita ſtatuitur. *Ne quis mortalium ita faciendi ſacrificium ſumat audaciam, vt inſpectione tecoris, extorumque præſagio, vana ſpem promiſſionis accipiat: vel, quod eſt deterius, futura ſub execrabili conſultatione cognoſcat: acerbior enim cruciatus imminebit ei, qui contra vetitum præſentium, vel futurarum rerum explorare tentauerit veritatem.* & Auguſti tempore, vt docet Dio. Caſſius. l. 49. Aſtrologi, & Præſtigiatores vrbe expulſi ſunt. annoque 12. Claudij Imp. factum eſt ſenatuſconſultum de eiſdem Mathematicis tota Italia pellendis, vt ſæpè aliàs contigit. *Humana enim curioſitas*, vt ait Tacitus. l. 12. *agebat, vt quos Imperatorum ſæpius exagitabant edicta, idem reuocarentur in vrbem.* His decretis, & legibus 6. ſubſcripſerũt vtriuſque Iuris prudentiſſimi, vt Abbas, Ancharanus, Io. And. extra c. 1. & 2. de ſortileg. Turrecremata in c. illos planetarios. 26. q. 2. Baldus, Salycetus, & alij in l. citata, Artem. & l. Nemo. Paulus Grilland. tr. de ſortileg. q. 11. Proſper Farinacius to. 1. prax. crim. quæſt. 20. num. 108. & ſeqq. Nau. in select. cap. Nouit. de Iudiciis. num. 16. vbi eos, vt peſtilentes homines fugandos ſcribit. Et 7. ex Philoſophis Socrates apud Euſebium. l. 14. c. 4. Marcus Tullius l. 2. de diuinat. Panetius ibidem. Bardeſanes Syrus apud Euſebium l. 6. c. 8. Phauorinus apud Gellium. l. 14. c. 1. Marſil. Ficinus in Plotinum, Petr. Crinit. l. 8. c. 9. de honeſt. diſcip. Picus Mirandulanus libris 12. in Aſtrologos. & alij innumeri. Et damnat ipſa ratio. 8. Tum quia inutilis eſt diuinatio 1. hæc, vt argumentatur apud Gellium Phauorinus. *Aut enim aduerſa ventura docent diuinatores aut proſpera; ſi proſpera, & fallunt, miſer fies fruſtra ſperando; ſi aduerſa, & mentiuntur, miſer fies fruſtra timendo: ſi vera reſpondent, quæ non ſunt proſpera, iam inde ex animo miſer fies, antequam è fato fias; ſi felicia promittunt ea, quæ ventura ſunt, tunc planè duo erunt incommoda, nam te expectatio ſpei ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudij fructum iam tibi ſpes deflorauerit.* Quod etiam argumentum fusè perſequitur Cicero lib. 2. de diuinit. Adde ex eorundem Aſtrologorum doctrina, non poſſe huiuſmodi futurorum præſcitiones mutari, quis igitur huius diſciplinæ fructus? merito itaque Euſebius. l. 4. c. 2. Baſilius hom. 4. in Hexam. S. Ambr. l. 4. in Hexam. c. 4. M. Tullius loco citato clamant, inutilem eſſe hanc artem. Tum ex Iulio Paulo. l. 5. recept. ſent. tit. de vaticinatoribus, quia eſt ſeditioſa. cum ad alicuius rei ſpem facile perturbentur populorum animi; vnde qui de ſalute Principis, vel de ſumma reipublicæ mathematicos conſulit, cum eo, qui reſponderit, capite puniri iubet. Quod etiam ſenſit Tacitus, qui lib. 12. & 17. ſcribit, 2.

hoc

hoc genus hominum esse Principibus inuisum,& infidum, sperantibus verò fallax. Et ideo huiusmodi Astrologorum præfagia sunt infensa Principibus. Quod ipse etiam Iulius Firmicus l.4.mathem. c.33.vidit, dum cauet, ne de statu reipublicæ, vel de vita Romani Principis aliquid interroganti respondeas: non enim oportet, vel licet, vt de statu reipubl. aliquid nefaria curiositate dicamus. Sed & sceleratus, atque omni animaduersione dignus est, si quis interrogatus dixerit de Imperatore.

3 Tum quia impia, cum inducat fatum, & de medio tollat liberum hominis arbitrium, virtutes & vitia, pœnas, & præmia actionum, si id, quod sumus, à natura, & astrorum qualitatibus sumus. Quo posito, rectè illud infert. D. Ambr. l.4.in Hexam.c.4. Nemo ergo debet vitam suam, statum, morésque mutare. Neque eniti, quò melior fiat, eáque in persuasione neque probum potes laudare, neque condemnare improbum, cum necessitati natiuitatis suæ respondere videatur. Et quomodo Dominus aut bonis præmia proposuit, aut improbis pœnas, si facit necessitas, & connexionem stellarum cursus informat? & quid est aliud, quàm hominem ex homine exuere, si nihil moribus, nihil institutioni, nihil studuis derelinquunt? Ob id necessariò dicendum est aut illa cælestia non significare humanas actiones, contra quam contendant astrologi, aut actiones humanas necessariò euenire, quod

4 est impium. Tum quia ridiculum est adeo multa stellis, earúmque coniunctionibus adscribere. v. g. quis, quando, quo loco, quibus parentibus nasceretur, quibus nuptiis, filiis, honoribus, amicis, sociis, diuitiis, seruis potiretur, quod genus vitæ eligat, quam disciplinam vel artem sequatur, quæ sit aditurus pericula, quæ scelera patraturus, quas inimicitias inturus, quo obiturus genere mortis, & sexcenta huiusmodi. adeo ne tam multæ in constellatione vniuscuiusque habentur? Sed & quomodo 5 in cognitionem huiusmodi regularum, ex quibus tam multa intelliguntur secundum Astrologos, ventum est? cum humanum ingenium eas ex se assequi non possit, cum præter motum, & lumen nihil aliud nouerimus in stellis? Deus ne reuelauit? at Deus hæc reprehendit, & damnat, vt dictum est. An experientia magistra id cognitum? at id impossibile, cum idem aspectus syderum non recurrat ob motum octauæ, & nonæ sphæræ, & effectus potuerit euenire aliis de causis, quàm natiuitatis constellatione. Vnde Marsilius Ficinus in com. ad lib. Plotini, vtrum stellæ aliquid agant, quæritur inter sapientes, ait: *Sed omnium, quæ nobis accidunt, fiúntve à nobis, manifestas, sufficientesq; causas apud nos reperimus, in propria generis nostri natura, in consuetudine, affectu, consilio, actione, occasione, concursuq; circunstantium causarum, neque vnquam sine his causis à cœlo fit aliquid, vt nihil opus sit hominem in cœlo causas perscrutari, quæ sæpè in terra patent.*

Non igitur mirum si tam sæpè Astrologi falluntur, vt ostendunt infiniti casus, qui contra Astrologorum prædictiones eueniunt. v.g. teste Cicerone l.2.de diuinit. cum promisissent Astrologi Pompeio, Crasso, Cæsari lætissima omnia, &

non nisi senes domi, cum gloria morituros, eorum quisque infæliciter, & immaturè periit. Adde si tam multa falsa prædicuntur ab Astrologis circa res merè naturales, ventos, nubes, pluuias, serenitates, ardorem, frigus, niues, sterilitatem, vbertatem, quas produnt per Ephemerides, quâ multa euenient contra prædictiones in iis; quæ pendent à libera hominis voluntate? certè Phauorinus loco citato vix milleſimam partem eorum, quæ dicuntur, accidere sentit. Denique si ipsi Astrologi, quæ sibi imminent, non norunt, cum plures ex iis ob suas prædictiones è medio à Principibus sublati sint, vt refert Alexander de Angelis l. 5. cap. 10. Ammianus Marcell. l. 29. Sozom. l. 6. c. 35. Quomodo scient, quæ sint aliis euentura? Solius igitur dæmonis denunciatione curiosos homines decipere satagentis, prædictæ regulæ conscriptæ sunt. vt sentit D. Aug. l. 2. de doct. Christ. c. 24. & l. 5. de ciuit. c. 1. & 17.

THEOREMA 361.

ITaque §. 3. quicquid in contrarium iure communi. cap. accusatus. §. licet. de hæret. lib. 6. statutum esset, Sixtus V. mandat per inquisitores inquiri. Primò, contra Mathematicos vanitatem iudiciariam exercentes, facientéque iudicia, & natiuitates, quibus de futuris contingentibus, successibus, casibus, & actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid euenturum affirmatur. Excipit enim prædicentes, & facientes iudicia de agricultura, vt fecit Virg. in Georg. & Aratus in Phænomenis, describentes indicia ventorum, imbrium, serenitatum. De re nautica; accessu enim, recessúque Solis, & Lunæ, fiunt variæ temporum vicissitudines, de quibus Aristoteles l. 2. meteor. cap. 2. Et de re medica. vnde Hippocrates in l. de aëre, aquis, & locis, vult medico maximè obseruãda æquinoctia, & solstitia, quod tunc maximè aër immutetur, & corpora alterentur. & ideo dies aliqui ad sumendas medicinas iudicentur inutiles, alij è contra vtiles. Huiusmodi namque Astrologia est naturalis, solúmque coniectat ea, quæ naturaliter in hoc mũdo contingunt, pluuias, nubes, ventos, frigora, calores, serenitates, tempestates, & similia, quæ permittitur iure canonico, & ciuili. & ad hoc etiam facit, quod habetur Gen. c. 1. facta esse astra in signa (serenitatis scilicet, & tempestatis) & anni tempora (veris, æstatis, autumni, & hyemis, ex Glossa, Basilio, & Augustino) & Christus ipse inde sumpsit similitudinem, *rutilat cœlum*, &c.

Quæ autem damnatur Astrologia, est iudiciaria, & diuinatoria de rebus fortuitis, & à libera hominum voluntate pendẽtibus, ex vanis syderum, & similium obseruationibus. Cui congruit quod scribit Arianus l. 8. de rebus gestis Alexandri, Gymnosophistas apud Indos esse diuinandi peritos, nec alteri permitti diuinationem. illos autem ea tantum prædicere, quæ vel ad anni tempora pertinent, vel si qua publica calamitas immineat incolis. Si quis autem eorum ter in diuinando errauerit, perpetui silentij pœna mulctari.

Addit Pontifex nec tales excusari, licet protestentur se id non affirmare certò; id enim videntur facere ad dedecus artis, & fraudes tegen

tegendas, ſtatutáſque pœnas vitandas. vt notauit etiam Leſſius l. 2. cap. 43. n. 41. 42. Valentia 2. 2. d. 6. q. 12. p. 3. Martinus Delrio l. 4. c. 2. q. 3. Sanchez l. 2. c. 38. n. 34. Salas 1. 2. q. 9. art. 5. tr. 5. diſput. 2. ſect. 3. n. 36. præterquam quod hic etiam modus prænunciandi futura, eſt etiam reipub. valdè periculoſus, & expoſitus multis ſuperſtitionibus, & præſumitur ex occulta ſocietate cum dæmone pendere, cum ex aſtris nihil tale colligi poſſit; ac propterea cum D. Auguſt. dicit hoc loco Sixtus, hæc temerè affirmantes, credentes, attendentes, interrogantes Chriſtianam fidem, & baptiſmum eſſe præuaricatos.

Secundò, contra eos, qui ſimiles dānatas artes, & vanitates docent, & addiſcūt, cæteróſque cōmittentes prædicta deteſtanda ſcelera, & delicta, vel quouis modo ſe in eis immiſcentes, cuiuſcunque ſint dignitatis, gradus, ſexus, conditionis. Vt etiam ne ars Magica doceretur, aut addiſceretur ſanciuit Valentinianus Imp. l. culpa. Cod. de Maleficiis. idem conſtat ex c. aliquanti. 26. quæſt. 5.

THEOREMA 362.

SImiliter. §. 4. prohibet tertio loco omnia ſcripta Aſtrologiæ Iudiciariæ, & Geomantiæ, quæ diuinat aliquid incognitū ex terreſtri corpore ex Iſidoro. l. 8. ethym. cap. 9. Hydromantiæ, quæ idem ex aqua obſeruat; Aëromantiæ, quæ ex mutationibus aëris; Pyromantiæ, quæ in igne; Chiromantiæ, quæ in lineis manus; Necromantiæ, quæ in mortuorum cadaueribus, aut vmbris; Magiæ, quæ ex dæmonis miniſterio futura, & occulta perſcrutatur; ita vt Inquiſitores, & Ordinarij poſſint hoc tempore, procedere contra facientes, legentes, retinentes, nō conſignantes huiuſmodi ſcripta Inquiſitoribus, & dignis pœnis punire, iuxta regulam 9. Indicis de libris prohibitis, editi iuſſu Concil. Trident. quod etiam poſtea confirmauit Clemens VIII. in obſeruatione eiuſdem regulæ 9. & ſanè etiam iure antiquo, & Eccleſiæ vſu ſemper huiuſmodi ſcripta comburi conſueuerunt, vt conſtat exemplo D. Pauli Act. 19. vbi cōputatis pretiis traditi ſunt huius generis libri flammis aureorum 50. millium. Vt etiam D. Cyprianus magicos libros palam combuſſit, vt ſcribit D. Gregorius Nazianzen. orat. 19. Iulius etiam Paulus l. 5. recept. ſententiarum tit. 23. ad l. Corneliam de ſicar. & venef. cenſuit nemini licere apud ſe habere libros artis magicæ, & penes quoſcunque fuiſſent reperti, demptis bonis, combuſtiſque publicè libris, deportandos in inſulam, humiliores verò plectendos capite. & Vlpianus l. 4. §. tantundem. ff. famil. erciſcundæ. improbatos lectionis libros, magicos ſcilicet, & ſimiles, igni protinus tradendos voluit. vt etiam factum anno 370. à Valente docet Ammianus Marcell. l. 29. & Baronius. Necnon ſæpe datum eſſe negotium Romanis magiſtratibus, vt hoſce perditos libros diligenter inquirerent, & habentes punirent, ſcribit Liuius l. 29. Videri etiam poſſunt, quæ diximus ad 13. conſtitutionem Io. 22. Theorem. 65. & ſeqq.

EIVSDEM SIXTI V.

Constitutionis 33. editæ anno 1586. quæ incipit. Cameræ nostræ.

EPITOME 141.

Confirmantur censuræ latæ cõtra non soluẽtes annatas, quindennia, & alia iura Cameræ Apostolicæ.

APPROBAT & confirmat §. 1. bullas prædecessorum cum omnibus censuris, & pœnis in eis contentis, circa solutionem annatarum communium, quindenniorum, & aliorum iurium, ratione prouisionum, & vnionum perpetuarum quorumcunque beneficiorum factarum, & faciendarum per Sedem Apostolicam.

§. 2. Eásque etiam extendit ad vniones per ipsos Ordinarios factas, & faciendas, declarans vniones, annexiones, incorporationes, applicationes, & submissiones de quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quã regularibus, etiam si fuerint monialium, & hospitalia, quæ tamen tempore ipsarũ vnionum, cura, conuentu, & hospitalitate caruerint, & quorum singulorum, vel si plura beneficia vnicis litteris comprehensa sint, quorum quodlibet annuum valorem ducatorum 24. de Camera secundum communem existimationem, non excedat, dummodo tamen omnium simul illum transcendat, cuicunque Ecclesiæ, monasterio, collegio, domui, societati, congregationi, ordini, militiæ, hospitali, seminario, aut alij pio loco, tam per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores, se ipsum, Sedis Apostolicæ Legatos, Nũcios, & alios subdelegatos, quàm per Ordinariũ, in quacunque mundi parte factæ, & faciendæ, etiam si manualia, & de iure patronatus laicorum, etiam Imperatoris, Regum, Ducum illa beneficia fuerint, sub dictorum prædecessorum cõstitutionibus includãtur, & comprehensæ intelligantur. Ideóque huiusmodi beneficia actu possidentes teneri ad solutiones quindenniorum eidem Cameræ ratione dictarum vnionum, & applicationum singulis quindecim annis, à die, quo illæ suum effectum sortitæ fuerint, iuxta tenorem litterarum editarum prædecessorum. Et irritat §. 3. quicquid in contrarium fuerit attentatum.

THEOREMA 363.

IAm supra de pœnis, & censuris latis contra non soluentes annatas communes, quæ ex fructibus colligendis primo anno ab eo, qui beneficium obtinuit, soluuntur pro cõmunibus seruitiis Apostolicæ

ſtolicæ Cameræ Bonifacij IX. vel Io. XXII. inſtitutione, & Quindennia, actum eſt Theoremate 121. & ſequentibus; necnon 137. & 175. dictúmque non ſoluentes excommunicari, & priuari beneficiis, ex Conſtitutione Pauli II. num. 8. decet. Innoc. VIII. n. 3. Apoſtolicæ. Iulij II. n. 3. ex debito. & n. 4. Romani. Iulij III. n. 20. Cupientes. & n. 45. cum ſicut. Pauli IV. n. 11. incumbentia. n. 14. eum aliàs. n. 41. cum decens. num. 43. Apoſtolicæ. Pij V. n. 38. Apoſtolicæ. quas hac præſenti 33. bulla Sixtus V. approbat, & confirmat. Sed cum antea ſolum ex iis beneficiis Apoſtolica auctoritate alicui collegio, vel cõmunitati coniunctis, ſoluerentur quindennia, Sixtus hoc loco ſtatuit, vt ſoluerentur etiam ex quibuſlibet aliis Eccleſiaſticis beneficiis, tam ſæcularibus, quàm regularibus dimiſſis, & communitati, ſeu vniuerſitati vnius, & vniendis, non ſolum à Sede Apoſtolica, ſed etiam auctoritate Legatorum, vel Nuntiorum Apoſtolicorum, necnon etiam Ordinariorum cuiuſlibet loci, ſi excedant ſummam 24. ducatorum de Camera, ſiue beneficium vnicũ ſit, ſiue plura vnis litteris comprehenſa, irritãs quicquid ſecus fuerit attentatum.

Porrò ſcripſit Sigonius l. 1. de regno Italiæ, & Io. Azor p. 2. l. 11. c. 9. q. 2. Longinum à Græco Imp. in Italiam miſſum ad eam regendam, ſedem Rauenniæ, non Romæ, collocaſſe, quod inde facilior eſſet in Græciam tranſitus, ſéque appellaſſe Italiæ Exarchum, inſtar eius, qui toti Africæ, Imperatori ſubiectæ, præerat, qui Africæ Exarchus dicebatur: & ſublatis Conſularibus Correctoribus, & Præſidibus, ciuitatibus præfeciſſe Duces, qui per iudices ius populis redderent; quem Romam cum circumiectis locis adminiſtrandam, miſit, Ducem Romanum vocaſſe, eámque Italiæ partem Ducatũ Romanum, indéque factum eſt ex eo tempore, vt etiam monetæ genus quoddam ibi cuſum, Romanus Ducatus dici, eæptum ſit. Is autem valere ſolet 10. Iulios; ſi tamen exprimatur, vt ducatus ſit aureus, valet 12. Iulios; ſi denique additur, vt ducatus ſit aureus de Camera, computatur 13. ob maius pondus, & bonitatẽ eius. plura videri poſſunt apud Sarnenſem in regulam Cancellariæ. de valore exprimendo q. 9.

EIVSDEM SIXTI V.

Conſtitutionis 45. olim 46. editæ anno 1586. quæ incipit.

Deteſtabilis.

EPITOME 142.

Damnãtur ſocietates ſaluo Capitali, & certo lucro, vt vſurariæ.

DAMNAT §. 2. contractus ſocietatis, per quos cauetur perſonis tradentibus pecunias, animalia, aut alias quaſlibet res, nomine ſocietatis, vt ſors ipſa, ſeu capitale ſaluum, & integrum ſemper reſtituatur à ſocio recipiente, etiam ſi caſu fortuito pereat; ſiue etiam, vt de certa lucri quantitate, aut ſumma in ſingulos annos, ſeu menſes, durante ſocietate reſpondeatur, non ſubductis rationibus accepti, & expenſi.

§. 2. Ideóque præcipit, vt ſine fraude, & palliatione ſocieta

cietates æquis pactis, & conditionibus fiant: ita vt non ad certam summam à periculo, & damno immunẽ lucri nomine persoluendam, neque ad Capitale, si casu fortuito pereat, restituendum socius teneatur. Si verò societate finita Capitale extet, ei, qui illud in societatem cõtulit, restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter contrahentes legitimè conuentum fuerit, & damna, atque expẽsas conferant in cõmuni, sicut fructus.

§. 3. Ex contractibus verò aliter factis in posterum, nullum ius cuiquam competat, aut oriatur obligatio ciuilis, aut naturalis, neque quoad sortẽ, seu capitale casu amissum integrum recuperãdum, neque quoad certas summas in singulos annos, aut menses lucri socialis promissi.

§. 4. Si qui autem in posterum sub prætextu similium contractuum ad exactionem dicti Capitalis in toto vel parte amissi, aut certæ annuæ, vel menstruæ quantitatis procedent, puniantur pœnis latis contra manifestè vsuratios, non obstantibus, &c.

THEOREMA 364.

DEclarat Sixtus §. 1. & 2. in contractibus societatum iniquum esse pactum, vt sors, seu capitale, siue sint pecuniæ, siue animalia, aut res aliæ, integra semper sit, & salua à recipiente socio restituatur, etiã si casu fortuito pereat. Et meritò; periculum enim sortis in societatem collatæ non spectat ad socium, cui datur, sed tantum ad socium, à quo datur, vt docet S Thom. 2.2.q.28. art.2. ad 5. Syl. societas 1. q.1.& 2. Angel.eodem. Rich.4.d.15. Azor 3. p. l.9. c.2. de societ. Lessius l.2. c.25. n.17? Rebell. l.15. q.2. Gabr. 4. d.15. q.11. Armill.societas.Couarr.l.3.vat.resol.c.2. Valentia 2.2.d.5.q.24. Sotus l.6.q.6.art.2. Caiet.to.1.opusc. vlt. Abulensis quæst.226. in Matt. Lopez l.1.c.64. Scaccia. §.3.Gloss. 3.num.33.& seqq. Tolet. l.5. c.41. Nauarr.c.17.n.251.& seqq. Bartolus,& Baldus in l.1.Cod.pro socio, Glossa in c.plerique. 14. q.3. quicquid in contrarium senserit Conradus quæst.93. corol.3. & Maior. 4.d.15. q.47. §. ex dictis, cum perditur capitale, antequã alius operam ponat. Ratio est manifesta, quia dominium pecuniæ, seu sortis collatæ in societatem, non spectat ad recipientem, sed remanet solius conferentis. l. si tibi arcæ meæ. ff. de præscr. verb. quamuis durante societate vsus sit etiam communis cum socio recipiente. & ob id conferens pecuniam, societate durante, non potest eam ad suos vsus extrahere.

Cum igitur dominium sit conferentis solius, si fortuitò in totum, aut in partem pereat, siue initio, siue in medio, siue in fine negotiationis pereat, ipsi conferenti, cuius est, & non socio perit. Quod etiam constat ex l. cum duobus. §. damna. ff. pro socio, quæ negat socium

cium teneti ex damno, quod casu fortuito contigit (est autem casus fortuitus inopinatæ rei euentus, qui præuideri nō potest etiam per diligentissimum, vt quæ eueniunt propter inopinatum bellum, terræmotum, grandinem, fulmina) secus autem si socij dolo, lata, & leui culpa pereat, instituta de socio. §. socius socio. & l. cum duobus. §. venit. & l. socius socio. ff. pro socio. In contractu enim qui in gratiam, & bonum vtriusque socij fit, qualis est hic, damnum, quod ex dolo siue aperto, siue præsumpto lata culpa, cum omittitur diligentia, quam passim homines eiusdem cōditionis solent adhibere. l. latæ. ff. de verb. sign. vt si quid cōmodatum relinquas foris ante ostium; & leui culpa, cum videlicet ea diligentia omittitur, quam solent diligētiores illius professionis adhibere, de quibus videndi Nauarr. cap. 17. n. 177. & seq. S. Thom. 1. p. q. 48. art. 5. & 6. 1. 2. q. 21. art. 2. & 2. 2. q. 118. art. 8. Azor 3. p. l. 9. c. 2. de societ. q. 2. Lessius l. 2. c. 7. dub 6. Bartolus in l. quod Nerua. ff. de posit. Panorm. in c. 1. de commod. & cap. fin. de depositi. Syl. v. culpa, initio, prouenit, soluendum est. l. contractus. ff. de regulis iuris. & l. si vt certò. §. nunc videndum. ff. commodati. Nauarr. c. 17. n. 178. & seqq. Lessio l. 2. cap. 7. dub. 8. n. 42. Azore loco cit. non tamen ex cit. l. contractus. quod euenit ex culpa leuissima, quæ tunc talis in iure reputatur. l. si putator. ff. ad leg. Aquil. cum socius tantam adhibet diligentiam in rem communem, quantā solet ponere in rebus propriis, vt si quis librum commodatum relinquat in cubiculo claue clauso, non tamen manu tentauit, an posset absque ea cubiculū aperiri. Itaque cum periculum pecuniæ datæ in societatem, spectet ad eum, qui eam confert, fit, vt si is velit, suum capitale, & sortem semper esse saluam, & extra periculum, debeat ipse de suo soluere pretium assecurationis illius, vt rectè docet Scaccia §. 3. Glos. 3. n. 34. & Lessius c. 25. dub. 2. cum cæteris.

THEOREMA 365.

INiquum pariter esse docet iisdem. §§. 1. & 2. vt inter socios conueniatur, non subductis rationibus accepti, & expensi, de certa lucri quātitate à periculo, & damno immuni in singulos annos, vel mensēs durante societate à socio illi, qui pecuniam contulit, persoluenda. Sæpè enim potest euenire, vt vel nihil lucri, vel non tantum fiat, vt æqua sit portio illa statuta, & extra alcam, vnde res vsuram sapit. Lucri namque diuisio debet fieri iuxta proportionem oneris, quod quisque in societate sustinet æquis pactis, & conditionibus arbitrio prudenti conuentis inter contrahentes, collatísque in communi damnis, expensis, & fructibus. l. cum duobus. § damna. & l. si non fuerint. ff. pro socio. Si quid tamen damni eueniat culpa socij, illud non debet esse commune cæteris, vt notat Lessius dub. 4. n. 37. v. g. si res furto sublatæ sint ex defectu debitæ custodiæ, ex dicta l. cum duobus. quippe cum teneatur socius ad eam diligentiā, quam adhiberet in rebus propriis. l. socius. ff. pro socio. seu quam alij communiter adhibent.

Pertinet etiam ad expēsas communes

munes, si quid socius impendit ad conseruationem mercium, ne perirent, vel deteriores fierent, non est enim æquum, vt vnus ex sociis sit particeps lucri, & non cogatur etiam ad expensas, & damna, vt hoc loco. §. 2. docet Sixtus V. & Surdus consil. 150. n. 39. lib. 1.

Porrò conferens in societatem pecuniam, non debet de ea in scriptura simulare mutuum, quia ex hoc ponit in magno periculo socium, quia potest voluntate mutata ipse, aut eius hæredes repetere pecuniam, quamuis periisset; quin etiam ipsemet subit magnum periculum suæ famæ. quare si vult participare lucrum, debet rescindere scripturam, & aliam de societate inire, vt monet Nauar. c. 17. n. 259. & Scaccia §. 3. Gloss. 3. n. 34.

THEOREMA 366.

FVit olim difficultas inter Doctores, cuiusnam esset futura sors principalis societate finita, totáne eius, qui initio contulit, an potius esset diuidenda inter eum, & socium? Etenim partem pertinere ad alterum socium sensit Glossa in l. 1. Cod. pro socio. Conradus de contract. q. 93. corol. 2. Couarr. l. 3. var. resol. c. 2. n. 2. & ibidem Socin. consil. 265. lib. 2. tum quia aliquando opera socij tanti æstimatur, quanti pecuniæ sors ab altero collata, vnde idem est, ac si tantundem pecuniæ & ipse contulisset, & ço flaretur vna sors ex pecunia collata, & pretio operarum alterius. quare sicut, qui cõtulit pecuniam, participat ex æquo collatam operam socij, ita hic debet ex æquo participare sorte illius. Idem proportionaliter dicetur, si opera collata æquiualeat tantum tertiæ parti v. g. aut quartæ sortis. tum quod alias semper futura sit deterior conditio ponentis operam, quàm ponentis sortem. Si enim nullum sit lucrum, hic operam perdet, & alter sortem recipiet saluam; si existat lucrum, illud erit vtique commune, & ad eum, qui sortem posuit, sors tota redibit, alterius verò opera amittetur. Oppositum tamen sentit Baldus in l. 1. Cod. quo socio. num. 1. Cynus ibidem. S. Tho. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5. Caiet. ibidem. & in sum. v. matrimonialis societas. Angel. v. societas. n. 20. Tabien. vsura 3. n. 4. Nauarr. c. 17. n. 252. & 253. S. Bernardinus 2. p. serm. 36. art. 2. c. 3.

Sixtus igitur hoc loco. §. 2. statuit, nisi aliud inter partes conuentum sit iustè (qua de re Nauarr. Baldus, Angel. locis citatis, Azor 3. p. l. 9. c. 3. q. 2. Lessius dub. 2. n. 9. 10.) communi iure sortem principalem, quæ remanet societate finita, ad eum solum pertinere, qui illam in societatem contulit, ita vt inter socios fiat tantum communicatio lucri, quod supereſt, sorte, quæ remanet redeunte ad Dominum. Et meritò, si enim sors quoad dominium esset communicanda cum socio, non posset, qui eam ponit, lucrum percipere ex sua tota pecunia, siquidem pars tantum ei vtilis, & fructuosa est futura: itémque nec periculum totum deberet esse solius conferentis, si sors, quæ supererit, non debet ad eum solum redire, ex Nauarr. loco cit. n. 253. & Scaccia §. 3. Gloss. 3. n. 35. & onera essent inæqualia; nam socius, qui recipit sortem, semper esset securus de parte sortis remanentis, vltra speratum lucrum, & periculum

periculum subiret solum de maiori, vel minori lucro; qui verò pecuniam contulisset, esset solicitus, & de nullo lucro, & de ipso capitali toto periclitante, durante societate, & eo etiam saluo, certus esset de damno dimidiæ eius partis cum socio diuidendæ in fine societatis.

Nec verum est ex opera suscipientis Titij, & capitali conferentis Caij effici vnam communem sortem. Caius enim communicat cum Titio vsumfructum, commodum, & lucrum pecuniæ, non pecuniæ dominium. dicitur enim in lege. si tibi arcæ. ff. de præsc. verbis, quia nemo societatem contrahendo, rei suæ Dominus esse desinit. Ideo Titius, si res non bene cedat, amittet operam suam, hoc est tantum, quantum potuisset sua opera lucrifacere, & Caius tantum perdidit, quantum potuisset ex sua pecunia lucrari, ideo, si supereſt, solum habebit capitale, vnde æqua est in casu nostro vtriusque conditio, cum vterque solo sperato lucro priuetur.

De societate autem animalium in particulari, quæ hic etiam tangitur, videri possunt S. Antoninus 2.p.t.1.c.7. num.39. & seqq. Conrad.quæst.88.ad 91.S.Bernardinus 2.p.serm.40.art.1.& 2.Syl.societas. 2.tota. Astensis p.1.l.3.tit.12.Azor 3. p.l.9. c.7. qui hac de re copiosè disserunt, cum non faciant ad rem nostram.

THEOREMA 367.

SEd & illud dubium est, an liceat contractui societatis annecti alterè assecurationis capitalis, immo & alius tertius ad tollendas suspiciones, & molestias rationum assecurationis, seu venditionis lucri ex ea societate sperati, idque cum socio conferente operam, cum quo cōferens pecuniam, init societatem, iusto tamen pretio arbitrio prudentis pro vtraque assecuratione persoluto, aut altero tantum, ex lucro remisso. Et quidem Sotus. l.6.quæst. 6. art. 2. negat, siue fiant contractus simul, siue successiuè, eò quod, qui ita pecuniam suam trādit, vt periculum eius transferat in accipientem, censeatur etiam in eum transferre illius dominium. is enim est Dominus rei, cui res perit, ideo censetur eam mutuo dare, & non in societatem. vnde non potest ex tali mutuo palliato percipere lucrum.

Eadem fuit sententia Caiet. to. 1.opusc. respons. 11. si huiusmodi contractus simul fiant. Azoris 3.p. l.9.c.3.quæst.6.& c.4. quæst.5. qui dicit esse etiam sancti Bernardini p.2. serm.39.art.1. c.1. D.Antonini p.2.t.7.c.7.§. 32.Conradi quæst. 47. Acursij in l. si non fuerint. ff. pro socio. Ancharani, & Calderini in c. vltimum de vsuris, & aliorum, & vt tutiorem esse amplectendam. quod etiam scribit Rebell.l.15. quæst.4. n.1. quam etiam Abulensi tribuit quæst. 226. ad finem in c.23.Matt. Ratio est, quia ex huiusmodi pacto, pecunia in societatem data videatur mutui palliati vim, vsuræque speciem, & imaginem habere. non autem societatis, cuius formalis ratio est, vt sit pactio tam ad damnū, quàm ad lucrum seruata proportione diuidendum. Secundò, quia in præsenti Constitutione Sixti, id videatur expressè damnari, cum

prohibeat ne societas contrahatur adiecto pacto, vt sors in quolibet casu fortuito salua sit, aut respondeatur in singulos menses, vel annos de lucro certo, vel incerto.

Sententia tamen cõtraria communior est, & probabilior, eamque tenet Nauarr. c.17. num. 254. & seqq. & comm. de vsuris n. 32. & seq. & de Constit. consil. 1. q. 34. & consil. 8. num. 4. & consil. 13. & 16. de vsur. Maior. 4. d. 15. quæst. 49. vbi ait eam fuisse à Io. Echio Bononiæ publicè defensam. Angelus v. *Societas*. 1. §. 7. quem sequitur ad verbum Gabriel. 4. d. 15. quæst. 11. dub. 10. Syl. *Societas*. 1. quæst. 2. cum ait. *Fallit autem quod dictum est, si capitale sit salvum, non ex contractu societatis, sed assecurationis, &c.* Armilla *societas*. num. 6. Couar. l. 3. var. resol. c. 2. n. 3. Garzias de contrac. p. 2. c. 17. Lopez de contr. l. 1. c. 65. Bartholomæus Medina in instruct. §. 27. Angles in Flor. l. 4. q. de societ. Toletus. l. 5. c. 41. Molina d. 417. Valentia 2. 2. d. 5. quæst. 24. puncto 2. vbi etiam ait Romæ se præsente sententiam diligenter excussam, pluribus, iisque doctissimis Theologis probatã. Lessius, l. 2. c. 25. d. 3. qui singulorum auctorum verba refert, & tradit sententiam hanc per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam absque vlla dubitatione à celeberrimis Theologiæ professoribus tradi. Scaccia de commerciis. § 3. Glos. 3. n. 36. & seqq. Hostiensis in summ. tit. de vsur. §. in aliis autem. vers. *Porrò fieri potest*. Panor. & Io. Andr. in c. per vestras de donat. inter virum, & vxor. Io. Bapt. Lupus in c. nauiganti. §. 1. num. 12. Reginald. l. 25. num. 391. 4. seqq. Salon. de societ. art. 3. & si contractus fiant successiuè, tenet etiam Caiet. loco cit. Mantica. de tacit. & ambig. conuent. t. 1. l. 6. tit. 6. num. 12. & Rota decis. 130. num. 5. aliàs timent, ne assecurationis contractus sit coactus, & non voluntarius.

Probatur hæc secunda sententia. Primò, quia id colligi videtur ex iure, tum canonico. c. per vestros. de donat. inter virũ, & vxor. vbi Pontifex iubet, vt marito vergente ad inopiam, vxoris dos deponatur apud aliquem mercatorem, vt ex parte lucri honesti onera matrimonij sustentent, salua sorte. quæ duo fieri non possunt sine societate, assecuratione capitalis, & lucri incerti pro certo redemptione. Tum ciuili. l. si non fuerint. & l. Mutius. ff. pro socio, & Instit. de societate. §. de illa, vbi dicitur ita societatem coiri posse, vt lucrum commune sit, & nullam partem damni alter sentiat. quod non videtur posse fieri, nisi medio contractu assecurationis. quod si velit intelligere ratione eius socij, qui operas ponit, ita vt semper mercedem aliquam consequatur & nullum damnum, contractus erit locationis operarum, & non verus contractus societatis.

Secundò, quia in aliis contractibus, vt commodato, locato, deposito, licet pars periculi rei traditæ sua natura pertineat ad Dominum rei; fas tamen est sub iusta mercede pacisci, vt totum periculum ad recipientem pertineat, ergo similiter in societate, licet sua natura periculum sortis ad conferentem spectet, poterit totum ab altero socio suscipi, si ei aliunde debita pro eo onere, fiat compensatio. id enim non erit contra naturam societatis, sed præter, cum id

id fiat altero iusto contractu.

Tertiò, quia id licet secundum communem sententiam, cum diuersis, ergo etiam cum eodem socio. iustitia enim consistit in æqualitate rei ad rem, non in habitudine ad personam.

Quartò, si in hoc contractu est illa iniquitas, hæc prouenit vel ex eo, quod non seruetur æqualitas inter obligationem, & compensationem: at supponimus eam faciẽdam peritorum arbitrio; vel quod conferens operam obligetur ad aliquid contra naturam contractus societatis; at huiusmodi obligatio non est contra societatis naturam, cum illa ex se immobilis permaneat, sed solum præter, nempe ex vi noui contractus liberè initi, vti fieret cum tertio. Quare vti factus cum tertio nullam continerer iniustitiam, cum noua obligatio nouo iusto pretio compẽsetur, ita neque si fiat cum socio, non vi eiusdem societatis, sed alio contractu, & data noua compensatione æquali grauamini assecurationis sortis, & si velis, alio redemptionis incerti lucri maioris, pro certo, & determinato pretio minori, vt fierer cum alio, sicut vendi potest iactus retis, cum in eo vterque contrahentium se exponat periculo, & dubiæ fortunæ. quod etiam ex aduersariis approbat Rebell. initio quæst. 4. dubius solum de duobus primis: Vel denique ex eo quod ratione præstandæ assecurationis fiat palliatum, & implicitum mutuum, ex quo non licet accipere lucrum, vt dicebat Sotus. at falsum est ratione assecurationis per nouum cõtractum, iustóque pretio soluto, fieri mutuum, transfato pecuniæ dominio à confetente in recipientem. vt enim inito contractu securitatis cum tertio non amittitur pecuniæ dominium, ita neque inito cum socio. & ideo is nequit eam suo arbitratu in alios vsus impendere, quàm in societate conuenta cum Domino sortis, contra quam fiat, cum transfertur dominium; & si socius decoquat, qui eam deposuit, potest, si inueniat, vt rem suam extrahere, & surreptam actione in rem, sibi eam vendicare.

Ad primum autem argumentũ aduersariorum respondeo, nullam hic esse speciem vsuræ. Etsi enim de ratione contractus societatis sit, vt sicut socius particeps est lucri, ita etiam sit damni, l. 1. & 2. ff. & Cod. pro socio, hic tamen præter purum contractum societatis, de quo leges loquuntur, est contractus assecurationis spontè initus, quo immunitas sortis, & lucri certi, iusto pretio compensatur. Atque vt palam sit iustus, fiet, vt præscribit Nauarr. consil. 16. de vsuris. Comm. de vsuris num. 32. & c. 17. n. 254. 255. primum contractus societatis simpliciter ad damnum, & lucrum hoc, aut illo modo iustè diuidendum; eo perfecto fiet in alia carta, vel eadem, sed alio capitulo contractus alius separatus, quo accipiens pecuniam assecuret conferenti capitale pro pretio expresso, & iusto, sicut facerer tertius: quo etiam absoluto fiet in alia, vel eadem carta aliud capitulum, in quo dicatur tantum lucrum verisimiliter iustè dari posse conferenti pecuniam in tali ditione, mercatura, & tempore, & quod accipiens pecuniam, ad vitandas molestias computationum, assecurat tantam partem lucri ve-

risimilis, pro remissione iusta, reliquæ partis lucri sibi remittendi. Quamuis ex eodem Nauarr. Maiore locis citatis, & Lessio n. 31. non sit omnino necessarium id fieri per tres formales, & expressos contractus, sed fieri queat per tres æquiualentes tacitos; vt si quis diceret. confero tibi mille in societatē mercaturæ, vt salua sorte quotannis soluas v. g. sex pro centenario, eo modo quo Doctores docent id licitè fieri posse.

Ad secundum. Hac constitutione non improbantur hi tres contractus, cum & sint ipsi iuri naturali conformes; si enim à socio onus suscipitur, ei etiam soluitur præmium; & comprobentur à tot Doctoribus, sed tantum, cum ex vi contractus societatis solius, nullo soluto pretio, fors salua redditur, & certum lucrum spondetur. hæc enim pugnant cum natura societatis. Quare idem Sixtus V. hac de re à Patribus Societatis Iesu consultus, teste Azor. c. 3. q. 7. viuæ vocis oraculo respondit se non damnasse societates talibus pactis contractas, quas classici authores comprobarunt, sed eas tantummodo, quas illi communiter damnarunt. Videatur etiam Scaccia §. 3. Gloss. 3. n. 37. 38. 39.

THEOREMA 368.

DEnique §. 3. & 4. irritat aliter factos contractus societatis, & de cætero secus contrahentes, iubet puniri pœnis latis à sacris Canonibus, & Conciliis Generalibus contra manifestos vsurarios, de quibus diximus Theoremate 312. de his enim intelligunrur pœnæ infamiæ, priuationis confessionis, donec satisfecerint, vel præstiterint cautionem idoneam, Eucharistiæ, & aliorum sacramentorum, facultatis testandi, sepulturæ Ecclesiasticæ, refutationis eorum oblationum, &c. de quibus c. quamquam vsurarij. tit. de vsuris lib. 6. & extra eodem tit. c. 3. latæ contra vsurarios; & non de occultis, ex Angelo, Syl. Tabiena, v. vsura. Nauarr. c. 17. hum. 279. 280. Couar. l. 3. var. resol. c. 3. Molina d. 344.

Manifestus autem vsurarius is dicitur, qui euidentia facti, vel iure manifestè talis est, ex Glossa. c. manifesta. 2. quæst. 1. Nauarr. loco cit. Azor 3. p. l. 5. cap. 18. quæst. 1. Lessio l. 2. c. 20. dub. 22. Rebell. l. 8. in fine. Facti quidem euidentia, qui ita palam dat ad vsuram, vt nulla tergiuersatione probabiliter cælari possit, & sufficit si vnum actum vsurarium publicè exerceat, ex Panorm. c. ad nostram. de empt. & vend. Nau. num. 280. cit. Azore 3. p. l. 5. c. 18. quæst. 1. Iure verò, qui in iudicio legitimè de hoc crimine conuictus est, vel confessus, aut condemnatus. Non sufficit autem confessio extra iudicium coram Parocho, & testibus, quia confessio extraiudicialis non inducit notorium iuris, ex Molina disp. 333. Syl. vsura. 9. quæst. 3. Angel. vsura 2. num. 19. Panorm. in c. quia in omnibus. de vsura, & Azore, loco citato.

EIVS

EIVSDEM SIXTI V.

Breuis editi anno 1587. die 27. quod incipit. Cum frequenter.

EPITOME 143.

Vtroque teſte carentes non poſſunt cõtrahere matrimonia.

PRÆSCRIBIT Epiſcopo Nouarienſi, Nuncio Apoſtolico in Hiſpania, vt matrimonia contracta à ſpadonibus vtroque teſte carentibus, licet poſſint coire, declarat eſſe nulla. *Committimus* (inquit) *fraternitati tuæ, & mandamus, vt coniugia per dictos, & alios quoſcumque Eunuchos, & ſpadones vtroque teſte carentes cum quibuſlibet mulieribus defectum prædictum ſiue ignorantibus; ſiue etiam ſcientibus, contrahi prohibeas, eoſq; ad matrimonia quomodocũque contrahenda, inhabiles auctoritate noſtra declares: & tam locorum Ordinarijs, ne huiuſmodi coniunctiones de cætero fieri quoquo modo permittant, interdicas; quàm eos etiam, qui ſic de facto contraxerint, ſeparari cures, & matrimonia ipſa ſic de facto contracta, nulla, irrita, & inualida eſſe decernas. Eos etiam, qui ſic de facto contraxerunt, ſi appareat illos, non vt caſtè ſimul viuant, contraxiſſe, ſed actibus carnalibus, & libidinoſis operam dare, ſimúlue eodem in lecto cum prædictis mulieribus dormine conuincantur, omnino ſimiliter ſeparari cures.* Et ita vult per quoſcumque iudices iudicari, irritúmque quicquid in contrarium attentetur.

THEOREMA 369.

DEfinit difficultatem diu inter Theologos, & Iuriſperitos diſputatam, num Eunuchi vtroque teſte carentes ſint idonei ad matrimonium contrahẽdum. Qua in re res fuerunt modi dicendi. Primus Gloſſæ cap. hi, qui matrimonium 32. quæſt. 7. & cap. nuptiarum bonum. verb. in quibuſdam. 27. quæſt. 1. Ancharani in fine c. 2. de frig. & malef. Alciati in l. Spadonum. 128. num. 3. ff. de verb. ſignif. & l. ſi is qui. num. 54. ff. de vſucap. Bartholomæi Socini. l. 1. num. 26. & 28. ff. ſolut. matr. Cæpolæ in l. Pomponius. §. Spadonem. num. 1. ff. de ædilit. edict. Angel. v. matrimonium. 3. impedimento. 16. num. 11. Tabienæ indim. 12. quæſt. 6. num. 7. Armill. matrimon. num. 51. Medina l. 5. de ſacrorum hominum conr. cap. 24. & aliorum docentium Eunuchos, qui virgam erigere, & coire poſſunt, etſi non poſſint ſemen emittere, idoneos eſſe ad contrahendum matrimonium, quod poſſint ſuæ, & mulieris concupiſcentiæ ſatisfacere, vnde ſi non primarius, qui eſt prolis generatio, ſaltem ſecundarius finis matrimonij obtinebitur, vt etiam euenit in ſenibus, qui non poſſunt amplius generare.

Secundus modus eſt Alexandri de Neuo. conſil. 9. num 4. Palud. 4. d. 34. quæſt. 2. art. 1. concl. 2. nu. 8.

S. Antonin. 3. p. tit. 1. cap. 12. §. 2. Syl. v. matrem. 8. quæst. 16. dicto 7. Veræ crucis. p. 1. speculi. art. 38. concl. 6. Turrecrem. 33. quæst. 1. in sum. art. 2. num. 11. Barthol. Ledesmæ de matr. dub. 48. concl. 3. Angles in flor. p. 1. vbi de matrim. quæst. 8. art. 1. dub. 1. diff. 1. corol. vltimo. Lopez 2. p. instr. vbi de matrim. cap. 52. Barbosæ l. 1. p. 1. num. 92. 93. 94. ff. solut. matr. Eunuchos illos validè posse contrahere, qui valent aliquale semen in vas fœminæ emittere, quamuis inefficax ad generationem, vt euenit in sterilium copula.

Tertius modus fuit S. Thom. 4. d. 34. in fine, in expos. litteræ, Alberti ibidem art. 4. Almaini. q. vnica, Soti q. vnica. art. 1. qui ait oppositas opiniones esse intolerabiles. Victoriæ in summa, vbi de matr. num. 283. Ledesmæ 2. 4. q. 60. art 1. Petri Ledesmæ de matr. q. 58. art. 1. dub. 3. Toleti l. 7. cap. 12. Valentiæ 4. p. d. 10. quæst. 5. p. 3. Manuelis t. 1. sum. 2. edit. cap. 235. Vegæ 2. t. sum. cap. 34. casu 113. Rosel. impedim. 15. num. 16. Henriquez l. 12. cap. 8. Gutierrez in qq. can. in 2. edit. l. 1. cap. 16. retractans quam aliàs tenuerat opinionem. Azor p. 1. l. 2. cap. 9. versus finem. Sanchez l. 7. de matr. disp. 92. num. 17. Martini Bonacini q. 5. de Matrim. p. 13. num. 13. Rebell. l. 3. quæst. 16. num. 17. & ex Iurisperitis Hostiensis de frig. & malef. §. quæ impotentia. num. 7. Io. And. eod. tit. cap. 2. Anton. ibidem n. 6. Abbatis num. 5. Alex. de Neuo ibidem. num. 5. Archidiach. cap. hi qui num. 2. 3 2. quæst. 7. Bartho. Socin. in l. sed est quæsitum. num. 2. limit. 2. ff. de liber. & posthum. & aliorum; quorum sanè plerique ante Motum proprium Sixti V. scripserunt, & ideo fuit Theologorum, & Iurisperitorum veterum communis sententia, dicentium Eunuchos vtroque teste carentes esse, fuisséque semper incapaces matrimonij, & proinde si illud ineant, esse irritum. vt hoc loco declarat Sixtus. Vnde quæ ante erat solum communior opinio, iam est indubitata veritas. ad matrimonij enim veritatem requiritur potentia emittendi verum semen in vas fœmineum, vt possit fieri vna caro, at Eunuchorum, emissa aquea materia, non est verum semen, vt docet Aristoteles probl. sect. 11. prob. 16. & ex Galeni sententia Antonius Musa in Aphorismos Hippocratis, & Galeni. lib. 6. aphor. 28. & Nicolaus Florentinus de membris naturalibus serm. 6. tr. 1. c. 3. ad finem. cum exectis testibus, spiritus illuc transiisse euanescant, & non contineantur ad verum semen efficiendum.

Ad argumenta autem respondemus, Eunuchos non satisfacere fœminæ per veram copulam sua natura ad generationem aptam, cum absque seminatione non possint coniuges fieri vna caro. Gen. cap. 2. senes autem semen verum habent, & emittunt, licet sit minus fœcundum per accidens: quare cum liberorum procreandorum desiderio coniungantur, etsi in euentu eos spes fallat, dissimilis est ratio à coniunctione Eunuchorum scientium se steriles, atque ad gignendum inutiles conuenire, & quasi naturæ insidiari, vt Leonis Imper. verbis vtar, in mox citanda constitutione, sed per copulam aptam generationi, seu naturæ lege concessam, & non illi contrariam,

riam, qualis est Eunuchorum Ecclesiast. 20. vt respondet Leo Imperator in constitutione 98. vbi vehementer inuehitur in huiusmodi confícta matrimonia. Rebel. & Sanchez locis citatis. Cum autem l. si serua. ff. de iure dotium dicitur à spadone posse contrahi matrimonium, intelligitur ex Vlpiano l. Pomponius de ædilit. edicto, is qui vno tantùm teste caret.

THEOREMA 370.

PRædicta autem Sixti decisio de Eunuchis vtroque teste carentibus declaratur hoc eodem loco intelligi, cum quibuscumque fœminis, etiam si conscię defectus illorum, velint cedere iuri suo. Id enim peculiarem habebat difficultatem, cum enim impedimentum ignorat mulier, nullum redditur matrimonium, cum possit mulier allegare velle se esse matrem, & ideo velle integrum virum. ex Abbate. cap. 2. de frig. & malef. num. 5. Alex. de Neuo ibidem. num. 5. Rosel. v. Impedim. 16. num. 16. Angel. matrin. 3. imped. 16. Syl. matrim. 8. quæst. 16. dicto 2. Henriquez l. 11. cap. 10. §. 7. S. Thom. in add. quæst. 52. cum autem fuit conscia impedimenti, & tamen contraxit, videtur suo iuri cessisse, & non posse allegare amplius se velle fieri matrem, sicut quæ sciens duxit seruum, non potest conqueri, quod habeat semimaritum propter ius, & onus, quod ille primùm debet hero. Quare plures ante Sixtum senserunt huiusmodi matrimonium cum Eunucho, quando mulier impedimentum sciuit, tenere, validúmque esse, vt Antonius Cucus l. 5. Institutionum Maiorum. tit. 12. num. 256. Mich. Medina l. 5. de sacrorum hominum continetia c. 74. & 77. & alij.

Cæterum his non obstantibus definit Sixtus, siue sciatur, siue ignoretur huiusmodi defectus, & perpetua impotentia, matrimonium esse irritum. Quod etiam ante Sixtum docuerunt Scotus 4. d. 34. quæst. vn. ad 2. Abulensis l. 3. reg. cap. 2. quæst. 26. Bassolis 4. d. 34. quæst. vnica. art. 1. Sotus q. vnica art. 2. in solutione ad 3. Palatius ibidem disp. 1. concl. 2. Ledesma 2. 4. quæst. 60. art. 1. Inn. c. consultationi. de frig. & malef. & ibid. Hostiensis. Abb. Anton. & alij. & Felin. cap. lator. 2. 2. de sent. & re iudic. Ratio est, quia ea coniunctio repugnat mutuæ corporum traditioni ad vsum coniugalem, in quo consistit essentia matrimonij, cum enim vsus sit impossibilis, nulla dari potest obligatio ad illum; At vbi essentia contractus reperiri nequit, contrahentes iuri suo cedentes, non possunt efficere, vt is contractus valeat. Accedit, quia nemo potest obligari ad impossibile etiam altero admittente obligationem.

Faciunt pro hac Sixti definitione, quæ etiam habentur de frigid. & malef. cap. consultationi. & cap. laudabilem: quæque subtiliter disputantur à Leone Imp. in citata constitutione 98. vbi conuenientes in huiusmodi peregrinam, & naturæ repugnantem commixtionem, puniendos docet; mulierem quidem, quod coniugalis consuetudinis cupida, cum potuerit se iungere fœcundo, infœcundum, & sterilem prætulerit; Eunuchum verò, quod impedierit fœminæ cum

cum altero perfecto viro fœcunditatem, & fructum; & ideo, vt reprimendus, & puniendus est, qui fundum vastat, & incultum reddit, ex quo alius aliquis colligeret fructus; ita reprimendus est, & puniendus contrahens Eunuchus. quare sic statuit Leo. *Propterea sancimus, vt si quis Eunuchorum ad matrimonium procedere comperiatur, & ipse stupri pœnæ obnoxius sit, & qui sacerdos istiusmodi coniunctiones, profanato sacrificio, perficere ausus fuerit, sacerdotali dignitate denudetur.*

EIVSDEM SIXTI V.

Constitutionis 71. olim 73. editæ anno 1587. quæ incipit. Cum de omnibus *& Declarat.* Ad Romanum.

EPITOME 144. & 445.

In religione qui, & quomodo recipiendi sunt. excommunicatio, priuatio, inhabilitatio. Dé que admittendis ad hospitiũ religiosis. *priuatio vocis, officiorum, & bonorum, & inhabilitatio.*

STATVIT §. 2. Illegitimos ex incestu, vel sacrilegio (quorum scilicet parentes consanguinitate, vel affinitate intra tertium gradum coniuncti fuerint, vel quorum alteruter parens castitatem Deo vouit) etiam legitimatos in religionem cuiuscunque ordinis, non posse recipi, nisi pro conuersis, ea conditione, vt ad religiosorum habitum professionem ordinis, & Ecclesiastica officia aditus sit eis semper præclusus. Et si recipiantur, receptio, & professio est nulla, statimque eiici debent; & qui receperunt, sunt excommunicati, & absolutio reseruatur Papæ.

§. 3. Alios autem non ex incestu præfato, nec sacrilegio, sed quouis alio modo, toro minùs legitimo natos, spurios, vel naturales, etiam legitimatos in religionem recipi posse, seruata huius constitutionis forma, sic tamen accepti inhabiles sint, nisi auctoritate Apostolica super hoc fuerit cum eis dispensatum, ad gradus, honores, & dignitates sui ordinis, si quis aliàs, quàm dictum est, recipiatur, professio sit nulla, & priuatus habitu eiiciatur à religione, & qui receperunt, sint modo dicto excommunicati.

§. 4. Porrò viri & iuuenes maiores 16. annis non possunt in religione recipi, nisi prius inquiratur, & fide digna relatione compertum sit de eorum parentibus, patria, vita ante acta, & moribus, ita vt constet eos non esse reos, vel suspectos homicidij, furti, latrocinij, & similium, vel grauiorum, propter quæ sint damnati, vel damnari formident, neque ære alieno grauatos supra vires suarum facultatum, neque obnoxios reddendis rationibus, quorum indubitata fides facienda est in Capitulo Generali, vel

vel Prouinciali, deinde approbati consensu Generali, vel Prouinciali, & Definitorum admittendi sunt ad habitum regularem. Criminosi autem, vel suspecti, aut ære alieno, reddendíque rationibus obligati, declarantur perpetuò inhabiles ad religionem.

§. 5. Er si contra hanc formam suscipiantur, receptio habitus, & professio nulla est. Et sæculares iudices ciuiliter, & criminaliter possunt contra eos procedere, ac si essent Laici. Ideo etiam cuiusque religiosi vltra 16. annum susceptí, nomen, & cognomen, quibus vtebatur in sæculo, & patria, in actis Capituli notentur.

§. 6. Quicumque autem religiosi, & eorum superiores, qui aliquas personas, vt dictum est, inhabiles post huius constitutionis publicationem receperint, voce actiua, & passiua, necnon officiis, gradibus, honoribus & dignitatibus perpetuò priuantur, & ad illa, & alia sunt inhabiles in futuro.

§. 7. Et quia aliquando sicarij religiosis vestibus induti, per fraudem religiosos decipiunt, vt hospitio ab eis recipiantur, interdicit, ne quis religiosus ex vna prouincia ad aliam sui ordinis transeundo, etiam in itinere, intra aliquod monasterium, aut locum alterius prouinciæ ad habitandum, vel tanquam hospes possit recipi, vel diuertere, ad modicum etiam tempus, nisi à superiore loci, vbi residet, expressam licentiam discedẽdi in scriptis obtentam exhibeat, vel nisi ita cognitus sit iis, ad quos diuertit, vt de eius persona nullus sit suspicionis locus. Et Ordinarij si ignotos, vel sine dictis litteris deprehenderint, detineant in carcere, donec verificetur non esse criminosos. Recipientes verò alterius Prouinciæ regulares ignotos sine prædictis litteris, etiam prætextu pietatis, & hospitaliratis, incurrunt priuationem vocis actiuæ, & passiuę, officiorum, honorum, & dignitatum obtentarum, & inhabilitationem in futuro,

In declaratione verò eiusdem, cuius initium est. *Ad Romanum spectat.* §. 3. Declarat primò, illegitimè natos ex iis parentibus, inter quos tempore, quo ipsi sunt geniti, matrimonium ritè consistere poterat, secuto postea matrimonio legitimos effectos, sub dicta constitutione non comprehendi, sed æquo iure cum illis, qui ex legitimo matri-

monio sunt nati, habendos esse.

§. 4. Declarat secundò, illegitimè natos ex soluto, & soluta, qui ante prædictam constitutionem, quauis auctoritate fuerant legitimati, aut ad dignitates habilitati, illisque sunt perfuncti, posthac gradus, & dignitates obtinere non posse; & legitimationes, & dispensationes quascumque illis non suffragari, nisi specialiter, & nominatim cum eorum singulis fuerit super natalium defectu ad honores, gradus, & dignitates obtinendas ante, vel post ingressum religionis per Rom. Pontificem dispensatum.

§. 5. Declarat tertiò, quoad non dispensatos tempore editæ constitutionis, qui honores, & dignitates habebant ad vitam, eo ipso ab illis amotos, & absolutos fuisse; habentes verò ad tempus, permittit retinere vsque ad finē sui temporis, & non vlterius; nec postea aliàs inferiores posse consequi, sine noua Papæ indulgentia.

§. 6. Declarat quartò, appellatione dignitatum, honorum, & graduum, à quibus illegitimi excluduntur, intelligi Præpositatum, Abbatiatum, Prioratum, Guardianatum, Custodiatum, Prouincialatum, Generalatum, & his similia, cum honore, & superioritate coniuncta. Ab officiis autem oneris veluti lectoris, Confessarij, studiorum, & Theologiæ Magistri, Regentis, Prædicatoris, & huiusmodi, immo etiam à voce actiua, à sacris ordinibus suscipiēdis, ipsorúmque ministerio ipsos illegitimos (dummodo ex sacrilegio, vel incestu geniti non sint) minimè arceri, aut prohiberi.

§. 7. Declarat quintò, vt religiosi, qui non habent annua Capitula, vel degunt in partibus hæreticorum, & infidelium, constituant duo, aut tria vel plura monasteria, si commodè fieri possit, quorum superiores conueniant singulis annis, & decernant de Nouitiis, sicut habetur in Constitutione.

§. 8. Si paucitas, vel longinquitas monasteriorū hoc non patiatur, Capitulum Generale, vel Prouinciale, eligat tres Patres antiquiores vnius monasterij, qui hoc faciant.

§. 9. Regulares qui non sunt redacti in congregationem, vel quorum monasteria non sunt sub vlla Prouincia, faciant tria Capitula conuentualia celebrata tribus distinctis vicibus, cum interuallo

uallo saltem 10. dierum. Et si in his tribus vicibus Nouitij fuerint approbati, habeant auctoritatem attributam Capitulis Prouincialibus.

§. 10. 11. In Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, &c. pro receptione Nouitiorum satis est, si numerus vocalium sit iure, vel per statuta ordinis, legitimus, licet aliqui absint, vel discrepent à consensu definitorum.

§. 12. Declarat sextò, in Conuersis emittentibus professionem satis esse, si fiat inquisitio quoad mores, & statum personarum.

§. 13. Declarat septimò, professiones tacitas irritas, & nullas esse.

§. 14. Declarat octauò, si quis tacitè antea professus, iam expresè velit profiteri, vel si quis Apostata velit ad suam religionem redire, non esse necessariam præscriptam inquisitionem, & formam; sed sufficere inquisitionem de moribus, statu & qualitate personæ, vel si oriatur difficultas, de validitate ipsius tacitæ professionis.

§. 15. Declarat nonò, in recipiendis iis, qui remotissimi sunt à sua patria, vel si illa detineatur ab Hæreticis, vel infidelibus, non esse hæc necessaria; sed si facta aliqua diligentia, nihil appareat, quod impediat, esse habiles reputandos.

§. 16. Declarat decimò, si quis professus post promotionem ad dignitatem, & gradus, constiterit defectum natalium, aut criminum pati notam, quæ prius ignorabantur, procedatur secundum præsentem constitutionem.

§. 17. Declarat vndecimò, quod dictum est in præsenti Constitutione, §. 5. iudices sæculares posse ciuiliter, & criminaliter procedere contra criminosos, quorum professio declaretur irrita, intelligi cum actis publicis constiterit ipsam Curiam sæcularem ante susceptionem habitus, aduersus eos de ipso crimine accusationem suscepisse, vel instituisse inquisitionem.

§. 18. Declarat duodecimò, sancita in præcedenti constitutione circa religiosos viros, non extendi ad moniales.

§. 19. Declarat decimotertiò, dum §. 7. interdicit, vt nullus regularis ad hospitium recipiatur in monasterio, vel domo alterius prouinciæ etiã ad modicum tempus, nisi ostendat, litteras patentes superioris sui, vel nisi ita cognitus sit, vt non dubitetur de illo, alioquin recipientes in-

cuttãt pœnas ptiuationis vocis actiuæ, & passiuæ, & officiorum, & inhabilitatis perpetuæ, intelligi non solum in religiosis itinerãtibus de vna in aliam prouinciam, sed in iis quoque, qui proficiscuntur de vno in aliud eiusdem Prouinciæ monasterium, & tam sui, quàm alterius ordinis.

§. 20. Declarat decimoquartò, si transeuntes sine litteris dixerint id factum, quod ad Sedem Apostolicam confugiant ob grauamina illata à superiore, à quo non potuerint litteras obtinere, neque etiã tunc esse recipiendos, nisi testimonio fide digno aliquorum constet de petita licentia, & per superiores denegata.

§. 21. Declarat decimoquintò in Romana quoque vrbe religiosos aduenas de grauaminibus sibi illatis conquerentes sine huiusmodi litteris nullibi esse recipiendos, nisi priùs ad Congregationem super regulares, vel ad Protectores remittantur, qui statuent quid agendum.

THEOREMA 371.

Sicut *filij legitimi* dicuntur illi, qui ex legitimo matrimonio nati sunt (omitto hic filios adoptiuos, cum non faciant ad rem nostram) ita *illegitimi* illi appellantur, qui extra legitimum matrimonium sunt procreati. Hi autem in quatuor diuiduntur species ex Glos. in cap. nisi cum pridem. §. personæ in verb. Manzeres. extra de renunciatione. Panor. ibid. Hostiens. in sum. tit. de filiis presbyt. Couar. p. 2. de sponsal. cap. 8. §. 4. Petr. Greg. Syntag. l. 10. cap. 3. Henriquez l. 1. de matrim. cap. 20. Azor p. 2. l. 2. cap. 6. & 8. & l. 6. c. 3. quæst. 18.

Primò *naturales* dicuntur, & 1
sunt, qui nati sunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel natiuitatis nullum erat impedimentum dirimens. Quamuis enim iure Cæsareo l. penult. & finali. ff. de concub. iuncta l. si quis officium. ff. de ritu nupt. & Glos. in cap. venerabilem. tit. qui filij sint legit. is solum diceretur naturalis, qui natus erat ex vito soluto, & vnica concubina domi retenta loco vxoris: iure tamen Canonico omnes illi vocantur naturales, qui ex solutis sunt geniti. quod etiam iure ciuili postea receptum est, vt docet Panor. cit. c. per venerabilem. qui filij sint legit. eo quod ei potius sit fauendum, qui absque cõcubinatu natus est, quàm qui ex concubina domi retenta, cum hoc sit peius. & dicuntur naturales, quòd eos solã natura, vt in cæteris animantibus genuerit, & non honestas coniugij, ex Isid. l. 2. etym. cap. 5. Alteri dicuntur *Nothi*, 2
nati scilicet ex viro coniugato, & fœmina soluta. Inter hos verò, & naturales illud interest, quod naturales possunt succedere, si alij filij legitimi non extent, nec coniux legitima ab intestato in bonis patris, in duabus vncijs, id est sexta parte hæreditatis. Cod. de natur. lib. Authent. licet pater. & in bonis

bonis maternis, ſuccedit cum legitimis filiis, Cod.de Senat. conſult. Orfician. l. ſi qua. §. vltim. Nothi verò minimè. Qua de re Couar.loco cit.Cardinalis Palæotus.l.de nothis, & ſpuriis.c.38.39. Petr. Gregor. Syntag. p.2.l.10.c.3. Surdus.l.de natural.& ſucc.eorum p.3.& Azor tom.2.l.2.c.7.

3 Tertij vocantur *ſpurij*,quaſi ſine certo patre,eò quod patrem oſtendere vel non poſſint propter incertitudinem, vel certè non poſſint ſine infamia. Inſtit. de nupt. §. ſi aduerſus. talis eſt, qui natus eſt ex parentibus, inter quos tempore,quo conceptus,aut natus eſt, erat impedimentum dirimens,vnde talis concubitus dicitur nefarius, eò quod humana lege damnatus,& punitus ſit.Inſtit.de publ. iudic. §. item lex Iulia. vt adulterium, inceſtus, ſtuprum, ſacrilegium. Quare qui ex huiuſmodi complexu damnato prodierint, ſpurij dicuntur. nec quicquam à Patre præter alimenta, ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato, ſiue ex contractu inter vinos poſſunt capere. Authent.licet.Cod. de naturalibus liberis in fine. & Nouella. 74.c.6.Couar.p.2.de matr. c.8.§.5. Clar.quæſt.31. de teſtam. quia per leges factus eſt incapax.ideo,ſi accipiat,tenetur in conſcientia reſtituere legitimis hæredibus. Vltimi

4 dicuntur *manzeres*. Deut.23.Zach. c.3.& 6.vt in Iure-canonico. c.niſi cum pridem.de renunciatione. in iure enim ciuili non habentur, & ſunt ex Gloſſ.in cit. cap. niſi cum pridem. qui ex viro ſoluto, & meretrice, vel alia quacunque fœmina fornicaria ſoluta habente venalem ſuam pudicitiam, naſcuntur.

Statuerat igitur Sixtus Conſtitutionis huius §.2.& 3.Illegitimos ex inceſtu, & ſacrilegio, etiam legitimatos, non poſſe admitti ad habitum, profeſſionem, ordines Eccleſiaſticos, & officia, ſed tantùm pro conuerſis ob perſonarum indecentiam, ſeu irregularitatem, iuxta Deuteron. 23. *non ingredietur manzer*, hoc eſt de ſcorto natus (idemque de aliis illegitimis ex Caiet. ibid. Maiolo.l.1.de irreg.c. 4. Panorm. c. niſi cum pridem. §. perſonæ.de renunciatione.& c.per venerabilem in fine. qui filij ſint legitimi)*in Eccleſiam Domini*(vt ſcilicet Eccleſiaſticis officiis fungatur) *vſque ad decimam generationem.* (id eſt in perpetuum.) Cæteros autem illegitimos poſſe quidem in religionem recipi ſeruata Conſtitutionis forma: ſed, etiam ſi ſint legitimati, eſſe inhabiles (niſi cum eis à Papa diſpenſetur) ad gradus, honores,& dignitates ſui Ordinis. Et aliter admiſſi debebant ſtatim eiici, profeſſio nulla erat, & admittentes erant excommunicati, & à Papa abſoluendi. Sed Gregorius XIV. hæc reuocauit ad terminos iuris communis, & priuilegiorum cõceſſorum religionibus, vt dicam.

Porrò ex his. §§. 1.& 2. apertè colligis religioſorum habitum ex Gloſſa.27. quæſt.1. c.1. Archidiac. & Ioan.And. in c.conſtitutionem. de regul. l.6. eſſe triplicem, nimirum habitum probationis, proprium videlicet Nouitiorum,ex c. tranſmiſſa. de renunciatione, & c. ſtatuimus. de regular. licet antea toto probationis tempore vulgarem, ſeu priſtinam veſtem non deponerent.c.legem.d.53. c. multos. d.54.17. quæſt.2.c.3. & c.ſuper eo.

de regul. Et ideo debet esse in aliquo Nouitiorum habitus distinctus ab habitu cæterorum, ex Gregorio IX. c. *Statuimus.* de regul. Panorm. c. ex parte. de regul. & Glossa in Clem. *Eos.* de regul. Habitum Conuersorum, qui ad seruilia ministeria sunt deputati. Et habitum Professorum, qui solis Professis solet concedi. de quo cit. c. legem. d. 53. & 17. quæst. 2. c. 3. & c. *Statuimus.* de regul.

THEOREMA 372.

PRæcipitur etiam meritò §. 4. non esse in religione suscipiendos criminosos, suspectosve homicidij, furti, latrocinij, & similium, aut maiorum, vt esset hæresis, vel læsæ maiestatis; neque obæratos (licet olim fuerit de hac re controuersia, vt patet ex S. Thom. 2. 2. quæst. vltim. art. 6. Syl. relig. 2. quæst. 4. Medina. Cod. de restitutione quæst. 3. causa 8. Astensi. l. 6. t. 19. quæst. 6. Azore p. 1. l. 12. c. 1. quæst. 5. Claui Regia. l. 10. tr. 5. c. 7. Rebell. l. 2. quæst. 17. num. 27. Lessio. l. 2. c. 16. dub. 8.) rectè tamen notat Sanchez. l. 4. decal. cap. 19. num. 24. Roder. 3. tom. qq. regul. q. 10. art. 9. Sorbus in annot. ad compriuil. v. Nouiciatus, Bonac. de restit. d. 1. q. vlt. puncto 2. §. 1. prop. 3. id non intelligi, quando debita non sunt magni momenti, quia dicitur bis in præsenti Constitutione (*ingenti ære alieno.*) qui etiam num. 21. scribit, fore etiam nunc professionem validam granati magno ære alieno, & obnoxij reddendis rationibus, ob motum proprium Clementis VIII. anni 1602. (etsi recipientes incurrerent pœnas ob vetitam receptionem,) neque obligatos reddendis rationibus, vt neque tales ordinari possunt, extra. de oblig. ad ratio. & ex c. legem. d. 53. & ex l. officia. Cod. de episc. & cler. & Nauarr. Comm. 1. de regul. n. 8.

Petentes autem admitti annis sexdecim maiores negat recipi prius, quàm habita sit, fide digna, relatio de eorum parentibus, patria, & vita anteacta, & moribus; ita vt constet nullum esse impedimentum. Sicut & veteri instituto. 17. quæst. 2. c. 3. incogniti ante concessionem habitus, triennio probabantur, vt etiam de militaribus viris volentibus religionem ingredi, habetur. c. legem. d. 53. non esse temerè suscipiendos nisi prius fuerit eorum vita subtiliter inquisita, & per triennium probata. videndum est c. multos. d. 54. Aliàs enim facile plura acciderent incommoda; vt si admitterentur Episcopi, Parochi, & alij Ecclesiæ, vel coniugibus obstricti, Virginum defloratores sub promissione matrimonij, serui absque consensu dominorum. c. si quis incognitus. 17. quæst. 2. filij, quorum parentes premuntur egestate, & similes, de quibus Rodericus. 3. p. quæst. 10. & in summ. v. Nouitios c. 3. Lessius l. 2. c. 41. dub. 3. Azor p. 1. l. 12. c. 1. quæst. 5. 8. 9. & Io. Valerius, verb. Regularis. differétia 1.

Porrò malè existimauit Sorbus in comp. priuil. mend. verbo. Nouitius. nor. 4. in hoc §. 4. vetari recipi quemquã in religione, minorem sexdecim annis. Pontifex enim solum statuit, maiorem sexdecim annis non esse admittendum, nisi præuia informatione, vt rectè etiam notauit Sanchez l. 4. in decal. c. 18. in fine.

THEO

THEOREMA 373.

SImiliter in §. 5. & 6. decreuit, vt si qui contra formam huius Constitutionis reciperentur, habitus susceptio, & professio nulla esset, & eiicerentur exuti habitu è religione. & nisi id fieret, liceret quibuscunque Iudicibus & Curiis etiam sæcularibus, ad quos ius procedendi contra eos spectat, vt prius, iuris & facti remediis opportunis ex officio ciuiliter, & criminaliter procedere. & ob id vult in actis capituli annotari recepti nomen, & cognomen, quibus in sæculo vtebatur, & patria. Qui verò eos contra hanc constitutionem susceperint, actiua, & passiua voce, officiis, gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuscunque obtentis eo ipso in perpetuum priuantur, & ad ea, & alia quæcunque obtinenda inhabilitantur.

Verum quod attinet ad nullitatem susceptionis habitus, & professionis admissorum contra præscriptam formam, reuocatum est à Clemente VIII. Constitutione 83. quæ incipit. *In suprema* §. 2. quòd eo prætextu multi religiosi fraudulenter peterent, vt propria professio declararetur nulla. reliquit tamen §. 4. pœnas cótra admittentes ad habitum, & professionem contra prædictam formam Constitutionis Sixti, inflictas §. 6.

THEOREMA 374.

QVæ habentur §. 7. de non recipiendis etiam ad tempus medicum ad religiosorum hospitium ignotis non exhibentibus patentes litteras suorum Superiorum, congruunt & cum antiqua Ecclesiæ consuetudine, quæ habetur, d. 71. & 72. & apud Tertull. l. de præscript. c. 20. Lucianum ad Chronum, & alibi, & cum extrauagante Bonifacij Octaui. *Iniuncta.* de elect. vbi dicitur. *Similiter Clerici ad alienam diœcesim, sine suorum Ordinariorum litteris vementes, nec in suis recipiantur ordinibus, nec ad superiores ascendant. Clerici quoque & Monachi, qui de suis ciuitatibus ad alienam vrbem proficiscuntur, nisi muniti veniant suorum Prælatorum litteris, non sunt Clerici, nec Monachi reputandi. Si quis autem aliter venientes recipiat, incurrit priuationem vocis actiuæ, & passiuæ, honorum, & dignitatum obtentarum, & inhabilitatem in futuro.* qua etiam de re dicitur in sequenti declaratione, §. 19. *Deprehensi autem prædicti ignoti itinerantes sine his patentibus, detrudantur in carcerem ab Ordinariis, donec constet, non esse criminosos.*

Statuerat etiam Consil. Trident. sess. 25. c. 4. vt repertus sine mandato prædicto in scriptis, à locorum Ordinariis, puniretur tanquam desertor sui instituti. Quæres, quid si supradictæ litteræ in itinere sint amissæ? Satis erit, si secum peregrinantes fide digni testentur de amissione, vel alterius viri grauis scriptum testimonium aliunde adferant, ex Roder. t. 2. quæst. 122. art. 1. argumento. c. *Tuæ paternitatis.* de clerico peregrinante. & Glossa ibidem. verb. per litteras, siue per testes. & Syl. v. Peregrin. num. 4. & facit pro hac sententia declaratoria eiusdem Sixti. §. 19.

THEOREMA 375.

VErùm cum in prædicta Constitutione plura habeantur dubia,

dubia, coactus eſt idem Sixtus ea declarare, in Conſtitutione hac de re edita, quæ incipit. *Ad Romanum.* Declarat igitur primò §. 3. ſub prædicta Conſtitutione non eſſe comprehenſos illos illegitimos, qui nati ex parentibus, inter quos tempore, quo geniti ſunt, poterat conſiſtere matrimonium, & ſecuto matrimonio ſunt effecti legitimi. Et meritò, cum legitimis natalibus, per ſubſequens matrimonium communi iure, reſtituantur. c. conqueſtus, & c. tanta. qui filij ſint legitimi. Authent. quibus modis natur. eff. legit. collat. 6. & Inſtit. de Nupt. §. vltimo adeo vt ad Ordines, & beneficia promoueri poſſint, immo & ad dignitates. Gloſſ. ab omnibus recepta in cit. c. tanta. etiam maiores. v. g. Epiſcopatum, ex Hoſtienſi, Abbate, Butrio in c. ad extirpendas. de filiis presbyt. Syl. verb. illegitimis. quæſt. 1. vnde rectè Sixtus vult æquo iure cum illis haberi, qui ex legitimo matrimonio ſunt nati.

Declarat ſecundò, §. 4. ſecus eſſe de natis ex ſoluto, & ſoluta ante prædictam Conſtitutionem, quauis auctoritate legitimatis etiam perfunctis gradibus, & dignitatibus; vnde præcipit eos ſpoliari, & non ſuffragari legitimationes, & diſpẽſationes, niſi ſpecialiter cum eorum ſingulis ſuper natalium defectu, ad honores, gradus, dignitates obtinendas à Papa diſpenſatum fuiſſe conſtiterit.

Declarat tertiò, §. 5. Qui ſine tali diſpenſatione tempore editæ prioris Conſtitutionis officia, & dignitates ad vitam habebant, eo ipſo eſſe ab illis amotos, obtinentes verò ſolum ad tempus, ea poſſe retinere, dummodo non longius protrahatur tempus ordinarium; non poſſe tamen poſtea alias, etiam minores, conſequi, abſque noua Pontificis indulgentia.

Declarat quartò, §. 6. Honorum, graduum, dignitatum appellatione intelligi ſuperiorum officia, non autem onerum munia, lectoris, Confeſſarij, prædicatoris, &c. vocem actiuam, receptionem, & executionem Ordinum, dummodo geniti non ſint ex inceſtu, vel ſacrilegio. Sed Gregorius XIV. Conſtitutione 3. quæ incipit. Circunſpecta reduxit huiuſmodi diſpenſationes, & legitimationes, in defectu Natalium, de quibus agitur in his duabus Sixti extrauagantibus, ad terminos iuris, & priuilegiorum, & Apoſtolicorum indultorum, cuiuis Ordini, religioni, monaſterio, eorúmue ſuperioribus conceſſorum, quæ tempore harum Sixti extrauagantium erant vſu recepta, vt valeant, ſicut antea; ita tamen, vt quandocunque de illegitimis ad habitum, & profeſſionem quorumcunque Ordinum recipiendis, agetur, ij, ad quos recipiendi ius ſpectat, eorum vitam, & mores diligenter inquirant, & ſic demum recipiant, vt bonam indolem præſeferant, & eis tot merita ſuffragentur, vt natalium ſuppleant defectum, eorumque receptio religioni profutura videatur, & ij, ad quos pertinet ius recipiendi, deliberatione matura ita iudicauerint.

Declarat quintò; ſextò, ſeptimò, octauò, nonò, in ſequentibus vſque ad §. 17. quid ſit agendum, cum ex defectu Capituli præſcripta forma, & diligentia informationis ſeruari non poteſt, &c. in quibus omnia videntur manifeſta.

Decla

Declarat vndecimò. §.17. quod dictum erat §. 5. in priori Constitutione, posse iudices sæculares ciuiliter, & criminaliter procedere contra criminosos, quorum professio declaretur nulla, intelligi solum cum actis publicis constiterit ipsam Curiam sæcularem ante habitus susceptionem, de ipso crimine aduersus eos accusationem suscepisse, vel instituisse inquisitionem. Sed per reuocationem Gregorij XIV. cessat nunc difficultas. Videri potest Gutierez l. 1. qq. pract. q. 5. & Roder. tom. 2. quæst. 2. art. 3.

Declarat duodecimò. §. 18. sancita in his Constitutionibus, circa viros religiosos, non esse extendenda ad moniales. ideo mulier v. g. ære alieno grauata, potest religionem ingredi. Quærenti autem an prædicta extendantur ad recipiendos in ordines militares, respondet Azor tom. 1. l. 12. c. 3. q 8. non extendi, eò quod prædicti in odiosis, & pœnalibus non veniant nomine ordinum religiosorũ. Sed solum in his, quæ sunt fauoris, & priuilegij, ex Abbate in Rubrica de regular. Syl. v. Ecclesia. 1. num. 6. & v. Religio. 1. quæst. 1. versu. *Tertium Hospitalarij*, Angelo. v. Religio. 4. vnde Gregor. XIII. cum prohibuisset religiosos spectare taurorum agitationes, id concessit religiosis militaribus. vt etiam eosdem excepit Clemens VIII. in bulla de largitione munerum.

Declarat decimotertiò. §. 19. & seq. prohibitionem factam §. 7. de non recipiendis ad hospitiũ, etiam ad modicum tempus regularibus ignotis, sine patentibus litteris, intelligi siue ex eadem Prouincia veniant, siue ex diuersa, & tam proprij, quàm alieni Ordinis, sub pœnis ibidem statutis; aliàs multæ fraudes fieri cõmodè possent. Non dissimili ratione fouebantur apud antiquos Gentiles mutuæ hospitalitates; tesseris enim loco litterarum pro symbolis vtebantur, iuxta illud Plauti in Penulo.

——*Si ita est, tesseram*
Conferre si vis hospitalem, eccam attuli:
Agedum ostende: est par probè. nam, &c.

Statuerat etiam Concilium Tridentinum sess. 25. c. 4. ne prædictis regularibus liceret à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu accedendi ad superiores suos, nisi ab eisdem missi, & vocati fuissent, idque in scriptis constaret. Vetátque tandem Sixtus admittendas excusationes, non potuisse prædictas patentes obtinere, quòd pro grauaminibus illatis, confugiant ad Sedem Apostolicam, nisi aliquorum testimonio fide digno constet de perita, & non obtenta licentia. & Romæ tales nullibi admittendos, nisi prius se præsentauerint Congregationi super regularibus, vel Protectori.

EIVSDEM SIXTI V.

Constitutionis 87. editæ anno 1588. quæ incipit. Effrænatam.

Aborsũ procurãtes, & socij sunt excõmunicati, priuati officiis, benef. & irregulares, à solo Papa soluendi.

EPITOME 146.

DECERNIT §. 1. eos, qui per se, vel interpositas personas aborsum fœtus animati, vel inanimati procurauerint, percussionibus,

Scortia.

venenis, medicamentis, oneribus, aliisve modis aborsu secuto; & prægnantes mulieres, quæ præmissa scienter fecerint, teneri pœnis omnibus iure diuino, canonico, & ciuili statutis contra veros homicidas.

Similiter §. 2. 3. 4. eosdem incurrere irregularitatẽ, vnde nec promoueri possunt, nec, si iam promoti sunt, ministrare, sed eo ipso omni priuilegio clericali, officio, & beneficio Ecclesiastico esse priuatos, quæ sic vacatura reseruentur dispositioni Papæ, atque inhabiles in futuro, etiam si delictum fuerit occultum. Et qui foro Ecclesiastico sunt subiecti, degradati tradantur foro sæculari capitali pœna puniendi.

§. 5. Similibus pœnis vult teneri eos, qui sterilitatis potiones ac venena propinauerint mulieribus, aut quo minus fœtus concipiant, impedimentum præstiterint, consuluerint, ac auxiliati fuerint; necnon & mulieres, quæ ea scienter sumpserint.

§. 6. detúrque in hoc crimine puniendo inter iudices præuentio contra quoscunque, & testes iure inhabiles, suo arbitratu recipiant, & pœnis afficiant reos.

§. 7. & 8. Insuper prædictos omnes, qui, vel quæ, vel vti principales, vel vt socij, consciue ad tale facinus, opem, cõsilium, fauorem, potionem, aut medicamẽta scienter dederint, aut etiam scribendo litteras, vel appochas, vel aliàs verbis, aut signis iuuerint, aut consuluerint, ipso facto excommunicationem incurrãt, à qua nequeant absolui (nisi in mortis articulo) nec etiam in Iubilæis, aut vigore Conc. Trident. nisi à Rom. Pontifice, & similiter ab irregularitate, hac de causa contracta, ab eo tantum vrgẽtissimis de causis dispensari possit. Non obstantibus, &c.

THEOREMA 376.

HOmicidij voluntarij pœnas Canonicas, & Ciuiles extendit Sixtus §. 1. ad procurantes quocunque modo per se vel alios aborsum fœtus, siue animati, siue inanimati anima rationali, effectu secuto. Est autem *Aborsus* eiectio fœtus immaturi; ob id enim dicitur aborsus, quia fœtus tempestiuè ortus non est. Fœtus autem, qui intempestiuè eiicitur, alius iam animatus est, alius nondum. Si iam sit animatus, qui illi dat causam, committit homicidium; si nondum sit animatus, licet nõ sit homicidium, quia exanimari non potest, quod nunquam habuit animam, vt rectè docet D. Augustin. in lib. qq. Exodi q. 80. graue tamen peccatum est, cum impediatur hominis futuri vita. déque eo plura disputant Tertull.

tull.in Apol.c.9. M.Tullius in oratione pro Cluentio. D.Auguſt.loco cit. & ſerm. 244. de temp. & l.1.de nupt.& concup.c.15. Et habetur c.aliquando.32. q.2. S.Tho. 4.d.31. in expl. litteræ. Turrecr. c. his qui abortum.32. q.2. Cäiet. v. abortus. Petr.Greg.l.36.c.15.n.17. & ſeqq. Sylu homicid.1.n.3. Azor 3.p.l.2 c.4. Couarr.in Clem.ſi furioſus.p.2.§.1.& 3.Rebell.l.3.q.19. Leſſius l 2.c.9.dub.10.Petr.Nauar. l.2.de reſt.cap.3.n.140. Sayrus l.7. clan.c.12. & de conſ.l.7.c.1. Paul. Comitol. l. 4. q.13. Aragon. 2. 2. quæſt.64.art.7. Zabarella, & Io.de Anan.in c.ſicut de homicidio.Anton.Gomez.t.3.var.reſol. cap.3.de homicid.Plaza l.1.epit.delict.c.26. & innumeri alij.

Sed haud exigua lis eſt inter Doctores de tempore quo fœtus animatur anima rationali. & quidem Gloſſa in c.12.Leuit. Couarr. loco cit. §.3. Rebell. loco cit.n.16. Nauarr.c.15.num.14.Emanuel Sà. v.homicidium. Gambarupta.§.qui abortum procurauerint. Zechius de cauſibus reſer.c.9. Ariſtot l.7.de animal. c.3. Plinius l.7.c 6.volunt cõmuniter mares animari die 40. à conceptu, fœminas verò 80. & aliquando 90 quæ diſcrepantia inter mares, & fœminas Leſſio loco citato,& aliis nimia videtur Hippocrates l. de nat. fœtus, maſculi formationi tribuit dies 30. fœminæ 42. ad ſummum, & probat ex purgatione, quæ poſt maſculi partum durat dies 30. poſt partum fœminæ, vt diuiſſimè diebus 42. quem ſequutus videtur D.Auguſt. in l.83.qq.q 56. vbi ſine diſcrimine maris, vel fœminæ ait, humani corporis fabricam die 45. formatam eſſe.Quin etiam Albertus Magnus l.9.de anim.tr.2.c.5. vult aliquando maſculum animari die 25. alij alias ſequuti ſunt hac de re ſententias,vt conſtat ex Plutarcho l. 5. de placitis Philoſoph. cap.21. ſæpè enim complexio, & conſtitutio parentũ variare poteſt tempus animationis fœtus. Debile enim ſemen longius protrahet animationem, quod remiſſius ad membrorum formationem concurrat,è contra validius contrahet tempus formationis; & conſequenter animationis; ante formationem enim fœtus non animatur, ex doctrina D.Hieronymi. c.ſicut. d.32. q.2. & S.Augnſtini in qq. veteris, & noui teſtam. cap. 23. cum iam formato corpore Adam animam acceperit. & Exod. c.21. ſecundum 70. dicatur. *Si quis percuſſerit mulierem in vtero habentem, & abortinerit, ſi fatus erat formatus det animam pro anima, ſi nondum erat formatus, mulctetur pecunia.* Idémque habetur. 32. q.2. c. Moyſes,inſinuans ſcriptura fœtum non habere animam rationalem, antequam ſit formatus. In tanta autem opinionũ varietate de formatione fœtus, videtur ſequenda prior, cum magis faueat pœnitenti.

Porrò huiuſmodi ſcelus committentes puniuntur tum Iure Canonico, tum Ciuili. nam Concil. Illerdenſe can.2.ſic ſtatuit. *His,qui abortiuum faciunt, vel natos ſuos extinguunt, poſt ſeptem annorum curricula communio tribuatur.* Synodus 6. Generalis can.9. *Quæ pharmaca abortum facientia procurant, vel, quæ venena ſuſcipiunt perimentia partus pœna homicidij accuſentur.* & Stephanus Papa, D.Humberto Epiſcopo Moguntino c.conſuluiſti.2 q.5. *Si ille, qui conceptum in vtero per abortum*

deleuerit, homicida est, quanto magis, qui vnius saltem diei puerulum peremit, homicidam se esse excusare nequibit? & cap. si aliquis de homic. volunt. *Qui homini, aut muleri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, vt non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, vt homicida tenetur.* Sed non re ipsa, & opere commissum; ideo si fœtus nondum erat animatus, antea nulla contrahebatur irregularitas. c. sicut ex litterarum. de homicid. Glossa ibidem. & cap. si aliquis. eodem tit. cum hæc non contrahatur, nisi homo iam actu animatus interficiatur.

Ciuiles autem leges decernunt in eosdem capitis supplicium, si fœtus fuerit animatus; vt etiam sit Exod. c. 21. dicitur enim in l. necare. ff. de lib. agnosc. *Necare videtur non tantum is, qui partum præfocat, sed etiam is, qui abigit.* & l. si mulierem. ff. ad leg. Aquil. de sicariis. *Si mulierem visceribus suis vim intulisse, quo partum fluxum abigeret, constiterit, eam in exilium Præses prouinciæ exigat.* Idémque habetur l. Diuus. ff. de extraord. crim. & l. Cicero. ff. de pœnis, & constat ex oratione pro Cluentio. *Marcus Tullius cum esset in Asia, Mileſiam mulierem capite damnauit, eo quod accepta à fecundis hæredibus pecunia, sibiipsi medicamentis partum abegisset.* Si verò fœtus nondum animatus erat, is, cuius opera eiicitur, si sit honestæ conditionis amissa bonorum parte, in insulam relegatur, si humilioris & inferioris sit conditionis, in metallum damnatur. l. si quis aliquid. §. qui abortionis. ff. de pœnis. In dubio autem tenendum fuisse animatum sentiunt Ioan. And. c. sicut. 2. de homicid. Abb. ibidem. Card. Anzhar. Ananias n. 7. Soc. Senior. c. ad audientiam. q. 36. num. 217. de homic. Gomez. loco cit. Menoch. l. 2. de arb. casu 357. Sanchez l. 1. c. 10. num. 43.

Sixtus igitur V. §. 1. vult non tantùm abortum fœtus animati, verùm etiam inanimati, vt verum homicidium esse puniendum. & §. 2. & 3. etiam per abortum fœtus inanimati contrahi irregularitatem, non obstante antiquo iure. c. sicut ex litterarum. de homic. ita vt nec delinquens possit ordinari, nec ordines exercere, nec gaudere priuilegio clericali, beneficio, & officio Ecclesiastico, quibus eo ipso priuatur, & inhabilitatur in futuro, etiam si delictum non sit probatum, sed penitus occultum. vt de veris homicidis statuit Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. Illorúmque beneficiorum dispositionem reseruat Papæ. & Ecclesiasticos in hoc delinquẽtes degradatos capitali pœna puniendos, mandat tradi foro sæculari.

THEOREMA 377.

PRædictis pœnis eos quoque teneri voluit. §. 5. qui sterilitatis pocula mulieribus propinant, aut aliud præstant impedimentum, quo minus fœtum concipiant, consilium, & auxilium dederint, & mulieres, quæ scienter illa sumpserint. Qua pœna haud comprehenderetur, qui alicui viro sterilitatis poculũ præberet, quicquid sit opinatus Petrus Gregorius 3. p. syntag. l. 36. cap. 15. n. 20. cum §. 1. & 5. expressè dicatur, *prægnantes mulieres.* Et venena propinauerit mulieribus, quò minus concipiant, & pœnæ non sint extendendæ extra casum. Damnatur tamen hic etiam

casus

casus in cap. si aliquis. extra de homic. vol. vbi ex Concilio VVormatiensi dicitur teneri, vt homicidam, qui homini, & mulieri aliquid fecerit, vel dederit ad potandum, vt non possit generare, aut concipere, aut nasci soboles.

Sed nunquid comprehendantur his pœnis viri, aut mulieres, in copula retrahentes se ab emissione, & receptione seminis in vase debito, vitandæ generationis causa? Affirmat idem, qui supra Petrus Gregorius loco cit. quòd impedimentum præstent, quominus fœtus concipiantur. Oppositum docet Sayrus in thesauro. l. 3. cap. 35. num. 27. Bonacina de contr. d. 2. quæst. vlt. sect. 1. p. 7. num. 6. quod mens Pontificis sit agere de abortu fœtus, siue animati, siue inanimati; vbi autem seminis receptio non est, non sit fœtus, & consequenter, nec abortus. Adde, si id admittatur, necessarium esse idem in multis aliis admitti, vt quisque per se videre potest; & denique non sint extendendæ pœnæ. Tandem §. 7. & 8. Sixtus fert excommunicationem Papæ reseruatam etiam in Iubilæis (excepto mortis articulo) in prædictos delinquentes tam principales, quàm socios, conscios, auxiliantes, scribentes appochas, & aliis modis se in his immiscentes. Sed constitutionem hanc Sixti moderatus est Gregorius XIV. bulla 8 quæ incipit. *Sedes Apostolica*, vt infra dicetur in ea explicanda.

EIVSDEM SIXTI V.

Constitutionis 91. editæ anno 1588. quæ incipit. Sanctum & salutare.

EPITOME 147.

DECERNIT §. 2. vt Prælati, qui sæcularem, aut regularē ex aliquo vitio, crimine, aut defectu inhabilem, vel irregularem existentem, vel extra tempora statuta, vel absque veris dimissoriis sui Ordinarij, aut per saltum, & furtiuè, aut quoad sæculares sine titulo sufficientis beneficij, vel patrimonij, aut ante legitimam ætatem statutam à Concil. Trid. primæ tonsuræ, aut cuique Ordini præscriptam, aut non seruatis temporum interstitiis, sine rationabili causa, clericali charactere insigniuerint, aut ad Ordines minores, vel sacros malè promouerint, siue id scienter, siue ignoranter fecerint; nisi debita diligentia adhibita iustus error, & probabilis facti ignorantia eos excusset, sint eo ipso suspensi à collatione primæ tonsuræ, & Ordinū, & executione omnium munerum Pontificalium, & interdicti ab ingressu Ecclesiæ; & si spreta suspensione, & interdicto in præmissis se temerè ingerant, etiam à regi-

Malè, & simoniacè promouentium, & promotorū pœnæ, suspensio, interdictum, &c.

mine, & administratione suæ Ecclesiæ, seu monasterij, & à perceptione fructuum mensæ eiusdem, & quorumcunque beneficiorum obtẽtorum suspensionem incurrant, cuius suspensionis, & interdicti relaxatio à solo Papa possit obtineri.

§. 3. Clericos autem ipsos malè promotos, ab executione, ministerio, & exercitio Ordinum susceptorum, & ab omni spe, & facultate ascendendi ad superiores perpetuò suspẽsos declarat. quod si ministrare præsumpserint, efficiuntur irregulares, & omnibus beneficiis, officiis, & dignitatibus Ecclesiasticis, ac etiam si ipsi clerici fuerint regulares, actiua, & passiua voce ipso facto priuati sunt, & inhabiles ad similia, & dissimilia in futuro. quorum dispositio Papæ reseruatur.

§. 4 Quin etiam tam absoluendi, quàm dispensandi facultatem in casibus superiùs expressis, tam scilicet, quoad Antistites promouẽtes, quàm quoad Clericos promotos, etiam in foro conscientiæ reseruat Papæ, non obstantibus priuilegiis etiã maris magni, & Concil. Trid. præter quam in mortis articulo.

§. 5. Et qui absolutionem, & dispensationem petet, teneatur petere in vtroque foro ab ipsomet Pontifice Rom. non autem à Pœnitentiaria, aliàs absolutio, & dispensatio sit nulla.

§. 6. Cæterum si quis Antistes, aut Abbas seruatis quidem cunctis præmissis, & cæteris omnibus, quæ in ipsius tonsuræ & Ordinum collatione sunt obseruanda, personas habiles, sed tamẽ recepta pecunia pretio, vel præmio, simoniacè in futuro insigniuerit præter reliquas censuras, & pœnas contra simoniacè ordinantes, & ordinatos à sacris Canonibus, & Constitutionibus inflictas, etiã omnia, & singula supradicta in sic promouentibus, & promotis locum habeant.

§. 7. Ita vt in nullis concessionibus, quibus absolui potest à casibus Bullæ cœnæ, aut Iubilæis hic casus comprehendatur, sed semper sit exceptus. non obstantibus quibuscunque priuilegiis, &c.

THEOREMA 378.

COnstitutio hæc duas habet præcipuas partes, alterã quidem vsque ad §. 6. de malè promouentibus, & promotis, sed absque simonia. §. enim 2. cõtinẽtur pœnæ malè promouẽtium. §. 3. malè promotorum. §. 4. & 5. explicatur modus, quo vtrique extra mortis articulum debent absolutionem, ac dispensa

diſpenſationem petere. Alteram verò nempe.§.6.& 7. de ſimoniacè promouentibus, & promotis. Et primam quidem partem in additis de nouo à Sixto temperauit Clemens VIII. Conſtit.40. reducendo ad terminos iuris communis, Concil.Trident.& Conſtitutionis Pij II. incipientis.*Cum ex ſacrorum.* de qua Epitome 39. poſteriorem verò idem ipſe Clemens confirmauit. Itaque ſecundus §. conſtitutionis huius Sixti V. contra malè ordinantes totus reuocatur in Clementis Conſtitutione 40. quæ incipit. *Romanum Pontificem.* Vnde fit, vt Epiſcopus ordinans inhabilem ex aliquo crimine, vitio, aut defectu, vt puta deſcendentem ab hæreticis, Iudæis, Maranis, contra iura, vt Concil.Trid. ſeſſ.23.c.7. & cap.quando.d.24. & Gregor.XIII. bulla 66. vel alienum clericum abſque dimiſſoriis proprij, remaneat ſolum iure veteri.cap.eos,qui clericos. de temp. ordin. lib. 6. & Concil.Trid.ſeſſ.23. c.8. ſuſpenſus per annum à collatione ordinum, ſcilicet maiorum, & minorum, ex Gloſſa ibidem; mitigat enim pœnam ſtatutam. 9. q.2. cap.nullum, ſuſpenſionis à celebranda Miſſa, contra eundem. Quod ſi ſolum contulit primam tonſuram, remanet duntaxat ſuſpenſus per annum à collatione clericalis tonſuræ. c. vlt.de temp.ord.l.6. ſunt tamẽ aliqui caſus, in quibus Epiſcopus licitè poteſt non ſubditum ordinare abſque dimiſſoriis, de quibus Suarez tom.5.d.31.ſect.1.n.15.& ſeqq. *Si quem verò proprium ordinauit ordine ſacro, ſine titulo ſufficientis beneficij, aut patrimonij, tenetur ſolum cum ſuis ſumptibus alere, donec ei de ſufficienti beneficio proniderit.* c.Epiſcopus.cap. cum ſecundum. tit.de præbend. & c.ſi Epiſcopus.eodem tit.lib.6.

THEOREMA 379.

QVoad malè promotos, de quibus §.3.reuocantur etiam ab eodem Clem. VIII. omnia ad terminos iuris communis,& Concil.Trid. ac Pij II. Conſtitutionis prædictæ. in quibus primò ſolum ordinati ad ordines ſacros ab alieno Epiſcopo abſque veris dimiſſoriis, ſuſpenduntur ad arbitrium proprij Epiſcopi. d.71. c.1. iuncto cap.Salonitanæ. d.63. Conc.Trid. ſeſſ.23. c.8. Maiolo l.4. de irregul. c.5. Henriquez l.13.c.38.§.1. Suarez d.31.ſect.1.n.36.37. vbi etiam plura de ementitis dimiſſoriis diſputat, ſi tamen Vltramontanus abſque proprij Epiſcopi dimiſſoriis,vel licentia Papæ ordinatur ab Italo Epiſcopo etiam minoribus, incurrit etiam ſuſpenſionem abſque ſpe diſpenſationis,eodem iure antiquo. c.1. de temp. ordin. lib.6. Anton.3.p.tit.28.de ſuſpenſ.cap.4. Henriquez vbi ſupra,Suarez d.31. ſect.1.n.19. & miniſtrans ante obtentam licentiam ſit irregularis,ex Concil.Trid.loco citato.

Secundò,ſuſpenduntur etiam ab execut. Ordinum, qui ante legitimã ætatem(de qua Conc.Trid.ſeſſ. 23.c.12.de reform.) ordine aliquo ſacro ordinantur,ex citata Conſtitutione Pij II.& ſi miniſtrent,fiunt irregulares, cum quibus ſolus Papa diſpenſat, niſi delictum ſit occultum, eo enim caſu etiam Epiſcopus diſpenſare poteſt, ex Conc. Trid.ſeſſ.24.cap.6.

Tertiò,ſuſpenduntur quoque ab executione, qui extra tempora à iure conſtituta ſacrum aliquem ordinem

dinem ſuſcipiunt. c.ſanè. & c.cum quidam.de temp.ord. & cum relaxario ante reſeruaretur Papæ,Gregorius IX. c.conſulrationi.ibidem conceſſit Epiſcopis. Gloſſa ibid. verb.poteris. S.Anton.loco citato. Maiol. l.3.de irreg. c.24. n.9. quare ſi ante relaxationem Papæ, aut Epiſcopi, in eis miniſtrent, fiunt irregulares, vt dixi Theor.108.

Quartò.Si quis eodem die duos ſacros Ordines recipiat, ſuſpenſus eſt ab executione poſterioris.c.litteras,de temp.ord. Nauarr.cap.25. n.71. Maiolo l.4.de irregul.c.11.

Quintò. Itémque ſi duos ſacros duobus continuis, & immediatis diebus, eſt ſuſpenſus à poſteriori, d.c.litteras. & cap.dilectus.

Sextò.Necnon ſuſpẽſus ab exercitio Subdiaconatus, qui eodem die recipit minores cum Subdiaconatu.c.2.de eo,qui furtiuè ordines ſuſcep. Alberico V.ordo 2.Nauarr.c.25.n.71.verſ.8.Sylu.irregul. q.3. Sayro l.4.c.14.n.25.

Septimò ſuſpenditur, qui furtiuè id eſt Epiſcopo non approbante, vel abſque examine initiatur, ex capite 1.de eo qui furtiuè.Henriquez l.14. cap. 6. n.5. Sayro l.7. c.10. n.37. Vgolino c.39. necnon, qui per ſaltum ordinatus eſt, id eſt promotus ad ordinem ſuperiorem, nõ recepto prius inferiori, ſuſpenſus eſt vt colligitur, ex capite ſolicitudo. d.52. & cap.vnico.de clerico per ſaltum promor. Concilio Trident. ſeſſ.23. c.14. de reformat. Soto 4.d.25.q.1.arr.3.Hoſtienſi in ſumma rit. de clerico per ſaltum promot.§.1. Nauarro cap.25.n.71. & cap.27.n.242. Sayro lib.4.c.14. n.26. Valentia.tom.4. diſp.3.q.19. p.3. Auila parr.7. diſput.9. ſect.1. dub. 4. Vgolino cap.39. Futnario l.de ordinibus cap. 8. n.7. Suarez diſp.31.ſect.1.n.44.& ſeq. vbi rem ex profeſſo diſpurat,quicquid ſenſerit Archidiaconus & Turrecremata in d cap.ſollicitudo, & Bernardus Diaz in pract.Canonica;eſt autem ſuſpenſus ex probabiliori ſententia ſolùm ab illo ordine,quẽ per ſaltum accepit,ita vt in eo miniſtrare non poſſit,quod etiam impedit aſcendere ſine diſpenſatione ad ordines ſuperiores, quam iure dare poteſt Epiſcopus, non autem ſuſpenſus ab executione ordinum priorum ritè ſuſceptorum, ex Suarez n.48.& Sayro loco citato,cum ordinatis per ſaltum, ſi non miniſtrarint in ordine malè ſuſcepro, neque in prærermiſſo,vt notat Suarez num.51.Epiſcopus ex legitima cauſa diſpenſare poteſt;dummodo omiſſum ordinem recipiant antequam vtantur diſpenſatione exercirij ordinis malè ſuſcepti, ex Cõcilio Tridentino loco citato, cum illa diſpoſitio ordinis omiſſi prærequiratur ad conuenientem vſum ordinis malè ſuſcepti. Si verò ante diſpenſationem miniſtrent in ordine malè ſuſcepro,diſpẽſatio pertiner ad Papam ex Concilio Tridentino loco citato. Maiolo l.4.de irregularitate cap. 12. Henriquez lib.13.cap.35.§ 4. Nauarro,Sayro, & aliis.

Octauò ſuſpenditur ex probabiliori ſententia (quicquid voluerit Henriquez cap.37. Coninchus n.38. & alij apud Furnarium c.8.) qui ficto, & ementito ſufficientis beneficij vel patrimonij titulo ordinatur, c. per tuas nobis literas 3. de ſimonia. c.nemini, & cap. ſanctorum d. 70. quæ non ſunt reuocata, quoad perſonas ſic recipientes ordines per Innocentium III. cap.

cap. cum ſecundum apoſtolum de præbendis, vt notat Nauarrus conſ. 45. de temporibus ordinandorum, Suarez diſpur. 31. ſect. 1. num. 35. Furnarius cap. 8. num. 9. Comitolus. lib. 6. quæſt. 38. Bonacina de ſacramentis. d. 8. q. 1. p. 5. num. 24. quia in eo caſu Epiſcopus non poteſt rationabiliter obligari ad ſic ordinatum alendum. imò videntur renouata in Concilio Tridentino ſect. 21. cap. 2. vbi dicitur. *antiquorum canonum pœnas ſuper his innouando.* & in bulla Pij Quinti, quæ incipit. *Romanus Pontifex.* edita anno 1568. vbi ſuponens Clericos ſæculares ſic ordinatos eſſe ſuſpenſos, eandem pœnam extendit ad religioſos ante profeſſionem ſacris initiatos. Non eſt autem beneficij, & patrimonij quantitas taxata, ſed taxanda arbitrio ordinarij, ob diuerſitatem locorum, quia quæ ſufficit in vno loco, non eſt ſatis in alio, vt ex congregatione Illuſtriſſimorũ notat Furnarius loco citato. Porrò vetat Concilium Tridentinum dicta ſeſſ. 21. cap. 2. abſque Epiſcopi licentia renunciari beneficium ad cuius titulum quis ordinatus fuit, niſi aliunde habeat, quo viuat; & renuntiatio eſt irrita, vt etiam notat Suarez, Auila, Bonacina, locis citatis. ſicut etiam in renuntiatione patrimonij, ad cuius titulum quis promotus eſt, decernitur ibidem ex citatis. Num verò Clericus promotus, validè illud vendere poſſit, diſputat Petrus Gregorius Syntag. lib. 24 cap. 9. Nauarrus cap. 22. num. 18. Redoanus de rebus Eccleſiaſticis non alienandis. quæſt. 51. cap. 13. Vazquez de reditibus. cap. 2. §. 2. num 47. Sylueſter verbo Clericus 4. q. 13.

Scortia.

In reliquis igitur pœnis à Sixto V. additis, §. 3. Conſtitutio vim amplius non habet. vt quod ſuſpenſio intelligatur nõ tantum de malè ordinatis ad ordines maiores, ſed etiam minores, vt careant omni ſpe, & facultate aſcendendi ad ſuperiores; vt ſint irregulares à ſolo Papa diſpenſandi, ſi in eis miniſtrare præſumpſerint, ſint omnibus beneficiis, officiis, dignitatibus Eccleſiaſticis eo ipſo priuati, quorum diſpoſitio ſit reſeruata Papæ: ſint inhabiles in futuro ad ſimilia, & diſſimilia; & ſi ſint regulares, ſint actiua, & paſſiua voce priuati. Sicut neque amplius ligat in pœnis latis §. 4. & 5. circa modum abſolutionis, etiam in foro conſcientiæ, & diſpenſationis malè promouentium, & promotorum ob eãdem Clementis VIII. moderationem. Quid autem dicatur per ſimilitudinem mare magnum in materia priuilegiorum, explicat Roder. t. 1. qq. regul. q. 7. art. 4.

THEOREMA 380.

QVoad alteram partem de Simoniacè, pretio ſcilicet vel præmio, ordinantibus, & ordinatis, licet cætera requiſita ſeruata ſint, quæ §. 6. & 7. continentur: Sixtus veteres cenſuras, & pœnas in eoſdem latas à ſacris Canonibus, vt extrauag. 2. de Simonia. & Conſtitutionibus Apoſtolicis, de quibus Theor. 85. & explicatas à Sayro l. 7. cap. 12. n. 17. 18. 19. Nau. cap. 27. num. 106. & ſeqq. & c. 23. num. 111. Couarr. regula, peccatum p. 2. §. 8. num. 7. confirmat, & addit, quæ in §§. prædictis ſunt

descriptæ contra malè, etsi non Simoniacè promotores,& promotos, ita vt hic casus nunqnam intelligatur comprehẽsus in iubilęis, aut concessionibus,quibus absolui potest à casibus bullæ cœnæ, sed semper excipiatur, non obstantibus, &c. quam sanè partem idem Clem.VIII. loco cit. confirmat.

Quare si Abbas, aut Antistes Tonsuram, aut Ordines conferat recepta pecunia, pretio, aut præmio, à collatione Tonsuræ, & Ordinum quoruncumque, & ab executione munerum Pontificalium, eo ipso suspensus, & ab ingressu Ecclesiæ interdictus est; & si iis spretis, temere se ingerat in præmissis, à regimine, & administratione Ecclesiæ suæ, vel monasterij, & perceptione fructuum mensæ, & beneficiorum omnium obrentorum suspensus est, & à solo Papa dispensationem suspensionis, interdicti, & pœnarum potest obtinere.

Sic etiam Simoniacè scienter ordinatus, ab executione ordinum susceptorum, & ab omni spe ascendendi ad alios superiores, est perpetuò suspensus; &, si in eis etiam minoribus ministrauerit, fit irregularis, & à præfatis censuris, & irregularitate, etiamsi crimen occultum sit, à solo Papa potest dispensari, & quibuscumque beneficiis, officiis, dignitatibus Ecclesiasticis, quin etiam voce activa, & passiua, si regularis sit, priuatus est, & inhabilis in futuro ad similia, & dissimilia. & vacantium beneficiorum dispositio reseruatur Papæ.

Rectè verò adnotauit Sayrus, l.4. c.p 17. quod etiam ad prædictos §§. spectat, cum Clementis VIII. Constitutio moderetur solum in futuro Constitutionem Sixti, & pœnas, ac censuras antea incursas, non tollat, si quis ante Constitutionem Clementis in eas incidisset, teneri absolutionem, & dispensationem à Summo Pontifice petere, & obtinere.

EIVSDEM SIXTI V.

Cõstitutionis 92.editæ anno 1589. quæ incipit. Cum sacrosanctam. *& eiusdem declaratoriæ quæ incipit.* Pastoralis.

EPITOME 148.149.

STATVIT §.2. vt omnes Clerici, etiam in minoribus constituti, & insigniti prima Tonsura, si beneficium Ecclesiasticũ quodcumque habeant, vel ius ad illud, vel in illo, vel pensiones super quibusuis fructibus, redditibus, aut prouentibus Ecclesiasticis, etiam ex distributionibus quotidianis reseruatas, siue sint coniugati, si gaudere volunt foro Ecclesiastico, deferant Tonsuram,& habitum, ideſt vestem talarem.

Tonsura, & habitus ferẽdus ab Ecclesiasticis. Officiorum, & benef. priuatio exceptis familiaribus Papæ,&c.

§.3. Aliàs sine vlla monitione, citatione, aut decreto Iudicis, priuantur omnibus dignitatibus, administrationibus, beneficiis, officiis, canonicatibus, præbendis, præstimoniis,

moniis, penſionibus, fructibus, ac prædiis, quæ reſeruat diſpoſitioni Papæ.

§.5. Hac tamen Conſtitutione non ligantur milites, qui viuunt in aliqua regula approbata canonicè, nec alij Officiales Curiæ Romanæ, qui non vt Clerici, ſed vt milites habent beneficia ſuæ regulæ propria, vel Eccleſiaſticas penſiones, ſeu fructus ſibi reſeruatos in beneficiis, ſiue Clericali charactere inſigniti ſint, ſiue non, deferentes habitum militarem iuxta vſum ſuæ regulæ, licet non clericalem.

In declaratoria verò præcedentis, quæ incipit. *Paſtoralis.* §.2. declarat Clericos penſionarios, quorũ penſiones, fructus, aut bona Eccleſiaſtica nõ excedunt valorem 60 ducatorũ auri de Camera ſingulis annis, & § 3. familiarésque Papæ in inferioribus miniſtris, vt Parafrænarios, Credẽtiarios, diſpenſatores, & alios ſimiles actu in his miniſteriis ſeruientes, quíque in futuro inſeruient; nec nõ inrimos familiares actu in Palatio ſeruientes, continuos commenſales præſentes, & futuros, quamcumque habeant penſionẽ, fructus, & bona Eccleſiaſtica, non obligari ad ferendũ habitũ, & Tonſuram.

§.6. Cæteros autem Clericos prædictum clericalem habitum, & Tonſuram: & milites, tam militiarum canonicè inſtitutarum, quàm Rom. Curiæ officiales, qui iuxta prædictam Conſtitutionem in militari habitu ſuæ militiæ proprio, tenentur incedere, teneri ſub prædictis pœnis ad ferendum: ſed non niſi poſtquam fructus, & penſiones, vel prædia cum effectu exigere, aut percipere cæperint, vel per eos ſteterit, quò minus exigant, & percipiant.

THEOREMA 381.

HVius Conſtitutionis materia habetur etiam ex d.23. c. *prohibere.* ex epiſtola Anacleti Papę. cap. Clerici. ex Conc. Agathenſi. cap.20. cap. ſi quis ex clericis, ex Conc. Romano ſub Gregorio II. cap. non licear cuilibet miniſteria, ex Concilio Martini Papæ. cap.41. vbi dicitur non oportere clericos comam nutrire, & miniſtrare, ſed attonſo capite, patentibus auribus, & ſecundum Aaron talarem veſtem induere, vt ſint in habitu ornato. Itemque in Concilio Lateranenſi ſub Innoc. II. cap. 4. & habetur 21. q.4 cap. præcipuus. & extra. de vit. & honeſt. cleric. cap. clerici officia. de cler. conug cap. Ioannes. & lib. 6. eodem titulo c. vnico. Clem. 2. tit. de vit. & honeſt. cler. Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 6. quare mos hic in Dei Eccleſia eſt antiquiſſimus, & ab ipſiſmet Apoſtolis introductus, vt colligitur ex

Actis Apost. cap. 21. Dionysio, de Eccl. hierar. p. 2. cap. 3. Petro Greg. l. 16. Syntag. cap. 1. num. 12. & seq. & aliis, vt docuimus. l. 2. de Missæ sacrificio cap. 8. num. 1. & 3.

Iubet igitur Sixtus §. 2. quibuscumque clericis, etiam in minoribus constitutis, si habeant beneficium Ecclesiasticum, vel etiam solum ius ad illud, vel pensiones super quibusuis fructibus, redditibus, prouentibus Ecclesiasticis, bona, &c. etiam si coniugati sint, si Ecclesiastico foro volunt gaudere, de quibus c. Ioānes de cler. coniug. & cap. Clericus de vit. & honest. cler. cap. quisquis. d. 84. cap. altercationis de bigam. l. 6. Clem. 1. de vit. & honest. cler. & 12. q. 1. c. qūia. & Clarus §. fin. quæst. 36. vt deferant tonsuram clericalem, & habitum talarem proprium Clericorum, etsi in cæteris non facile sit, ex Claro, loco citato, num. 119. definire, quis sit habitus clericalis.

Porrò tonsura clericalis, vt notat Glossa in Clem. 2. de vit. & honest. cler. in iure variè solet nominari. nam aliquando simpliciter dicitur tonsura. vt cap. ex parte. de cler. coniug. & Clem. 2. de vit. & honest. cler. & c. quando d. 69. & 21. qnæst. 4. & c. 5. aliàs tonsura clericalis in Clem. cit. & cap. Io. de cler. coniug. Nonnunquam corona 12. quæst. 1. cap. duo. aliquando rasio, seu rasura d. cap. duo, etsi propriè corona sit circulus capillorum, qualē modo gestant solùm monachi, diuinis officiis mancipati, supra, & infra capillis omnibus detonsis. cap. prohibete. vbi dicitur, *Clerici iuxta Apostolum coronam non nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant.* quod olim fiebat à clericis omnibus. Ideo Concilium Tolet. 4. cap. 40. reprehendit eos, qui solum in superiori parte capitis radebant modicam capillorum partem, quam clericam dicimus. Rasura propriè significat superiorē partem, quam non ferunt Conuersi, cum non sint ordinati. Tonsura è contra absciſſionem inferioris partis crinium vsque ad aures. cap. non liceat 2. d. 23. quam etiam ferunt Conuersi. Quæ omnia tria præcipua sacros homines docent, nempe orationi, & diuinis officiis vacandum, quasi inter eos, & Deum ablato velamine per absciſſionem superiorem, cum summitas capitis mentis eleuationem designet. cap. vnico, de sacra vnct. versu. in vertice, temporalium deponendam sollicitudinem, ex Petro Greg. loco cit. num. 28. per inferiorem capillorum abrasionem significatam, quæ etiam conuersis conuenit; & simul expectandum in futura vita regnum Christi, cuius insigne est corona, vt docet D. Hieronymus. cap. duo sunt genera 12. quæst. 1. Augustinus serm. 21. ad fratres in eremo, & lib. de contemptu sæculi. & Isid. l. 2. off. cap. 4.

Vestes autem quoad longitudinem debent esse talares, vt in præsenti Constitutione dicitur. & d. 23. cap. penult. & Clementina 2. de vit. & honest. cler. Quo ad formam autem, & colorem, modestæ, & quæ clericum deceant. d. 41. §. 1. & cap. parsimoniam. & 21. q. 4. cap. 1. 2. 3. & 5. & Clem. 2. de vit. & honest. cler. & Conc. Trident. sess. 14. cap. 6. vbi etiam dicitur, vt transgressores post correctionem Episcopi, per suspensionem ab ordinibus, officio, beneficio, & fru-

ctibus,

ctibus,redditibus,prouentibus cõcreti possint,iuxta citatam Clem. 2.de vit. & honest. cler. & si semel correcti denuo deliquerint,priuari beneficiis,& officiis, vt etiam præcepit Innoc.II. in Concil. Lateranensi. c.4.vt habetur. 21.quæst. 4. c.vltimo.

Notat tamen Nauar. c.27.num. 157. & Suarez d.31. sect.3. num.1. & Cardinalis in cit. Clem.2. si semel, atque iterum aliqua occasione extraordinaria, quis non seruet dictam Clementinam, non incurreret suspensionem ibi latam à beneficio per sex menses, vel per annum; si curam habeat animarum, vel personatum, aut dignitatem,vel si fuerit quidem in sacris, sed non beneficiatus, inhabilitatem ad obtinendum beneficium per idem sex mensium tempus; sicut neque etiam post præsentem Constitutionem Clericus deponens vestes, vt securus transeat, v.g. per hæreticorum terras, incidit in censuras, cum ex Sanchez l.2.c.4.num.11.Caiet.2. 2.quæst.3. art.3. dub.1.in fine, Aragona ibid. dub.1. Philiarcho de officio Sacerdotali tom.1.p.2.l.3.c.9. præceptũ de vestibus iis deferendis, vt pote humanum, non obliget cum vitæ periculo; & in casu adsit rationabilis causa non seruandi, vt patet ex praxi.

Quoad materiam præclatiores, fulgidæ, pompoſæque vestes clericorũ & religiosorum esse non debent, cum clericus professionem suam habitu, & incessu probare debeat, non vestibus, & calceamentis quærere decorem. 41. initio.c.vltimo,& omnis iactantia,& corporalis ornatura aliena sit ab ordine sacrato. 21.quæst.4.cap.1. *habitus* enim *mentis*,inquit S.Ambr. l.1.off.c.18. *in corporis statu cernitur. hinc homo cordis nostri absconditus,aut lenior, aut iactantior, aut turbidior, aut contra grauior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi corporis motus.* & ibidem. *Est etiam gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, grauitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen si studium desit, atque affectatio. Sed motus sit purus, & simplex (nihil enim fucatum placet) motum natura informet, si quid sanè vitij est, industria emendet, vt ars desit, non desit correctio.* Quæ congruũt cum traditis à Concilio Basilien si. sess.22.§.2.& Concil.Mediolanensi 1. p. 2. & ei quod in communi dixit Seneca ep. 5. *Non splendeat toga, nec sordescat quidem.*

THEOREMA 382.

TRansgressores verò §. 3. absque vlla monitione, citatione, Iudicíve decreto, priuat omnibus dignitatibus,administrationibus,officiis, canonicatibus,præbendis,præstimoniis, pensionibus, fructibus, & prædiis, quæ etiam reseruat dispositioni Papæ. Quid autem singulorum nomine veniat in Iure, aliàs Theorem. 321. docuimus. Videatur Ioan.Selua tr.de benef.p.1.quæst.2. & seqq.Rebuff. in praxi beneficiorum. c. quotuplex sit beneficiũ. Flaminius Parisius de resig. benef. Gigas de pensionibus, Azor. tom. 2. l.3.c.1. vsque ad 28.& l.8.c.5.& alij. Quare Sixtus hoc loco non infligit nouam censuram, sed solum priuationem beneficiorum,pensionum, fructuum absque alia declaratione, clericis quibuscunque etiam in

prima Tonsura, quãuis sint exempti, gaudentibus beneficiis,& pensionibus excedentibus 60. ducatos auri de Camera, ex declaratoria. *Pastoralis.* §. 2. postquam fructus cæperint exigere, vel steterit per eos, ne exigerent, & declaratoria §. 6. nisi tonsuram, & habitum deferant; vt etiam fieri voluit Innoc.II. in c. vlt.21. quæst.4. Clem. 2. de vit. & honest. cler. & Concil. Tridentinum sess. 14. c.6. & extendit §.5. & in declaratoria, ad milites quarumuis militiarum sub regula approbata, de quibus Azor tom.1.l.13.c.3.4.5.6. & alios Officiales Rom. Curiæ. habentes etiam beneficia, pensiones, & bona, non deferentes habitum suæ militiæ. Quo circa non comprehenduntur Clerici in minoribus, non habentes beneficia, aut pensiones, sicut neque ex declaratoria. §. 3. familiares Papæ in inferioribus ministeriis, & alij continui commensales actu seruientes in Palatio, licet pensiones, fructus,& bona Ecclesiastica teneant.

Vbi etiam recurrit dubium, cuius meminimus Theoremate 8. 128.177.194.203.207.256. An adhuc desideretur in conscientia declaratoria Iudicis sententia, antequam obligarus sit transgressor subire pœnam, quam ipso iure, & ipso facto incurrit, cum Doctores diuisi sint. Negat Abbas. c. dilecti. num.12. de arbit. & c. 1. num.11. de Constitut. Alexander de Neuo ibidem num.52. Ludouic. Gomez c.1.num.9.de rescript. lib. 6. Mar. Soc.Senior.c.Iudæi.2.num.14. de Iudæis.Castro l.2.de.leg.pœnali.c. 10.11.& 12. de Iust. hær. pun. c.5. 6.7. Tiraquell. l. si vnquam. verb. reuertatur.num.268.Cod.de reuocand.donat. Tum quia id videantur tonare illæ clausulæ, *ipso iure, ipso facto priuamus*, vel *ipso iure vacare censeantur.* & tamquam vacantia liberè conferri queant. quæ alioquin carerent effectu. Tum quia vt beneficiarius vxorem ducens, vel effectus miles, aut religionem professus. aut si intra annum adeptus parochialem non promouetur ad sacerdotium, tenetur dimittere beneficium, ita in casu nostro. Affirmat Decius. c.t. in prima lectura, in noua editione. num. 73. de Constitut. Alexander. l.si quis maior. num.13. Cod. de Transact. vbi ait omnia iura mundi clamare adhuc requiri declaratoriam Iudicis sententiam. Adrianus quæst.6.Caiet.2.2. q.62. art.3.Victoria relect.de Indis priori. n.14. Simancas tit.9. num.161. vsque ad 252. Penna in direct. 3. p.c.158.Couar.l.4. decret. p.2.c.6. §.8.num.10. Sotus l.1.quæst.6. art. 6.Nauarr. c.23. num.66. Roderic. in summ. c.209. Vega tom.2. sum. c.102. Sanchez l.7.de matr. d.46. num.18.& seqq.& l.2.decal. c.22.à num.6.ad 21.Henriquez l.13.c.56. num.3. Valentia.1.2.de 7. quæst.5. puncto 6.& 22. d.1.quæst.12.puncto 2.final.Lessius l.2. c.29.dub.8. num.63. & seqq. & c. 35. dub. 26. Emanuel-Sà.v.fiscus Vasquez.1.2. quæst.96.art.5.disput.170.c.3.Molina tom.1.disput.65. & alij. Tum quod lex debeat esse accommodata humanæ fragilitati, videatur autem nimis durum, vt quis in se ipsum exequatur pœnam grauissimam, qualis est hæc, sed satis videri, si patiatur illatam. Tum quia leges huiusmodi vrentium moribus non sunt receptæ, nisi antea præcedat declaratoria Iudicis sententia.

tentia. Quare licèt prior ſententia videatur magis conformis verbis legis, poſterior tamen magis conformis eſt conſuetudini,& mitior, & ideo ſequenda, niſi manifeſtioribus verbis aliud explicetur,quàm *ipſo iure*, *ipſo facto*, cum alios effectus hæ clauſulæ poſſint habere, nempe vt cum de crimine conſtiterit,retrò trahatur pœna ad diem commiſſi criminis ; & ſit diuerſa ratio de beneficiato ducente vxorem, militante, &c. cum illæ non ſint leges pœnales, vt hæc, ſed conſtitutiones decernentes qualitates beneficiatorum.

Quid ſi addatur, vt hoc loco, vt nulla declaratione Iudicis ſit opus? Dico adhuc rem eſſe controuerſam. ſtatim enim abſque alia declaratoria ſententia obligari ad dimittendum ea docet Syl. v. Laſſinus. num.5. Tabiena, & Armilla ibidem. Azor t.1.l.5.c.7.q.6. & tom.2.l.7.c.16. quæſt.3. Sorbus in comp.priuil.mendic. v. verè. & v. ingreſſus monaſt. monial. n.10. quia cum iam excludatur declaratio criminis, erit locus pœnæ ante quamcunque aliam ſententiam:ſed adhuc exigi ſententiam declaratoriam Iudicis, tenet Couar. loco cit. num.8.10.13. Sotus l.1.quæſt. 6. art. 6. Nicolaus Milis v. intruſus. Quaranta v. Sodomia.limit.5. Henriquez.l.13.c.56. Sanchez.l.2. decal.c.22. num.20. Ludouic. Lopez.p.1. inſtruct. c.296. Graff. p.1. l.2. c.11. num. 4. Manuel. tom. 1. ſum.in 2. edit. c.195. num. 3. Suarez.d.31. ſect.4. num.22. Leſſius l. 2. c.29. dub.8. num. 63. Simancas. tit. 9. n.227. Io.Valerus. v. Pœna. diff.20. Vaſquez 1.2.quæſt.96. art. 5. diſp.170. c.4. num.24. Volentes verba illa, *abſque alia declaratione*, intelligi de ſola pœnæ declaratione, & ideo adhuc requiri ſententiam declaratoriam criminis. quæ expoſitio,etſi ſecundum verba duriuſcula videatur, vt etiam fatetur Leſſius loco cit.eam tamen vſus, & conſuetudo confirmat, ex eodem, & Nauarr.c.23.num.66. cum in hoc tantum ſenſu hæ leges receptæ ſint. quare cum res in iure ſit dubia, faciendа eſt interpretatio in mitiorem partem, cum non ſint pœnæ ampliandæ, ſed reſtringendæ, nec ſit credendum voluiſſe ſumm. Pontificem, vt quis ex ſe tantam pœnam ſubeat, quod nimis videatur rigidum, vt docet Simancas,& Nau.locis citatis.

GREGORII XIV.

Conſtitutionis 3. editæ anno 1591. quæ incipit. Circunſpecta.

EPITOME 150.

Moderatio circa illegitimos, nouitioſque admittendos ad religionem.

MOderatvr Pontifex duas Sixti V. Conſtitutiones, nempe 71. & eius declaratoriam contra illegitimos regulares, ideo §. 2. concedit, vt illegitimi, poſſint admitti ad habitum & profeſſionem, iuxta terminos iuris, & priuilegiorum conceſſorum religionibus ſingulis, quæ reſtituit in priſtinum ſtatum,& validitatem,in quibus erant ante ipſas Sixti V. conſtitutiones. §. 3. facta tamen diligenti indagatione de vita,

vita, & moribus. Non possunt tamen filij illegitimi admitti in religione, in qua pater professus fuit, ipso adhuc viuēte, siue ante, siue post natiuitatē filij professus fuerit. §. 4. similiter pro bono religionis, si suffragentur merita, concedit, vt possint illegitimi à Generalibus, vel Prouincialibus promoueri ad dignitates, & honores iuxta religionis priuilegia vsu recepta, quæ sicut antedictas Cōstitutiones validas decernit. §. 5. in locis verò Religiosorum, vbi constituitur perpetuā quædam filiatio, & ob id receptio Nouitiorum in vnoquoque monasterio ad superiorem Prælatum, & Capitulum eiusdem monasterij tantum pertinet, quæ etiam monasteria vt plurimum inter se longè distant, & rarò conueniunt, ad Generale, Prouinciale, aut intermedium Capitulum, statuit vt Superiores cuiuslibet monasterij, de consensu sui Capituli præhabita informatione simul cum iis, qui iuxta religionis constitutiones debent Nouitios examinare, illos recipiant, dum tamen antequam eos admittant ad professionem, plenaria, & eo modo, quo in dictis Constitutionibus Sixti V. habetur, fiat inquisitio, quæ postea ab examinatoribus diligenter examinetur, & approbetur. & demum referantur omnia in dicto Capitulo coram Superiore. Prædictique Superiores cum Capitulo, vel vbi non solent fieri Capitula cum tribus, vel quatuor deputatis in Generali Congregatione per vota secreta, seruatis regulis religionis, & supradictis omnibus, habeant auctoritatem recipiendi Nouitios, quam prædictæ constitutiones tribuunt Capitulis Prouincialibus. §. 6. & sit inualidum quicquid secus fiat.

THEOREMA 383.

POntifex §. 2. 3. 4. reducit dictas Sixti V. Constitutiones ad terminos Iuris communis, & priuilegiorū concessorum cuique Ordini, seu loco, vsuque receptorum tempore dictarum Constitutionū Sixti V. ita vt etiam illegitimi idonei ab examinatoribus, iuxta cuiuscunque ordinis morem, habita diligenti informatione de illorum vita, & moribus, reperti, possint à Capitulo, seu deputatis per vota secreta, seruatis regulis religionis, & inquisitione præscripta à Sixto, recipi in religione (excepta ea, in qua pater, si adhuc sit superstes, siue ante, siue post natiuitatem filij, professus fuit) & si suffragentur merita pro bono religionis ad eiusdem dignitates, & honores, iuxta Ordinis priuilegia, valeant promoueri. Et §. 5. præ

præſcribit modum ſeruandum in admittendis reſpectu monaſteriorum, quæ ob diſtantiam rarò conueniunt ad Capitulum, ita vt ſit inualidum ex § 6.ſi quid ſecus fiat. Idem tamen Pontifex diſpenſauit bulla 15.circa admiſſionem Nouitiorum in Societate Ieſu, & bulla 77.cum Clericis S.Pauli decollati, vt vtraque religio in iis admittendis proprium ſeruaret modum.

Porrò admittendus debet pubertatis annos exceſſiſſe, vt experiri poſſit onera inſtituti, & abſoluto nouitiatu profiteri,ob id cum iure communi in maſculis ætas, qua ad profeſſionem admittebantur, antea eſſet poſt 14. annum exactum, & in fœminis poſt 12. completum. c. ſi in qualibet. & c. puella.20. q.2. & c.ad noſtram. c. virum. c.poſtulaſti. c. ſignificatum extra. de regul. quibus in mendicantibus addebatur integer probationis annus; vndè ante decimumquintum annum completum inualida erat maſculi profeſſio. c. 1.& c.non ſolum. & c.conſtitutionem, de regul. lib. 6. Concil. Tridentinum ſeſſ.25. c. 15. ita ſtatuit. *In quacunque religione tam virorum, quàm mulierum profeſſio non fiat ante 16. annum completum; nec minore tempore, quàm per annum poſt ſumptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur. Profeſſio autem facta antea ſit nulla, nullamq; inducat obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, vel Ordinis obſeruantiam, aut ad alios quoſcunque effectus.*

Quare ſi annus probationis abſoluatur ante completum annum 16. erit profeſſio differenda, donec prædictus annus compleatur, ne ſit profeſſio nulla. Qua de re Nauar. de regular.conſil.34.n.1. Debet autem dictus probationis annus eſſe continuus, ex Syl. v. religio 5.quæſt.4.Nauarr.de regul. conſil.34.num.1.36.num.1. & 37. num.1. Azor tom.1. l.12. c.2. q.8. Leſſio l.2. cap.41. num.59.Petr.de Anchar.Philip. Franco, Abbate in c.ad Apoſtolica.de regul.quicquid ſenſerit Gloſſa in c. eum qui. de reg.iur. lib.6. Tum quia iura, quæ certum tempus poſtulant, intelliguntur de tempore continuo, & non interrupto, ex Bartolo in l.interdum. §. quoties. ff.de publican. Tum vt receptus integrè dura & aſpera religionis experiatur; eſt autem difficilius continuatè,quàm interpolatè onera probationis per annum perferre. Et ſimul neceſſe eſt, vt habitum religionis ſub Abbatis imperio deferat, cum in eo ferendo plurimum ſit laboris, difficultatis, & auſteritatis, ex Syl.religio.5. quæſt.5.Azor q.9.

Incipit verò annus Tyrocinij à ſuſceptione habitus. c.ad noſtram. c.ſignificatū.de regul.& annus debet eſſe integer, vt ſi hora 20. Kal. Martij,habitū ſumpſiſti,non potes hora 9. Kal. Martij anni ſequentis profiteri, ſed eſt expectanda 20. & idem ſeruandū in 16.annis natiuitatis,ita vt ſint cōpleti,de momento ad momentū,vt conſtat ex l.3.§. minorem.ff.de minoribus, vbi dicitur, *Minorem adhuc die vltimo anni 25. diei, donec hora natiuitatis recurrat.*Gloſſ.ibidem.§.momentum. Leſſio l.2. c.41. num.59. Sanchez l.4. decal. c.35. n. 3. Sfortia Oddo tr.de reſtit. in integ p. 1. quæſt. 2. art.9.num.54 vbi plures citat,redditque rationem, quia agatur de fauore minorum, & ſimul publico, & ob id ſi non conſtaret de hora, expectandus eſſet exitus to-

tius diei, & si neque constaret de die, sed de solo mense, oportet expectare finem mensis: si verò ætas annorum, aut tyrocinij compleatur anno bissextili, sexto Kalend. Martij, nempe die 24. Februarij, non sufficit prior 24. sed addendus est alter, tunc enim bis 24. numeratur, quia vtraque dies censetur vna, cum dies secunda sit complementum quadriennij præcedentis, cui senę horæ singulis annis defuerint. vt rectè notauit idem Oddo, Sanchez, Lessius locis cit. Molina d. 573. Azor. Rubr. de restit. in integ. num. 2. & habetur cit. §. minorem. ff. de minoribus. Si quis autem ante expletum probationis annum admitteret aliquē in mendicantium ordinibus, esset suspensus ab officio admittendi, excommunicandus. c. non solum. de regular. lib. 6.

Eiusdem GREGORII XIV.

Constitutionis 4. editæ ann. 1591. quæ incipit. Cogit nos.

EPITOME 151.

Damnātur sponsiones super Papæ vita, morte, & futura electione; necnon Cardinaliū promotione. *Excōmunicatio reseruata, priuatio, inhabilitatio, & restitutio.*

DAMNAT §. 1. sponsiones & promissiones super vita, morte, & futura electione summi Pontificis, & promotionibus Cardinalium in quibusuis Christiani orbis partibus, vbilibet gentium, ipsosque contractus etiam iuramēto firmatos rescindit, & annullat, ita vt nō solum non detur actio in foro externo, sed neque in foro conscientię possit ius vllum competere.

§. 2. Quin etiam statuit ex prædictis damnatis sponsionibus, nullum talium pecuniarum dominium, etiam si solutæ, aut datæ, seu remissæ, & condonatæ hac de causa fuerint, acquiri: Sed quicquid datum acceptum, siue tantùm promissum, vel condonatum fuerit, eo ipso piis locis ipsius ciuitatis, aut loci, vbi sponsiones initæ, vel vbi primùm detectæ fuerint, acquisitum censeri: & ipsos contrahentes ad restitutionem, seu elargitionem dictis piis locis teneri in vtroque foro; & in foro exteriori ad id per Episcopum debere compelli, & cuilibet personæ actionem nomine eorundem piorum locorum pro ipsis pecuniis consequendis competere; ita tamen, vt si plura loca pia ibi fuerint, inter ipsa is præferatur, & integrè lucretur pecunias, qui prior agere cæperit.

§. 3. Nec posse transigere, aut concordare cum delinquentibus, & si fiat transactio nulla est, & reliqua summa non exacta deuoluatur ad alia loca pia.

§. 4 Ecclesiasticæ verò personæ contrafacientes, etiam

si

ſi ſint Cardinales præter ſupradictas pœnas, eo ipſo in vtroque foro priuantur omnibus beneficiis obtentis, & inhabilitantur ad futura. Cõceditque Ordinariis, vt de beneficiis illis tanquam vacantibus poſſint diſponere, etiam ſi alioquin ad diſpoſitionem Sedis Apoſtolicę pertinerent.

§. 5. Vlteriùs in omnes contrafacientes, etiam ſi Regali, & Imperiali dignitate fungantur, ac etiam in eos, qui id in terris, & dominiis ſibi ſubiectis fieri tacitè, vel expreſsè permiſerint eorumque Conſiliarios, Magiſtratus, Poteſtates, Gubernatores, aut locũ tenentes, eorúmque ſingulos, qui pariter conſenſum, auxilium, conſilium, vel fauorem in præmiſſis præſtiterint, ac proxenetas, vel mediatores fert excommunicationis ſententiam, cuius abſolutionem reſeruat Papæ. & quoad eos, qui pecunias, vel aliud quidpiam perceperint, ab ea abſolui nequeant, niſi præuia reſtitutione integra cuiuſcunque rei perceptæ.

THEOREMA 384.

SPonſio idem eſt, ac depoſitio, vulgo, *ſcommeſſe*, ex Paride de Puteo tr. de ludo. Azote r. 3. l. 11. c. 19. 20. Scaccia §. 1. quæſt. 1. num. 88. & ſeqq. & num. 124. Soto l. 4. de Iuſt. quæſt. 5. art. 2. Molina t. 2. de contract. d. 508. & ſeqq. Caccialup. tr. de ludo. Stracch. tr. de ſponſionibus, Couar. in reg. peccatum. p. 2. §. 4. & colligitur ex illo Virgilij in Bucol.

Depono: tu dic mecum quo pignore certes.

Meritóque dicitur depoſitio, quòd pecunia, aut aliud æſtimabile pecunia deponatur apud tertiũ danda vincenti, de qua, l. ſi rem. §. ſi quis ſponſionis. ff. de præſcript. eademque dicitur ſponſio, eò quod alter alteri ſpondeat, ſi res aliter euenerit, quam ipſe affirmat, ſe aliquid colludenti ſoluturum. Agunt hac de re, præter Doctores citatos, Clarus v. ludus. Menoch. l. 2. de arbit. caſu 399. Gabriel. 4. d. 15. quæſt. 13. art. 3. Leſſius. l. 2. c. 26. Nauarr. c. 20. num. 18. Alcozer tr. de ludo cap. 46. 47. Garzias tr. de contr. p. 2. c. 13. Syl. v. negotium. q. 4. fin. Michael Salon. 2. 2. quæſt. 5. de dominio. art. 6. Conrad de contr. quæſt. 71. Medina de reb. reſtit. quæſt. 22. Lopez de contr. p. 2. c. 31. & ſeqq. Sayrus in Claui Regia. l. 11. c. 12. Rebell. l. 12. Valent. t. 3. d. 5. quæſt. 6. puncto 5. Reginald. l. 10. num. 385. Roderic p. 1. c. 189. Bannes 1. 2. quæſt. 32. art. 7. & alij. Iuréque naturæ ſponſionis contractus non eſt illicitus, ſi adſint debitæ conditiones. Nauar. loco cit. num. 18. Azor c. 19. dub. 1. Leſſius num. 3. Strach. tr. de ſponſionibus p. 3. n. 1. & ſeqq. Bouinſegn. tr. de ludo. c. 15. Scaccia num. 89. 90. 94. Decius conſil. 115. Santerna. tr. de aſſecuratione. p. 2. num. 1. & ſeqq. Sotus, Alcozer, Garzias, Salon, Molina, Clarus, Medin. Couar. locis cit. quicquid in contrarium

trarium ſenſerit Archidiac. Sylu. Conrad. locis cit. & hæſitet etiam Paulus de Caſtro in l. 107. à Titio. num. 3. ff. de verb. oblig. Tum quia nulli legi iuſtitiæ ſit contrarius, ſed potius conformis. l. cum ad præſens. ff. de reb. cred. l. à Titio. ff. de verb. oblig. Tum quia, vt in libertate cuiuſque eſt, ſi liberam habeat rei diſpoſitionem, licitè rem ſuam alteri donare abſolutè, ita etiam transferre in alterum ſub aliqua conditione, ſiue ea à fortuna, ſiue ab induſtria dependeat. Tum quia habetur exemplum in ſcriptura de Samſone. l. Iudicum. c. 14. *proponam vobis problema*, &c.

Iure tamen poſitiuo nonnullæ ſponſiones iuſtis de cauſis prohibentur. Sic Genuæ lib. 4. ſtatut. c. 17. prohibentur abſque Senatus licentia ſponſiones ſuper vita, & morte Principum. Itémque ſuper futuris Senatoribus; & adacti ſunt nobiles minoris Concilij binis annis iurare, ſe in poſterum non ſponſuros, quod inde multa poſſunt damna, & inconuenientia euenire. qua etiam de cauſa Paulus de Caſtro loco cit. noluit conſulere, an valeret ſponſio intra tantum temporis Principem moriturum aut ſtatum perditurum. datur enim ex vna parte occaſio vni ex ſpondentibus optandi mortem illi, ſuper cuius vita depoſitũ eſt, & ſceleſti poſſunt arripere occaſionem machinandi aliquid contra Magnatum, & priuatorum vitam, vel ſi agatur de dignitatibus, iniquis largitionibus, & officiis cooperari ad illas iniuſtè aſſequendas; & ex altera Principis, vel perſonæ priuatæ animus moueri poteſt ad magnam indignationem cõtra ſpondentem, à quo triſtis eius euentus optatus videtur, illique rerum, & vitæ periculum creare; vt teſtes ſunt Mathematici hac de cauſa à Principibus ſublati.

Quare huiuſmodi ſponſiones vetitæ ſunt, & à Pio IV. bulla 82. quæ incipit. *In eligendis Eccleſiarum Prælatis.* & à Gregorio XIV. in præſenti Conſtitutione. §. 1. In eo autem prædictæ duæ conſtitutiones differunt, quòd Pij IV. vetet ſponſiones ſuper electione Rom. Pontificis, & non etiam Cardinalium, & ſolum in vrbe, cum dicat. *Contrafacientes temporali pœna arbitrio Gubernatoris, & futuri Pontificis, puniendos*, nulla contra ſponſores lata cenſura; quamuis & ipſe irritet & annullet in vtroque fóro huiuſmodi ſponſiones. At in hac Gregorij IV. damnantur ſponſiones ſuper vita, morte, & futura ſummi Pontificis electione, & præterea ſuper electionibus Cardinalium, & in quibuſuis Chriſtiani orbis terris, & locis vbilibet gentium, & non ſolum reſcindit, & annullat contractum in foro externo, & interno, & ſi quid ſolutum fuerit, dominium non acquiri, nec poſſe remitti, aut condonari; ſed quicquid promiſſum, datumve fuerit, acquiri piis locis illius ciuitatis, in qua id detectum fuerit, & in vtroque foro illis reſtituendum, ipſáque pia loca non poſſe cum delinquentibus concordare, alias nulla eſt tranſactio, & ſumma non exacta, denoluitur ad alia pia loca, vt conſtat ex §. 2. & 3. vnde tale lucrum retineri non poteſt, ex doctrina Scacciæ loco cit. num. 120 etſi ex num. 124. nón videatur habuiſſe cognitionem, niſi bullæ Pij IV. Sicut nec Azor loco cit. cap. 20. & nullam huius

Gre

Gregorij XIV. Item imponatur Eccleſiaſticis §.4. priuatio ipſo facto in vtroque foro, omnium beneficiorum obtentorum, & inhabilitatio ad futura. Nec non §.5. excommunicatio reſeruata Papæ in quoſcumque etiam Regali, & Imperiali dignitate fulgẽtes, contrafacientes, & eos, qui in ſuis terris id fieri tacitè, vel expreſsè permiſerint, eorúmque Conſiliarios, Magiſtratus, &c. qui conſenſum, auxilium, conſilium, fauorem præſtiterint, Proxenetas, Mediatores, & qui aliquid ex hoc perceperint, abſolui nequeunt, niſi integra reſtitutione facta. Vnde ſi ſecus fiat, irrita erit abſolutio, cum nolit Pontifex licentiam concedere, niſi poſita tali conditione, iuxta doctrinam Caiet. in ſum. v. Abſolutio, & Suarez d. 7. ſect. 5. num. 44.

Eiuſdem GREGORII XIV.

Conſtitutionis 7. editæ anno 1591. quæ incipit. Cum aliàs.

Non extrahendi à locis ſacris eò confugientes laici, niſi in caſibus, & modo hic expreſſis, ſub Cenſuris violantium Eccleſiaſticam libertatem.

EPITOME 152.

MODERATVR facultates datas à Pio V. & Sixto V. extrahendi confugientes ad Eccleſiam in certis caſibus non præmiſſis in iure, hoc modo. §. 3. vt laicis ad Eccleſias, ſacráque loca, & religioſa confugientibus, ſi fuerint publici latrones, viarúmque graſſatores, qui obſident itinera frequentata, & ſtratas publicas, & ex inſidiis aggrediuntur viatores; aut depopulatores agrorum, vel qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, vel cęmeteriis committere non verentur; aut qui proditoriè proximum ſuum occiderint, aut Aſſaſſini, vel hæreſis, aut læſæ Maieſtatis ipſiuſmet Principis rei, immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur: ſed ſuperiores loci illius à ſæculari Curia requiſiti, eos curent curiæ ſæcularis miniſtris, abſque irregularitatis, aut alterius cenſuræ nota conſignari.

§.4. Non tamen ſæcularis Curia, quaſi in hoc auctoritatem habeat, illos extrahat ſed cum expreſſa licentia Epiſcopi, vel eius Officialis, & cum inreruentu perſonæ Eccleſiaſticæ habentis ab eo auctoritatem, ad quos ſolos pertinet facultas dandi prædictam licentiam, & non ad alios inferiores Epiſcopis, quamuis aliàs ſint Ordinarij, aut nullius Diœceſis, aut Conſeruatores à Sede Rom. ſpecialiter, vel generaliter deputati. Occurrente autem caſu in loco exempto, aut nullius diœceſis, hæc cognitio deuoluatur ad Epiſcopum viciniorem, & non ad alios;

nisi Episcopi, & dictæ personæ Ecclesiasticæ, ad quas spectat, requisitæ, renuerint interuenire, & assistere capturæ. Quo casu memores reuerentiæ Ecclesiæ, prædictos delinquentes, & in delictis superiùs expressis culpabiles, minori, quo fieri poterit scandalo, & tumultu extrahere curent.

§. 5. Indéque extracti reponantur in carcere Curiæ Ecclesiasticæ, data si opus fuerit, per Curiam sæcularem opportuna custodia. Nec possint tradi Curiæ sæculari, donec Episcopus, vel eius deputatus cognoscat, an reus commiserit illâ crimina. & tunc de Episcopi mandato consignetur Curiæ sæculari.

§. 6. Cognitio tamen de crimine hæresis tota spectat ad forum Ecclesiasticum.

§. 7. Prohibet item ne contra personas Ecclesiasticas, aut cuiusuis Ordinis, vel Militiæ quoquo modo vigore priuilegiorum (quæ reducit ad terminos iuris) sæculares se intromittant, illósve ab Ecclesiis, monasteriis, domibus, locísque sacris, & religiosis, etiam in casibus expressis in hac Constitutione, extrahere, & capere, vel cognoscere de criminibus pertinentibus ad forum Ecclesiasticum, aliàs quàm de iure, & per priuilegia iisdem Ordinibus, aut Militiis concessa permittitur, quomodolibet præsumant.

§. 8. & 9. Si quis contra constitutionem hanc præsumpserit attentare, eo ipso pœnas, & censuras incurrat, quæ contra Ecclesiasticæ libertatis violatores promulgatæ sunt, & sit irritum quicquid fuerit attentatum. Non obstantibus, &c.

THEOREMA 385.

DE immunitate confugientium ad Ecclesiam, de qua agitur 17. quæst. 4. cap. sicut. cap. miror. cap. reum. cap. frater. cap. metuentes. cap. definiuit. cap. id constituimus. & extra. tit. de immunit. Ecclesiæ. cap. inter alia, & cap. immunitate & in hac Gregorij XIV. constitutione, necnon in l. 2. cap. de his, qui confugiunt ad Ecclesiam. disputatum à nobis est, l. 2. de missæ sacrificio. cap. 13. n. 14. & supra hoc eodem opere. Theor. 58. occasione Bullæ 1. Ioannis XXII. Reuocat igitur §. 3. Gregor. XIV. facultates datas à Pio Quinto & Sixto Quinto, & cæteris, Curiæ sæculari extrahendi laicos confugientes ad Ecclesiam, & loca religiosa, cuiusmodi sunt etiam Ecclesia interdicta, & polluta, ex Hostiensi, & Abbate, cap. Ecclesiæ. de immunit. Ecclesiæ. Tusco. t. 3. concl. 9. num. 9. Suarez t. p. de relig. lib. 3. cap. 9. Azor t. 2. l. 9. cap. 8. cum inter effectus violationis, & interdicti, non sit, vt pro eo tempore

pore priuetur immunitate. Item Eccleſia deſtructa, niſi id factum ſit authoritate Epiſcopi, vel non ſit ſpes reædificationis, cum nõ deſinat eſſe locus ſacer, ex Tuſco num.10. Farin. de carcere, & carceratis. quæſt.28. num.70. Deciano in tract.crim.lib.6.cap.24. Ambroſino.de immunit.cap.10. Cæmeterium ſacrum.17. quæſt.4.cap. quiſquis, ex cap. Eccleſiæ. de immunit. Suarez num.8. Tuſco loco citato concl.10. num.3. Palatium Epiſcopi, cap. id conſtituimus. 17. q 4. Suarez num.9. Tuſco concl.9. num.11. & concl.10. num.7. & 8. & Azor. Hoſpitale authoritate Epiſcopi fundatum. cap. ad hoc.de religioſis domibus. Tuſco concl. 10. num.2. Panormit. de cap. penult.de immunit.Eccleſiæ. Suarez num.3. & nono. Porticus Eccleſiæ adhærens. Panormit. in cap. Eccleſiæ num.10. & probat ex capite. ſi quis contumax.17.quæſt.4. Azor ibidem.quæſt.7. Tota Eccleſiæ fabrica, parietes, valuæ, ferra, tectum, campanile, ſacriſtia Eccleſiæ coniuncta. vt colligitur ex leg. quæ religioſis. ff.de rei vendicatione. & cap.ſi quis in atrio, & cap. id conſtituimus.17. quæſt.4. Et olim cum nondum eſſent tot Eccleſiæ, Eccleſiarum minorum confinia erant triginta paſſus, maioris quadraginta, ex Suarez cap.9. Couarruuia. lib.2. variarum.c.20. vnde factum videtur, vt domus parrochorum, & canonicorum exiſtentes propè Eccleſias in prædictis confiniis, gaudeant etiam immunitate, ex Deciano.c.25.n.16. & Ambroſino.cap.10. num.8. Vt etiam Oratoria Epiſcopi authoritate fundata, ſecus de Oratoriis priuatis, cum poſſint in profanos vſus conuerti, etiamſi in eis celebretur, ex Panormit. cap. vltimo de cenſibus. Iulio Claro lib.5.q.30. num.7. Suarez cap.9. n.10. Non violatur autem Eccleſiæ immunitas ſi comprehenſus deducatur ad carceres per Cæmeterium, aut Eccleſiam, & inde recuſet exire, ſi extrahatur per vim, cum liber eò non confugerit, ex Farinac. loco citato num.69. Deciano n.30. Couarruuia num.13. Graffio part. 1. l. 2. cap. 48. & aliis, contra Clarum.

Itaque Gregorius XIV. hoc loco ſtatuit, vt deinceps valeant ſolùm in his caſibus. Primò, ſi confugientes fuerint latrones publici, & graſſatores viarum publicarum, qui ex inſidiis viatores aggrediuntur, iuxta decretum Nicolai Papæ 17. quæſt.4. cap. ſicut antiquitus. & Innocentij Tertij. cap. inter alia. extra.de immunit.Eccleſię. Dicuntur autem latrones publici, qui palam, & publicè prædantur, vel vias publicas obſident, vel tenent Caſtra, vt deprædentur tranſeuntes, ex glóſ. citato cap. inter alia. Panormit. ibidem, Sylueſtro. verbo. latro. Azor t.2.lib.9.cap.9.q.9. Farin. t.2. quæſt.28. n.5. Deciano. lib. 6. cap. 28. tract. criminalis. Alexandro Ambroſino. de immunit. cap.2. qui etiam ſentiunt, in eo tantùm diſtingui graſſatores à publicis latronibus, quòd hi vias extra vrbes obſident, illi in vrbibus. leg. capitalium. §. graſſatores.ff. de pœnis.

Secũdò, ſi fuerint depopulatores agrorum, qui ſcilicet ſegetes, & fructus furtipiunt, & vineas deuaſtant, ex l. 1. C. quando licet ſine iuriſdictione ius ſibi dicere, quod etiam conceditur d. cap. inter

ter alia. de immunit. Ecclesiarum. contra quos etiam Leo decimus bulla 10. n. 2. renouauit quascumque constitutiones, & pœnas antea latas. & l. 2. ff. arbor. furt. cæsarũ. sancitur pœna mortis, quamuis sæpe sola pœna triremium, vel fustigationis puniantur, parte satisfacta, ex Claro l. 5. §. fin. q. 68. Gregor. tamen in hac Constitutione sine restrictione dicit depopulatores, omittens nocturnos, contra quam fiat in citato capite. inter alia. Sed cur hæc duo hominum genera iudicantur magis indigni, qui defendantur ab Ecclesia quàm alij malefactores? quia teste glossa cap. vltimo de immunit. Ecclesiarum. pluribus machinantur exitia. cap. est iniusta. 23. q. 4.

Tertiò, si in Ecclesiis, & Cœmeteriis homicidia, & mutilationes, committere non sint veriti, qui casus reseruatur etiam in capite immunitatem, extra. de immunitate Ecclesiarum. cum quisque in eo puniri debeat, in quo peccauit, & consequenter hi, cum violarint Ecclesiam, habentur indigni eius defensione. c. ad Episcopos 17. q. 7. & licet dictum caput, immunitatem, loquatur solùm de occidente, & mutilante, Panormit. tamen ibidem, Clarus §. fin. quæst. 30. num. 13. Couarruuias. l. 2. variarum cap. 20. num. 15. Angelus de Castro inter consilia Pauli patris, cons. 458. l. 2. Petrus Greg. lib. 33. c. 22. num 6. dicunt habere etiam locum in aliis grauibus delictis, propter identitatem rationis, sed iam priuatio immunitatis non est trahenda nisi ad casus in hac Gregorij XIV. bulla expressos, ex Farinacio in decisionibus cons. 76. nu. 7. & 9. Quid si quis delinquat in vna Ecclesia & ad aliam confugiat? Non defenditur (quicquid dicatur apud Syluestrum. verbo. Immunitas §. 3.) ex Couarruuia, Deciano & Farinacio locis citatis, Claro. nu. 14. Remigiogogni, fallentia. 11. num. 2. Tholosana dec. 422. & communi sententia, cum Ecclesia sit vna per totum orbem diffusa. Quid item si quis educat ex Ecclesia aliquem, & eductum postea vulneret, vel occidat? habetur pro percussore, & homicida in Ecclesia, ex Azor loco citato. quæst. 14. quia delictum cæptum est in Ecclesia. Idem si existens extra Ecclesiam sagitta occidat eum, qui est in Ecclesia ex Couarruuia, Deciano, Farinacio, Ambrosino. Quare rectè scripsit Philo Iudæus. l. de spec. leg. *Homicida censendi sunt, non solùm, qui interimunt, sed etiam, qui nihil non conantur clamq, palamq, vt interficiant, etiamsi non perpetrarint facinus: quod si præmetu, vel audacia vitijs contrarijs in templum irrumpere tentarint, impunitatis inueniendæ gratia, prohibendi sunt; sin autem iam subrepserunt, dedendi sunt ad supplicium, cum hoc præconio:* Hominibus nefariis in Phano ius Asili non deberi. *Nam quisquis malum dat incurabile, inimicus est domino. homicida autem ladit immedicabiliter, quia occisus non potest in integrum restitui, pollutos verò inelnibili scelere abolendo, nulla mora temporis dignabimur aditu sacrarum adium, quos nec priuata quidem domus honesti viri, & sanctitate amantis admitteret, &c.*

Quartò si proditorie proximum suum occiderint, quo etiam nomine venit qui veneno aliquem occidit, ex Carrerio in pract. Crimin. ex Syluestro verb. proditio. Et sunt illi ex Claro num. 9. & 11.

Couar

Couarruuia num.7. Antonio Gomez de delictis cap.10.Plaza lib.1. delictorum cap.21.Remigiogogni de immunit. fallentia. 13. qui dolosè & quasi amicitiam simulantes, ex Farinacio conſ. 76. num.7. & Ambroſino cap.6. ex inſidiis aliquem incautum interficiũt. Qui caſus nouo iure huius conſtitutionis Gregorij XIV. excipitur, cum veteri iure canonico d. cap. inter alia, & cap. immunitatem. ſolum excipererentur prædicta tria malefactorum genera; merito tamen eum excipit Greg.XIV. cum cap.1. de homicidio. habeatur. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum per inſidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.* Quos etiam proditores excepit, Gundemirus Gothorum Rex, qui Hiſpaniæ Eccleſiis immunitates conceſſit;ſicut etiam latrones & hæreticos, vt in eius vita ſcribit Petrus Medina, & Simanc.tit.46.n.65.

Quintò, ſi fuerint aſſaſſini, quo nomine aliàs ſignificantur quidam infideles Sytiæ, qui præſcripto ſui Principis Arſacidis conſueuerant homines occidere,ex Volaterrano lib.11.hiſtoriæ. Paulo Æmilio lib. 5.de rebus Francorum cap.7. Couarruuia num 9.& 10.Petro Greg. lib.36.c.15.n.16. Menoch. lib.2.de arbitrariis cap.360.n.41.Polydoro Virginio lib.16.hiſtor. Anglorum. Carrerio in pract.crimin.verb. homicidium. Sylueſtro verb.aſſaſſini. Nauarro cap.27. num.136. Suarez diſt.24. ſect. 4. n.46. Azor tom.3. lib.2.cap.17. vt accipitur, cap.1. de homicidio. lib. 6. & ideo ibi non fertur excommunicatio in mandatarium, cum eſſent infideles, ſed ſolùm in mandãtes, qui erãt Chriſtiani,& ideo capaces illius pœnæ; ſed in hac conſtitut. hoc nomine intelliguntur quicunque pecunia accepta,aut promiſſo pretio, onus interficiendi aliquem ſumunt;tum quia huiuſmodi ſceleſti in Italia aſſaſſini vocãtur,ex Sylueſtro,verb. aſſaſſini. n.2. Clato §.aſſaſſini.n.1. Boſſio tit. de mandato ad homicidium.n.16. Ambroſino cap.7.n.3. Maſcard. de probationibus tom.1. concl.138. Burſato lib.1. conſ.20. Plaza lib.1.delictorum c.19. Sayro lib.3.cap.34. num.21. Nauatro, & Azor locis citatis; tum quia priores aſſaſſini eſſe deſierunt, vnde hæc exceptio eſſet fruſtra, tum quia huiuſmodi ſceleſti aſſaſſinij pœna puniuntur,nempe mortis, & ad patibulum trahuntur alligati ad caudam equi,ex Plaza cap.19. n.5. & ex Carrerio ad terrorem aliorum in fruſta ſcinduntur, ob criminis atrocitatem. Ob id non defenduntur confugientes ad Eccleſiam. & notat Ambroſinus cap.7. n. 5. eſſe etiam reos aſſaſſinij, qui tradita pecunia,aut promiſſa mandant aliquem per aſſaſſinos interfici, & ideo neque hi defenduntur, ex hac bulla.

Sextò, ſi fuerint hæretici, quos etiam excepit Ioannes XXII. vt vidimus Epit.19. & Theorem. 58. & meritò, cum delinquant contra Eccleſiam, ſintque rei atrociſſimi criminis læſæ Maieſtatis diuinæ. Videndus Simanc. tit. 46. n.65. & Couarruuias lib.2. variarum. cap. vlt. Suarez tom.1.de relig. tract.2. cap.10. Dec.lib.5.c.42. lib.6. c.28. Farinac. de carceribus, & carceratis. quæſt.28.

Septimò,ſi fuerint rei læſæ Maieſtatis in perſonã tamẽ Principis, non autem in officialem, aut alias ſimiles;& ideo hoc crimen ſit atro-

cissimum,& ex consuetudine, viui in frusta scindantur, & appendantur in eminentioribus locis,& puniatur etiam affectus, bona eorum acquirantur fisco,déque huiusmodi crimine etiam post mortem cognosci possit,& rei memoria damnari. l.quisquis. C.ad l.Iuliam maiestatis. Claro §. læsæ Maiestatis. Bossio tit. de crimine læsæ Maiestatis. Giga eod. tit.& ideo Pontifex meritò tales excludit à defens. Eccl. de iure enim, neque pro crimine læsæ Maiestatis reus capi potest in Eccles. vt notat Bossius tit. de captura.num.32.requirit autem hoc læsæ Maiestatis crimen,vt reus sit subditus Principi, non extraneus, ex Claro. §. læsæ Maiestatis. num.6. & aliis apud Ambrosinum cap.9.

Vult igitur Gregor. XIV. prædictos omnes malefactores, tradi posse absque nota irregularitatis, aut alterius censuræ ab Ecclesiasticis Curiæ sæculari, si fuerint requisiti. In cæteris autē seruari vult immunitatem Ecclesiasticam non obstantibus Pij V. & Sixti V. & quorumcunque aliorum prædecessorum literis, priuilegiis, indultis, facultatibus quibuscunque personis etiam imperiali regiáque authoritate fulgentibus, concessis. Porrò immunitatis effectus sunt, Primò,vt ad Ecclesiam confugiens non possit à iudice sæculari abstrahi. cap.inter alia. de immunit. Ecclesiarum,& cap.de his,qui ad Ecclesiam confugiunt, & aliis locis initio huius Theorematis citatis. Secundò, vt non apponatur impedimentum, quominus ad eum deferantur alimenta, vestes, & alia necessaria. l.præsenti. C.de his qui ad Ecclesiam confugiunt, Couarruuia l. 2. variarum c.20. num.16. Suarez lib.3.de relig.cap.13. Farinac. loco citato n. 9. Claro n. 21. Panormit.cap.inter alia.de immunit. aliàs cogeretur reus seipsum sæculari potestati tradere, & mori. Tertiò, ne ibidem existenti vllum nocumentum inferatur, nec spolietur bonis iustè possessis. cap.definiuit.17.q.4.Couarruuia,Suarez, & alij. Quartò, nequeat dum est in loco immuni ad pœnam corporalem, aut mortem damnari. c.inter alia.de immunit.& cap.id constituimus.17.q.4. Quintò, si fuerit extractus, restituendus est in loco sacro. cap.sicut antiquitus.17. q.4. & cap.miror. Sextò, omnes actus à iudice laico contra delinquentem vi extractum sunt nulli, ex constitut.Gregorij XIV. cum ait. *Necnon irritum decernimus, & inane*, &c.vnde iudex non potest eum iuridicè interrogare, torquere, &c. quia nullam habet in reum eo modo captum,iurisdictionem,& consequenter tenebitur ad restitutionem damnorum omnium,quę passus fuerit extractus, cum ex peccato contra ius alterius consurgat obligatio restituendi, ex Valentia tom.3.dist.6.quæst.15. p.2. Suarez d.cap.13. Ambrosino cap.15.n.7.

THEOREMA 386.

QVoad modum tamen tradendi,præscribit §.4.& 5. ne ipsa Curia sæcularis sibi arroget authoritatem extrahendi eos, sed solum cum expressa licentia Episcopi,vel eius Officialis,seu Vicarij, non alterius inferioris, etiamsi fuerit ordinarius, necnon interuentu personæ Ecclesiasticæ habentis ab eo authoritatem,nisi requisiti noluerint

rint interuenire capturæ ; quam Epiſcopi licentiam, etſi minime neceſſariam ante Gregorij XIV. conſtitutionem, cenſuerit Couarruuias lib.2. variarum, c.20. n.18. Guido Papa deciſ.121. Boër.deciſ. 109. Clarus §.fin.q.30.n.19.ne Eccleſiaſtici facerent interim delinquentes aufugere ; eam tamen neceſſariam docuerat Salycetus in l.ſi quis ei. num.6. C. de adulter. Extractos verò mandat reponi in carceribus Curiæ Eccleſiaſticæ, adhibitis à ſæculari ſi placet cuſtodibus, donec cõſtiterit Curiæ Eccleſiaſticæ eos talia deliquiſſe. Quod etiam ante vſu, & conſuetudine fuiſſe ſeruatum teſtatur Guido Papa loco citato,& Remigius Gogni de immunitate ; Epiſcopus autem vel eius Vicarius, cui ante traditionem rei, conſtare debet, an ille obiecta crimina commiſerit, non tenetur ſtare proceſſui facto à laico. Ex Farinacio in deciſ.crimin. conſ. 76. Claro §. fin. q. 30. verſu. *Vltimò quæro*, Ambroſino c.11.n.3. quia cum datur facultas alicui cognoſcendi in aliqua cauſa, cenſeatur etiam data recipiendi circa illam probationes.

THEOREMA 387.

QVod dicitur etiã §.6. cognitionem hæreſis ad forũ tantùm Eccleſiaſticum ſpectare, nullúmque ius in eo habere ſæculares iudices, habetur etiam conſtitutum ab Innoc. IV. bulla 1. & cap. accuſatus. §.vlt. c.ſtatutum.1.c.vt officium §. vlt. c. vt inquiſitionis. §. prohibemus. de hæret. lib. 6. & Conſtitut.11.Iulij III. Et meritò, cum ex diuinis litteris, ſacriſque Canonibus crimen ſit diiudicandum, ideóque à ſolis iudicibus Eccleſiaſticis cognoſcendum, ex Simanca tit.36.n.1. Claro §.hæreſis. n.4.& §.fin.q.96. Alciato cap.1.de off.ord.n.13. Azor t.1.l.8.c.18.q.6. & t.2.l.3.c.43.quæſt.2. vt diximus Theoremate 34.& 171. etſi debeat iudex laicus ſuſpectos de hæreſi retinere, vt eos deinde tradat iudici Eccleſiaſtico, vt præcipit Innoc. IV. bull.1.§.4. Et in §.7.idem Gregorius XIV.prohibet,ne contra perſonas Eccleſiaſticas quouis priuilegiorum vigore, quæ ad terminos iuris communis reducit, ſæcularis præſumat ſe intromittere iuxta cap. cum non ab homine. de iudic. c. ſi diligenti. c.nullus iudicum de foro comp.11.q.1.c.nemo. c.clericum. c.nullus.17.q.4. cap. ſi quis ſuadente. Quod vetuit etiam Federicus II. Imp.in l.3.Patauina. Valentin. Theodoſ. & Arcad. in Cod.Theod.tit.de Epiſc.aud.c.vlt.. Carolus IV. Vrbanus VI. bulla 3. Bonifac.IX.bulla 4. Martinus V. bulla 10. vt Theor.17.76.78.83. dictum eſt.& iam eſt caſus 15.bullæ cœnæ.

Denique venientes contra hanc Conſtitutionem, ex § 6. incurrunt pœnas violantium Eccleſiaſticam immunitatem, vt excommunicationem cap.nouerit.de ſentent.excomm. & bulla cœnæ. Infamiam ex ll.Caroli IV.de quibus Epit 29. Inhabilitatem ad conſilia publica, priuationémque honorũ. ibidem. Crimen læſæ Maieſtatis, & vltimum ſupplicium. l.1.& 2. Cod.de confug. ad Eccl. de quibus Theor. 77.78. & eſt irritum quicquid fuerit attentatum. Hæc eadem Conſtitutio confirmata eſt in decreto edito de mandato Clementis VIII. à Congreg. Card. ſuper negotiis

Episcoporum, & Regularium anno 1602. die 26. Nouembris. Explicant autem hanc bullam Gregor. XIV. Farinac. de imm. eccl. & Mar. Italia. lib. de immun. fusissimè.

Eiusdem

GREGORII XIV.

Constitutionis 8. editæ anno 1591. quæ incipit. Sedes Apostolica.

EPITOME 153.

Moderatio Constitutionis Sixti V. de procurãtibus abortum.

EDIDIT Constitutionẽ præsentem Pontifex ad moderandam bullam 87. Sixti V. contra procurantes abortum. Vnde §. 2. statuit, si fætus animatus fuerit, tam ad eos, qui hactenus deliquerũt; quàm qui in futuro delinquent, expressos à Sixto V. §. 1. 5. 7. vt à peccato, & excommunicatione possit quilibet Presbyter tam sæcularis, quàm regularis, ad confessiones audiendas, & ad hos casus specialiter per Ordinatiũ loci deputatus, in foro tamen conscientiæ absoluere; si verò fætus animatus nõ fuerit, pœnas abortum procurantium, & exhibentium mulieribus, & suscipientium venena sterilitatis aut quocunque modo dantium auxilium, & consilium, reducit §. 3. ad terminos iuris cõmunis, sacrorum Canonum, & Concilij Trid. tam quoad præterita, quàm quoad futura. §. 4. Cætera verò omnia, quæ in bulla Sixti continentur vult in suo robore manere.

THEOREMA 388.

REducit Gregor. XIV. in hoc Motu proprio pœnas decretas à Sixto V. contra procurantes abortum fætus inanimati, & quomodolibet se in eo crimine immiscentes, rã quo ad præterita, quàm quo ad futura, ad terminos iuris communis, sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini, perinde ac si ea constitutio in hac parte nunquã emanasset. Quoad pœnas verò procurãtium fætus animati abortum, & homicidium concedit, vt quilibet presbyter ad Christi fidelium confessiones excipiendas, & specialiter ab Ordinario loci ad hos casus, deputatus, plenam habeat potestatem absoluẽdi in conscientiæ foro à peccato, & excommunicatione quascunque personas, quæ in prædictam constitutionem Sixti V. iam deliquerunt, vel delinquent in posterum. Quare manet quidem quoad casus aborrus fœrus animati, & irregularitas, cum incurratur iure communi. c. sicut ex litterarum. extra tit. de homicidio. & excommunicatio, sed hæc non reseruatur amplius Papæ. In reliquis vult etiam Gregorius constitutionem Sixti manere in suo robore, ideo qui foro Ecclesiastico sunt subiecti, si in casum incidant aborrus animari fœrus, porerunt degradati tradi foro sæculari capitali sententia puniendi, cum

cum in hoc Gregorius non deroget §. 4. Sixti V. vt notauit etiam Sayrus l. 3. c. 35. n. 28. theſauri.

Quid ſi quis præbeat cauſam abortui, & dubium ſit an fœtus fuerit iam animatus, & conſequenter dubium an re ipſa ſit homicida, ideóque cenſendus irregularis? Reſpondeo cum dubium ſit facti, & non iuris, eſſe ex communi ſententia cenſendum irregularem, vt tradunt Io. Andr. c. ſicut. 2. n. 3. de homicid. & ibidem Abbas num. 7. Ananias n. 7. Cardin. & Ancharanus, Socin. ſenior. cap. ad audientiam. quæſt. 36. num. 217. eod. tit. Syl. abortus. in fin. Nauarr. cap. 27. num. 223. Philiarch. de off. ſacerd. l. 4. cap. 11. not. 1. Manuel tom. 1. ſum. 2. edit. cap. 175. num. 4. Tolet. l. 1. cap. 57. Valent. tom. 4. d. 7. q. 19. p. 2. Sà v. irregularitas num. 4. Rebell. l. 1. quæſt. 2. ſect. 2. Salas 1, 2. q. 21. tr. 8. d. 1. ſect. 10. Maſcardus de prob. t. 1. concl. 419. n. 9. Sanchez l. 1. decal. c. 10. n. 43. 45. Vazquez 1. 2. q. 19. art. 6. d. 66. c. 1. n. 5. Suarez d. 40. ſect. 6. num. 6. & 10. Sayrus in Claui reg. l. 1. c. 13. n. 24. & probatur ex cap. ſignificaſti, & c. ad audientiam. 2. tit. de homicid. Quod intellige quantum ad Ordinum ſuſceptionem, & adminiſtrationem, quam intrinſecè includit irregularitas. Secus verò quoad alias pœnas, quæ à iudice ſolent imponi pro contracta irregularitate, vt beneficiorum priuationem, & ſimiles, cum pœna ſtatuta delicto certo, non ſit imponenda delicto dubio, ſed extraordinaria pro qualitate dubij.

CLEMENTIS VIII.

Conſtitutionis 6. editæ anno 1592. incipientis. Quæ ad.

EPITOME 154.

REDVCIT Clemens §. 1. omnes cenſus venditos à Communitatibus ſtatus Eccleſiaſtici, ſeu etiam ſingularibus perſonis, intuitu tamen illarũ, & cum promiſſione indemnitatis ab eiſdem, ad ſeptem ſcuta in ſingulos annos pro centenario, non vt fiebat antea ad 8. 9. aut 10.

Moderatio cenſuũ cõmunitatum ſtatus Eccleſiaſtici ad 7. pro centenario.

THEOREMA 389.

HÆc Clementis lex eſt tantum lata in immediatum, mediatúmque fauorem Communitatum ſtatus Eccleſiaſtici, non autem particularium eiuſdem ſtatus, & multò minus aliarum prouinciarum, aut incolarum; potuítque ſupremus Princeps attenta impotentia ſubditorum, huiuſmodi pretia moderari. Cum igitur pro diuerſitate Ciuitatum, & Prouinciarum cenſuum redditus ſint varij, quod accidit ex Nauarr. com. de vſur. n. 104. Molina d. 348. Valent. 2. 2. d. 5. q. 22. p. 5. Leſſio l. 2. c. 22. n. 102. Rebell. de cenſibus q. 5. n. 4. & 5. & aliis, ex copia, vel inopia pecuniarum, emptorum, vendentiúmque cenſus, negotiationum magnitudine, certitudine, varietate, & ſimilium, vt ſolet etiam accidere in aliis mercibus pro regionum, cauſarum, & circunſtantiarum diuerſitate; vnde in Sicilia ex

bulla Nicolai V. & Gregorij XIII. Germania, & Polonia, ex Martino V. & Calixto III. constitut. & in Gallia teste Nauar. loco cit. n. 104. 140. emuntur redditus censuum ad rationem 10. pro centenario ob paucitatem pecuniarum; in Aragonia ad rationem 5. pro centum; in Nauarra, & communiter Genuæ 6. Madriti ex lege Philippi II. anni 1563. & communiter Romæ 7. alibi verò 8. & 9. ex citata bulla Nicolai V. in singulos annos, vt dictum est Theor. 103. 104. Clemens VIII. in præsenti Motu proprio censuit taxandos census Ciuitatum status Ecclesiastici, inter summum, & infimum ad ratam 7. pro quolibet centenario, & non maioris pretij; eo quod intolerabili ære alieno grauatæ Ciuitates, & Communitates, nequirent ex propriis redditibus censuum emptoribus alioquin satisfacere.

Eiusdem

CLEMENTIS VIII.

Constitutionis 11. editæ anno 1592. incipientis. Illius vices.

Prohibetur duella, prouocationes, manifesta, chartulę, & cæt. excõmunicatio reseruata, interdictum, amissio feudi, beneficij, officij, inhabilitas, &c.

EPITOME 155.

QVM Pius IV. anno 1560. Constit. 21. aliàs 25. incipiente. *Ea.* innouasset pœnas à Prædecessoribus latas contra duella, & de nouo alias addidisset, quibus non tantum certantes ipsos, sed eos etiam, qui in suis terris, & locis singularia certamina cõcederent, necnon facientes diffidationes, ac ad id inuitantes, prouocantes, dantes auxilium, cõsilium, fauorem, adstantes, interessentes, chartas subscribentes, affigentes, publicantes, vel se in eis intromittentes, ipso facto excommunicasset (Imperatore, & Regibus exceptis) & si Ecclesiastici essent, insuper priuauit omnibus dignitatibus, beneficiis, officiis, & inhabilitauit in posterũ ad illa, & alia obtinenda, reseruata absolutione, & relaxatione Papæ.

§ 2. Postea verò Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 19. excommunicasset Principes omnes, & Dominos, Reges, & Imperatores, qui in suis terris locum concederent ad duellum inter Christianos, & priuasset iurisdictione loci, apud quem duellum permisissent, qui si esset feudalis, vel ab Ecclesia statim directis dominis acquireretur. Pugnantes verò ipsos, & Patrinos eorum subiecisset excommunicationi, proscriptioni bonorum omnium, infamiæ perpetuæ, homicidarum pœnis à Canonibus statutis, & obeuntes in ipso conflictu priuasset Ecclesiastica sepultura: & præterea eos, qui in duelli causa dedissent consilium de iure, vel de facto, vel alia quacunque ratione ad id aliquem suasissent,

ſent, necnon ſpectatores ipſos declaraſſet excommunicatos.

§. 3. Dictaſque pœnas Gregorius XIII. Conſtitut. 78. olim 82. incipiente. *Ad tollendum*, extẽderit ad omnes, qui ſiue publicè, ſiue priuatim ex condicto, ſtatuto tempore, & loco committerent monomachiam, etiam minimè vocatis Patrinis, aut ſociis, vel nulla habita ſecuritate loci, nulliſque præcedentibus litteris prouocatoriis. Itémq; ad Dominos locorum, niſi prohiberent huiuſmodi certamina quantum poſſent. & ad cæteros prædictos criminis ſocios mandantes, inſtigantes, ſubminiſtrantes equos, arma, pecuniam, commeatum, conſilia, auxilia, fauorem, & alia ſubſidia, & ex compoſito ſpectatores, etiam ſi ob aliquod impedimentum pugiles non commiſiſſent pugnam, ſi ad deſtinatum locũ acceſſerant, & per ipſos non ſtetit, quò minus illi pugnarent.

§. 4. Sed cum malo adhibita remedia non valerent, tandem Clemens VIII. hoc motu proprio prædictas omnes conſtitutiones, ac Conc. Trident. decretum, cum omnibus, & ſingulis in eo contentis cenſuris, pœnis, & extenſionibus approbat, confirmat, & innouat.

§. 5. Inſuper declarat eaſdem conſtitutiones, & decretum, locum habere vbique gentium, & inter quaſcunque perſonas etiã armatas, & militantes in caſtris, etſi inter hæreticos, & infideles ſint. Idémque iuris cenſendum, ſi in publico, & forſan iuſto bello indicto vnus miles contra alium militantem in aduerſariorum exercitu, caſtris, vel præſidiis, priuatas ſimultates, atq; inimicitias publicæ cauſæ immiſcendo, etiã permiſſu Ducũ ad ſingulare certamen deſcendat, aut prouocet. Iiſdem pœnis, decreto, & conſtitutionibus teneri eos, inter quos ſunt initæ pactiones de dirimendo certamine, cum primum alter fuerit vulneratus, aut certus vtrique ictuum numerus illatus fuerit: vel ſi conuenerint, vt bini, terni, vel plures hinc inde pugnent. Itémque Dominos, Præſides, Magiſtratus, militum Duces in caſtris, vel extra in alieno, vel hoſtili ſolo, vel cum militibus contrarij exercitus in quocunque caſu per præſentem, & alias conſtitutiones prohibito, permittentes, vel inquantum poſſunt non prohibentes, aut poſt admiſſum crimen concedentes impunitatem.

§. 6. Pari ratione circa ſcripta,

pta, & manifeſta, vulgo fides appellata,& ſi ſint abſque expreſſa prouocatione ad certamen, & ſolum quaſi quædam præparatoria ad chartulas ſeu libellos prouocatorios, & ad duellum, illorumque veluti radices, & ſemina præbentes ſimultatis occaſionem,& laceſſendi aliquem ad pugnam, peccantes, dum ſcilicet in illis per modum epiſtolæ, libelli, aut publicæ atteſtationis, & intimationis, ſiue per authẽtica documenta,ſiue per vnius,pluriúmque chyrographũ, ſubſcriptiones, vel relationes,ſub proprij,vel alieni honoris prætextu,& famæ,rei alicuius geſtæ,aut verborũ ſeries, & ordo, ex ſimili abuſu narratur, vel aliquid adeo firmiter aſſeritur, vel negatur,vt is,qui contradixerit, ſiue nominatim, ſiue in genere arguatur mẽdacij, vel dicatur mentiri, aut petitur vt declaretur qua mẽte, quóue ſenſu quidpiam,quod ſpectet ad ſuperiùs expreſſa, geſtum ſit, aut dictum. Vel denique quis ſe offert contra certam, vel incertam perſonam armis probare, & verificare etiã inito certamine aliquid ita eſſe,vel nõ eſſe. Necnon etiam quaſcunque ſine ſcripto factas talium rerum quoquo modo prædicta concernentium,& ob huiuſmodi cauſas in publicis,vel priuatis locis, vbi multitudo hominum ſolet conuenire, denunciationes, narrationes, teſtificationes.Statuens eos omnes, & ſingulos,qui ſuo,vel alieno nomine ad effectum prædictum hęc,vel his ſimilia,multóque magis ad certandum prouocatoria ſcripta,libellos, epiſtolas, earúmve exempla dictauerint, compoſuerint, ſcripſerint, miſerint, detulerint,diuulgauerint,affixerint, exemplauerint, typis impreſſerint, ſubſcripſerint, intimauerint, vel denunciauerint, ſiue atteſtati fuerint. Quíve aliis ad ſingulare certamen publicè, vel occultè ineundum, vel ad prouocãdum aliquem ad pugnam,ſiue ad huius generis ſcripta,quæ manifeſta, & chartulæ prouocatoriæ appellantur,ſcribenda,dictanda, mittenda, deferenda, diuulganda, auxilium, conſilium, operam, vel fauorem præſtiterint, ſiue id ſuaſerint, aut mandauerint; quíve in præmiſſis, vel eorum aliquo ſe quomodolibet immiſcuerint,etiam ſi neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus,nec acceſſus,aut actus ad pugnam proximus,neque expreſſa, & aperta prouocatio ſubſecuta fuerit, neque ſcriptiones


image
not
available

l. t. reg. cap. 17. quæſt. vltima. Nicolaus de lyra ibidem in illud. *Audita ſunt autem verba.* Peregrinus tr. de duello, & alij plures.

Dicitur autem duellum, quaſi duorum bellum, græcè Monomachia. cap. Monomachiam. 2. q. 5. & cap. 1. & 2. de purg. vulg. nempe vnius cum altero pugna, quamuis aliquando etiam plures dimicent, vt duo, tréſue, aut quatuor contra totidem alios, ex præſenti Conſtitutione Clem. §. 5. Non quodlibet tamen certamen armorum inter duos, vel pares numero appellatur propriè duellum, ſed ſolum quando ex condicto, id eſt ex pacto inuicem inito, ſtatuto loco, & tempore partes congrediuntur. condicunt enim duo, aut plures interſe, cum inuicem aliquid denunciant, & promittunt, ex Feſto, vt notarunt etiam Sanchez num. 28. Comitolus quæſt. 13. num. 5. Azor, Syl. Armill. Tab. Quare conflictus, qui ex ſubito iræ feruore, vel repentina altercatione committuntur, duella non ſunt, ex Sanchez num. 10. & 28. Peregrino. de duello. quæſt. 2. ad finem, Salone loco cit. Proſpero Farinacio vol. 1. conſil. 9. in fine. ſed rixæ, altercationes, defenſiones, & aggreſſiones.

Fit autem huiuſmodi duellum ex condicto aliquando ad eruendam alicuius rei obſcuræ veritatem, ſeu inducendam purgationem, ita vt, qui ſic aliquid probaturus, purgaturúſue ſuſcipit, ſi victor euaſerit, credatur Dei iudicio probaſſe, & innocentiam demonſtraſſe ſuam; ſin autem ſuccubuerit, putatur in probatione defeciſſe, & de obiecto crimine à Deo conuictus, & hoc certaminis genus proprißimè vocatur duellum, ex Sanchez num. 1. Caiet. 2. 2. q. 45. art. 8. Sylu. v. duellum, Delrio loco cit. & peculiariter damnatur. cit. c. Monomachiam, & cap. 1. & 2. de purg. vulg. quòd id ſit Deum tentare. Aliàs ad ſumendam vindictam, vt cum iniuria laceſſitus, ſeu odij, & inimicitiæ gratia, aut ad oſtentandas vires, vel aucupandam famam, & laudem, non ad eruendam veritatem aliquam obſcuram, ex condicto cum aliquo pugnat. Et non tantum prius, ſed hoc etiam poſterius grauiſſimum ſcelus, & homicidium eſſe conſtat ex bulla Pij IV. Gregorij XIII. & Clementis VIII. §. 5. Et quidem ſæpè ineuntur publicè & cum ſolemnitatibus, Patrinis, ſociis, impunitate loci, &c. de quibus Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 19. aliquando verò priuatè, & abſque ſolemnitatibus ex præſenti cõſtitutione §. 3. & 7. & in vtrouis modo certantes, latæ ſunt Cenſuræ, & pœnæ ex Theorem. 392.

THEOREMA 391.

ITaque abſolutè, & regulariter loquendo, duellum ex ſe eſt illicitum (etſi non ita malum, vt in vno, aut altero caſu non poſſit iuſtis de cauſis tolerari, vt videre eſt apud Caiet. d. q. 95. art. 8. Valent. vbi ſupra, Sanchez num. 2. & 16. Sà v. duellum. num. 1. Minchacam in controu. Illuſt. l. 1. cap. 48. n. 19. Reginald. l. 21. cap. 7. num. 74. Sayrum in Clau. reg. l. 7. cap. 13. n. 12. Tolerum l. 5. cap. 6. Nauar. cap. 11. num. 39. & cap. 15. num. 9.) poſt Gentilium Gladiatorum ſpectacula, renouatum à feris, & omnino barbaris Longobardis, vt teſtatur Ioan. de Lignano. tr. de duello.

Porrò

Porrò ex se illicitum esse, & graue peccatum, patet; tum quia in eo, qui iure non potest, alteri mortem intentat, & homicidium committit, peccatum contra ius diuinum, & naturale. Tum quia diuino, & naturali iuri repugnat, vt quis priuata auctoritate se vindicet, cum in propria causa nemo, sit bonus iudex, aliàs feroces animi nimis graues pœnas pro delictis minimis exigerent ab iis, à quibus se læsos arbitrantur. quare Plutarcho teste lib. de cohibenda ira, Tyrrheni peccantes seruos ad tibiam cædebant, vt harmonia iram mitigaret, ne fortè terminos excederent. Tum quia iure Cæsareo, l. vnica. Cod. de Gladiatoribus, Constantinus Imp. scripsit. Cruenta spectacula in ocio ciuili, & domestica quiete, non placent; quapropter omnino Gladiatores esse prohibemus. Tum quia sacris Canonibus, Pontificum sanctionibus, & Concil. Tridentini decretis damnantur. cap. Monomachiam 2. quæst. 5. c. cura. de purg. vulg. cap. Henricus de cler. in duello pug. Bulla Iulij II. quæ incipit. *Regis pacifici.* Leonis X. *Quam Deo.* Clementis VII. *Consueuit Romanus.* Pij IV. *Ea.* Gregorij XIII. *Ad tollendum.* Clementis VIII. *Illius vices,* & Concil. Trident. sess. 25. c. 19. Tum quia huiusmodi probatio est contra rectam rationem, & medium prorsus ineptum ad prætensam conclusionem inferendam, & colligendam veritatem. certatur enim de eo, quod proprium est hominis, vt veritate, honore, virtute, per corporis vires, quæ sunt Leonum, Taurorum, & bestiarum ferocium propriæ, & possunt in oppressionem veritatis, & confirmationem mandacij conuerti, siquidem euenire potest, vt is succumbat in duello, qui iustam causam fouet. iuxta cap. significantibus tit. de purg. vulg. in his enim miracula exigere, est Deũ tentare, vt fit etiam per aquæ calidæ, vel ferri candentis examen. cap. consuluisti. 2. quæst. 5. S. Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 8. & aliis. Tum quia aduersatur morali institutioni Philosophorum, qui remittendam iniuriam senserunt, non referendam vindictam, quod illud mitis sit animi, hoc ferini. Turpe esse iniuriam referre, non autem pati, & similia; vt videre est apud Stobæum serm. 17. Idcóque Plato in Critone, & lib. 1. de repub. non inferendam, dixit, alteri iniuriam, neque si eam passus fueris, vlciscendum, vt vulgus putat. & Maximus Tyrius serm. 42. *Si iniuriam inferens deliquit, nihilo minus priore peccat, qui rependit; sicut qui beneficium refert, non est deterior eo, qui prior contulit.* Et iterum. Referens iniuriam, contumeliam iniurij hominis in se transfert, sicut qui fuliginosum complexus est, ab eo mundus abire non potest. & Plutarch. lib. de cohib. ira. optabat, vt sicut animalia firmissimæ sanitatis vorant etiam lapides, & serpentes, & concoquunt, ita sapientes non solum ex amicitiis, sed etiam ex iniuriis, & inimicitiis vtilitatem caperent, eas scilicet condonando, ac tolerando. Nec alia fuit Aristotelis sententia, cum lib. 1. Rhetor. cap. 12. videtur docere, sumendam de iniuria vindictam; intelligit enim id à Magistratu faciendum, vt cæteri timeant inferre iniuriam, & non à priuato iniuriam passo, cum non sit bonus iudex.

Obiicies; licuit Dauid ex condicto contra Goliam pugnare, & licet etiam inuaso militi, aut nobili non fugere, si fuga sit ei futura ignominiosa, sed vim vi repellere, & si aliter fieri non potest, etiã cum alterius morte. ergo etiam licere prouocato, ne vilis habeatur, & inhonoratus, acceptare duellum. Respondeo negãdo consequentiam cum Caiet. 2.2. q.95. art.8. & in sum. v. duellum. Armilla eod. nu.1. Soto l.5. quæst.1. art.8. Banne 2.2. quæst.40. art.1. & quæst.64.art.7. Abulensi l.1.reg. cap.17. Nauar. cap. 11. num. 39. Azor t.3. l.2. cap.5. quæst. 6. Valentia 2.2. d.3. quæst.17 p.1. Sanchez l.2.decal. cap.39. num.9. Roderic. p. 1. cap.137. Sayr. in claui regia l.7. cap. 13. Tum quia pluris faciendum est sapiẽtum iudicium, qui honori, & prudentiæ tribuunt, si seruandæ legis diuinæ causa oblatum respuatur duellum, quàm insipientis vulgi dedecori attribuentis, imprudens opinio. Tum quia prouocatus, etiam apud vulgus bene consulet suo honori, ex Caiet. Sanchez, Banne, Valentia, & aliis, si respondeat, *paratus sum ad me defendendum, quandocumque me inuaseris, nolo tamen ex condicto duellum accepture, quod diuinæ legi repugnet.* Hæc enim responsio se esse paratum ad defensionem culpa caret, cum vim vi repellere liceat, & tamen hominis pietatem, & strenuitatem declarat. Tum quia si ob defensionem honoris licet acceptare duellum, posset eadem de causa licere indicere, quod omnes negant, & patet allatis argumentis.

Ad primum argumentum, Dauid ex Glossa instinctu Spiritus sancti pugnauerit. & ideo dixit. *Ego autem venio ad te in nomine Domini exercitium.* vel illa pugna fuit pars iusti belli, non duellum. de quo infra. Ad alterum, est valde dissimile, illa enim fuga tam apud sapientes, quàm apud plebem, est nobili militi ignominiosa, nec aliter potest ignominiam vitare; vnde se tueri potest, si quis ei velit inferre vim, & iniuriam; licitè autem aliter, ad duellum prouocatus ex condicto potest suum honorem conseruare, vt diximus.

THEOREMA 392.

LEx autem hæc Clementis in tres præcipuas partes diuiditur, quarum prima cõtinetur 4. §§. prioribus. secunda §.5. & 6. tertia §. 7. In priori igitur parte innouãtur, & confirmãtur primò Constitutio. 19. edita anno 1509. Iulij II. prohibentis in terris subiectis mediatè, vel immediatè Rom. E. iurisdictioni, duellum, ita vt pugiles quidem transgressores, sint eo ipso excommunicati. & si non reseruetur absolutio, possint vbique capi, & iuxta iuris dispositionem de homicidio, vel vulnere puniri, & si moriantur in ipso certamine, careant Ecclesiastica sepultura. Temporales verò Domini, Ciuitatésque, & Vniuersitates concedentes locum ad pugnam, similem incurrant excommunicationem, & interdictum, & mulctam 4. millium aureorum, & vltra primam transgressionis vicem, sint feudis, quæ obtinent ab Ecclesia, priuati.

Secundò Constitutio 31. edita anno 1519. Leonis X. statuentis præter prædictas pœnas Iulij II. pugnantes incurrere pœnam damnatæ

natæ memoriæ perpetuò, bonorum proſcriptionem ipſo facto Apoſtolico fiſco applicatorum; Temporales verò Dominos locorum mediatè, vel immediatè Rom. E. ſubiectorum, concedentes locum ad pugnam, excommunicationem (non reſeruatam) & cadere abſque alia declaratione ab omni iure, quod in locis obtinent: Spectatores autem excommunicationem, & mulctam pecuniariã. Non egrediuntur tamen dictæ Conſtitutiones Pontificum dictum ſtatum Eccleſiaſticum.

Tertiò, ſimiliter Conſtitutio 21. edita anno 1560. Pij IV. quæ ſeuerior eſt præcedentibus, confirmatis illarum pœnis, nouas adiungit. extendit enim excommunicationem ad omnes ſe in his immiſcentes (excepris tantum Imperatoribus, & Regibus) vbicunque exiſtant; quamuis ſubiectos mediatè, vel immediatè Iuriſdictioni Eccleſiæ in ciuilibus, velit etiam teneri pœnis perpetuæ infamiæ, & criminis læſæ Maieſtatis, ſi in hoc delinquant, & reſeruat abſolutionem Papæ. & contra tranſgreſſores Eccleſiaſticos, addit præterea priuationem omnium beneficiorum Eccleſiarum, monaſteriorum, & dignitatum, & inhabilitationem in poſterum ad ſimilia.

Quarrò, decretum Concilij Tridentini indicti, & confirmati anno 1564. ab eodem Pio IV. quo in toto Chriſtiano orbe vetantur duella; ferturque excommunicatio latæ ſententiæ ad quinque hominum genera ad ea ſuis actionibus concurrentiũ. Primò, in Temporales Dominos, etiam Impetatotes, & Reges, concedentes Chriſtianis decertantibus locũ pugnæ, & ſatis eſt, ſi alter tantum Chriſtianus ſit, ex Sanchez l.2. c.39. & colligitur ex hac conſtitutione §. 5. ſecus ſi ambo eſſent infideles, ex eodem, Delrio. num.26. & Comitolo quæſt. 13. num. 4. quòd ſi locus, apud quem pugnatur, fuerit ab Eccleſia conceſſus, ei ſtatim acquiritur, ſi autem feudalis, Domino. Secundò, in cómittentes ipſam pugnam, qui præter excommunicationem ſubduntur etiam proſcriptioni omnium bonorum, perpetuæ infamiæ, & pœnis homicidarum, & decedentes in conflictu, priuantur Eccleſiaſtica ſepultura. Tertiò, in Patrinos, qui non ſolum puniuntur pœna excommunicationis. Sed etiam proſcriptionis bonorum, & infamiæ perpetuæ. Quartò, in eos, qui in cauſa duelli conſilium dederint tam de iure, quàm de facto, aut certamen ſuaſerint. Quintò, in ſpectatores pugnæ. Sed vtrum Cócilij excommunicatio ſit latæ ſentẽtiæ quoad prædictas perſonas omnes, an ſolum latæ ſentẽtiæ quoad Dominos locũ duello concedentes, ferendæ autem quoad reliquas, vt putauit Pet. Nau. l.2. cap.3. in 2.p. dub.13. nouæ edit. n.293. & Manuel to.1. ſum. edit. 2. c.73. n.3. Reſpondeo quoad omnes, ex Suarez t.5. d.23. ſect. vlt. num. 11. Sanchez num.26. Tolet. l.5. c.6. num.32. Delrio l.4. c. 4. quæſt.4. ſect.2. Nauar. c.27. num. 150. Tum quia initio additur particula, eo ipſo, quæ referenda eſt ad omnes caſus, & perſonas, non ad ſolos Dominos. Tum quia licet verba, incurrant, & teneantur, ſecundum aliquos ſint futuri temporis, non diriguntur tamen ad Iudicem, nec eius actionem exigunt, ſed ad ipſum reum, qui per

efficax imperium ligatur, & verbum *incurrant*, ſecundum ſententiam communiorem, eſt latæ ſententiæ, ex Tiraquello l. ſi vmquam. v. reuertatur. num. 145. & ſeqq. Cod. de reuoc. donat. & ita intellexit Gregorius XIII. in ſuo Motu proprio de quo mox. Porrò ex dictis conſtat Concil. Tridentinum locutum tantum eſſe de duello ſolemni, quod initur auctoritate publica, & Patrinis, vt idem Gregorius XIII. ſentit, cum ait: *Facinoroſi nõ deſunt, qui quod publicè prohibitum eſt*, &c. & docet Nau. conſil. 2. de purg. vulg. Delrius loco cit. Suarez d. 23. ſect. vlt. num. 11. Sanchez num. 22. etſi aliter ſenſerit Farinacius lib. 1. conſil. 9. n. 34. & Quaranta. v. duellum. Sed an virtute Concilij abſolutio ab excommunicatione ſit reſeruata, necne, nõ omnino conſtat. Affirmat Nau. & Manuel locis cit. & Salycetus in additionibus ad Diaz. cap. 100. Negant Delrius ſupra cit. Graff. p. 1. l. 4. c. 25. num. vltimo. Tolet. l. 5. c. 6. num. 32. Sà. v. excõmunicatio. agens de excommunicationibus nulli reſeruatis. num. 14. Erat tamen reſeruata virtute bullæ Pij IV.

Quintò, ſanctio 78. olim 82. edita anno 1582. *Ad tollendum.* Gregorij XIII. extendentis pœnas Concilij Tridentini, non tantum ad publicum, & ſolemne duellum, ſed etiam ad occultum, & priuatum condictum ſtatuto loco, & tempore, ſine Patrinis, ſociis, nullis miſſis prouocatoriis litteris, nullis vſitatis cæremoniis, ita vt eadem excommunicatione, & pœnis Concil. Trident. ligentur committentes duellum, Domini temporales illud permittentes, aut pro poſſe non impedientes, mandantes, inſtigantes, auxilium, conſiliumve dantes, equum, arma, pecuniam, comitatum, & alia ſubſidia ſcienter ſubminiſtrantes, ex propoſito ſpectatores, aut ſocios quouis modo ſe præbentes, etiam ſi illi, qui ad locum diſignatum pugnaturi acceſſerint, impediti pugnam non commiſerint, ſi per illos non ſtetit, quo minus pugnarent. Nemini tamen abſolutionem reſeruauit excõmunicationis ex Sanchez n. 27. Comitolo quæſt. 13. num. 5. Delrio ſect. 2. Sà loco cit. & Graffio. licet oppoſitum renuerit Nau. conſil. 2. de purg. vulg. & Manuel tom. 2. ſumm. 2. edit. c. 73. num. 3. Quam tamen reſeruauit poſtea Clemens VIII.

Cæterum cum duellum ex condicto tempore, & loco, ſiue ſolemne, de quo locutum eſt Concilium Tridentinũ, ſiue etiam priuatum, ad quod Gregor. XIII. extendit pœnas, vſurpari poſſit ex dictis & ad eruendam veritatem rei obſcuræ, & ad capeſſendam vindictam, Motus proprius Gregorij, vt etiam Concilij decretum, non ſolum debet intelligi, quando duellum aſſumitur ad veritatis probationem, quicquid ſenſerint aliqui viri graues apud Sanchez num. 23. ſed etiam quando ſumitur ad vindictam: tum quia abſolutè loquitur; tum quia duella ad probationem veritatis abierunt in diſſuetudinẽ, relictis, quæ ſunt ad vindictam, quibus Pontifices, & Concilium voluerunt adhibere remedia. Tum ex Clement. VIII. hoc loco §. 5. quia etiam ex inimicitia certantes complexus eſt, tum ex communi ſententia, de qua Sanchez n. 24.

Ex dictis deducitur (niſi excuſentur

ſentur ignorantia) hanc excommunicationem incurrere, cum pugnandi gratia vnus alteri dicit. *Veni ad talem locum, te ibi expecto*, cum tempus præſens, & locus deſignetur; & ideo ſi accedentes pugnent, duellum ſit ex condicto, ex Sanchez num. 28. Reginaldo l. 21. c. 7. num. 73. & Delrio. & excommunicati. Dixi, *ſi pugnent*, cum dicatur (*Monomachiam commiſerint*) vt prædicti notant, & Clemens VIII. in decreto reſeruationis caſuum anni 1602. die 29. Nouembris, copulatiuè dicat, *prouocantium, & pugnantium in duello.* Solos enim ſocios, & ſpectatores Gregor. XIII. excommunicat, licet non ſit ſequutum duellum; ſi per hos non ſterit, quo minus pugiles pugnarint.

Idem dicitur de iniuria affecto à non habente gladium, ſi ei dicat, *vade quæſitum gladium, hic te expecto*; ſi pugnent, eſt ex condicto; ſic ſi exiſtens in naui alteri dicat, *egrediamur in terram*, vel *te expecto in tali loco*, vel *quiſque noſtrum habeat quæſitum enſem, in tali loco mox pugnaturi*, ſi ſequatur effectus, ex Molina tom. 4. de Iuſt. d. 17. num. 4. Reginaldo, Sanchez. ſecus ſi quis offenſus dicat offendenti, *diſtringe enſem, tecum enim pugnare volo*, cum ſit rixa, & abſque præmeditato pugnetur.

Quæres an ſi in caſu extraordinario Princeps ad maiora vitanda mala duellum permitteret, incurreret pœnas? Affirmat Salon. 2. 2. quæſt. 64. art. 3. contr. 3. concl. vltima. Negant Caiet. 2. 2. quæſt. 95. art. 8. & in ſumm. v. Duellum. Armilla ibidem, Sà n. 1. Valent. 2. 2. d. 17. 3. q puncto 1. Nauar. c. 11. num. 39. Sanchez num. 39. quod extenſio Gregorij (illud permittentes, vel non impedientes) intelligatur, quando illicitè permittunt. nam permiſſio licita, ac iuri naturali, reguliſque prudentiæ conſona ad proſpiciendum bono communi, non interdicitur, dignaque eſt præmio, non pœna. vnde ob ſimilem cauſam licet permittere lupanaria. Similiter vt ſpectatores in cenſuras incidant, neceſſe eſt, vt ex propoſito ſpectent. Quare ſi quis fortè illac tranſiens obiter aſpiceret duellum, non caderet in cenſuras latas contra ſpectantes ex propoſito, ex Sanchez, Delrio, Reginaldo, cum is non debeat dici ſpectator ex propoſito, ſeu ex induſtria. Quin etiam ſentit Leſſius. l. 4. c. 4. dub. 11. num. 83. ſi quis ex occulto duellum ſpectet, non peccare mortaliter, nec incidere in prædictas pœnas, quia talis non cenſetur inter ſpectatores, eo quod non ſoleant vocari ſpectatores, niſi qui publicè ſe exhibent, & honeſtant ſua præſentia duellum, & pœnæ quantum poſſunt, ſint reſtringendæ.

Dubitabis, an ſi quis præmiſſa prouocatione ad duellum, ſeſe contulit præfixo tempore ad deſtinatum locum, ibique fruſtra expectato inimico diſceſſit, inciderit ne cum iis, qui ſpectaturi aderant, in hanc Gregorij XIII. conſtitutionem? Affirmat Peregrinus. de duello. quæſt. 41. & alij apud Comitolum. l. 6. quæſt. 18. argumento l. is qui. Cod. ad leg. Cor. de ſicariis, vbi is, qui cum telo ambulauit hominis necandi cauſa, non ſecus coërceretur, ac ſi hominem occiderit. Oppoſitum ſentit Conar. 2. p. relect. de homicid. num. 6. & ſeqq. Sanchez num. 28. Delrius n. 26. Comitol. quæſt. 13. num. 5.

num.5.& quæſt.18.num.7.8. Graſſius l. 1. de caſibus reſeruatis. c.7. num.10.& 26. Tum quia leges aduertentes in conatum, vt in factum, nimis atroces ſunt, & abrogatæ. Tum ex Panorm. c. cum in cunctis.§ clerici. de elect.& Bartolo in l. 1. ff. de ſicariis, ſtatutum puniens delictum cerra pœna, non habet locum in eo, qui inchoauit, ſed delictum non perfecit, quia ſtatutum, & maximè pœnale eſt ſtrictiſſimè interpretandum. regula. *Odia.* lib.6.& de excommunicatione in particulari aſſeruit Caſtro l.2.de pet.leg. pœn.c.6. Ideo nunquam aliquis incidet in excommunicationem à iure latam, quãuis conetur facere id propter quod eſt impoſita excommunicatio, niſi verè perfecerit illud. Tum quia licet conatus eſſet pari pœna puniendus, atque commiſſum delictum, is tamen deberet erumpere ad eum actum, qui eſſet finitimus ſceleri,& nullus propinquior, ex Couar.num.9.arqui actus duello proximus non eſt acceſſus vnius pugilis, ſed amborum. Tum quia, vt dictum eſt, ad incurrendam excommunicationem Gregorij, requiritur effectus pugnæ, & non ſolùm prouocatio, & acceſſio, vt conſtat ex illa particula, *monomachiam commiſerint*, vt notauit rectè Sanchez num. 28. Comitol.q. 18. num. 7. & 8. vnde nec pugil ille excommunicatus eſt, nec qui aderant ſpectaturi, cum requiratur acceſſus vtriuſque,& per ſpectatores non ſteterit, quin pugiles digladiarentur. Quare non erit caſus reſeruatus iis, qui excepta cauſa duelli iuxta decretum Concilij Tridentini, & Conſtitutionem Gregorij XIII. poſſunt abſoluere. Secus verò reſpectu ſociorum, & ſpectatorum, ſi ambo pugiles ad præfixum locum pugnaturi acceſſerunt, licet impediti, non ſint digladiati. Socij enim auxilium, conſilium, fauorem præſtantes, ſpectatoreſque ex propoſito incidunt in excommunicationem, ſi per ipſoſmet non ſtetit, quin certaturi pugnarent, & non impediuiſſent, ſi impedire potuiſſent, certamen.

Dices, ergo actio acceſſoria magis punitur, quàm principalis? Reſpondet Comitolus cenſeri etiam principalem, dum, aut cum certantium conflictu, aut cum eorum acceſſu ad pugnæ locum, copulantur. cum ob huiuſmodi populorum concurſus, pugiles ob popularem irriſionem non omnino liberè poſſint ſe retrahere à certandi propoſito. Adde actionem pugilum, ſi non pugnarunt, non fuiſſe compleram, ideo excuſari à cenſura; ſpectatorum verò fuiſſe in ſuo genere completam, quare contraxiſſe excommunicationem. Si qui verò comitarentur pugiles, vel ſubſiſterent, vt certamen impedirent, vel dirimerent, immunes haberentur à dictis cenſuris. Quare, vt rectè notauit Delrius num. 5. verba illa (*ſi per ipſos non ſtetit*) referuntur non ad pugiles, vt ſit ſenſus, pugiles incidere in excommunicationem, ſi ad locum acceſſerunt pugnaturi, & non per eos, ſed ſolùm per alios ſtetit, ne pugnarent; ſed ad ſocios, ſpectatores, &c. cum non impedierint, cum poſſent, ſed ſpectarunt, vel ſpectaturi aderant. ſi enim ſermo eſſet de pugilibus, id fuerat dicendum, cum de eis ageretur, non dum agitur de ſociis, & ſpectatoribus, pluribus clauſulis inter

ter vtrosque interpositis; & fuisset vterque casus sic exprimendus: *Auctoritate Apostolica statuimus, illos, qui ex condicto statuto tempore, & loco conuento monomachiam commiserint, aut certè non steterit per ipsos,* (sed alios tantum) *ne pugnarent, etiam si nulli Patrini,* &c. cum tamen vnus tantum casus exprimatur, si monomachiam commiserint. Et præterea prudenter Gregorius videtur noluisse occasionem præbere adstantibus, vt curarent impedire certamen pugilum, cum dictam excōmunicationis pœnam in eos statuit, qui adstant, & aspiciunt alio fine, quàm duellum impediendi. Consulentium etiam nomine, de quibus meminit idem Gregorius, illi solum in pœnas incidunt, qui suadent affirmatiuam partem, & ad hoc dant, aut scribunt consilium, non autem qui dissuadent, vt aduertit Delrius, cum hi non peccent.

In altera Constitutionis parte in particulari explicantur personarum genera, quibus certis actionibus peccantibus in causa duelli, vbique gentium, pœnæ à Clemente irrogantur. nempe §. 5. primò ipsi milites, qui vel in ipso alioquin bello publico, & iusto, & Ducis quoque permissu ob priuatas simultates, alium cōtrarij exercitus, vel castrorum, prouocant, aut ex condicto certant, siue singuli, siue bini, terniue, aut alio numero hinc inde pugnent. etiam si pactiones ineant, vt solum certus vtrinque ictuum numerus inferatur, vel cessetur, cum quis primùm vulneratus fuerit. Non veniunt tamen hoc nomine conflictus illi, qui fiunt in bello, cum Dux aliquos in arenam mittit contra totidem hostes ad explorandum hostium vires, cum sit pars iusti belli, & non illicitum duellum, ex Valentia 2.2.d.3. quæst.17. puncto 1. Azor.t.3.l.2.c.5. quæst. 4. Sayro in Claui reg.l.7. c.13. num.16. Reginaldo l.21. c.7. num.78. 80. Peregrino de duello. quæst.2. cum differant, tum ex parte principij, fiunt enim publica, & legitima auctoritate, contra quam fit duellū. Tum ex parte effectus, cum fiant ad hostium reipub. animos perfringendos, vireſque eorum debilitandas, secus ac accidat in duello. Tum ex parte finis, illorum enim finis est iusta reipubl. defensio, & illorum, qui iustè possunt occidi, interitus, quod non euenit in duello, cum finis sit proprium commodum, aut gloria vana, & interitus eius, qui iustè occidi nequit. Non debent tamen etiam similes conflictus in bello fieri ob inanem gloriam, seu absque iusta causa. Secundò, locorum Domini, Magistratus, Ducesque militum, qui quocumque casu prohibito, per hanc & prædictas Constitutiones, & decretum Concilij monomachiam permittunt, vel non prohibent, in quantum possunt, vel post commissum crimen concedunt impunitatem. Tertiò, in §. 6. immiscentes se in manifestis, seu chartulis aliquo ex his 13. modis. qui suo, vel alieno nomine dictant, componunt, scribunt, mittunt, deferunt, diuulgant, affigunt, exemplant, typis imprimunt, subscribunt, intimant, verbo denunciant, attestantur prædicta vetita scripta, fides, vulgo manifesta, libellos, epistolas; chartas, vel expressè prouocantes ad certamen, vel saltem veluti præparationes,

seu præambula quædam viam sternunt ad chartulas, seu libellos ad duellum prouocatorios, quod sint veluti semina, & radices suscitandarum simultatum, vt cum rei gestæ series, & ordo ex simili abusu adeo firmiter asserirur, vt quicunque contradixerit, mentiri dicatur, vel offerr quis contra certam, vel incertam personam probare armis aliquid ita fuisse, vel non fuisse. Nec solum prohibentur ad effectum de quo prædictũ est, huiusmodi scripta, sed pariter quæcũque denunciationes, narrationes, declarationes, & testificationes huiuscemodi rerum prædicta quoquomodo concernentiũ, & ob huiusmodi causas etiã factæ sine scripto in locis publicis, vel priuatis, vbi multitudo hominũ conuenire soler. Dubitabis an in prædictas censuras & pœnas cadat, qui litteras, scriptáue prouocantia ad duellum legit? Respondet Comitolus l. 6. q. 14. num. 8. quantum perspici potest ex Pij IV. & Clementis VIII. bullis, non, cum prohibeantur ad effectum solum, de quo prædictum est, nempe quatenus ordinantur ad prouocationem, & duellum. Rogabis etiam an quicunque alterum mentiri dixerit, incidat in hanc Clementis constitutionem? Respondeo cum eodem num. 7. minimè, vt si Pater id filio, à quo timetur, dicat, herus seruo, patritius rustico, religiosus suo comiti, à quibus personarum generibus, non est probabile excitanda semina duellorum, sed solùm tunc, cum ex more militari, & equestri (ea enim vis est in illis verbis, *vel ex simili abusu*) ad honorem suum tuendum, vel alterius violandum, seu ad iniuriam propulsandam, aut inferendam, affertur materia, & causa ad prouocationem, pugnam, & duellum. Quartò, ibidem, qui aliis ad singulare certamen publicè, vel occultè ineundum, vel ad prouocandum alium, vel ad huiusmodi scripta, id est manifesta, & prouocatorias chartas, scribenda, dictanda, mittenda, deferenda, diuulganda, auxilium, consilium, operam, fauorem præstiterint, siue id suaserint, vel mandauerint. Quisve quomodolibet se in prædictis immiscuerint, etiam si neque pugna, aut effectus; neque accessus, aut actus ad pugnam proximus; neque expressa, aut aperta prouocatio fuerit subsecuta; neque scriptiones prædictæ prodierint in publicum, aut cuiquam extiterint intimatæ, si per eos non stetit, quo minus fieret publicatio, aut denunciatio. Hæc enim omnia genera personarum, & ob prædictas actiones Clemens declarat suæ mentis esse, vt prædictis censuris, & pœnis inuolucrentur.

Tertia igitur parte Constitutionis comprehensa. §. 7. multò plures, quàm fieret in Constitutione Pij IV. Gregorij XIII. & Concilio Tridentino plectuntur censuris, & pœnis Papæ reseruatis occasione duelli, & scriptorum, iuxta relata in Epit. §. 7. Anno tamen 1602. die 26. Nouembris in decreto, quod incipit. *edictum fuit.* & habetur in bullario. tom. 3. pag. 135. Idem Clemens permisit iis, qui ante reuocationem priuilegiorum anni 1601. die 9. Ianuarij poterant absoluere à reseruatis Sedi Apostolicæ præterquàm in casibus bullæ cœnæ, vt quoties nó est peccatum in decretum Concilij Tridentini, nec in Constitutionem

nem Gregor. XIII. de qua ante, possint absoluere pœnitentes, licet in ipsius Clementis Constitutionem peccauerint, & ea de causa inciderint in excõmunicationem.

Quærenti an huiusmodi pœnæ indictæ à Concilio Tridentino, & prædictis constitutionibus contra duellum committentes, permittentes, concedentes locum, socios, & patrinos, vt incurrantur, requirant Iudicis sententiam? In hac re certum est, quoad excommunicationem, & pariter quoad interdictum, cui supponitur locus, in quo ex dominorum licentia exercetur duellum, per Clementis VIII. Motum hunc proprium incurri absque alia sententia, quia cum sint latæ sententiæ, ex se nullo alio egent.

Certum item è cõtra infamiam, proscriptionem bonorum, amissionem loci, in quo certatum est, clarè requirere sententiam Iudicis, cum sint pœnæ proprio iure acquisito priuantes aliquem, nec solitæ incurri ante Iudicis declarationem. Idemque de beneficiorum priuatione, de qua in Constitutione citata Pij IV. requirit enim Iudicis sententiam ob rationem dictam.

Sed non ita certum de inhabilitate in posterum; ex vna enim parte non videtur aliud requiri, vt tenet Sotus l. 1. de Iust. q. 6. art. 6. post 4. conclus. Corduba l. 1. q. 36. Salon 2. 2. quæst. 63. art. 4. Aragona 2. 2. quæst. 11. art. 3. & alij plures, tum quòd sit pœna nullo iure acquisito priuans, sed tantùm impediens ius acquirendi, ac proinde nullam executionem Iudicis desiderans, instar excommunicationis, suspensionis, & interdicti; tum quod Motus proprius dicat, *eo ipso incurrat inhabilitatis pœnã*. Ex alia verò parte id aliis nimis graue videatur, & ideo adhuc exigi Iudicis operam, vt docent Nauar. comm. de datis, & promissis num. 44. Molina tom. 1. de Iust. d. 96. & alij, vt diximus in explicatione bullæ 92. Sixti V. Theorem. 382.

Eiusdem CLEMENTIS VIII.

Constitutionis 13. editæ anno 1592. quæ incipit. Inter cætera.

EPITOME 156.

DECERNIT præcedentiam inter Regulares. & §. 2. statuit, vt tam in priuatis actibus, quàm publicis processionibus, post Canonicos, ac Clericos seculares, nec nõ antiquiores Ordines Monasticos, si qui incesserint, honorabiliorem locum inter alios Mendicantes, & cæteros religiosos, obtineant Patres S. Dominici. & inhibet §. 3. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis religiosus in hoc eos audeat molestare.

Præcedẽtia inter Regulares. Excõmunicatio.

THEOREMA 393.

PRudenter summmi Pontifices ordinem seruari voluerunt in præcedentia Clericorum, & Regularium in processionibus, cæte-

risque publicis & priuatis actibus; tum exemplo Regiæ Salomonis, in qua adeo erant omnia ordinata, vt in stuporem egerint Reginam Sabam l.3.reg.c.10. Tum imitatione cælestis Hierusalem, in qua multæ sunt Hierarchiæ, Ordines, mansioneſque in gradibus, & dignitate inæquales; tum ne quid in religionibus, quæ Ordines nuncupantur, reperiatur inordinatū; tum vt firmius conseruetur inter Ecclesiæ membra pax, & concordia, dum vnicuique debitus honor, & dignitas in ordine procedendi, locis, sedibus, iuxta singulorum merita assignatur. Videndus hac de re Baldus l.decernimus. 2. not. Cod. de sacrosanctis Eccles. Tiraquell. de primog. in præf. num. 13. Boërius tr. de Ordine graduum. p.2.num. 34. Cassaneus in Cathalogo gloriæ mundi. Nau. cons. 1. de Maior & Obed. Roder. t.3. qq. reg. q.78. art.1. Graffis in addit. ad 1.p.pag.83. Doctores in c. Episcopos.d.17.& in c.nimis.2. de excessib.prælat. Locus autem dignior in processionibus, & cōcessibus censetur ille ex Graff. loco cit. n.2. & c.perlectis. d. 25. qui propinquior est Episcopo, Principi, &c. minus autem dignus, qui longius abest.

Tanguntur autem in hac constitutione tria hominum genera, in quibus præcedentia seruanda est, nempe Clericorum sæcularium, Monachorum, & Mendicantium. Et quidem Clerici sæculares digniorem locum obtinere debent, ex Ioan. Montano tr. de auct. mag. Concilij num. 84. Roder. 3.p. q.37. art.1. Graffis in add. ad l.3.1. partis cap. 5. num. 138. num.3. pag. 83. Geminiano, Cardinali, & aliis, quia antiquior est eorum institutio. Et ideo in iure tit. de cler. & Monachis, prius nominantur, vnde sequitur esse digniores, magis dilectos à nominante, & præferendos per textum in l quoties. ff. de vsufr. Glossam d.96.c. bene quidem in verbo. Mediolanensis. Baldum in l.1. Cod. de edict. D. Adr. toll. facit etiam ad hoc c. legi 16. quæst.1.

Inter ipsos autem Clericos sæculares, qui habent dignitatem in nobiliori loco, licet sint eiusdem nominis præferuntur, vt Canonici Ecclesiarum Cathedralium, Canonicis aliarum Ecclesiarum, ex Innoc.c 3. de sepult. Nauar. consil. 1. tit. de Maior. & Obed. Roder. to. 3. quæst. 37. ar. 1. vnde illi dicuntur Clerici primi gradus, isti verò secundi gradus, ex eodem Innoc. c. sedes. de rescript. Et Canonici Ecclesiarum collegiatarum Rectoribus simplicium Ecclesiarum. c. licet. iuncto. c. statutum. de elect. l.6. & ita de aliis.

Inter eos verò, qui sunt æqualis dignitatis, & gradus, præferendus est, qui prius promotus est. 17.c. Episcopos. & d.74.c. Episcoporum, & c. 1. de Maior. & Obed. Ille enim gradu cæteros debet antecedere, quem labor prolixior, & stipendia longiora fecerunt anteire, vt Codic. de off. ma. off. l. nemo. nisi posterior recepisset dignitatem à Principe, tunc enim præcederet. vt de Maior. & Obed. c. per tuas. & l.2.ff. de albo scrib.

Post Clericos sæculares dignior locus debetur Clericis regularibus S. Augustini, incedentibus tamen sine cappa in linea veste, & Clericali habitu, vt ex Cardinalium definitione, & bulla Pij IV. incipiente. *Sedis Apostolicæ*, docet Nauarr. comm.

comm.4.de regul.nu.4.& 5.& Roderic. loco cit. quicquid in contrarium sentiat Graſſis loco cit. num.6. Deinde Monachis S.Benedicti, vtpote antiquiſſimis, & deinceps aliis iuxta inſtitutionis antiquitatem, ex Gloſſ. in cap. quorundam de elect.l.6.

Tandem Monachos ſequentur ordine dignitatis Mendicantes religioſi, ex Doctoribus præcipuè Præpoſito in cit. cap. Epiſcopos. d.17. & loci prærogatiuam inter eos habent Patres S. Dominici, provt hoc loco declarat Clemens VIII. & ante eum Pius V. in bulla 26. aliàs 68. quæ incipit. *Diuina diſponente clemẽtia.* tum Fratres Minores, poſtea Eremitę S. Auguſtini, demum Carmelitæ. Si quæ autem controuerſiæ oriantur in præcedentia in ſupplicationibus,& proceſſionibus, per Epiſcopum componendæ ſunt amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcumque ex Conc. Trid.ſeſſ.23. de ref. cap.13. & Roderico 3. p. q.36.art.1.

Si autem regulares non vocentur ad proceſſiones, non tenentur comparere; nec poſſunt vocari ad proceſſiones, niſi magna ex cauſa, Abbas in cap. nimis 2. de exceſſ. prælat. Gambarus l.8. de auct. leg. à latere. §. de poteſt. leg. in regulares. Nec poſſunt ad hoc ſub cenſuris adſtringi ab Epiſcopis, ſed aliis pœnis, cum in hoc non ſint delegati Sedis Apoſtolicæ & regulares ſint immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubiecti. Videndus Quaranta v. præcedentia.in fine, & Henriquez l.7. cap.24. 25. num.7. At ſi regulares diſtent vltra dimidium milliare à ciuitate, compellendi ab Epiſcopis non ſunt accedere ad proceſſiones, vt cenſuit ſacra Congregatio ſuper Concilio, vt notauit etiam Quaranta v. præcedentia.

Exemptionem autem à proceſſionibus dedit Gregorius XIII. Societati Ieſu, inhibuitque Ordinariis quacumque dignitate fulgentibus, ne ſuper præmiſſis religioſos prædictos inquietare audeant, aut inquietari permittant. Si quis verò exemptus ſponte proceſſionibus interſit, non renunciat tacitè huic priuilegio, quia huiuſmodi priuilegia dantur fauore totius religionis, vt docet Rodericus 3. p. quæſt.36. art.3.& conſtat ex compendio priuil. Societatis. tit. priuilegia. §.2. Menochio conſil.75. num.70. & 74. lib.10.

Eiuſdem CLEMENTIS VIII.

Cõſtitutionis 20.editæ anno 1593. incipientis. Cum Hebræorum.

EPITOME 157.

Prohibẽtur libri Thalmudi,& Cabalyſtici, cæteráque huiuſmodi ſcripta ſub pœna excõmunicationis latæ ſententiæ, confiſcationis bonorũ,&c. & extenduntur ad Complices.

APPROBAT §. 1. Conſtitutiones Gregorij IX. num.2.Innocentij.IV. num.2. Clementis IV. Honorij IV. Io.XXII. Iulij III.nu.24.Pauli IV. Gregorij XIII num 70. prohibentium Thalmudi libros. Vetatque §. 2. Vanos, Cabalyſticos, & alios nefarios auctores prohibitos, & quæcũque opera, & ſcripta tã lingua Hebræa, quàm alia quacũque tacitè, vel expreſsè

hæreses, vel errores contra sacras scripturas legis veteris, necnon contumelias, impietates in Deum, sanctissimam Trinitatem, Christum, B. Virginem, Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, & alios sanctos, Sacramẽta, Crucem, Imagines, Ecclesiam, Sedem Apostolicam, Christi fideles, præsettim Episcopos, Sacerdotes, & alios Ecclesiasticos, atque Neophytos nuper ad fidem conuersos; vel in quibus sunt obscænæ narrationes.

§. 3. Et reuocat licentias omnes concessas legendi, tenendi, & defetendi huiusmodi libros.

§. 4. Districtéque inhibet ne denuo concedantur licentiæ tetinendi, legendi, emendi, vendendi, aut edendi de nouo libros prædictos.

§. 5. Præcipítque eos intra dies 10. Romæ, extra vetò 60. consignari inquisitoribus, vel Ordinariis locorum ad comburendum sub pœna publicationis bonorum, & aliis tam Iudæis, quàm Bibliopolis, Typographis, & aliis contrafacientibus, & quo ad Christianos transgressores excommunicationis latæ sententiæ, si legant, teneant, habeant, edant, describant, aduehant, emant, vendãt, donent, commutent, aut alio modo disttahant.

§ 7. Immo sub prædictis, & aliis pœnis statutis cõtra fautores Apostatarum à fide, & & Hæreticotum, præcipit, ne quis audeat opem, auxilium, consilium, fauorem, præstare Hebræis pro habendis, scribendis, afferendis, aut pro eorundem legendorum impetranda licentia.

THEOREMA 394.

ITerum pullulantes Iudæotum impietates toties à summis Pontificibus excisas, vt diximus in 2. bulla Innoc. IV. & 70. Gregorij XIII. irerum fuerunt à Clemente VIII. 20. hac Constitutione nouo conatu euellendæ, & denuo exturpandæ, ne deinceps cuiusquam opere, & auxilio serpere possent. Prædecessorum igitur vestigiis insistens Pontifex primò proscribit toto orbe Christiano Thalmudi, id est Doctrinales Hebræorum libros, eo quod innumeras blasphemias, & impietates in Christum Dominum, eiusdémque sanctissimam Religionem cõtinerent. Recensentur autem duplices Thalmudi libri à Gerebrardo in chronico anno mundi 3690. Sixto Senensi l. 2. bibliorh. & aliis, nempe Babylonici, quorum tres fuerunt collationes. Prima facta post vltimum excidium Hierosolymitanum anno 150. à Iuda Simonis filio; altera à R. Ioannã anno 300. ab eadem clade; tertia à R. Asse, & R. Hammai circa annum Christi 40. ex Gerebrardo loco citato

&

& Baronio in annum Christi 476. & Hierosolymitani, Babylonicis multo contractiores, quos omnes indistinctè Pontifex damnat; in Christianæ enim Religionis odiū concinnati sunt, quicquid existimauerit Petrus Galatinus l. 1. c. 7.

Secundò etiam damnat vanos cabalysticos libros. est autem *Cabala* disciplinæ secretò, & quasi per manus receptio, vt ex Pico Mirandulano in Apologia, Cælio Rodigino l. 10. c. 1. Thoma Garzonio in foro vniuersali, discursu 29. & Paulo Riccio constat. Damnat autem Clemens vanos cabalysticos & alios nefarios libros, & non absolutè quoscumque cabalysticos libros; quod duplex censeatur Cabala, vna antiquissima à Deo Moysi in monte Syna insinuata; cum ei non tantum litteralem legem toti populo communicandam dederit, sed etiam alteram spiritualem, & veluti explicationem litteralis solum septuaginta à se dilectis sapientibus tradendam; quam ipsi quoque successoribus per manus ore tenus communicarent. Ita enim scribitur *Locutus Deus.* l. 4. Esdræ cap. 14. *Reuelans reuelatus sum Moysi super rubum, quando populus meus seruiebat in Ægypto, & adduxi eum super montem Synai, & detinebam eum apud me multis diebus, & enarraui ei mirabilia multa, & ostendi ei temporum secreta, & finem, & præcepi ei dicens. Hæc in palam facias verba, & hæc abscondas.* & D. Hilarius in 2. Psal. eadem illis verbis testatur. Erat autem iam à Moyse ante institutum in omni Synagoga septuaginta esse Doctores. nam idem Moyses, quamuis testamenti verba in litteris condidisset, tamen seorsim quædam ex occultis legis secretiora mysteria senioribus, qui deinceps Doctores manerent; intimauerat, cuius & doctrinæ etiam Dominus in Euangelio meminit, dicens: *Super Cathedram Moysi, &c.* Huius rei specimen videri potest apud D. Hieronymum l. 3. regum in illud Dauid, *Habes quoque apud te Semei filium Gera.* & in præf. com. in Threnos Hieremiæ, & D. Aug. in tr. 17. in Io. in illud, *triginta octo annos habens in infirmitate.* Sed cum ob varias captiuitates vereretur Esdras, ne dispersis Doctoribus interiret etiam huiusmodi doctrina, petiit à Domino eodem l. 4. cap. 14. vt liceret mandare litteris, sicut cætera, quod & factum est. vnde Dominus ei præcipit. *Priora, quæ scripsisti, in palam pones, vt legant digni, & indigni: nouissimos autem septuaginta conseruabis, vt tradas eos sapientibus de populo tuo: in his enim est vena intellectus, & sapientiæ fons, & scientiæ flumen. & feci sic.*

Altera post Christum natum ab Hæbræis conficta, falsa, superstitiosa, & impia, ad euocandos dæmones, præstigia exercenda, & similia patranda, cuius beneficio impiè dicunt Iosue solem stare fecisse, Heliam ignem de cœlo deduxisse, Christum miracula operatum esse. Huius veluti quatuor species recenset P. Martinus del Rio. l. 1. mag. disq. cap. 4. quæst. 3. Quare rectè hæc Cabala, vtpote vana, erronea, superstitiosa, blasphema, & magica à summis Pontificibus, & Ecclesia proscripta est. licentia illam tenendi, legendi, deferendi omnibus sublata, inhibitúmque, ne denuo concedatur facultas legendi, retinendi, emendi, vendendi, aut de nouo edendi

prædi

prædictos libros, sed tradendos inquisitoribus comburendos, sub pœnis § 5. & 7. statutis ob id constitutio hæc multo seuerior est cæteris eadem de re latis, vt inspicienti patet, & multo plures comprehendit.

Eiusdem

CLEMENTIS VIII.

Constitutionis 28. editæ anno 1594. incipientis. Religiosæ.

EPITOME 158.

Religiosis munera interdicũtur. restitutio, priuatio officiorũ, vocis actiuæ, & passiuæ, inhabilitas, & infamia.

PROHIBET §. 1. & 2. omnibus Religiosis (exceptis militiæ) vtriusque sexus omnem largitionem, & missionem munerum, directè, vel indirectè, palam, vel occultè, communi, vel proprio nomine, non obstante quouis statuto, aut consuetudine, nisi in Generali Capitulo re maturè discussa, vnanimi consensu, superiorúmque permissu causa approbata fuerit.

§ 3. Eriam si res à superioribus alicui concessæ sint, vt de eis disponat ad libitum, vel ab amicis, & consanguineis datę fuerint, prętерquam leuiora esculenta, & poculenta, vel ad deuotionem pertinentia munuscula, communi tantùm nomine, cum superiori de consensu conuentus, videbitur, danda, adeo vt huiusmodi largitiones Religiosis sint interdictæ, non solùm per se, & directè, sed etiam per alios, & indirectè.

Siue hæ §. 4. fiant laicis quacumque dignitate, etiam Regia, & Imperiali, siue Ecclesiasticis, etiam Pontificali necnon Cardinalatus dignitate fulgentibus, aut proprio loci ordinario, etiam ex causa, & occasione benedictionis, vel susceptionis habitus, tonsuræ, professionis, vel Congregationis Protectori, Generali, Prouinciali, aut etiam inter ipsos quoque religiosos, nisi rerum minimarum de licentia expressa superiorum, & in scriptis.

§. 5. Item ne possint erogare pecunias vllas in cuiusuis benefactoris, aut Procuratoris, vel Ordinarij honorem, etiam occasione transitus, & primi ingressus, aut memoriam acceptorum beneficiorum, seu pro prædictis honorificè lautéque excipiẽdis, vel pro comessationibus, compotationibúsque quibusuis personis, etiam eiusdem Ordinis, & domus largiendis, aut exhibendis spectaculis, etiam piis, aut in quibusuis rebus superuacaneis ad pompam, ostentationem, oblectationem, aut priuata commo

commoda pertinentibus, niſi re ipſa pro diuino cultu, & veris pauperum indigentiis, ſeruato in hoc charitatis ordine, & habita ratione neceſſitatis, de conſilio, & conſenſu Superiorum, aut in aliis rebus licitis per Capitulum Prouinciale, vel Generale non prohibitis, & per ea præfixam forſan taxam non excedentibus.

§. 6. Non tamen hac Conſtitutione derogatur hoſpitalitati, præſertim pauperum, & peregrinorum. Si qui verò ditiores illac tranſeant, debent eſſe contenti communi menſa; & religioſi ſint in hoc frugales.

§. 7. Si quis contra prædicta à religioſis & Capitulo, & Ordine quid acceperit, id ſuum non faciat, & teneatur abſque alia declaratione in vtroque foro reſtituere, non ei, qui dedit, ſed communi maſſæ, adeo vt neque in foro conſcientiæ abſolui poſſit, non facta realiter reſtitutione. nullâque ratione poſſit religio remittere, vel exemptum facere à reſtitutione, aut concedere, vt datum erogetur in pauperes.

§. 8. Tranſgreſſores eo ipſo ſunt priuati dignitate, gradu, muneribus, & officiis, inhabiles ad illa, & alia, perpetuò infames, priuati voce actiua, & paſſiua abſque alia declaratione, & poteſt contra eos procedi, & inquiri tanquam reos furti, & ſimoniæ, præter alias iuris communis pœnas.

§. 9. Etiam ſuperiores faciant, vt hæc à ſubditis ſeruentur, & conſtitutio hæc ponatur in libris ſtatutorũ monaſterij, & ſaltem quotannis legatur in Cõgregatione, aut Capitulo.

THEOREMA 395.

QVæ interdicũtur in hoc motu proprio Clementis, ſunt etiam vetita iure communi. c. nulli liceat, & cap. ſi quis. tit. de rebus Eccl. non alien. c. cum ad monaſterium. cap. Monachi. 2. de ſtatu Monach. & 12. q. 1. cap. non dicatis. & Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 2. & merito. Tum quia per votum paupertatis, & incapacitatem dominij, regulares ſubditi largitiones munerum facere non poſſunt etiam ad pias cauſas, niſi ex conſenſu tacito, vel expreſſo Prælati, vnde etiam quicquid acquirunt, monaſterio acquirunt. Superiores quoque non ſint domini bonorum monaſterij, ſed ſolum adminiſtratores ſubordinati, vnde non poſſunt ea conferre, quibus voluerint, ſed tenentur in eis adminiſtrandis ſeruare leges boni adminiſtratoris, & œconomi. Tum quia conuentus, qui eſt dominus talium bonorum, non conſentit in tales donationes, immo nec per Canones, & Conſtitutiones Eccleſiæ illis cõſentire poteſt, niſi ad cauſas pias moderatè, iuxta Pontificis, qui eſt ſupremus adminiſtra-

niſtrator, præſcriptum, cum ea debeant etiam inſeruire ad victum, veſtitúmque futurorũ regularium.

Itaque §. 1. & 2. vetat Pontifex omnibus Religioſis (exceptis militaribus) profeſſis ſcilicet, cum Nouitij non veniant hoc nomine. cap. religioſo. de ſent. excommunicationis l. 6. §. quamuis. vtriuſque ſexus, non ſolum particularibus, ſed etiam ſuperioribus, & conuentibus, ne directè, vel indirectè palam, vel occultè, communi, vel proprio nomine, extra Ordinem aliquid liberaliter donent, niſi re maturè diſcuſſa in Generali Capitulo vnanimi conſenſu, & ſuperiorum permiſſu fuerit probata cauſa.

Per donationem autem, & largitionem munerum; ex Magiſtro ſent. & S. Thom. 2. d. 18. q. 2. art. 2. intelligitur datio liberalis, ſiue irredimibilis, & nõ intendens compenſationem, ſeu, vt tradunt Azor tom. 3. l. 11. tr. de donat. c. 1. & Iuriſperiti. l. donari. ff. de donat. rei licitæ nullo iure cogente, mera liberalitate facta collatio. Ideo cum ſuperiorum licentia poſſunt Religioſi pauperibus facere eleemoſynas, remunerare obſequia, & accepta beneficia dummodo munera non excedant merita (ſi enim excedant, reducentur ad donationem propriè dictam) ex Azor 3. p. l. 10. cap. 3. q. 3. cum hæ ſint ſatisfactiones, & eleemoſynæ, non donationes. neque enim probabile eſt, vt notat etiam Roder. tom. 2. q. 48. art. 3. voluiſſe ſumm. Pontificem tollere remunerationem, cum ſit de iure naturali, vt benefacientibus benefaciamus. l. ſi non forte. ff. de condit. indeb. & l. ſi non ſit. ff. de pet. hered. facta enim largitio ex talibus cauſis, non eſt duntaxat ex liberalitate, vt rectè docent S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 3. Nauarr. in Apol. de reddit. Eccl. q. 1. monit. 82. Io. Valerus Carthuſianus in differentiis vtriuſque fori. v. munera. diff. 1. n. 72. & 97. Io. à Cruce l. 11. de ſtatu relig. c. 3. not. 1. Bonacina de donatione p. 1. vbi etiam citat Quarantam. v. munerum largitio. & P. Ant. Marcheſium noſtrum à ſe conſultum: vnde communi vſu Medicis, Aduocatis, Capellanis, vectoribus, & famulis pro bono famulatu, & diligentia in ſuis officiis, vltra conſuetam mercedem, ſtatis temporibus aliquid donari, vel tradi ſolet. Qua de re Roder. p. 1. qq. reg. q. 27. art. 6. & Io. à Cruce not. 1.

Non poſſunt tamen religioſi ex Roder. loco cit. tom. 2. q. 48. art. 3. facere huiuſmodi remunerationes illis, à quibus ad prælaturas, aut officia vel promoti ſunt, vel promouendi, cum id præ ſe ferat ſpeciem ſimoniæ; ſi quod tamen admodum leue munuſculum ſubditus promotus daret Prælato, in foro exteriori, non eſſet cenſenda ſimonia, ſed grati animi ſignificatio, cum leuitas munuſculi ſuſpicionem euacuet ſimoniæ, vt colligitur ex c. etſi. de ſimonia, & Nauarr. tr. de dat. & promiſſ.

Beneficiatus autem regularis, vel qui ex conceſſione Papæ habet penſionem, non comprehenditur hac bulla, cum poſſit diſponere de fructibus ſui beneficij, vel penſionis, ſicut clerici ſæculares de ſuis, ex Card. Clementina. 2. §. ſed & tales. tit. de vit. & honeſt. cler. Nauarr. de reddit. Eccl. q. 3. monit. 25. & com. 2. de regul. n. 10. & Petr. Nauarr. l. 3. de reſtit. c. 1. n. 175.

THEO

THEOREMA 396.

ID autem intelligitur ex §. 3. tam de rebus concessis à superioribus, vt de ipsis pro libito disponat, quàm de habitis ab amicis, & cæteris quouis titulo, cum quicquid acquirit Monachus, acquirat monasterio, non sibi; ob id cum nullius rei dominium habeat, non potest illud per munerum largitionem in alium transferre. Excipiuntur tamen leuiora esculenta, & poculenta, & munuscula pertinentia ad deuotionem, dãda communi tantum nomine, cum superiori, de consensu conuentus, videbitur.

Porrò res leues sunt in duplici differentia, vt notat Io. à Cruce, not. 3. aliæ enim sunt ita paruæ, vt nullam mereantur compensationem vt v. g. calculus benedictus, modicus panis, aureum pomum, & similes, & harum donationes non videntur hac constitutione comprehensæ, cum finis constitutionis sit, ne donationibus, & muneribus dissipetur patrimonium Christi, quod his reculis donatis non euenit. Aliæ sunt æstimabiles, siue sint esculenta, & poculenta, de quibus c. statutum. §. insuper de rescript. l. 6. & Gloss. ibid. v. g. vitulus, & quę biduo aut triduo consumuntur siue res ad deuotionem pertinentes, vt tabula depicta, affabrè factus æneus, aut eburneus Crucifixus. & hæc sunt, quæ præcipit, vt solum communi nomine, & de consensu conuentus, cum videbitur superiori, donentur. iuxta c. tua nuper. de his, quæ fiunt à Prælatis sine cõsensu Capituli. Quod etiam sentit dicendum de leuibus diuersi generis, eo quod quando in aliqua regula excipiũtur aliqui casus, maneant etiam excepti alij similes, ex Bartolo. c. 2. de coniugio leprosorum. Cum enim lex non possit excipere omnes casus exceptione dignos, ponit aliquos loco exempli. Secus in dissimilibus, de quibus solum intelligitur regula iuris. casus exceptus firmat regulam in non exceptis. Extendit autem Clemens VIII. exceptionem hanc respectu Societatis IESV, vt possint etiam donari aliqua, quæ pro medicinis ex India afferuntur, vt v. g. lapis Belloares, balsamum, &c.

Quærenti verò quænam censenda sit valoris quantitas, quam Pontifex dari permittat tanquam minimam: dico aliquos existimare esse valorem duorum aureorum, & fauet. l. plebis scito. ff. de officio Præsidis. l. si oleum. & l. id est. ff. de dolo malo. & Gloss. in cap. de appellationibus. tit. de appellat. c. statutum. de rescriptis. l. 6. Gloss. ibid. Alij, vt Io. Valerus loco cit. n. 65. multò magis extendunt. Sed res videtur relinquenda arbitrio prudentis, attenta qualitate dantis, & accipientis, quantitate muneris, & durationis tempus, vt respondit Pontifex Archiepiscopo Strigoniẽsi. in c. & si quæstiones. de simonia. Quod enim respectu vnius personæ, & in vno loco, & tempore est paruum, respectu alterius personæ, loci, & temporis censeri poterit magnum, ex Nauarr. c. non dicatis. num. 25.

Sed nunquid licitè poterit donari artificium superpellicei, aut tabulæ? Sunt qui negent, quod res huiusmodi pretio æstimentur, & omnia sint acquisita monasterio. cap. cum olim. de priuilegiis. Sunt pariter, qui affirment, vt Io. Vale-

rus Carthusianus.v.munera.diff.1. n.66.67. quod tunc religiosus non agat de alienanda, seu donanda re, quæ sit monasterij, sed tantum agat de non acquirenda; quo casu Prælatus, qui licentiam concedit, potest præiudicare monasterio. Glossa in c.fin.16.q.6. & in c.placuit.2. 16.q.3. & cap.2.verbo.Non debet. tit.de donat. Tabiena. v.alienatio. q.10.& alij, vt diximus Theoremate 2. Videri potest Sanchez l.6. de matrim. d.4.n.12.

Potest quoque dubitari nũ consensus conuentus sit necessarius ad singulas licentias concedendas à superiore pro re aliqua donanda? Respondet idem, qui supra Io. Valetus ibidem. num.79. se hac de re sæpius cõsultum sentisse satis esse, vt conuentus semel tribuat facultatẽ Prælato concedendi licentias huiusmodi inferioribus, & vt ipse quoque possit munuscula dare.

Iam verò ad vitandas fraudes circa huiusmodi largitiones munerum declarat Pontifex eodem §. 3. eas prohiberi Religiosis, siue per eos fiant, siue per alios, & tam directè, quàm indirectè. Quo loco dubitatur an incidat in hanc Clementis Cõstitutionem religiosus, si absque sui superioris licentia volentem sibi aliquid donare roget, ne sibi donet, sed donet consanguineo, quibus precibus ille ductus, largitur cõsanguineo? Sunt qui affirment; tum quia Motus proprius Clementis habet: *Prohibemus religiosis missiones munerum non solum per se, verùm etiam per alios, tam directè, quam indirectè*; hic autem videtur per alium, & indirectè donare, cum perinde sit, ac si religiosus acceptaret, & mitteret consanguineo, cum eius contemplatione res consanguineo detur. Vnde id videtur & Clementis Constitutioni, & voto paupertatis aduersari. Tum quia. l.2. ff. de calumniat. dicitur. *Nec refert an ipse pecuniam acceperit, an alij iusserit dari.* Oppositum tamen docet Sosa in huius bullæ explicatione. num.73. Tho. Sanchez l.6.de matrim.d.4.num.7. Bonacina de donat. n.6. quando religiosus profitetur nolle se acceptare, vt si dicat *Ea re non indigeo, si tibi placuerit, gratum mihi erit, si dederis meo consanguineo.* Secus esset, quando religiosus expressè, vel tacitè acceptaret, & peteret dari consanguineo, vt si offerenti donum, gratias agat, petátque ab eo, vt tradat cõsanguineo, eo quod in priori casu nulla sit ibi acceptio religiosi, vnde nihil ipse donat, sed solum intercedit, vt alius donet. in posteriori autem religiosus acceptat, & mittit per manum donantis cõsanguineo. Deinde quia motus proprius Clementis, & votum paupertatis, obligat religiosum solum ne acquisita alienet, absque debita licentia, non autem, vt acquirat; in casu autem nostro nihil acquisitum alienat, cum absque acceptatione non possit acquirere, & tantum abest, vt acceptet, vt potius testetur contrarium, cum vero animo non acquirendi. Poterit tamen peccare contra charitatem, si absque iusta causa omittat acquirere monasterio, vt detur alteri.

Vnde ad primum argumentum dicendum est, id non esse donare, cum religiosus vetè nihil acquirat, & consequenter nec alienet. Ad secundum id habet locũ quando est tacita acceptatio, & acceptans iubet dantem alteri tradere. Indirectè autem donare censebi-

tur

tur conuentus. v. g. ſi abſque iuſta cauſa repudiet legitimam Monachi poſt tacitam,vel expreſſam acceptationem factam à monaſterio (antequam enim acceptetur nondum eſt in bonis monaſterij. l.pretia rerum.ff.ad legem Falcid.& ſolum deſinet acquirere) in fauorem alicuius, aut quando eſt tacita donatio ſub nomine,& ſpecie mutni, vt ſi religioſus nummos alicui mutuet animo non recuperandi, ex Soſa loco cit. Sanchez dicto n. 7. Io. à Cruce l.t. de ſtatu relig. c. 3. not. 3. & aliis ſimilibus caſibus.

THEOREMA 397.

QVoad perſonas autem, quibus largitiones fieri poſſint à religioſis, nullæ ſunt, cum ex §.4. caueatur ne fiant laicis cuiuſvis dignitatis, etiam Regiæ, & Imperatoriæ,nec Eccleſiaſticis,comprehenſis etiam Cardinalibus, locorum Ordinariis, aliúſque Prælatis, & quauis occaſione,vt benedictionis,ſuſceptionis habitus, tonſuræ, profeſſionis,& ſimiliũ. Protectori Cõgregationis, Generali, Prouinciali, aut ſibi inuicem particularibus religioſis, niſi rerum minimarum,de expreſſa licentia,& in ſcriptis ſuperiorum,ne ſcilicet his largitionibus patere poſſit via ad ambiendas dignitares, & officia religionis, vt videmus etiam vetitum à Pio V. reſpectu Fratrum S.Franciſci bulla 61. quæ incipit. *ad extirpãdas.* edita anno 1568.Et quod dictum eſt de munerum largitionibus, extendit etiam Clemens. §.5. ad erogationes pecuniarum in comeſſationes & compotationes benefactorum, Protectorum, Ordinariorũ, & aliorum, etiam eiuſdem Ordinis occaſione primi ingreſſus,tranſitus,beneficiorum receptorum, & gratitudinis, exhibendorúmque ſpectaculorũ,etiam piorum, aliarúmve rerum pertinentium ad pompam, oſtentationem, oblectationem.

Non vetatur tamen religioſis, ne occaſione v.g.feſti alicuius poſſint inuitare ad prandium, &c. ſolum enim vetantur ſumptus exceſſiui, cum dicatur oppiparè,honorificè, lautè, vt notat etiam Io. à Cruce loco cit. & etiam colligitur ex §.6. vbi dicit non intendere derogare hoſpitalitati pauperum, peregrinorum, quin & ditiorum, etſi optet, vt contenti ſint menſa communi, & religioſi ſint frugales.Sicut neque derogat eleemoſynis etiam maioribus,in mendicantes, & eos, qui non habent ad decentiam ſui ſtatus, ſi monaſterio ſuppetant ſuperflua, vt colligitur ex §. 5. & Ioanne Valero loco cit. n.91. vſque ad 98.

THEOREMA 398.

DEinde §.7. inhabilitantur recipientes aliquid à religioſis particularibus, Capitulo, aut Ordine contra huiuſmodi decretum, ad illud retinendum,& faciendum ſuum, ſed obligantur abſque alia declaratione in vtroque foro reſtituere acceptum, non largitori, ſed maſſæ communi;& religio aut conuentus non poteſt reſtitutionem remittere, aut condonare, vt erogetur datum in pauperes,adeo, vt non poſſint,qui receperunt,etiã in foro conſcientiæ abſolui, niſi poſt factam realem reſtitutionem. Quid ſi paupertas ſit adeo grauis, vt modo non poſſit, qui accepit,

restitnere? data possibili cautione de satisfaciendo, cum primum potuerit, licebit absolui, ex Sanchez l.2. decal. c.20. n.19. Sosa in explicatione præsentis Constitutionis n. 96. Io. à Cruce loco cit. not. 4. iuxta communem doctrinam Anton.3.p.t.24.c.8. Syl.v.excomm.9. casu 42. n 8. Tab. excom.5. casu 4. q.17. Nauarr.c.17.n.59 & com.de dat.& promis. num.38. Molin. t.3. d. 756. Roder. in sum. edit.2 t.1. c.87.n.8. Henriquez l.13.c.28.n.1. litt. R. cum nemo teneatur ad impossibile, & ex altera parte non sit procrastinanda conuersio, etsi aliqui oppositum tenuerint.

& aliorum, vt diximus Theor.382. eo quod sit nimis durum, vt quis contra se exequatur pœnam, vt priuationem suorum bonorum, & similes, sed videatur sufficere, si patiatur illatam. licet alij oppositum senserint. & in fine Pontifex præcipit Ordinariis locorum, & superioribus regularibus, vt curent in monasterij libris describi, & saltem semel in anno in Congregatione legi, & à subiectis obseruari. Sed valdè dolendum est, decretum optatum effectum minus esse consecutum, adeo vt apud multos vix extet eius memoria.

THEOREMA 399.

TAndem §.8. decernuntur pœnæ in transgressores huius legis, seu largientes munera, non autem in recipientes, scilicet primò priuatio ipso facto dignitatũ, munerum, officiorum, videlicet habentium honorem cum superioritate, non autem prædicationis, lectionis, &c. ex bulla Sixti V. quæ incipit. *Ad Romanum* §.6. vocísque actiuæ, & passiuæ. Secundò, inhabiliras ad eadem, & alia in posterum obtinẽda. Tertiò, infamia perpetua. Quartò, furti, & simoniæ pœna, absque alia declaratione, scilicet pœnæ, non tamen absque declaratione culpæ, seu criminis, cui illa pœna est imposita, iuxta opinionem S. Thom. & Thomistarum 1.2. q.96. art.4. & 2.2. q.62. art.3. Bannis ibidem dub.2. Soti l.1.q.6. art.6. Valentiæ 1.2.d.7.q.5.p.6. & 2.2.d.1.q.12.p.2. Io.à Cruce l.1.de statu relig. c.3. not.3. Sanchez l.7. de matrim.d.46.n.18. & l.2. decal. à n.6. ad 21. Sylu.v.pœna.num.28.

Eiusdem CLEMENTIS VIII.

Cõstitutionis 37. editæ anno 1595. incipientis. Æqua.

EPITOME 159.

SVB pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibet §.4. sæculares iudices ferre in Hierosolymitanos equites, donatos, religiosos, seruitores, Presbyteros, sæculares illis actu inseruientes, sententiam aliquam declaratoriã, fuisse per eos commissum crimen assassinij, aut deuenire ad executionẽ pœnarum, nisi prius ab eorũ Superioribus adiuncto sibi Episcopo loci, declaratum fuerit, tale crimen ab eis commissum. Cuius absolutio reseruatur Papæ, & irritatur quicquid

Sæculares non ferant assassinij sententiam, nec exequantur in Equites Melitenses, & eis inseruiẽtes, nisi prius cõstet per sententiã illorum Superiorũ id eos commisisse. excommunicatio reseruata.

quid ſecus,etiam ignoranter, fuerit attentatum. Non obſtantibus, &c.

THEOREMA 400.

IAm à Gelaſio II. anno 1120. Honorio II. anno 1124. Innocentio II. Celeſtino,Lucio, Eugenio II. Anaſtaſio IV. & aliis Romanis Pontificibus Hieroſolymitanorum militum religio approbata fuit,vt dictum eſt Theor.323. vt armis Chriſtianos peregrinos à Mahometanis tutos redderent, & per omnem terram ſanctam circunducerent, & in ea tria eſſentialia religionis vota nuncupantur, vt conſtat ex Nauarr.de redd.Eccl. q.3.num.55.Roder.t.2.qq.reg.q.2. art.7.Deciſ.Pedemont.27.num.81. Pet.Greg.ſyntag.l.15.c.34.Roder. tom.1.l.13.c.5.q.3.multiſque priuilegis aucta à Io. XXII. bulla 5. Pio IV. n.9.& 29. Pio V.bulla 77. Gregor.XIII.bulla 67.& aliis.conſequenter gaudere debet tum fori, tum canonis priuilegio.Auth.apud quos oporteat monach. cauſ.dicere. & Auth. Cod. eodem de Epiſc. & cler. & cap.ſi quis ſuadente.17. q.4.& cap.non dubium.de ſent.excomm.& cap.2.de foro comp.Nauarr.com.2.de reg.num.63.Iudices tamen ſæculares ſub prætextu aſſaſſinij criminis ſanè grauiſſimi,de quo etiam clericus imputatus pet ſæculares iudices puniri poteſt, ex Claro l.5. §. aſſaſſiniũ n.3. & q.36. num.25. quippe cum aſſaſſini ſint diffidati,& ideo præcedente declaratione impunè à quocunque poſſunt occidi, c.1. de homicid. lib.6. cúmque in criminalibus regulariter ad condemnandum aliquem, requirantur probationes meridiana luce clariores, in hoc delicto propter atrocitatem ſufficiunt argumẽta probabilia,ex eodem Claro,Carrerio in pract.crimin. §.homicidium. Boſſio tit.de connictis. n.55.Plaza l.1.delictorum cap.19. n.16. Burſato conſil.192. immeritóque ſæpiſſimè negotium dictis militibus faceſſerent,præſenti motu proprio Clemens VIII. vetuit ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ reſeruatæ Papæ, iudices ſæculares ferre declaratoriam ſententiam commiſſi aſſaſſinij, eámue executioni mandare, contra prædictos milites, eorúmque donatos, religioſos, familiares, preſbyteros ſæculares actu inſeruientes, de quibus videre eſt in bulla 2.Anaſtaſij Papæ anno 1154. §.9. & 10. & Pio IV. quæ incipit. *Circunſpecta*, niſi prius per ſententiam ab eorum ſuperioribus adiuncto ſibi Epiſcopo loci, fuerit declaratũ tale per eos fuiſſe commiſſum crimen. Et decernit irritum quicquid ſecus, etiam ignoranter, fuerit attentatum, & meritò, ex defectu ſcilicet iuriſdictionis, vnde quicquid ab eis geſtum erit,erit perinde, ac ſi geſtum fuiſſet à perſona priuata, cum ſententia à non indice ſit nulla. l. priuatorum.Cod.de iuriſdict. omn. iud. & cap.etſi clerici.de iudic. non videntur tamen debere dictis priuilegiis gaudere actualiter inſeruientes,in fraudem legis aſſumpti, iuxta Gloſſam in cap.licet. de priuileg. verbo. domeſtici. Alia ſpectantia ad trahentes ad forum. ſæculare Eccleſiaſticos Theoremate 82. explicuimus.

Eiuſdem

Eiusdem
CLEMENTIS VIII.

Cõstitutionis 39. editæ anno 1596. incipientis. Suscepti muneris.

EPITOME 160.

Regulares degentes in clausſtro, & extra cũ scandalo delinquentes, quomodo instante Episcopo puniẽdi. *privatio vocũ, & officiorũ, & inhabilitas.*

PRÆCIPIT §. 3. in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuę, dignitatum, & officiorum, atque inhabilitatis ad illa, & alia in posterum, eo ipso incurrenda, vt religiosorum superiores seruent decretum Concil. Trid. sess. 25. cap. 14. in puniendis subditis degentibus in clausſtro, & notoriè extra clausſtrum cum populi scandalo delinquentibus. ita vt Episcopo instante intra tempus ab eo præfigendum, seuerè puniant tales delinquentes, & Episcopum de punitione certiorem faciant; aliàs ipse superior negligẽs priuetur à suo superiore, officio, & qui cum scandalo prædicto modo deliquit, ab Episcopo ipso puniri valeat. Quod si superior impunitum subditum ex industria extra Episcopi diœcesim, ad alia ordinis loca transmiserit, ita vt ab Episcopo puniri non possit, statuit, vt instante Episcopo intra ab eodẽ præfixum terminum, teneatur superior sub dictis pœnis priuationis dignitatis, & officij, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum, vocísque actiuæ, & passiuæ, ad quas à nemine, præterquam à Rom. Pontifice restitui possit, ipso facto pœnis incurrendis, reuocare regularem prædictum à loco; ad quem transmissus fuit, & restituere, vbi deliquit. & si hoc etiam omittat facere, Ordinarius loci, vbi est delinquens, informatus de delicto, vel requisitus ab Episcopo loci delicti, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, possit exequi prædictum Concilij decretum, & in delinquentem regularem seuerè animaduertere.

THEOREMA 401.

OLim Episcopus in cuius diœcesi situm erat regularium monasterium, iudex erat regularium, vt constat ex cap. si verò. 16. q. 1. Concil. Tolet. 4. c. 50. Toler. 7. c. 5. Toletano 10. cap. 3. Chalcedonensi cap. 4. & 8. Aurelian. 1. c. 10. Panorm. in c. porrectum. de regul. Syl. v. religio. 3. §. 4. Nauarr. com. 2. de regul. n 63. & coment. 3. num 4. Hentiq. l. 7. cap. 24. 25. & aliis: sed à tempore Gregorij I. suscepti sunt regulares sub immediata tutela Sedis Apostolicæ, & exempti ab Ordinariis locorum. Quare si delinquunt, à propriis iudicibus religiosorum, & monasteriorum superioribus sunt iudicandi, & non ab Episcopis locorum, nisi quandoque

doque id munus eis demandetur à summo Pontifice, tanquam Sedis Apostolicæ legatis, ex Conc. Trid. sess. 7. cap. 7. & Regularium priuilegiis, adeo vt iam teste Nauarr. com. 2. de regul. num. 63. vix locum habeat in religiosis constitutio Innoc. IV. cap. Volentes. de priuileg. l. 6. qua cauebatur, vt Ordinarius posset cognoscere contra exemptos ratione delicti, vel contractus extra loca exempta factorum, vel rei sitæ extra illa. multis enim concessum est directè, & aliis per communicationem, vt non possint conueniri etiam de factis, & sitis extra loca exempta, cum derogatione prædicti cap. volentes.

Porrò notandum est, vt diximus Theor. 149. ad Epitomen 54. magnam esse differentiam intra Regulares exemptos degentes extra monasteria, & degentes intra. hi enim conueniri non possunt coram Ordinariis supra vllis causis, illi verò possunt, in casu cap. Volentes. & in causis ciuilibus mercedum, & miserabilium personarum, ex Conc. Trid. sess. 7. c. 7. deinde ex præsenti Constitutione, & Conc. Trid. sess. 25. cap. 14. degentes intra non possunt propter delicta puniri ab Ordinario, nisi quando extra monasterium cum populi scandalo delinquūt, & non puniuntur à suis Prælatis monitis ab Ordinario, vt id faciant, degentes verò extra puniri possunt, vt à contrario sensu etiam inde deducitur, vt notat etiam Nauarr. d. num. 63.

Habet autem locum hæc constitutio, quando superior delinquentis ipsum in alium locum transmittit, vt maneat impunitus, cum eius littera dicat, *ex industria impunitum transmittet.* non autem quando prælatus regularis emittit extra domum, in qua deliquit, aliò, non vt delinquens, euadat impunitus, sed quia id bono regimini conueniat, v. g. quod in loco puniri non possit.

Non dicitur autem Episcopus instare Prælato Regulari, vt ad punitionem procedat, si semel tantum id petat, instare enim est sæpius id exigere, vt sic possit constare de negligentia superioris nolentis punire delictum, vt notat Rodericus p. 2. qq. reg. quæst. 2. art. 6. Quod autem de transmissione delinquentis ad locum delicti dicitur, communi iuri congruit, vt constat ex Claro. §. fin. q. 38. n. 18.

Eiusdem

CLEMENTIS VIII.

Constitutionis 42. editæ anno 1596. incipientis. Cum sicut.

EPITOME 161.

Irali non habitent extra Italiam, vbi non sit liber cultus religionis. & obseruēt præscripta aliàs contra eos tanquam de hæresi suspectos præfixit prouidi.

DECERNIT §. 1. vt nullus Italus, cuiusuis conditionis sit, audeat quouis quæsito colore habitare extra Italiam in loco, vbi non sit aliqua Ecclesia cum sacerdote Catholico, in qua liberè, & sine omni periculo, palam, & publicè celebrari, & audiri possint Missæ & alia diuina officia, & conciones, ac Ecclesiastica Sacramenta ministrari, mortuorum corpora

ſepeliri, cæteráque fieri iuxta ritum S.R.Eccleſiæ.

§. 2. Iidémque Itali abſtineant à matrimoniis cum hęreticis mulieribus, & ab hæreticorum ſepulturis; non permittant filios ſuos à ſacro fonte leuari ab hæreticis: nec ipſi viciſſim hæreticorum filios, niſi per Catholicum ſacerdotem Catholico more baptizentur, leuare præſumant. Medicorum quoque hæreticorum opera, neceſſitate ceſſante, & vbi adſit copia Catholici Medici idonei, non vtantur.

§. 3. Et diſcedentes ex Italia ad habitandum in prædictis partibus, id ſignificent Ordinariis, vel Inquiſitoribus, à quibus ſerio admoneantur, vt fidem Catholicam firmiter teneant, & profiteantur; & ſingulis annis ad Sacramenta acceſſiſſe Ordinariis, vel Inquiſitoribus in Italiam trāſmittere iubentur.

§. 4. Alioquin poſſit contra eos tanquam ſuſpectos de hæreſi procedi.

THEOREMA 402.

IMitatur Clemens optimorum parentum prudentiam, qui, vt docet Xenophon lib. de dictis, & factis Socratis, etſi liberos ſuos caſtos, & ſobrios eſſe ſciant, eis tamen prauorum prohibent colloquia, bonorum præcipiunt: quòd bonorum conuerſatio ſit virtutis exercitium, malorum verò interitus, & deſtructio. vnde & Theognis cecinit.

Bona quidem diſces à bonis, quod ſi te miſceas
Prauis, amittes etiam inſitam mentem.

Idémque facto Epidaurij oſtenderunt, qui cum ſcirent Illirios eſſe multorum ſcelerum labe infectos, mercatoribus ſuis ne deprauarentur, commeandi ad eos facultatem interdixerunt, & ciuem tantùm vnum, cuius omnibus perſpecta, probatáque eſſet virtus, ad Illirios penetrare ſinebant, qui negotia perageret omnium, vt refert Fulgoſus lib. 2. Itaque in præſenti motu proprio §. 1. veritus, ne Itali Catholicæ fidei propugnatores, exterarum gentium à fide auerſarum commerciis, & conſuetudine corrumperentur, ſtatuit, ne cuiuſuis conditionis Italus vllus, quouis quæſito colore, audeat habitare extra Italiam in loco, vbi non ſit Eccleſia aliqua cum ſacerdote Catholico, in qua liberè, & palam exerceantur ritus Eccleſiæ Catholicæ, ne paulatim errores, & hæreſes pullulent, rerum diuinarum inſcitia, & Sacramentorum omiſſione.

Iubet igitur, vt primò caueant à matrimoniis cum fœminis hæreticis, quod etiam habetur cap. caue. & cap. non oportet 28. q. 1. quod ſumptum eſt ex Conc. Agathenſi. cap. 67. & in Concil. Chalcedonenſi. cap. 13. Eliberrino. c. 16. Laodiceno. cap. 10. & 31. Carthag. 3. cap. 12. & apud Tertullianum, qui l. 2. ad vxorem. *quis dubitet*, ait, *obliterari quotidie fidem commercio infideli? bonos corrumpunt mo-*

res

res confabulationes praua, quanto magis conuictus, & indiuiduus vſus? quomodo poteſt mulier duobus dominis ſeruire Deo, & marito Gentili? (idem dicit de hæretico.) *Sed viderit qualiter viro officia pendat, domino certè non poteſt pro diſciplina ſatisfacere, habens in latere diaboli ſeruum, procuratorem domini ſui ad impediendum fidelium ſtudia, & officia*, &c. eſſéque peccatum mortale huiuſmodi matrimonia inire, quia contraueniatur iuſtiſſimo Eccleſiæ præcepto interdicentis ea matrimonia, propter periculum fidei imminens coniugi Catholico, ac proli, docet Sotus 4. d. 39. quæſt. 1. art. 2. Pet. Ledeſma de matrim. quæſt. 59. a. 1. Emanuel Sà v. matrimonium. vbi de impedim. dirimentibus. num. 8. Sanchez l. 7. de matr. d. 72. num. 4. Henriquez l. 12. cap. 13. num. 4. Valentia t. 4. d. 10. quæſt. 5. p. 3. Rebell. l. 3. & alij plures; ex Sanchez tamen excipi debent loca, in quibus hæretici non denunciati, nec publici percuſſores clericorum cum Catholicis viunt permixti, vt in Germania ex conſuetudine recepta, & tolerata. dummodo perſona Catholica liberè permittatur ſine periculo fieri permanere. Sed illud etiam inter Catholicos in dubium venit, an huiuſmodi matrimonium perſonæ fidelis cum hæretica ſit irritum, & nullum. Sunt qui irritum eſſe ſentiant, vt Simancas in inſtit. t. 40 num. 46. Roias ſingul. 148. num. 1. Hoſtienſ. c. 2. num. 1. de coniug. ſeru. & ibi Ancharan. num. 1. & Carrerius de hæret. num. 157. inter tract. t. 11. p. 2. quia in Synodo 6. generali can. 72. dicitur non licere Orthodoxum cum hæretica coniungi, nec Orthodoxam cum hæretico, ſed & ſi quid huiuſmodi factum apparuerit, irritas nuptias exiſtimari, & nefarium coniugiũ diſſolui. Communis tamen opinio docet tale matrimonium, etſi ſit illicitum, vt dictum eſt, eſſe tamen validum. Tum quia cap. decreuit. de hæret. l. 6. ſupponitur valere, dum decernit vxores, quæ ſcienter hæreticis nupſerunt, priuandas dote in pœnam delicti, non iubentur tamen ſeparari. Tum quia in teſtibus citatis, vbi hoc matrimonium vetatur, nullibi tamen dicitur eſſe irritum. nec vſus Eccleſiæ obtinuit vt ſit irritum, ſicut obtinuit vt non valeat matrimonium fidelis baptizati cum non baptizato. Tum quia cum matrimonium ſit Sacramentum, quo ad Sacramenti neceſſitatem ſolum petit paritatem baptiſmi ſuſcepti in contrahentibus; quamuis in fidei profeſſione diſparitas ſit. huiuſque ſententiæ ſunt pœnè omnes Theologi celebriores. S. Thom. 4. d. 39. quæſt. 1. art. 1. ad 2. Albert. ead. d. art. 3. Bonau. art. 1. quæſt. 1. Dur. q. 1. ad 2. Rich. art. 1. quæſt. 1. Palud. quæſt. vn. arr. 1. Supplem Gabriel q. vn. art. 3. Argent. quæſt. 1. art. 1. Caiet. v. matrim. cap. 1. impedim. 6. Dom. Sotus in 4. d. 39. quæſt. vnica. art. 2. Bellarm. l. 1. de matrimonio. c. 23. Henriquez l. 12. cap. 13. num. 4. vbi plures citat. Ant. 3. p. t. t. cap. 6. nor. 2. Petr. Sotus lect. 9. de matrim. Tolet. l. 7. cap. 7. Valent. t. 4. d. 10. quæſt. 5. p. 3. Azor l. 8. c. 11. quæſt. 5. Sanchez l. 7. de matrim. d. 72. vbi pluſquam 80. tam Theologos, quàm Iuriſperitos pro hac ſententia citat.

Ad argumentum reſpondetur, Canones illos in Trullo non eſſe editos à Concilio, ſed poſt illud

dissolutum à quibusdam Episcopis Romanósque Pontifices illos non approbasse, sed apertè improbasse. qua de re legenda, quæ iussu Gregorij XIII. addita sunt ad caput. Habeo librum. d. 16. quæque afferuntur à Bellarmino l. 1. de consiliis. cap. 7. & l. 2. de Pontifice. cap. 18. & Francisco Turriano lib. de canonibus sextæ Synodi. & Cano. l. 5. de locis Theolog. cap. vlt. ad 6.

Secundò, vt abstineant ab hæreticorum sepulturis, cum sit regula, *ne in morte communicet Catholicus cum eo cum quo non communicat in vita.* 11. quæst. 3. cap. quicumque & 24. q. 2. cap. 1. & extra de sepultutis. cap. ex parte & cap. sacris. qua de re egimus Theor. 30. & 52. num. 14. & videndus Simancas tit. 18.

Tertiò, ne permittant suos filios è sacro fonte leuari ab hæreticis; nec ipsi eorum leuent, nisi à sacerdote Catholico & more Catholico baptizentur. Patrini autem nominantur communiter. cap. in Catechismo. de consec. d. 4. Glos. ibid. Concil. Trid. sess. 25. cap. 2. de matrimonio. à Magistro 4. d. 6. S Thom. 4. p. quæst. 67. arr. 1. & aliis Theologis, qui à Dionysio de Eccles. hier. cap. vltimo. susceptores vocantur, & spousotes à Tertulliano. l. de baptismo. cap. 18 & quamuis simpliciter possit quis baptizari absque patrino. Sot. 3. d 4. quæst. 1. extra tamen casum necessitatis, cum patrino debet fieri ex S. Thom. Suarez quæst. 67. & aliis, eo quod parnuli & de nouo venientes ad fidem egeant instructore, à quo promoneantur in rebus spiritualibus, vt docet D. Augustinus in serm. 215. qui est secundus Dom. 10. post Trin. quare hi ex implicito quodam pacto ratione susceptι muneris, & Ecclesiæ præcepto tenentur tempore necessitatis illos in salutari doctrina Christi instituere. Sic enim habet Canon. *Vos.* de consec. d. 4. sumptus ex ser. Paschali S. Augustini, qui incipit. *Hodiernus. Vos ante omnia tam mulieres, quàm viros, qui filios in baptismo susceptistis, moneo, vt vos cognoscatis fidemissores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere. ideoq; eos semper admonete, vt castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant,* Et post. *Ante omnia Symbolum, & orationem dominicam & vos ipsi tenete, & illos, quos susceptistis de sacro fonte, ostendite.* Rectè igitur à Clemente hoc loco prohibentur Catholici parentes filiis baptizandis eligere susceptores viros hæreticos, quia non bene instituent; aut illorum ipsi filios susceipere, nisi more Catholico, cum pro susceptis promittant de fide. cap. paruuli. c. nihil. cap. pro patuulis. de consec. d. 4. Aug. ep. 23. & Concil. Paris. 1. lib 1. cap. 54. de numero autem susceptorum, videndum Concil. Trident. sess. 24. cap. 2. de matrim. & Sanchez l. 7. de matr d. 57. & Suarez dicta quæst. 67. 3. partis. art. 7. & 8.

Quartò, ne infirmi medicorum hæreticorum opera, si adsint Catholici, vtantur. vti etiam de Iudæis, & Infidelibus statuit Gregor. XIII. Constitutione 68. imitatus Paulum IV. & Pium V. vt dictũ est Theoremate 346. ad vitandam hæreticorum, etiã nõ nominatim excommunicatorum, cõsuetudinem, & subuersionis periculum. Quintò vult, vt ante discessum ex Italia id significent Inquisitoribus, vel Ordinariis,

dinariis, & dum abſunt, ſingulis annis doceant eoſdem de ſeruato à ſe præcepto Can. *omnis vtriuſque ſexus.* tit. de pœnit.& remiſſ. authentico teſtimonio, ſub pœna vt haberi poſſint pro ſuſpectis de hæreſi, ſi id omittant.

Eiuſdem
CLEMENTIS VIII.

Conſtitutionis 81. editæ anno 1601. incipientis. Etſi aliàs.

EPITOME 162.

Nõ preſbyteri celebtãtes, vel ſacramẽtum Pœnitentiæ adminiſtrantes, tradendi ab Inquiſitoribus Curiæ ſæculari degradati debitis pœnis plectẽdi.

PONTIFEX perpenſa §. 1.& 2. temeritate eorum, qui ad Ordinem preſbyteratus non promoti, Miſſatum celebrationem vſurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrare præſumũt; non veriti Pauli IV. Gregorij XIII. n. 21. & Sixti V. Conſtitutionum comminationes, & pœnas; & criminis atrocitate permotus includentis & externam Idololatriam, propriam,& populorum,& ſummum confitentium periculũ, & ſcandalum: Statuit § 3. vt reperti grauiſſima hæc ſcelera committentes,à Iudicibus, ſcilicet Inquiſitionis, & locorum Ordinariis, tanquam Eccleſiæ miſericordia indigni, à foro Eccleſiaſtico abiiciantur, & ab ordinibus Eccleſiaſticis, ſi quos habuerint, rite degradati, ſtatim Curiæ ſæculari tradantur, pœnis debitis plectendi. Non obſtantibus,&c.

THEOREMA 403.

ANtea diu fuerat inter Doctores dubitatum, an grauiſſimum hoc ſcelus cognoſcendum, & puniendum eſſet à ſacris Inquiſitoribus, necne, vt teſtis eſt ipſe Gregorius XIII. in Conſtitutione 21. edita anno 1574. quæ incipit. *Officij noſtri partes*; & qua etiam pœna. Vt enim diximus l. 2. de Miſſæ ſacrificio c. 5. num. 10. Bernardus Diaz in pract.crim. cap. 12. & Salycetus qui additionibus eundem adauxit ibidem, tale facinus arbitraria pœna vindicandum opinati ſunt; Abbas autem, cap. 1. de cler.non ord.miniſt.pœna falſi, eo quod eadem pœna puniatur, qui ſe fingit Sacerdotem, ex Baldo in l.qui ſub prætextu. Cod.de ſacroſ. Eccleſ. & Boërio deciſ.71. num 9. & alij alia. Ideo Paulus IV & Gregorius XIII. & Sixtus V. declararunt, iudicium hoc,& punitionem propriè eſſe Iudicum Inquiſitionis, ſed cum prætextu ignorationis decretum; ac pœnarum inflictarum huiuſmodi perditi ſe obnoxios eſſe non putarent; Denuo hoc loco Clemens, vt conſcientiæ quieti Iudicum, ſcilicet Inquiſitionis, conſuleret, & certam pœnam huic ſceleri perſcriberet, ſtatuit huiuſmodi tranſgreſſores à Iudicibus Inquiſitionis iudicandos, & degradatos, ſi quem Ordinem habeant, tanquam Eccleſiæ miſericordia indignos, tradi bra-

chio sæculari digno supplicio puniendos, sicut de hæreticis fieri solet. vt enim notauit Gregorius XIII. loco cit. quamuis tales Christianam veritatem, nempe solos Sacerdotes posse celebrare, & à peccatis absoluere verbo non impugnent, facto tamen impugnant, ostendentes ministros horum Sacramentorum, non esse solos Sacerdotes, vt definiuit Concil. Flor. in litteris vnionis, Tridentinum sess. 14. c. 6. & can. 9. & 10. Concil. Constantiense sess. 8. & 15. & Cabilonense. 2. cap. 33. & docet inter cæteros Suarez tom. 4. d. 24. sect. 1. Non item laicos, vt impiè sensit Vuiclefus, ex Vualdensi tom. 2. c. 135. & 145. & ex Concil. Constantiensi, à quo damnatus est locis citatis, & post eum Martinus Lutherus apud Roffensem art. 13. damnatus hac etiam de causa à Leone X. in bulla damnationis articulorum eius, ob id non tantum isti, sed etiam illi merito sunt pœnis condignis, seu vltimo supplicio, subiiciendi.

Quærenti an Clericus vel laicus qui se fingit Sacerdotem, & fictè hæc Sacramenta ministrat, fiat necne irregularis? Respondeo cum Syl. v. irregularitas. quæst. 12. Nau. cap 27. num. 242. Soto. d. 18. quæst. 4. art. 1. Palud. ibid. Calder. cap. 2 de cler. excomm. minist. Suarez. t. 4. d. 32. sect. 7. num. 4. fieri. ex cap. 1. de cler. non ord. min. & c. 1. de cler. excomm. minist. quicquid senserit Vict. in sum. num. 143. Ledesma. 2. 4. q. 7. art. 3.

Eiusdem CLEMENTIS VIII.

Constitutionis 87. editæ anno 1602. incipientis. Sanctissimus.

EPITOME. 163.

PROHIBVIT §. 1. & ad minus tanquã falsam, temerariam, & scandalosam damnauit propositionem illam, Licere per litteras, seu internunciũ Confessario absenti peccata Sacramẽtaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere. Præcepitque §. 2. ne deinceps talis propositio publicis, priuatisve lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur; nec vmquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur. Quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea, etiam disputatiuè tractauerit (nisi forsan impugnando) vel ad praxim directè, vel indirectè deduxerit, præter excommunicationẽ latæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, à qua non possit (præterquam in mortis articulo) ab alio quacumque dignitate, etiam S. R. E. maiori Pœnitentiario, nisi à pro tempo

Nõ licet per litteras, vel internũcium sacramẽtaliter cõfiteri, & absolui. *Excõmunicatio reseruata.*

tempore existẽte Rom. Pontifice, absolui, subiaceat etiam pœnis aliis pro arbitrio infligendis.

THEOREMA 404.

CVm olim fuerint Doctores aliqui, vt Antonin. 3. p. t. 14. cap. 19. §. 6. & t. 17. cap. 12. & c. 21. §. 3. Palud. 4. d. 17. quæst. 2. art. 1. & d. 3. quæst. 2. Adrianus tr. de Confessione quæst. 1. versus. sed oritur. Petr. Soto lect. 11. de secreto Confess. Medina de confess. Syl. v. Confessio. 1. §. 16. Confess. 3. §. 1. Confessor. 4. §. 6. Nauarr. in Man. c. 21. num. 36. cap. 26. num. 14. & alij, qui minus rectè putarunt, Confessiones factas per litteras, vel nuncium Confessario absenti, & absolutiones eodem modo ab absenti Confessario per litteras, seu internuncium obtentas, esse licitas, & validas; esseque periculum ne hic error paulatim serperet, quod minorem erubescentiam pareret, quàm si per se ipsum pœnitens Sacerdoti sua crimina confiteretur, vt constat ex D. Augustino. l. de vera, & falsa pœnit. cap. 10. iustissimè Clemens VIII. prædictam opinionem vti falsam, temerariam, & scandalosam damnat, imposita pœna excommunicationis sibi reseruatæ, illam docentibus, defendentibus, imprimentibus, vel in praxim deducentibus. Quam etiam nobilissimi Theologi confutarunt. S. Thom. in add. quæst. 9. art. 3. Victoria de sacram. q. 171. 173. Sotus 4. d. 18. quæst. 2. art. 6. Canus relect. de pœnit. p. 5. Scotus 4. d. 17. quæst. 1. Ledesma 2. 4. q. 8. art. 3. Angelus v. Confessio. 1. n. 32. Caietanus v. Confessio. condit. 11. Valentia t. 4. d. 7. quæst. 11. puncto 1. Suarez d. 19. sect. 3. num. 7. Emanuel Sà v. Absolutio. num. 10. & v. Confessio. n. 14. Toletus l. 3. cap. 6. Vasquez de pœnit. quæst. 91. art. 3. dub. 2. Henriquez l. 5. cap. 2. num. 7. litt. T. Azor l. 2. cap. 12. Sanchez l. 2. d. 11. num. 32. Comitolus l. 5. quæst. 16. Coninchus d. 4. dub. 10. num. 69. Reginaldus l. 6. num. 5. & alij plures. Tum quòd in C. quem pœnitet de pœnit. d. 1. sumpto ex D. Augustino l. de vera, & falsa pœnit. cap. 10. dicatur. *Præcipit enim Dominus mundandis, vt ostenderent ora Sacerdotibus, decens corporali præsentia confitenda peccata, non per nuncium, non per scriptum manifestanda. dixit enim* (ora manifestate) *&* (omnes) *non vnus pro omnibus, non alium stipendia nuncium, qui pro vobis offerat munus*, &c. Tum quod absolutionis forma. *Ego te absoluo à peccatis tuis.* supponat absoluendum esse præsentem. Quod etiam significat Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 2. cum dicit, Christum velle eos, qui post baptismum peccauerunt, sisti ante hoc tribunal, vt per Sacerdotis sententiam possint liberari. Sisti autem ante tribunal est actu se præsentem constituere tribunali, vt patet ex toto tit. ff. si quis cautionibus in iudicio sistendi causa factis. Tum quod post litteras, aut nuncium transmissum, pœnitens potuerit mutasse propositum, potuerit nouum peccatum non explicatum commisisse, potuerit iam decessisse, vnde non nisi temerariè transmitteretur illi à Confessario absenti absolutio. Sed iam à Clemente veritas hic definita est. 1 2 3

PAVLI

PAVLI V.

Constitutionis 9. editæ ann. 1605. incipientis. Sanctissimus.

EPITOME 164.

Numerus religiosorum in singulis locis cõstituendus. *Priuatio officiorum, vocis activæ, & passiuæ, inhabilitatio, &c.*

PRÆCIPIT, §. 2. Superioribus religiosorum, monasteriorum, aliorúmque locorum intra fines Italiæ, & insularum adiacentium, vt singuli, ad quos pertinet monasteriorum regimen, quocunque nuncupentur nomine, adhibitis duobus, aut tribus sociis ex peritioribus, præfigant numerum religiosorum, qui in ea domo ali, & vestiri possunt iuxta morem instituti, siue ex reditibus, siue eleemosynis, & obuentionibus vniuersis, habita collatione decem annorum inter se, detractis oneribus, reparationibus, præstationibus, &c. eumque in Capitulo recognosci, & approbari curẽt.

Et §. 3. Vt intra vnius anni spatium, à die dati præsentis decreti computandum in authentica forma, mittant ad Cõgregationem reformationis Apostolicæ, numerumque singulorum locorum nõ augeant, & tam Generalis, quàm Prouincialis, & locales superiores omnes teneantur præfinitũ numerũ seruare.

§. 4. Inobedientes autem eo ipso priuantur omnibus officiis, quæ tunc temporis obtinebunt, voce actiua, & passiua, & inhabilitantur ad propriæ religionis officia, & gradus; & subiacent grauioribus arbitrio Romani Pontificis pœnis infligendis.

THEOREMA 405.

CONstitutio hæc maioris est momenti, quàm primo aspectu videatur. Hinc enim magna ex parte pendet sanctimonialium clausura, & religiosorum omnium conseruatio, vt notauit Pius V. in bulla. *Circa pastoralis.* & Nauarr. comm. 4. de regular. num. 44. & 57. quod cum religiosis non suppetunt ad victum, & vestitum necessaria, cogantur haud iustis mediis, contra religionis instituta, hinc inde sibi prouidere. Quare hoc idem multo ante statuerat Concilium Arelatense, vt habetur. cap. 1. de Institutionibus, illis verbis. *Non amplius suscipiantur in monasterio monachorum, aut Clericorum, seu etiam puellarum, quàm quot se regere de bonis Ecclesiæ absque penuria possint.* Idemque confirmat Clemens III. ibidem. c. auctoritate. & Gregorius VII. de vita, & honest. cler. c. 9. scribens. *statuimus, vt facultatibus Ecclesiarum vestrarum, prouentibus, & expensis diligenter inspectis, certum in eis valeatis ponere numerum clericorum, & statuere, vt bona eorum veniant in communi.* Habetur idem præceptum à Bonifacio VIII. in c. periculoso. §. sanè. de regul. stat. l. 6. & innouatum à Concilio Tridenti

dentino ſeſſ. 25. cap. 3. à Pio V. loco cit. Gregorio XIII. in extrauag. *Deo ſacris*, & Clemente VIII. tum in decreto anni 1600. die vltima Octobris, impoſita Superiori vltra numerum recipienti, priuationem officiorum, & vocis actiuæ, & paſſiuæ. Tum in decreto anni 1602. die 19. Maij. Quare etiam rectè Paulus V. vult, computatis decem continuis annis, eorumque prouentibus, & eleemoſynis, certum definiri numerum in quolibet monaſterio, qui commodè poſſit ſuſtentari, detractis tamen oneribus, & expenſis aliiſque ſimilibus, vt etiam præſcribitur de vita, & honeſt. cler. c. 9. & Clement. ſtatutum. de electione, cum expenſæ nõ ſint computandæ in fructibus. l. 1. Cod. de fruct. & lit. expenſ. Bartolo in l. fructus ff. ſolut. matr. Gloſſa in l. diuerſas. Cod. de mandato. §. quam aliis cauſis. Gloſſ. in de vit. & honeſt. cler. cap. 9. & communi ſententia Theologorum. & aggrauat. §. 4. pœnas ſtatutas à Clemẽte VIII. inhabilitate ad officia, & gradus; & aliis arbitrariis.

EIVSDEM PAVLI V.

Conſtitutionis 56. editæ anno 1609. incipientis. Accepimus.

EPITOME 165.

Regulares ad Indos miſſi rectà proficiſcãtur. *Excõmunicatio.*

VBET §. 1. vt Regulares, ad Indos miſſi ad propagandam fidem rectà ſe transferant ad ea loca, & Prouincias, ad quas à ſuis ſuperioribus mittuntur: nec quouis prætextu abſque ſuperiorum licentia (ceſſante tamen legitimo impedimento) in itinere morentur, nec ad alia loca eis non deſtinata declinent, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ.

Scortia.

THEOREMA 406.

IMitatur Pontifex ſedulum patrem familias in agricultura, cum enim à Chriſto Domino vniuerſam Eccleſiam colendam acceperit, induſtrios operarios, ſubinde opportunis temporibus in vltimas etiam Orientis, & Occidentis partes Euangelij lumen inferendum, & Chriſti fidem propagandam, deſtinat, iuxta prophetiam Iſaiæ. c. 42. & 66. *Mittam ex eis qui ſaluati fuerint ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tenentes ſagittam; in Italiam, & Græciam ad Inſulas longè, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam Gentibus.* Veritus tamen ne ſuſcepta ſollicitudo operariorum euagatione, aut longiore mora, vel etiam forte inter ſe diſſenſione, res ad nihilum redigatur, tria in hac Conſtitutione præcipit.

Primò, vt religioſi à ſuis Superioribus miſſi (ex ſe enim eò ſe transferre nequeunt, tum ob votum obedientiæ, tum ex cap. 1. 2. & 3. de cler. peregrin. & d. 98. c. 1. & 2. & bulla. 3. Ioan. XXII. de qua Epit. 22.) ad Indos (Orientales, & Occidentales intelligo, cum hæc appellatio vtroſque hoc tempore

comprehendat, vt conſtat ex Victoria in relect. de Indis, & aliis, & ſit vtrorumque eadem ratio) eò ſe rectà conferant. ne ſcilicet extra ſua monaſteria, & loca ociosè, curiosè, periculoſéque vagentur. Qua in re omnino ſingulare ſpecimen religioſis omnibus ad hoc Apoſtolicum munus deſtinatis reliquit Sanctus Franciſcus Xauerius Indorum Apoſtolus, qui longiſſima peregrinatione Roma miſſus ad Orientales Indos, numquam amplius rediturus, dum regnum Nauarræ, vbi natus, & educatus fuerat, pertranſiret, eſſentque adhuc ſuperſtites mater, aliique cõſanguinei, & affines, ne paululum quidem à recto itinere voluit diuertere ad eos viſendos, & ſalutandos, ſociis omnibus tantam eius animi celſitatem admirantibus, vt Ioan. Lucena l. 1. cap. 8. illius vitæ, & alij nobiles ſcriptores memoriæ prodiderunt.

Secundò, ne moras nectant (ceſſante legitimo impedimento) aut in itinere ſubſiſtant. Sed ſollicite ambulantibus in tenebris, & vmbra mortis quãtocius veritatis lumen oſtendant, cum omnium diuinorum dininiſſimum, ſit cooperari Deo in ſalutem animarum, vt docet Dionyſ. de Eccleſ. Hierar. c. 3. & Ioan. Chryſ. homil. 3. & 40. ſuper. Gen. & hom. 3. in 1. ad Cor. quare vnuſquiſque ad hoc munus vocatus ſibi dictum putare debet à ſponſo cæleſti. *Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni.* ad animarum, ſcilicet lucra. *neſcit* enim *tarda molimina Spiritus ſancti gratia.* Qua etiam in re inſignis eluxit eiuſdem Xauerij diligentia, qui de peregrinatione admonitus vnicum ſibi diem ſumpſit ad detritas reſarciendas veſtes, ſummique Pontificis Pauli III. in in tam arduo negotio benedictionem expoſcendam. Quam eriam ſollicitudinem in tota vita ſeruauit, vt docent eius frequentiſſimi excurſus ex Goa, & Cocino ad regnum Harſingæ, auream Cherſoneſum, Sinas, Iaponios, inſulas Molucas & Mauricas, & inde varij recurſus, quibus eius vita plena eſt, eo ſanè incolarum fructu, vt ad duodecies centena millia ad Chriſtianam fidem adduxerit, atque 20. & amplius, mortuos ad vitam reuocarit, vt ex proceſſu canonizationis eius conſtat.

Tertiò, ne aliò diuertant, quàm ad eis deſtinata loca, tum vt vitetur ſociorum offenſa, ac querelæ, ſi poſteriores intróire, & irrumpere in labores, & meſſes priorũ operariorum vellent. Qua etiã de cauſa diſtincti ſunt antiquitus Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Parochię, & cæteræ Eccleſiæ, vt Prælati ſuis finibus contenti, abſque aliorum offenſione curent, quæ Dei ſunt. cap. 3. 6. 7. 8. & ſeq. 9. q. 2. tum vt facilius in omnem terram exaudiatur ſonus Euangelij. Ad quem finem ipſimet Apoſtoli inter ſe orbis Prouincias diuiſerũt. Tranſgreſſoribus autem Pontifex excommunicationis pœnam ipſo facto infligit, eò quòd res eſſet grauis, & facilè poſſet in Oriente, & Occidente, cum fidelium, & infidelium ſcandalo, magnas tragœdias excitare; nulli tamen reſeruatur abſolutio ob ſummam Prouinciarum, & regnorum intercapedinem à Sede Apoſtolica.

EIVS

EIVSDEM PAVLI V.

Constitutionis 63. editæ anno 1610. in die Cœnæ Domini, & incipit.
Pastoralis.

EPITOME 166. & vltima.

Processus bullæ Cœnæ. *Excõmunicatio reseruata Papæ.*

AD fidei integritatem, publicámque pacem, & iustitiam conseruandam, solemnem morem Maiorum statuit Pontifex præsenti Cõstitutione processum litterarum bullæ Cœnæ promulgare. Quare §. 1. excommunicat quoscunque hæreticos, eorumque credentes, receptatores, fautores, & generaliter omnes illorum defensores: librosque eorumdum continentes hæresim, vel de religione tractantes, scienter sine auctoritate Papæ legentes, retinentes, imprimentes, seu quomodolibet ex quauis causa, & colore defendentes: Nec non schismaticos, qui pertinaciter recedũt ab obedientia Papæ.

§. 2. Item appellantes à Papa ad futurum Concilium, & eorum fautores; Communitates verò, & Vniuersitates in hoc peccantes interdicit.

§. 3. Piratas mare Ecclesiæ discurrentes, præcipuè à mõte Argentario vsque ad Tarracinam, & omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

§. 4 Naufragorum fidelium cuiuscunque generis bona, in cuiusuis maris regionibus, & littoribus iactata, aut in ipsis nauibus inuenta surripientes, non obstantibus priuilegiis, aut consuetudine.

§. 5. Omnes, qui in suis terris noua pedagia, aut gabellas, præterquam in casibus sibi à iure concessis, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent; seu prohibita imponi, & augeri, exigunt.

§. 6. Falsarios litterarum Apostolicarum etiam in forma Breuis, ac supplicationum gratiam, vel iustitiam concernentium per Rom. Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Pontificis signatarum. Necnon falsò fabricantes litteras Apostolicas etiam in forma Breuis: & etiam falsò signantes supplicationes huiusmodi, sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum.

§. 7. Omnes, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, vel hæreticos per Sedis Apostolicæ sententias expressè, vel nominatim

minatim declaratos, deferunt, aut transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stamnum, chalibem, cæteraque metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, ac ipsam materiam quamcumque eorumdem, & alia vsui bellico idonea; & illos, qui per se, vel alios de rebus concernentibus Christianæ reipublicæ statum, in damnum Christianorum iisdem nunciant; illisque ad id quomodolibet præstantes auxilium, consilium, & fauorem.

§. 8. Omnes impedientes, seu inuadentes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam conuehunt, vel per se, vel alios hæc patrantes, defendunt.

§. 9. Interficientes, mutilantes, spoliantes, capientes, detinentes, per se, vel per alios, eos, qui veniunt ad Sedem Apostolicam, vel ab ea redeunt; vel commorantes in Curia, sine Iurisdictione, illam sibi temerè vendicantes, vexant.

§. 10. Nec non interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, rapientes, & deprædantes Romipetas deuotionis causa, & ibi commorantes, vel inde recedentes, & dantes in his auxilium, consilium, & fauorem.

§. 11. Interficientes, mutilantes, vulnerãtes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes. S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, Nũcios; aut eos à suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis eiicientes, eáque mandantes, rata habentes, & auxilium, consilium, & fauorem præstantes.

§. 12. Occidentes, seu quomodolibet percutientes, spoliantes bonis, per se, vel per alios, directè, vel indirectè, recurrentes pro suis negotiis ad Rom. Curiam, vel in illa prosequentes ea, aut procurantes, negotiorúmque gestores, aduocatos, procuratores, & agentes, seu etiam Auditores, & Iudices super ipsis negotiis deputatos, lædentes, & dantes ad id auxilium, consilium, & fauorem.

§. 13. Appellantes à grauamine, vel futura executione litterarũ Apostolicarum gratiam, vel iustitiam concernentium, citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum executorialium, & aliorum decretorum emanatorum à Sede, & delegatis Apost. ad Curiam sæcularem, & laicam

poteſtatem ; quiue retineri ea faciunt, aut impediunt, vel prohibent, ſine ſuo beneplacito mandari executioni; non ſinunt Tabelliones ſupet huiuſmodi litterarum executione inſtrumenta, vel acta conficere, nec confecta tradere, ac partes, ſeu earum agentes, conſanguineos, affines, familiares, notarios, executores, & ſubexecutores litterarum, & monitoriorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex locis eiiciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, & comminantur per ſe, vel alios, publicè vel occultè, aut quibuſuis perſonis in genere, vel in ſpecie, nec pro quibuſuis negotiis eorum proſequendis, ſeu gratiis, & litteris impetrandis ad Rom. Curiam accedant, vel habeant recurſum, ſeu gratias ipſas, & litteras à ſede impetrent, aut vtantur impetratis, directè, vel inditectè prohibere, ſeu mandare, vel eas apud ſe, aut notarios vel alias quomodolibet tetinere præſumunt.

§. 14. Omnes & ſingulos qui per ſe, vel alios auctoritate propria, aut de facto quaruncumque exemptionum prætextu beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, vel ſpiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commiſſariis Apoſt. aliiſque iudicibus Eccleſiaſticis auocant, illarúmue curſum, & audientiam, ac perſonas, capitula, conuentus, collegia, volentes ipſas cauſas proſequi, impdiunt ac ſe tanquam iudices in earum cognitione interponunt. Et qui partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, compellunt ad reuocandum, & reuocari faciendum, citationes, inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas ; & ad faciendum, vel conſentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à cenſuris, & pœnis in eis contentis, abſolui, vel executionem prædictarum litterarum, & decretorum quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id fauorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prohibendæ violentiæ, & aliarum prætenſionum prætextu, ſeu donec, vt dicunt, ad Rom. Pontificem informandũ, ſupplicauerint, niſi ſupplicationes huiuſmodi coram Sede Apoſt. legitimè proſequantur ; etiam ſi talia committentes ſint præſidentes Cancellariorum, Parlamẽtorum, &c. Principum, Regum, Imperatorum, aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, &c.

§. 15. Iudices sæculares, qui Ecclesiasticas personas, Capitula, Conuentus, &c. præter iuris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt ad sua tribunalia, vel id procurant directè, vel indirectè, quouis quæsito colore. Et qui statuta, ordinationes, & decreta in genere, vel in specie, etiam consuetudinis, & priuilegij prætextu fecerint, vel factis vsi fuerint, quibus Ecclesiastica libertas tollitur, minuitur, restringitur, læditur, deprimitur; vel etiam indirectè, & tacitè iuribus Sedis Apost. & aliarum Ecclesiarum præiudicatur.

§. 16. Item omnes, qui Archiepiscopos, & cæteros superiores, & inferiores Prælatos, & alios quoscumque iudices Ecclesiasticos Ordinarios quomodolibet, hac de causa directè, vel indirectè carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, cõsanguineos, affines, & alios impediunt, quo minus sua Ecclesiastica iurisdictione cõtra quoscumque vtantur, iuxta Canones, sacras Constitutiones, & decreta Conciliorum generalium, præsertim Tridentini: Ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel ab eis delegatorum quorũcumque sententia, & decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici iudicium eludentes, recurrunt ad Cancellarias, aut Curias sæculares, & ab illis procurant prohibitiones, & decreta pœnalia Ordinariis, aut delegatis prædictis decerni, & exequi contra illos. Eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant in eis auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem.

§. 17. Vsurpantes iurisdictiones, fructus, & prouentus ad Sedem Apost. & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes; vel quauis ex causa sine Pontificis Romani, vel aliorum ad id facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

§. 18. Imponentes decimas, & alia onera Ecclesiasticis personis, Ecclesiis, monasteriis, aut eorum fructibus, & prouentibus absque expressa licentia Rom. Pontificis, & diuersis, & exquisitis modis exigunt, aut sic imposita recipiunt, etiam à sponte dantibus. Et eos, qui per se, vel alios, directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium;

xilium; consilium, vel fauorem præstare non verentur, etiam si regali, aut imperiali dignitate præfulgeant, & innouantur decreta cum pœnis, & censuris in eis contentis per sacros canones, Concilium Lateranense, & alia generalia promulgata.

§. 19. Quoscumque Magistratus, Iudices, Notarios, scribas, executores, subexecutores, quomodolibet se interponentes in causis criminalibus contra Ecclesiasticas personas, illas processando, banniendo, capiendo, sententiando, exequendo sine expressa, & specifica licentia Sedis Apost Eósque, qui huiusmodi licentiam extendunt ad personas, & casus non expressos, vel alias perperam ea abutuntur.

§.20. Omnes illos, qui per se, vel alios, directè, vel indirectè, & quouis titulo inuadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint, in totum, vel in partem Regna, Prouincias, Ciuitates, terras, loca, vel iura pertinentia ad Rom. Ecclesiam, illíque mediatè, vel immediatè subiecta; nec non supremam iurisdictionem in illis eidem Rom. Ecclesiæ competentem de facto vsurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt. Necnon adhærentes, fauentes & defendentes eorum, seu illis auxilium, consilium, & fauorem quomodolibet præstantes.

§.21. Ligant autem hi processus, quousque noui publicentur.

§.22. Solus Rom. Pontifex potest absoluere à sententiis, & censuris huius bullæ, extra mortis articulum, quo etiam casu nullus absolui ab alio inferiore potest, nisi præstita prius cautione de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo.

§.23. Ideo cæteri absoluere præsumentes, excommunicantur, grauiúsque puniendi arbitrio Summi Pontificis temporaliter, & spiritualiter.

§.24. Declarat, & protestatur Sum. Põtifex quancũque absolutionem Sedis Apostolicæ eos non comprehendere, qui prius non destiterint à præmissis delictis, idque cum proposito non committendi de cætero similia. Et qui statuta contra libertatem Ecclesiasticam fecerint, nisi prius illa publicè reuocauerint, deleuerint ex libris, in quibus notata fuerint, déque reuocatione huiusmodi certiorem fecerint Roman. Pontificem. Quin etiam Romani Pontificis patientiam, & tolerãtiam,

Sedis

Sedis Apostolicæ iuribus acquisitis, aut acquirendis per huiusmodi absolutiones, ac quosuis actus contrarios tacitos, vel expressos, nunquam posse, aut debere præiudicari.

§. 25. 26. Derogat quibuscunque priuilegiis, & indultis cuicunque concessis, quauis Ecclesiastica aut mundana dignitate, etiam Regali, & Imperiali præfulgeat, & consuetudinibus, ac præscriptionibus, quantumuis longissimis cum derogatoriarum derogatoriis, ac si omnia ad verbum hic habeantur expressa.

§. 27. & 28. Præcipit Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis vbilibet constitutis, vt per se vel alios publicent saltem semel in anno, & apud se habeant has litteras, sicut etiam vt quicumque confessiones audiunt, earundem litterarum transumptum penes se teneant, diligenter legant, & percipere studeant.

THEOREMA 407.

VEtus omnino est institutum Summorum Pontificum eodē Paulo V. teste, vt quotānis feria quinta maioris hebdomadis cōtra hæreticos, eorúmque credentes, & complices, Apostatas à fide, & similes alios perditos, processus, & litteras cænæ Domini, continentes eorumdem excommunicationem Papæ reseruatam, publicent. Et extant, Toleto teste l. 1. cap. 18. adhuc in Vaticana Bibliotheca processus huiusmodi Gregorij XI. qui vixit anno Domini 1370. licet non fuerit primus, cum antea bullæ cænæ meminerit Clemens V. qui vixit anno 1305. Clementina 1. de iudiciis, & ante eum annis 60. Hostiensis, qui vixit anno 1254. lib. 5. sum. tit. de crimine falsi. §. qualiter committatur. versu. Porrò. Quare allucinati sunt Sotus 4. d. 22. quæst. 2. art. 3. & Penna p. 2. direct. Inq. schol. 18. qui authorem fecerunt Martinum V. anno 1420. licet Martinus illam auxerit, aliáque illi adiecerit Paulus II. Sixtus IV. Leo X. & alij subsequentes. Initio enim contra quinque tantum personarum genera ferebatur, nempe hæreticos, & complices, deferentes vetita ad Saracenos, piratas, imponentes, & exigentes noua pedagia, & falsantes litteras Apostolicas, ex Glossa Clem. 1. de iudiciis, & Panorm. cap. excommunicationi. de raptionibus, & Tolet. loco cit. vt etiam minus rectè Sayrus l. 3. c. 1. num. 1. & Duardus in bullam cænæ, adnumerant Toletum. l. 1. cap. 18. cum aliis sentientibus, incepisse bullam tempore Martini V. cum Toletus expressè oppositum doceat? hæc enim sunt eius verba. num. 3. Secundò annotandum est processus hos antiquos esse, & Romanos Pontifices à multis annis solitos fuisse eos publicare: nam in Vaticana Bibliotheca reperiuntur processus Gregorij Vndecimi, qui vixit anno Domini 1370.

1370. nec creditur primus, qui hos publicauit. Videndum est Theorema 25.

THEOREMA 408.

INscribitur autē constitutio hæc. *Litteræ processus lectæ in die cœnæ Domini.* Vt constat ex inscriptione, & ex §. 21. eò quòd huiusmodi litteræ emanent à summo Pontifice tanquam generales quidam processus, & censurarum sententiæ in genere latæ in delinquentes aduersus eas, & non parentes Pontificis mandatis in dictis litteris expressis. cum appellatione *processus* veniat etiam sententia, ex doctrina Io. Andreæ in cap. vt super. tit. de appellat. & Abbatis in cap. cum I. & A. de re iudicat. In hoc igitur processu fertur sentētia contra eas personas, quæ crimina hic expressa commiserint, quæ futura sunt, & non præterita, vnde non requiritur particularis citatio partis, vt fit in processibus particularibus contra aliquem pro delictis præteritis, sed satis est ipsa edicti generalis publicatio de mandato Pontificis.

Et quidem olim hi processus generales solebant publicari ter in anno, nempe Feria 5. Hebdomadis sanctæ, in Ascensione, & in dedicatione Basilicæ SS. Petri, & Pauli, vt apparet ex vetusto cæremoniali in bibliotheca Vaticana ex Tolet. l. 1. c. 18. & scribit Glossa Clem. 1. de iudiciis. verbo. solemnes, Hostiensis, & Panorm. c. excommunicationi de raptor. incend. & viol. Eccl. & Io. And. in c. quod olim. de Iudæis. & in c. vt officium. de hæret. l. 6. Postea tamen fieri cæpit solum semel in anno in die cœnæ Domini. ex Cardinali, & Anan. in d. cap. quod olim. ob id in processu Martini V. nominatur processus annualis, quia annuatim fit in curia in die cœnæ Domini. Vnde constitutio ex die, quo publicatur, dici solet bulla cœnæ Domini.

Est autem bulla in præsenti genus Pontificiæ scripturæ, distinctum à Breuibus, cui appensum est plumbeum sigillum ad robur, & auctoritatem illi adiiciendam. cap. liceat. de crim. falsi. Vtitur autem Pontifex plumbeo sigillo, non aureo, vel argenteo, ex Glossa in Clem. vnica. de iureiurando, & Graffio. p. 1. l. 4. c. 18. n. 3. ne ob excellentiam, & valorem metalli detur occasio subtrahendi à litteris sigillum, seu bullam. Porrò hi processus tres in partes diuiduntur, nempe in proœmium, canones 20. & octo clausulas à canone 21. ad finem bullæ, quæ pertinent ad maiorem obseruantiam, & auctoritatem processus.

THEOREMA 409.

DVbium verò esse potest an sententiæ, & censuræ in his processibus contentæ sint dicendæ à iure, vel ab homine. Sententiæ illæ dicuntur à iure, quæ in statuto aliquo Ecclesiastico continentur; ab homine verò, quæ ab homine, seu iudice Ecclesiastico fulminantur: vnde illæ manent, etiam mortuo conditore, nec cessant, nisi vel contraria consuetudine legitimè præscripta, vel per expressam reuocationem legislatoris, aut alterius supremi Principis habentis reuocādi potestatem, hæ verò cum suo auctore pereunt. Sunt, qui eas à iure esse arbitrentur, vt Sylu. ex-

comm.7.n.76. Suarez d.21.sect.3. n.6. Hugolinus Tab.1.c.9.§.4.n.4. Vinaldus in candelabro in expl. bullæ cœnæ. n. 129. cum hi processus ex §. 2. iam perpetuitatem habeant (quod statuti, seu legis est proprium c.fin.de off.deleg.Glossa ibidem. v. statuta, & ibidem Panorm.) quousque à Romano Pontifice alij fiant.Ab homine esse putat Sotus 4.d.22.q.2.art.3. Tolet. l.1. c.18. Rebuffus in explic.bullæ cœnæ. initio. v. *ad futuram rei memoriam.* non ad perpetuam. Tum quia initio per annum durabant ad summum. Tum quia bulla sequens annullat præcedentem, & si qui casus prioris omittantur in posteriori, licet non reuocentur, non amplius obligant: non igitur vim habent iuris,quod semel conditum obligare non cessat, Clem. dudum.de sepult.nisi vel alio iure, vel contraria consuetudine reuocetur.Tum quia dicũtur processus, at sententiæ in processu fulminatæ non sunt iuris,sed hominis. c.Romana. §.caueant. & Glossa.v.futuris.de sentent.excomm. l.6. Sed vt rectè monet idem Suarez d. 21. sect.1. n. 2. & Marius Alterius l.5. d.1.cap.1. iam parum refert eam à iure, vel ab homine vocare, cum aliquid vtriusque contineat, antea enim solum erat ab homine, quod singulis annis de nouo promulgaretur,& præcedens desinebat obligare: sed Pius V. addidit aliquid iuris, ex eo quod illam durare voluit,ex §.21. post mortem Pontificis vsque ad nouos processus, etsi non in perpetuum, vt absolutè solent durare sententiæ iuris propriè, vt aduertit etiam Sayrus l.5. c.1.n.17.& seq.

Porrò propter multiplicationẽ bullarum contra idem crimen,non multiplicantur censuræ, cum adueniente posteriore cessent priores, aliàs quot essent iura. v.g. excommunicantia hæreticos.v.g tot illi excommunicationes incurrerent, quod est præter communem sensum, vt docet Nauar.c.27.n.74. & cap. ira quorundam. de Iudæis. not.11. Gloss. vlt. & Suarez d. 21. sect.1.n.3.Delinquens verò contra plura capita bullæ, totidem incurrit excõmunicationes, quia actiones inter se distinguuntur & vnaquæque sub excommunicatione vetatur.

THEOREMA 410.

ITaque §. 1. fertur excommunicatio latæ sententiæ,& Papæ reseruata, in Hæreticos cuiuscunque sectæ, & complices eorum, in legentes,tenentes,imprimentes, defendentes libros hæreticorum, vel de religione tractantes, scienter absque legitima licẽtia.& in schismaticos, seu recedentes ab obedientia summi Pontificis.vnde hac prima excommunicatione comprehenduntur decem genera personarum.

Primò hæretici (dummodo ex S.Thom.1.2.q.91.art.4. Alens. 2.p. q.182.m.2. Anton.3.p. t.25. cap.4. Palud.4.d 13.q.3.Tolet.l.1.cap.19. Suarez d.21. sect.2. n.2. Sayro l.3. c.4.num.20. & seq. hæresis non sit purè mentalis) quod etiam fit. 24. q.1.c.Achatius. c.nonerit. de sent. excom. & cap.sicut.c.ad absoluendum. c.excommunicamus.1.tit.de hæret.& cap.quicunque.de hæret. l.6. vt dixi Theorem. 25. licet ante bullam cœnæ non esset Sedi Apostolicæ reseruata, ex Nauatr. c.27. n.55.

n.55. Soto 4. d.22. q.2. art.3. Sylu. excomm.7.n.7. Est autem *hæresis*, vt dictum est Theorem.8. error intellectus in homine baptizato cum voluntaria pertinacia contra aliquam Catholicæ fidei veritatem. Ideo qui solum verbo, vel facto exteriori timore, aut alia passione vsus est absque errore in intellectu, non est hæreticus, nec in foro interiori hanc excommunicationem incurrit, etiamsi exterius reputabitur hæreticus, & excommunicatus, quia in foro exteriori constare non potest de mente interiori, nisi per signa externa, ex Anton. 3.p.t.12.c.5. Tab.v.hæreticus. n.2. Sylu.hæresis 1.n.9. Tolet.l.1.c.19. n.4. Suarez loco cit.num.3. Sufficit verò ad constituendum aliquem hæreticum, si sit deliberatè in fide dubius. cap.1. extra. de hæret. quæ autem de hæresi dicta sunt, dicuntur etiam de Apostasia à fide. Cum Apostatæ à fide transeuntes. v.g. ad sectam Mahometis, re vera sint hæretici, ex S.Thom. 2.2.q.12. art.1. Syl.v.Apostasia.n.2. Suarez num.3. totam fidem abnegantes, si non solum externo signo, sed etiam corde fiant infideles. Qui enim solum exterius fidem negant, non sunt Apostatæ à fide, licet peccent contra professionem fidei, & ideo in foro interiori non incidunt in excommunicationem, vt cum Suarez n.3. Sayro l.3.c.4. n.25. & aliis diximus Theorem.8.

Secundò excommunicantur eorundem hæreticorum credentes, vt etiam sit in cap. excommunicamus.1.§.Credentes & cap.excommunicamus.2. §.si quis autem. extra de hæret.& in bulla 3.Gregorij IX. & bulla Innoc. IV. n.18. Sunt autem *Credentes*, qui explicitè, & expressè errorem non habent in intellectu (alias sub hæreticis comprehenderentur) sed implicitè, vt si quis diceret velle mori in secta Lutheri, vel Caluini, ex Archidiac. cap.quicunque de hæret. l.6. Palud.4.d.13.q.3. Syl.hæresis 1.n.10. Tolet.l.1.c.19.num.5. Sanchez l.2. decal.c.10.n.2. Suarez d.21.sect.2. n.6. Ant.3.p.t.25.cap.4.§.fin. Sayro l.3. c.5. num.1. Castro l.1. de iust. hær.pun.c.17. iuxta dicta Theoremate 27.& 51.

Excommunicantur tertiò hæreticorum receptatores, vt etiam c. sicut ait. & cap. excommunicamus.1.extra de hæret.& c.nouerit. de sent. excomm. & c. quicunque de hæret.l.6. Gregor. IX. bulla 3. Innoc.IV. bulla 18. Et licet secundum Grammaticos, receptator, sit nomẽ frequentatiuum, secundum tamen iurisperitos, Ancharan.cap. quicunque.de hæret. l.6. Glossam extra de hæret. c.15. verb.receptatores. Archidiac.d.cap.quicunque. Anton.3.p.t.25.cap.4.§.fin. Emericum q.51. Peñam comm.76. Sanchez l.2.decal.c.10. Tolet.l.1.c.19. num. 6. censentur etiam *receptatores*, qui hæreticos, vt tales, in domo, vel terris suis semel scienter receperint, eos v.g. occultando, ne in manus iudicum veniant. Vt colligi potest ex l.1.ff. de receptat. & l.congruit.ff.de off.Præsid. & l.fin. Cod. de his, qui latrones occult. Ideo si alio motiuo, seu respectu, quàm causa hæresis reciperẽt eos, vt si reciperent, ne occidantur à latrone, vel mortis metu coacti, non amore hæresis, non erit locus excommunicationi, ex Caiet.v.excomm.c.10. Suarez n.8. Tolet.n.6. Sayro l.3.c.5.n.3. Conrado Bruno l.1. de hæret. c.4. Simanca tit.15.

num. 14. Farinac. de hæret. q. 182. Sanchez loco cit. Nauarr. cap. 27. num. 55. Azor p. 1. l. 8. cap. 15. q. 2. & 3. Duardo l. 2. can. 1. q. 26. n. 3. quæ copioſius ſumus proſequuti Theor. 27. num. 3. Illud nunc addimus, ad incurrendam hanc excommunicationem latam contra receptantes hæreticos, non eſſe neceſſe, vt hæretici ſint notorij, vel denunciati, vt putauit Hugolinus hoc loco v. receptatores. §. 2. quòd ſolum teneamur vitare denunciatos excommunicatos, ſed ſatis eſſe ſi receptatores ſciant, illos hæreticos eſſe, & in fauorem hæreſis eos recipiant. Quia hic canon nõ prohibet receptationem hæretici tanquam participationẽ cum excommunicato, ſed tantum ea ratione, qua hæreticus eſt, vt notauit Suarez d. 21. ſect. 2. n. 9. & Sanchez l. 2. decal. c. 10. num. 6. ideo non refert ſiue nominatim ſint denunciati & excommunicati, ſine non, ad hoc, vt receptans excommunicationem incurrat.

Excommunicantur etiam quartò, eorundem hæreticorum vt tales ſunt, Fautores, vt fit etiam in Conſtitut. 3. Gregorij IX. §. 2. & Conſtitut. 18. Innoc. IV. §. 13. & c. ſicut. & cap excommunicamus. 2. de hæret. Sunt autem Fautores ex Archidiac. cit. cap. quicunque. Palud. 4. d. 13. q. 3. Tab. excomm. 5. num. 9. Simanca tit. 15. Menochio l. 2. de arbit. c. 548. Graff. p. 1. l. 4. cap. 18. n. 20. qui fauore, gratia, pecunia, aut alio modo eos ſubleuant. quorum alij auctoritate publica funguntur, alij nulla: illi incurrere poſſunt crimen fautoriæ, tum omiſſione, vt ſi Gubernator vrbis ab Epiſcopo, vel Inquiſitoribus requiſitus omittat hæreticos capere, vel punire. cap. negligere. 2. q. 7. c. qui poteſt 23. q. 5. Sic Aduocati, & Actuarij omittentes contra eoſdem procedere. vel ſi teſtes legitimè interrogati taceant, diſſimulent, negent veritatem. Tum commiſſione, vt ſi eos excuſet, ſubminiſtret fugiendi modum, dimittat è carcere, inſtruat ad ſe falsò defendendos. Iſti verò, ſeu perſonæ priuatæ non committunt generaliter fautoriam, niſi commiſſione, ſiue id verbo faciant, vt qui hæreticos docet modum, & viam fugiendi è carcere, vel manibus miniſtri, vel negandi veritatem, qui eos vt viros iuſtos commendant, & dicunt iniuſtè damnari ab fidei Inquiſitoribus, pro eis intercedunt, ne capiantur, aut puniantur. ſiue ſignis, & nutibus, vt ſi capite abnuant, cum aliquid negandum eſt, &c. ſiue facto, vt ſi claues ad euadendum è carcere, vel arma miniſtrent, cuſtodem inebrient, ne fugientes ſentiat, alimoniam, pecuniam, equos præbeant, de quibus Farinac. de hæret. q. 182. Zanchinus tr. de hæret. c. 5. Penna comm. 78. p. 2. Eoſdémque ſcienter aſſociantes, viſitantes, corrumpentes proceſſus cõtra eos factos, & ſimilia, de quibus Turrecrem. l. 4. de Eccl. p. 2. c. 21. & Conc. Narbonenſe cap. 14. 15. 16. Dixi, *generaliter*, quia ſi adſtringerentur iure conuentionis v. g. quia datur eis ſtipendium ad inquirendos, & denunciandos hæreticos, & omitterent, dicerentur fautores omiſſione. Sic ſi iuramento, aut alio titulo tenerentur indicare, & cælarent, ex Alterio. l. 5. d. 2. c. 5. Graff. n. 24. 25. ſemper tamen fauor debet eſſe in ordine ad hæreſim, ex S. Anton. tr. de excomm. c. 4. Sayro l. 5. c. 5. n. 7.

Suarez

Suarez d.21.sect.2.n.9.Tolet.c.19. n.6. Caiet.de excomm.c.1.Alterio vbi suprà; vt enim excommunicatio huius canonis primò & directè fertur in hæreticos in odium, & pœnam hæresis, ita quoque extendenda est ad prænominatos eorum Credentes, Fautores, &c. sub eadem ratione hæresis,& non alia. vt rectè argumentatur idem Suarez n.8. Sanchez num.4. Toletus, & Caietanus.

Simili excommunicatione feriuntur quintò hæreticorum defensores. Sunt autem tales propriè teste Archidiac. cap.quicunque.de hæret. l.6. Palud.4.d.13.q.3. art.1. Nauarr.c.27.n.75. Card. in Clem. de pœnis. Calderino tr. de hæret. c.4. Simanca tit.15. n 8. 9. Castro l.1.de iust.hær. pun. c.17. Zanchino de hæret. c. 4. Penna comm.2. p.77. Sanchez l.2.decal.c.10.n.18. Sylu.v.hæresis.1.n.10. Vgolin.hoc loco, qui quacunque ratione curant,ne hæretici denuncientur,accusentur,capiãtur, iudicentur, puniantur, vel vt de manibus ministrorum iustitiæ fugiant, aut tutò viuant,qui scientes hæreticos esse, pro eis aduocant,patrocinantur,& generaliter, quouis modo defendunt.Si quis tamen hæreticum defenderet ab iniuria,& violentia ei, etiam vt hæretico, à priuata persona exhibita,non incideret in excommunicationem, quia non pertinet ad priuatam personam punire hæreticum; secus si illum defenderet à persona publica, ex Angelo.v.hæresis.n.33. Syl. hæresis.1. §.30.Sanchez n.19.Tolet.num.19. Sayro l.1.cap.5.n.10. Azor p.1.l.8. cap.5.q.6. Alterio l.5.d.2.c.5. vers. *Nota* 3. Habentur aliæ pœnæ in eosdem statutæ in bulla 3. Gregorij IX.& bulla 1.& 18. Innoc.IV. & l. Manichæos. Cod. de hæret. Quæres an idem sit fautor, & defensor hæreticorum? Dico eodem modo hæc se habere, sicut genus, & speciem; qui enim defendit,fauet, non tamen fautor omnis defendit. cum fautores hæreticorum dicantur non solum, qui hæreticis opem ferunt,ne ob crimen hæresis oppugnentur,aut oppressos defendunt, sed etiam qui animum dant hæreticis, ex Vgolino hoc loco, dum agit de fautoribus num.1.& Sanchez loco cit. n.18.

Sequitur altera huius canonis pars, in qua agitur de libris prohibitis.Idcóque sexto loco excommunicantur scienter (neque enim afficiuntur pœna ignorantes l. generali.Cod.de Tabul.l.10 & l.Barbatius. ff. de off. Præt. cum tunc absit contumacia) hæreticorum libros hæresim continentes, aut de religione tractantes, legentes sine auctoritate Sedis Apost. quorum etiam lectio prohibita est.cap.fraternitatis.de hæret. c.nullus.3.q.4. in extrauag. Io.XXII.quæ incipit. *Vir probus.* bulla Leonis X. 35. & 37. Iulij III. bulla 7. quæ incipit. *Cum meditatio.* qui etiam addidit bullæ cœnæ,vt dixi Theorem.168. 169. & in l.3. Cod. de sum.Tr. & fid. Cathol. quæ in Latinis deest, sed habetur apud Nicephorũ l.14. c.36. vbi Imperator ait. Quicunque autem libros, quos diximus, habent (nempe hæreticorum) aut legunt, vltimo supplicio afficiantur. Itaque ad hanc censuram incurrendam, quatuor requiruntur. Primò, vt scienter legantur libri. Secundò,vt sint ab hæreticis compositi. Tertiò,vt contineant hæresim, vel saltem de religione tra-

ctent. Quartò, legantur abſque licentia Sedis Apoſt. ſi quid horum deſit, legens non incidet in hanc excommunicationem licet poſſit incidere in excommunicationem indicis librorum prohibitorum, & edicti inquiſitorum. Hinc collige legentes libros Catholicorum, in quibus referuntur hæreticorum errores non incidere in hanc cenſuram, cum non ſint libri ab hæreticis compoſiti ex Nauarr. cap. 27. num. 56. & Simanca tit. 15. num. 11. Neque legentes libros Catholicorum, qui habuerunt aliquem errorem, non putantes eſſe contra fidem, aliàs parati ad nutum Eccleſiæ reſipiſcere, quia cum non fuerint pertinaces, non fuerunt hæretici. ideo non eſt locus canoni. poterit tamen habere locum excommunicatio indicis librorum, regula fin. & extrauag. Io. XXII. de qua Penna p. 2. cap. 78. vbi ſub pœna excommunicationis prohibentur legi, aut teneri ſcripta cuiuſcunque auctoris ob hæreſim, vel ſuſpicionem falſi dogmatis prohibita, quæ non reſeruatur. Videndus Azor p. 1. l. 8. cap. 16. quæſt. 5. Neque parirer in hunc canonem incidunt, qui hæreticorum libros legunt non continentes hæreſim, nec de religione tractantes, ſed v. g. de Grammaticæ aut Rhetoricæ præceptis. Sufficit autem vt vnus tantum error in toto libro contineatur, ex Suarez num. 10. Alterio loco cit. libri verò de religione tractantes ex Sanchez l. 2. cap. 10. Farinacio. de hæret. q. 180. Azor, & Suarez locis cit. dicuntur illi, qui continent fidei Chriſtianæ, vel diuinæ ſcripturæ, ſeu partis alicuius eiuſdem, vel Theologiæ ſcholaſticæ aut eius partis explicationem. quare excludunt hiſtorici, philoſophici, & ſimiles, dummodo in illis nulla includatur hæreſis. Non eſt autem neceſſe ad hanc excommunicationem incurrendam, vt legens proferat verbis, ſed ſufficit, ſi oculis libros percurrat abſque prolatione verborum, ex Sanchez num. 41. Graff. p. 1. l. 4. cap. 17. num. 45. Vgolino. Eandem incurret hæreticus proprium librum hæreſim continentem legens, ex Sanchez numero 37. & Vgolino. Legentes hæreticorum ſcholia ad libros Catholicorum continentia hæreſim, non incidunt in hunc canonem ex Nauarr. & Sanchez numero 25. cum liber non hæretici commentantis, ſed auctoris Catholici dicatur. Et tamen legi non poſſunt abſque ſuperioris licentia, ex vltima regula indicis librorum prohibitorum. quòd Suarez num. 11. non admittit, niſi hæreticorum adnotationes ſint breues, ſecus autem, ſi eſſent copioſi commentarij. adeo vt potius cenſeretur liber ex eis, quàm ex textu conſtare. nam eo caſu cenſetur incidere in hunc canonem. Quid ſi quis legat epiſtolam, vel concionem hæretici hæreſim continentem? Vgolinus v. *ac eorundem libros.* dicit incidere in hunc canonem, quod eadem ſit ratio epiſtolæ, ſeu concionis, ac libri, nempe timor lapſus. Sanchez numero 29. negat, quod epiſtola, & concio non veniat nomine libri, & ſequenda ſit in pœnis benignior interpretatio. Incidétne in eundem canonem, qui ex hæreticorum libro hæreſim continente minimum quid legeret? eſt communis ſententia Sanchez numero 31. Azor p. 1.

l.8.cap.16.quæſt.3. Sayri l.3.cap.5. numero 12. Graff. l.4. cap.28. numero 45. Alterij cap. 6. Viualdi hoc loco. Duardi l. 2. quæſt. 46. & aliorum, vt in cæteris rebus dari poteſt tam parua quantitas, vt ſit inſufficiens ad conſtituendum peccatum mortale, vel excommunicationem, quæ illud ſupponit, ita hoc loco poſſe contingere, vt quis tam parum legat, vt non incidat in canonem. Determinatè verò conſtituere, quænam ſit talis minima quantitas, prudentis arbitrio eſt definiendum, cum aliqui ad duas, vel quatuor, aut decem lineas limitent, vt Sayrus, alij etiam ad vnam pagellam etiam ex maioribus, vt Manuel in addit. ad bullam Cruciatæ. §. 6. numero 68. Viuald. in candel. in penultima editione p. 2. in prima excommunicatione bullæ cœnæ numero 11. Emanuel Sà, verbo, excommunicatio, in bulla cœnæ numero 2. Sanchez l. 2. cap. 10. numero 31. Quamobrem ego Confeſſarios moneo cautum eſſe in decreto facto de mandato Clementis VIII. à Congregatione Illuſtriſſimorum Cardinalium in negotiis Epiſcoporum, & Regularium die 9. Ianuarij anni 1601. ne in Italia, extra vrbem, poſſit quis abſoluere ab vllo ex caſibus bullæ cœnæ claris, vel dubiis. vnde in propoſito noſtro adeo parua debebit eſſe materia, vt omnem dubitationem excludat, ad hoc vt Confeſſarius poſſit abſoluere eum, qui legerit. Quæres an in hanc excommunicationem incidat audiens legi prædictos hæreticorum libros? Azor l.8.cap.16. quæſt. 4. Graff. l. 4. cap. 18. numero 45. Sayrus l.3.cap.5.num.14. Alterius cap.6.dub.2. diſtinguunt, aut audiens eſt in cauſa attendendo, auctorizando, rogando, præcipiendo, conſulendo, & cæt. vt legantur, & tunc etiam audiens cadit in hanc excommunicationem, quia moraliter legat per alios, nempe ope, & miniſterio eius, qui phyſicè legit, cum qui per alium facit, per ſe facere videatur. l.1. §. deiecisſe. ff. de vi, & vi arm. & quia participat cum excommunicato in crimine criminoſo prohibitæ lectionis, aut non eſt in cauſa, & eo caſu non incidit, cum neque phyſicè, neque moraliter concurrat ad eam lectionem, & canon ſolum legentes perſtringat. At verò Sanchez l. 2. cap. 10. numero 48. Duardus l. 2. quæſt. 48. numero 5. & Vgolinus hoc loco docent, audientes, ſiue fuerint in cauſa, vt tales libri legerentur, ſiue non, haud incurrere excommunicationem (niſi quando audiendo legentem hæreticis faueretur in ordine ad hæreſim, iam enim eſſent hæreticorum fautores) cum canon excommunicet legentes, & non audientes legere. in pœnis enim verba ſunt ſtrictè interpretanda. cap. odia. de regul. iuris. l. 6. ideo formaliter, & phyſicè non per ſe facit, qui per alium facit, ſed ſolum interpretatiuè. Quare cum aliud ſit mandare, aliud facere, & canon de legentibus loquatur, non debent extendi ad mandantes, ſed ſolum ad formaliter legentes tales libros; vt autem participantes excommunicationem incurrant excommunicati, debet is eſſe nominatim

minatim excommunicatus, & denunciatus, quod non accidit in propoſito caſu, ex Sanchez n. 50. Nauarr. c.27.num.112 Henriquez l.13.c.9. num.1. & 2. Suarez d.17. ſect.2.n.5.

Septimò comprehenduntur etiã eoſdem libros retinentes ſcienter, & abſque licentia, vt etiam fit in Indice librorum prohibitorum.regula 10. & in Concil.Lateran. ſub Leone X.ſeſſ.10.nec excuſantur, ſi habeant apud alium, cum dominium apud ſe retineant; vt neque ſi mutuo tantum habeant, cum etiam tunc habere dicantur. l.officium in fin. ff. de rei vend. Neque etiam ſi integrum librum non habeant, ex Sanchez n. 54. ſed partem tantum, vt lanij, & aromatarij, qui retinere ſolent, vt carnes, aut aromata obnoluant, ex Vgolino §.1. & Duardo q.51. n.17. ſiue liber excuſſus ſit typis, ſiue manu ſcriptus, ex Sanchez n. 28. & ſiue tenens eum librum intelligat, ſiue non, ex Sanchez n.51. dummodo ſciat eſſe hæreticum, déque religione tractare. Excuſaretur tamen à peccato, & excommunicatione qui ad breuiſſimum tempus teneret, donec conſignare poſſet Inquiſitoribus, ex Sanchez num.35. Suarez n.10. Sayro l.3.cap.5.n.16. Alterio c.7. Duardo l.2.q.2.n.31. & 32.cum non ſit dicendus retinere contra Eccleſiæ prohibitionem, qui præſtolatur opportunum tradendi tempus. Porrò eſſe Inquiſitoribus conſignandos conſtat ex Iulij III. bulla 7. de qua Epit. 63. & Theorem.169. Azor l.8.cap.16. q.11. Sanchez n. 56. dummodo ex citatis id poſſit facere ſine graui ſuo detrimento. Corrumpens autem propria auctoritate, malè quidem faceret, non incurreret tamen excommunicationem ex citatis, & ex Duardo l.2. quæſt.51.num.34. & Proſpero Farinacio de hæret. q.180. num.4.

Itémque octauò prædictos libros imprimentes ſcienter, contra quos etiam eſt lata excommunicatio in Concil. Lateranenſ. ſub Leone X. ſeſſ. 10. & Concilio Trident. ſeſſ. 4. in decreto de editione, & vſu ſacrorum librorum. Qua etiam de re egimus Theorem. 168. 169. & 200. tales autem cenſentur, ex Sayro num.17. Sanchez num. 57. Alterio. cap. 8. quicumque proximè ad eorum impreſſionem cooperantur Correctores impreſſionis, Magiſtri componentes typos, inficientes attramento, madefacientes chartas, prementes torcularia, &c. quod hi omnes per ſuas actiones immediatè concurrant ad librorum impreſſionem, quibus hæreſis diſſeminatur. Secus de vendentibus impreſſoribus æneas litteras, ſeu characteres, chartam, attramentum, cum non concurrant proximè ad impreſſionem. Adinuenta eſt autem ars imprimendi anno Domini 1465. ex Volaterrano l.33. & Menochio l.2. de arbit.cap.549. Idem cenſendum eſt de ſcribentibus eoſdem, ex Menechio ibidem. Penna 2. p. direct. p.16. & conſtat ex Honorio 3.cap.nouerit. de ſent. excom.

Nonò prædictorum librorum defenſores, vt qui bonos eſſe contendunt, vel occultant, ne comburantur, ne tradantur Inquiſitoribus, &c. hi enim omnes hoc canone excommunicantur, vt docet Sanchez l.2. cap.10. num.58. Tolet. loco cit. num.26. Sayrus n.18.

Vgolinus

Vgolinus nu. 2. Duardus l.2.q.55. Alterius cap.8. ſiue occultè, ſiue publicè, & quocumque colore id faciant.

Quod ſpectat ad tertiam partem huius canonis continentur deniq; ſchiſmatici, & pertinaciter ſe ſubtrahentes ab obedientia Rom. Pontificis, Eccleſiæque vnitate. Sunt autem Schiſmatici à ſchiſmate dicti, quod ſciſſuram, & diuiſionem ſignificat. 24. quæſt. 1. cap. ſchiſma. & definitur à S. Thom. 2. 2. quæſt. 39. art. 2. diſiunctio, qua quis ſe ab vnitate Eccleſiæ ſeparat, vt eſt quoddam corpus myſticum ex vniuerſis fidelibus & Romano Pontifice tanquam capite conſtãs. Ideo duplex eſt modus ſchiſmatis; vnus cum quis ſe ſeparat à capite Eccleſiæ, & cæteris membris; alius, quo vel à ſolo capite, vel à ſolis membris, ex S. Thom. Caiet. & Valentia ibidem, & Sanchez l.2.c.36. num. 2. vt ſi ſuas actiones ſpirituales credere, ſperare, orare, Sacramentáque recipere velit, non vt Eccleſiæ Catholicæ pars, ſed tanquam ſi ipſe eſſet totum aliquod ſeorſim. Exigitur verò, vt huiuſmodi ſciunctio, & rebellio ſit contra Papam formaliter tanquam ſummum Pontificem, ſeu Eccleſiæ caput. Cum enim poſſit quis tripliciter nolle exequi præceptum Papæ; Primò, ex parte rei præceptæ, volens nihilominus illi tanquam ſummo Eccleſiæ capiti ſubiici; ſecundò, ex parte perſonæ percipientis, quod eam ſibi infeſtam reputet; Tertiò ex parte ipſius officij Papæ, renuens ſubeſſe Pontifici vt Pontificio officio fungitur, & eſt caput Eccleſiæ; voluntas non ſubiiciendi ſe Pontifici duobus primis modis non conſtituit ſchiſmã, ſed ſolum tertio modo vt docet Azor l. 8. cap. 20. quæſt. 4. Farinac. de hæret. q. 184. num. 39. Sanchez loco citato vbi plures refert, Alterius loc. cit. c. 9. Caiet. v. ſchiſma. aliud eſt enim recedere ab obedientia Rom. Pontificis, & aliud tranſgredi præcepta illius, etiam ex contemptu, cum hoc fieri poſſit ab eo, qui ſimul cognoſcat Pontificem vt ſuperiorem. Non eſt tamen neceſſe ad ſchiſma, vt directa intentione velit quis ſubtrahere ſe ab obedientia Pontificis, ſed ſatis eſt ſi indirecta, ſicut non ſolum verus eſt homicida, qui directa intentione vult occidere, ſed etiam, qui indirecta, non vitando ea, ex quibus ſcit ſequi occiſionem, vt aduertit Sanchez num. 5. Caiet. 2. 2. q. 39. art. 1. Bannes ibidem dub. 1. ad tertium. Valentia d. 3. quæſt. 15. p. 1. Vgolinus hoc loco, Alterius cap 9. Duardus l.2. q.56. n.7. Suarez t.5. d.21. ſect.2. num.13. qui cum Sanchez num.12. addit, hinc colligi Catholicos, qui ſub hæretico Principe viuunt, vt in Anglia, eſque vt ſupremo capiti Eccleſiæ exterius obediunt, incidere in hanc cenſuram, etſi hæreticorum cenſuram non contrahant, cum non habeant errorem in fide. Cenſura autem lata contra ſchiſmaticos non extenditur ad eorum fautores, & defenſores, ſecus ac fiat de fautoribus, & defenſoribus hæreticorum, cum hac de re nihil habeatur in præſenti Canone. vt etiam notat Suarez num.14. Sanchez num.16. Alterius, & alij. Dixi, *in præſenti Canone*, quia ſunt excommunicati in bulla 19. Pauli IV. de qua actum eſt ſuperius Theor. 184. & ſeq. Videatur Proſper. Farinacius, de hæ-

Scortia. LIII ret.

ret. quæst. 184. num. 17. 18. 19. & Duardus l. 2. q. 56. n. 18.

THEOREMA 411.

MAteria verò §. 2. est eadem ac bullæ 5. Pij II. incipientis. *execrabilis*, & bullæ 22. Iulij II. cuius initium. *suscepti.* de quibus egimus Theor. 106. 107. nempe sacrilegium contra Sedis Apostol. Primatum, quo quis à mandatis, & ordinationibus Papæ supremi Iudicis, & Capitis Ecclesiæ appellat, & prouocat ad futurum Generale Concilium, cum insigni Apostolicæ Sedis iniuria, quasi Generale Concilium sit supra Papam, cum appellatio fiat ad maiorem iudicem, ex Giosſ. cap. non putamus. v. officiali. de consuetud. l. 6. contra quam sit definitum. cap. nemo. cap. aliorum. cap. facta. cap. ipsi sunt. cap. cuncta. 9. quæst. 3. cap. liceat. cap. significasti. de elect. consentientibus Hostiensi, Io. And. & aliis interpretibus iuris Canonici, ibidem, ac Theologis. Turrecrem. l. 3. sum. de Eccl. cap. 47. 48. 49. Caiet. v. excomm. cap. 25. Ledesma 2. 4. quæst. 26. art. 2. Sylu. excom. 7. Iacobatio de consilio l. 10. art. 1. Azor t. 2. l. 5 cap. 13. quæst. 3. Anton. 3. p. t. 22. cap. 10. & p. 2. tit. 3. cap. 11. Pellagio de planctu Eccl. l. 1. art. 6. Alb. Pighio l. 6. de hier. Eccl. Ferrar. l. 4. contra gentes cap. 66. Turriano tribus lib. de hac eadē re. Bellarm. l. 2. de Concil. c. 13. Sandero. l. 7. de visib. Monar. Campegio tr. de potest. Papæ. cum Generale Concilio sine Papa possit errare, vt contigit in Concilio Ariminensi.

Facta est autem talis prouocatio casus bullæ cœnæ à Pio V. vt notat Tolet. §. 9. vnde Nauar. cap. 27. num. 58. rectè ait esse nunc primùm insertum bullæ cœnæ. Itaque principalis actio, quæ hic prohibetur (etenim in bulla 22. Iulij II. numerantur 7. appellare, decernere, consulere, deliberare, approbare dicta aliorum, consilium dare, vocem dare, vt ad futurum Concilium appellare liceat; vt notat etiam Caiet. v. excom. cap. 25.) est appellatio à Papa ad Generale futurum Concilium, siue mandatum Papæ fuerit iustum, siue iniustum, vt notat Suarez d. 21. sect. 2. n. 15. cum canon loquatur absolutè. Et meritò. Tum quia aliter redderetur inutilis sub iniustitiæ prætextu canon; tum quòd prima Sedes non debeat à quoquam iudicari. actiones autem minus principales, seu accessoriæ duæ sunt, auxilium, vel fauorem præstare appellationi. (addit etiam Pius II. consulere, & in hoc se Tabellionem, testémue gerere, & præsentiam suam exhibere.) Debet tamen ad censuram hanc incurrendam fauor, & auxilium appellationem antecedere, & non subsequi, ex Suarez num. 16. aliàs reuera non esset datus fauor, & auxilium ad appellādum à mandatis Pontificis, sed solū ad actiones postea subsequutas, quæ sunt longè diuersæ. Quin etiam quando talis fauor præcedit appellationē, non statim incurritur hæc censura, donec appellatio re ipsa subsequuta sit, iuxta generalem doctrinam Caiet. v. excom. initio, Suarez num. 16. Nauar. cap. 27. nu. 58. & Vgolini hoc loco, & colligitur ex canonis verbis illis, *quorum auxilio, vel fauore appellatum fuerit.*

Quoad personas delinquentes, comprehenduntur fideles omnes in

in hoc peccantes cuiuſcunque ſint gradus, & conditionis:Et quidem perſonæ ſingulares excommunicantur, Vniuerſitates verò, vt Senatus,Collegia, Capitula, Ciuitates interdicuntur.cum Vniuerſitates non poſſint excommunicari. c. Romana. de ſent. excom. l. 6. §. in Vniuerſitatem. fieri enim poteſt, vt non omnes de Vniuerſitate culpabiles ſint. (Additur in citatis bullis Pij II.& Iulij II. *vt taliter delinquentes incidant quoque in ſuſpicionem hæreſis.*) Non contrahet tamen Vniuerſitas hanc cenſuram, niſi à maiori parte illius fuerit appellatum; neque enim rectè tunc id factum dicitur ab Vniuerſitate, ex Vgolino, & Duardo hoc loco, ſed à ſingularibus perſonis, quæ ſolæ in excommunicationem,appellando, incident. Abſolutio autem, & relaxatio non ſolum in bulla cænæ, ſed etiam in prædictis bullis Pij II. & Iulij II. reſeruatur Papæ cum aliis pœnis, vt diximus Theor.105.106.

THEOREMA 412.

TErtij Canonis materia, nempe deprædatio maritima, reperitur etiam damnata c. excommunicationi.de raptor.ſed excommunicatio erat ferenda, vt notat etiam Sylu. excom.7. num. 56. & Tolcto l.1. cap.20. num.6. & fuit etiam caſus bullę cænæ Clementis V. ex Gloſſa Clem. 1. verbo generales. de iudiciis, licet tunc non extenderetur ad fautores, receptatores, & defenſores, vt factum eſt à Iulio II. & ſequentibus Pontificibus. Principales perſonæ, hoc Canone comprehẽſæ, ſunt Piratæ, ita nuncupati à primo maritimo latrone ex Rebuffo, & Graffio in explicatione bullæ, ſeu maris Curſarij vulgo dicti, aut maritimi latrones, quòd mare diſcurrant intentione prædandi nullo indicto bello, aliàs enim non Piratæ, ſed hoſtes dicerentur. l. hoſtes. ff. de captiu.& l.hoſtes.ff.de verb.ſignif. Acceſſoriæ verò receptatores, fautores, & defenſores. Actio principalis prohibita, eſt diſcurſus maritimus per mare Eccleſię,ſeu Pontificij iuris, quale eſt ex can. 4. Adriaticum,& Tirrhenum, præcipuè à monte Argentario vſque ad Terracinam, quòd id cedat in maiorem iniuriam Sedis Apoſt. ibidem conſiſtentis. Ideo excommunicatio hæc minus patet, quàm tempore Gregorij XIII. cum ille ita ſtatuiſſet. *excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas,Curſarios, & latrunculos maritimos, & illos præcipuè, qui mare noſtrum à monte Argẽtario vſque ad Terracinam diſcurrere, & nauigantes in illo depredari, mutilare, interficere, ac rebus, & bonis ſuis ſpoliare præſumpſerunt hactenus, & præſumunt.* Iam ad pauciores reſtricta eſt, nempe ſolùm ad diſcurrentes mare Eccleſiæ, præcipuè à monte Argentario vſque ad Terracinam,nõ autem aliena ſiue Chriſtianorum ſiue Barbarorum maria. & ſimus in pœnalibus, in quibus ſtricta facienda eſt interpretatio, etſi nobiles Theologi ad quoſcunque Piratas maritimos adhuc extendi velint variantes interpunctionem litteræ.In eo tamen cenſura hæc nunc eſt magis extenſa, quàm in bulla Greg.XIII. quod olim ad eam incurrendam præter diſcurſum per mare Pontificium exigeretur deprædatio, aut mutilatio, vel occiſio, ſeu rerum,

aque bonorum spoliatio, nunc verò sufficit ipse discursus cum intentione prædandi, licet nulla sequatur prædatio, mutilatio, &c. ex Suarez num.19. Graff. num.67. Duardo quæst.4. Toleto cap.20. num.5. Alterio d.4. cap.2. Vgolino & aliis, cum sola actio discurrendi ad latrocinandum, cæteris omissis exprimatur. Et meritò, cum etiam solus discursus cum animo deprædandi multum noceat. statim enim ac rumor emanat, mare aliquod infestari à Piratis, mercatores, & cæteri nauigaturi retrahunt se à nauigatione, ideo solus discursus cum animo prædandi excommunicatione puniri potest. quicquid senserit Sayrus num. 5. ex quo infertur, cum præceptis Ecclesiæ non subdantur, qui baptizati non sunt, censuram hanc solum latam esse in Piratas Christianos exercentes piraticam in fideles, non in infideles. ex Toler. num. 5. Suarez num. 21. Duardo hic q. 5. Sayro l.3. cap.7. num.9. Alterio hic cap.3. Tum quia. cap. excómunicationi.de Raptor. dicitur: Qui Romanos, & alios Christianos capere, & rebus suis spoliare præsumunt. Tum quia vt infideles Piratæ non feriuntur ab Ecclesia, si Christianos spolient, gladio spirituali, ita exigere videtur æquitas, vt nec Christiani Piratæ censura feriantur, si infideles tantum deprædentur. Tum quod ferè semper id fiat titulo iusti belli, & defensionis, & ad hostium vires minuendas, non ad furtum, & iniustitiam committendam, cum illi quacunque possunt via, res Christianorum occupare studeant.

Illud hic quæres, an Christiani licitè possint in terris Turcarum Græcos, & alios Christianos ibi degentes capriuare, vt in Triremibus Christianis remigent, maximè soluta mercede, aut illis filios, bonáue eripere, cum Turcico imperio subsint. Respondeo, minimè, tum quod non sit addenda afflictio afflictis, ideo nec libertate, nec filiis, nec bonis prinandi. Tum quod id vetitum sit à Pio V. in Constitutione 56. quæ incipit *licet omnibus*. in bullario veteri, vt aduertit etiam Sayrus l.3.c.31. num. 18. idque sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reseruatæ in eos qui Christianos habitantes in terris occupatis à Turcis, capiunt, aut præter eorum voluntatem, etiam data mercede, remigare cogunt, taleam imponunt, aut eorum bona diripiunt, aut eos liberè cum liberis suis, coniugibus, & bonis abire non permittunt. Nec à tali excommunicatione nisi à Rom. Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolui possunt. Sed vtrum si quis alia intentione nauigans, quàm deprædandi Christianos, & oblata interim occasione spoliet nauigantes Christianos, censeatur incidisse in præsentis Canonis excommunicationem? Angelus, excommunicatio 5. casu 18. Caiet. eodem cap. 18. Alterius hoc cap.1. affirmant, & in idem valdè propender Suarez. d. 21. sect.2. num.24.25. Tum quia in malis vnus actus sufficit ad incurrendam censuram latam, & denominationem, vnde quis absolutè dicetur homicida, fur, latro, licet id semel tantum commiserit. Quare etiam vnicus actus maritimi latrocinij sufficiet ad denominandum aliquem maritimum latronem,

nem, ſeu Curſarium, & ad contrahendam excómunicationem. Tum quia non ſine cauſa in hac clauſula adduntur omnes illæ voces, Piratas, Curſarios, lattunculos maritimos, qua ſaltem poſtrema apellatione cõprehenduntur, qui ſaltem aliquando, etiã incidenter deprædantur. Tum quia videtur abſurdũ dicere non incidere in excómunicationem deprædantem, eo quod principalius intenderet exercere mercaturam, cum parum referat, qua intentione quis committat delictum, ſi actum conſummatum committit. Sicut qui furatur ad mæchandum, principalius quidem mæchus eſt, quàm fur, ſed non propterea furti crimen euadit, nec eſſet à Cenſura immunis, ſi fures excómunicarentur. Negat autem Syl. excommunicatio 7. n. 56. Tabiena excommunicatio 5. caſu n. 5. Nauarr. c. 27. num. 56. qui dicit eſſe omnium ſententiam. Rebuffus hoc loco. Tolet. l. 1. cap. 20. n. 3. Duardus l. 2. can. 3. quæſt. 2. concl. 3. & quæſt. 14. num. 5. Sayrus l. 3. c. 7. num. 6. Graff. num. 65. eo quod ad hoc vt quis ſit, & denominetur Pirata, requiratur, vt principali intentione diſcurrat ad prædandum: quæ ratio etſi non omnino ſatisfaciat Suario, quod in fuerit probandum, & non ponendum tanquam certum, nihilominus, quia ſumus in materia pœnali, & communior ſententia legem hanc reſtrinxit ſolum ad eos, qui quaſi ex officio exercerent maritimum latrocinium, non videtur ei eſſe ab illa recedendum.

Actiones verò minus principales ſunt huiuſmodi Piratis, vt tales ſunt, non autem. v. g. titulo cognationis, ex Vgolino hoc loco, Suarez num. 22. Alterio cap. 4. in fine, & Duardo quæſt. 14. num. 19. opem ferre, fauere, recipere, & defendere eos, ſiue per ſe, ſiue per alios, necnon verbis, & factis; verbis quidem, vt ſi eis ſignificet quis, vbi aquari poſſint, quando ſint aliqui nauigaturi, vt eos deprædentur, ex Rebuffo, & Vgolino. Factis verò, vt ſi quis eis commeatum præſtet, arma, naues, canapem, quibus egent ad piraticam, domum, in qua ſe occultent, vel prædam deponant, defendunt, ne capiantur, aut puniantur à Iudice, etiam ſi piratæ pœnas ſceleri debitas non effugerent. cum enim ſit completa actio fauendi, recipiendi, defendendi, eis fauentes, & auxiliantes, iam excommunicatione obligati erunt.

Quæres an hac eadem clauſula comprehendantur dantes conſilium, cum poſt Gregorium XIII. non amplius exprimantur? Negat Suarez num. 22. & Alterius. cap. 4. Affirmat Nauarr. cap. 27. num. 59. Tolet. l. 1. cap. 20. num. 7. quod tacitè comprehendantur ſub auxiliantibus, & fauentibus, exercentes piraticam tantum in Pontificiis fluminibus non ligantur hac excommunicatione, ex Nau. ibid. Ang. v. pirata. Tolet. loco cit. Graff. num. 66. Alter. cap. 3. dub. 2. Duardo hic quæſt. 10. & 14. num. 15. quod hic nihil de his ſit ſtatutum.

THEOREMA 413.

AGitur quarto Canone de raptu bonorũ naufragantium, vetito etiam ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ſed non reſeruatæ Sedi Apoſt. à Greg. VII. teſte Baronio anno 1078. Honorio II. anno 1130. Honorio III.

anno 1220. Alexand. III. in Concil. Lateranensi. c. 24 &c. excommunicationi. de Raptor. Iulio II. bulla 20. quæ incipit. *Romanus*. Paulo III. bulla 42. quæ incipit. *Accepimus*. & tandem reseruata est absolutio Papæ à Pio V. & sequentibus summ. Pontificibus. Cuiusmodi etiam raptum damnarunt Impp. l. 1. 4. 5. ff. de ruin. incend. nauf. & l. in eum. & l. nauigia. Cod. de furt. & l. 1. Cod. de naufr. & Federicus 2. in l. 8. Patauina. eaque de re egimus supra Theorem. 6. 7. 21. 167. 226. Meritò igitur, cum naufragantes sint personæ miserabiles, summi Pontifices lata excommunicatione eorum protectionem susceperunt. vt notauit etiam Abbas. c. excommunicationi. de raptu.

Itaque materia præsentis Canonis est rapina bonorum Christianorum naufragantium, & vt notat Nauarr. c. 27. num. 60. hic canon minus patet, quàm tempore Gregorij XIII. quandoquidem non solum accipientes, seu rapientes bona in mari, littore, naui, tunc excommunicati erant, sed etiam qui à raptoribus accepissent, nunc autem solum excommunicationem incurrunt rapientes. In eo quoque differt à citato c. excommunicationi. de raptor. quòd ibi excommunicatio reseruata non esset, vt est in præsenti canone bullæ cœnę; & quòd rapientes talia bona non statim excõmunicarentur, sed requireretur etiam mora restituẽdi, contra quam fiat hoc canone.

Actio igitur prohibita, est rapina bonorum Christianorum naufragantium. cum rapinam audis, intellige iniustam, & damnatam acceptionem, ideo si quis acciperet non animo sibi retinendi, sed reseruandi eam suo Domino, nullam excommunicationem incurreret, ex Tolet. l. 1. cap. 21. Nauarr. cap. 27. num. 117. Alterio hic c. 2. cum actio illa approbetur. l. falsus creditor. §. si iactum. vers. enimvero. ff. de furt. Neque si quis sibi acciperet, quæ habentur pro derelictis, ex cit. l. falsus. Abbate. c. cum dilecti. num. 11. Felino num. 16. de accusat. Farinac. de furtis. q. 168. num. 86. Duardo hic q. 13. Graff. Viuald. Syl. Alterius. Molina d. 55. Azor. 3. p. l. 1. cap. 13. cum enim Dominus rem pro derelicta habet, abdicat à se dominium eius; ideo cum res non sit amplius propria, efficitur communis, & iure gentium fit primi occupantis. Instit. de rerum diuis. §. fin. ob id, cum absit culpa, non erit amplius locus excommunicationi. Ad cognoscẽdum autem an res habeatur pro derelicta, solent dari duæ regulæ. Prima, si id constet ex voluntate Domini. Qua de re Bartolus in l. qui alleuiandæ. ff. ad leg. Rhod. de iactu. & l. interdum. ff. de acq. possess. Federicus de senis. consil. 17. Sylu. v. inuentum. §. 3. Secunda, ex Glossa in cit. l. falsus. §. fin. ff. de furt. verbo. plerumque. cum constet Dominum neque per se, neque per alium posse amplius rem illam recuperare, sed statim illam perituram fuisse, vt saccarũ, sal, oleum, nisi iste suo labore, & periculo saluasset; cum velle non debeat Dominus, vt res potius pereat, quàm alteri cedat, id enim peccatum esset, & interest reipublicæ ne quis re sua malè vtatur, vt in §. sed & maior. Instit. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris. secus si res non erant statim periturę, sed bene muni

munitæ, vt possent incolumes ad littus peruenire, Farinacius. de furtis. quæst. 168. num. 81. ex cit. l. falsus. vers. si verò non hoc animo. Syl. naufragium. quæst. 2. Sayrus. l. 3. c. 8. num. 9. Duardus hic. quæst. 14. 15.

Non contrahetur autem excommunicatio huius canonis, nisi bona iniustè occupata sint naufragorum fideliū. si enim essent Infidelium, non incurreretur. Quo nomine non tantum Iudæi, Turcæ, & Apostatæ veniunt, sed etiā hæretici. ideo, qui naufragū istorum aliquid surriperet, non incideret in canonem, ex Alterio. c. 2. dub. 7. Duardo. quæst. 3. & 23. Sayro l. 3. cap. 8. num. 7. Viualdo hic num. 29. 30. Secus si naufragata nauis esset quidem infidelium, sed fidelium onusta mercibus, si quidem surripiens ex ea merces, incurret excommunicationem: si verò rapiat ligna naugij, anchoras, funes, nequaquam. Et vice versa dicendum est, si nauis sit fidelium, & merces infidelium, surripientes enim infidelium merces non erunt excommunicati, erunt verò si ligna, funes, anchoras, vela.

Nomine autem nauis quodcunque nauigium intelligitur, siue sit propriè nauis, siue scapha, siue tricemis, & huiusmodi, quod naufragium sit passum quouis modo, siue ipsa bona rapiantur in nauigiis ipsis, siue in mari (secus in fluminibus, ex Alterio c. 2. dub. 5. & textu bullæ) ex nauigiis naufragatis ciecta, siue in littore cuiuscunque maris inuenta, cuiusuis generis bona sint, ex hoc canone, & l. si quis ex naufragio. ff. de incend. ruin. naufr.

Pœna hoc canone imposita huic rapinæ est excommunicatio Papæ reseruata, & complectitur quoscunque delinquentes, dummodo Christiani sint, cum infideles Ecclesiæ legibus non subsint. Et acceptæ rei valor tantus sit, vt constituat peccatum mortale, quod semper excommunicatio supponit c. nullus. 11. quæst. 3. Quin etiam Stephanus Quaranta tit. de bonis naufrag. & Duardus hic quæst. 11. num. 5. exigunt, vt dictus valor sit saltem duorum aureorū, eo quòd Concil. Tridentinum sess. 25. c. 3. de reform. statuerit, vt non feratur excommunicatio si res sublata sit vulgaris. De pœnis verò statutis iure ciuili rapientibus res ex naufragio, plura disputat Petr. Gregorius. l. 37. Syntag. cap. 3. & Menoch. l. 2. de arbit. c. 297. & Farinacius. de furtis. q. 168. n. 71. & seqq.

Priuilegia autem, & consuetudines, etiam longissimi temporis, & immemorabilis temporis possessio, vel alius prætextus contra hanc excommunicationem nihil iuuant, cum sint abusus contra rectam rationem, & morum corruptela ex l. 8. Federici II. Imp. Patauina, bulla Honorij III. quæ incipit. *Has leges*, & Pauli III. bulla 42. quare etiamsi tali consuetudini non esset à Pontifice hic derogatum, raptores nihilominus tenerentur res ablatas restituere, cum non possit consuetudo facere, vt furtum, cuiusmodi est hæc rapina, ex l. Pedius. ff. de incend. ruin. nauf. & Authentica nauigia. Cod. de fur. sit licitum.

THEOREMA 414.

Subiiciuntur anathemati hoc quinto canone, quicunque in suis

ſuis terris noua pedagia, ſeu gabellas, præterquam in caſibus à iure, ſeu ex ſpeciali licentia Papæ permiſſis, imponunt, vel augent, ſeu prohibita imponi, vel augeri, exigunt. cuius etiam meminit Gloſſa Clement. l. de Iudiciis. verb. generales, nec mirum, cum haberetur etiam in bulla Martini V. ex Caiet. v. excommunicatio c. 71. Antonino 3. p. t. 25. c. 72. tractatúrque eadem materia, tum in c. innouamus. tit. de cenſibus. & c. ſuper. tit. de verb. ſig. & c. ſi quis Romipetas. 24. quæſt. 3. Tum ff. de publ. & vect. l. vectigalia. & l. 1. 2. 3. 4. Cod. de vectig. non inſtit. & Cod de vectigal. & commiſſis. l. vniuerſi.

Eſt autem excommunicatio generalis comprehendens laicos, & clericos, viros, & mulieres, vt conſtat ex dictione. *Omnes, qui in ſuis terris.* ex quo etiam patet impoſitionem tributi reſpicere territorium ſubiectum imponenti, cum talis impoſitio ſit effectus ſupremæ iuriſdictionis. l. 3. Cod. noua vectigal. l. deprecatio. ff. ad leg. Rhod. de iactu. & l. bene à Zenone. Cod. de quadriennali. præſcrip. & c. innouamus. de cenſibus, de qua re Boſſius. tit. qui poſſunt imponere vectig. Card. Tuſcus. v. vectigalia. concluſ. 32. 33. Farinac. de furtis. quæſt. 173. num. 66. & ſeqq. Alterius diſp. 6. c. 2. Sayrus. l. 3. c. 9. Suarez num. 39. Et ob id Principes non ſupremi imponentes noua tributa in ſuis terris, ſeu dominiis, aut aliqua eorum parte, v. g. in ponte, vel via, incidunt in hunc canonem. Quod prudenter ſtatuit Pontifex, ne ſubditi à dominis nimis grauarentur.

Dicuntur autem noua pedagia, & Gabellæ, quæ ſunt impoſita tempore, de cuius initio extat memoria. ex Toleto loco cit. & Sayro num. 12. ſunt Pedagia exactiones pro tranſitu, vel ratione perſonarum, quaſi pedum ſolutio, vel ratione rerum, quæ portantur, & vehuntur, vnde & veſtigal factum eſt, qua de re Gloſſa. c. ſuper quibuſdam. de verb. ſig. Caiet. v. excommunicatio. c. 39. Gabella verò latius patet, & hoc loco additum eſt à Pio V. vt comprehenderetur quæcunque exactio, ſiue pro inuectione, & euectione mercium, ſiue pro rerum emptione, & venditione, ſiue pro tranſitu, ſiue pro ducatu, ſeu guidagio, ſiue alia de cauſa, ex Tolet. l. 1. c. 21. Alterio d. 6. cap. 1.

Actiones prohibitæ tres ſunt, imponere noua tributa, augere vetera, & exigere, præterquam in caſibus ſibi à iure, aut Sedis Apoſt. licentia, conceſſis. Et quidem ante Sixtum V. hæc canonis particula ita ſe habebat. *Qui in terris ſuis noua Pedagia, ſeu gabellas ad id poteſtatem non habentes imponunt, vel augent*, &c. vnde excommunicabantur ſolum, qui erant efficiens cauſa iniuſta nouorum pedagiorum, ſcilicet ſi carerent poteſtate ea imponendi, Sixtus V. mutando verba extendit ad quoſcunque, qui in iniuſtis tributis peccarent, ſine ratione cauſæ efficientis, vt ſi carerent auctoritate ea imponendi, vel augendi, vt ſunt Marchiones, Comites, Barones recognoſcentes ſuperiorem, ex Proſp. Farinac. de furt. quæſt. 73. num. 66. & ſeqq. ſiue ratione cauſæ materialis, vt ſi imponantur ſuper rebus non permiſſis, vnde comprehenduntur etiam ſummi Principes habentes auctoritatem imponendi huiuſmodi

modi gabellas, ſi excedant debitum vtum ſuæ auctoritatis, ex Suarez num. 37. Graff. num. 80. Duardo quæſt. 6. quicquid ante Sixtum ſenſiſſet Nauarr. c. 27. num. 61. & ſanè merito, cum iam rari ſint, qui ex defectu poteſtatis in imponendis gabellis peccent, cum ſubditi ad Principes ſuperiores facilem habeant recurſum, à quibus coërceri poſſint immediati. Principes verò non recognoſcentes ſuperiorem poſſint facilius abuti auctoritate in oneribus imponendis, ideo Sixtus V. vt conſuleret indemnitati ſubditorũ, vtrorumque Principum, Canonis verba immutauit, quem cæteri Pontifices ſunt imitati. Principes autem non recognoſcentes in temporalibus ſuperiorem præter Papam, & Concilium generale, ſunt Imperatores, Reges. c. ſuper quibuſdam. de verb. ſignif. plures Ciuitates, & Reſpublicæ vt Veneta, Genuenſis, Lucenſis, & aliæ plures in Germania, quod habeant merum, & mixtum imperium, ex Roland. conſ. 93. Farinac. de furtis. quæſt. 173. num. 71. & ſeq. Tuſcho. v. vectigalia. concl. 33. num. 8. Tolet. l. 1. c. 21. num. 5. & quod tota ſupremorum Principum poteſtas illis tradita ſit à republica. quare multo magis poterit reſpublica ſuperiorem non recognoſcens ad ſui conſeruationem talia onera, & tributa imponere.

Auctoritate verò in his imponendis abutetur, qui vel ratione cauſæ formalis peccabit, vt ſi æqualitatem non ſeruat, v. g. ſi magis pauperes, quàm diuites grauet, cum æquitas potius contrarium exigat; vel ſi grauet eos, quos non poteſt, v. g. Clericos, & Monachos, qui ſunt exempti; vel exigant, abſque legitimo fine, vt ſi non imponantur ob publicum bonum, v. g. ad diſſoluendum æs alienum, ex Felino. c. cum dilecta. num. 20. de reſcript. ad reficiendos pontes, ad aſſecuranda itinera, &c. ex Toleto l. 5. c. 72. 73. 74. Bartolo l. 1. Cod. de vectig.

Quare etiam qui non recognoſcunt ſuperiorem temporalem, nõ poſſunt gabellas nouas imponere, aut veteres augere, & exigere, niſi in caſibus iure, aut Pontificis licentia permiſſis, aliàs in præſentem canonem incidũt. habet enim Papa in ordine ad ſpirituale bonum, indirectè etiam poteſtatem in aliorum Principum regna, vt docent Theologi. vnde videmus Gregorium II. prohibuiſſe, ne Itali ſoluerent tributa Leoni Iconomacho à ſe excommunicato, quem etiam Imperij parte mulctauit, vt ex eius vita conſtat; & Zacharias rogatus à Principibus Francorum, Childericum depoſuit. Videatur interim Suarez. d. 21. ſect. 2. num. 38. Sicut & alios eximere licitè poteſt à Tributis Principi debitis, ſi ad ſpirituale bonum id decens, & valdè vtile ei videatur, vt dixi Theor. 77. num. 6.

Veniunt autem nomine exigentium, Domini ipſi, qui imponunt, aut augent, & hæredes eorum, necnon conductores, ſen publicani, & officiales, ſeu eorum miniſtri ſtatuto loco exigentes, ſeu recipientes, ex Nauarr. c. 27. num. 61. Tol l. 1. c. 21. num. 7. Suarez n. 43. Sayro l. 3. c. 9 num. 8. 9. Alterio c. 4. verſ. ad hoc. Sæpe tamen huiuſmodi miniſtri ratione probabilis ignorantiæ à peccato, & excommunicatione excuſari poterunt, ex

Scortia.

Suarez num. 43. Alterio cit. cap. 4. in fine. Duardo can. 5. q. 11.

Pœnæ iure ciuili impoſitæ iis, qui tributa huiuſmodi ſine auctoritate imponunt, conſtant. l. 1. ff. ad leg. Iul. de ambitu. & l. fin. ff. ad leg. Iul. de vi public. nempe pecuniaria mulcta librarum 50. auri, perpetuum exilium, & infamia, & aliæ arbitrio Iudicis. Videndus Ferret. tr. de gabellis. num. 84. & Iodoch. in pract. c. qq.

THEOREMA 415.

SExtus Canon punit ſacrilegium eorum, qui falſant litte. Apoſtol. ſiue ſint bullæ, quæ amplo ſtylo ſcribi ſolent, & ſignari plumbeo ſigillo, ſiue Breuia, quæ ſimpliciori dicendi genere exarantur, & rubea cera Piſcatoris annulo ſignantur, ex Rebuffo. p. 2. Breuium Apoſt ac ſupplicationes gratiam, vel iuſtitiam concernentes, per ſumm. Pontificem, vel Vicecancellarium, ſeu gerentes eorum vices, aut mandato eiuſdem Romani Pontificis ſignatas; necnon fabricantium falsò Apoſt. litteras, etiam in forma Breuis, & etiam falsò ſignantes huiuſmodi ſupplicationes ſub nomine Rom. Pontificis, Vicecancellarij, aut prædictorum vices gerentium. Et antiqua eſt hæc cenſura, cum fuerit etiam ante Clementem V. ex Gloſſa Clement. I. de Iudiciis, & habeatur eriam lata ab Innoc. III. c. Ad falſariorum. de crimine falſi. licet & latius pateret, & non eſſet reſeruata.

Fert igitur Pontifex excommunicationem reſeruatam contra falſarios litterarum Apoſtolicarum abſque exceptione; ideo eſt generalis, cum dicat. *Omnes.* Num autem aliquando venialis eſſe poſſit mutatio, ex leuitate materiæ, ita vt non incurratur excommunicatio? Sunt opiniones. Negat Hoſtienſ. l. 5. tit. de crimine falſi. §. porrò. num. 3. Caiet. excommunicatio c. 27. in fine. Rebuffus loco cit. Alterius hic. cap. 2. Panor. c. ex litteris. num. 3. de fid. inſtrum. eo quod olim in priuilegiis conceſſis ſummo Pœnitentiario eſſet, vt poſſet abſoluere ab excommunicatione incurſa propter mutationem litteræ, vel puncti in litteris Apoſtolicis, non mutato ſenſu. Affirmat Nauarr. c. 17. num. 169. & cap. 27. num. 62. Suarez num. 46. Tolet. l. 1. cap. 22. num. 6. Angel. excõmunicatio 5. caſu. 3. Viual. num. 54. Sayrus l. 3. cap. 10. num. 11. Anton. 3. p. t. 24. cap. 16. Richar. 4. d. 18. art. 12. queſt. 4. Graff. num. 92. Vgolinus, ſi raſura, aut mutatione litteræ, vel puncti, non mutetur ſenſus Pontificis. Tum quia. c. ex conſcientia. de crim. falſi. habetur per raſuram bullæ in loco non ſuſpecto, bullam falſam non cenſeri. Non cenſetur igitur falſarius, qui litteram radit non mutato ſenſu. Tum quia olim quando prædicta facultas data eſt Pœnitentiario ex Hoſtienſi, in litteris bullæ cœnæ addebatur, *mutantes punctum, vel litteram in litteris Apoſt. &c.* Et iam illa clauſula ſublata eſt, ſimul cum facultate illa Pœnirentiarij.

Actiones autem prohibitæ duæ ſunt. Prima, falſare litteras Apoſt. id autem eſt, veras litteras Apoſt. ab earum ſyncera veritate mutare. Quare non comprehenduntur iubentes falſificari, ex Vgolino, & Graffio, quicquid ſenſerit Vinaldus, nec his falſificationibus fauorem

rem præſtantes, cum hi non exprimantur. etſi vtrique incidant in c. ad falſarjorum. de crim. falſi, ſicut vtentes falſis litteris, qui ſi laici ſunt, ibidem excommunicantur, ſi clerici, priuantur officiis, & beneficiis. Nec pariter hunc canonem incurrunt falſantes litteras Nuncij Apoſtolici, Datarij, Vicecancellarij, cum hæ non ſint litteræ Papæ, ex Toleto l. 1. c. 22. Graff. num. 96. Palud. l. 3. d. 18. q. 3. art. 2. Nauarr. c. 21. num. 6. Alterio hic, verſ. Hinc. Immò nec falſantes litteras Papæ, quæ iam euanuerunt, ſi remanent inutiles, vt prius. Secus ſi illa falſitate redderentur vtiles. ex Syl. excommunicatio 7. §. 4. num. 10. Vgolin. hoc loco, Rich. 4. d. 18. art. 12. quæſt. 4. Nau. c. 17. num. 169. Anton. 3. p. t. 24. cap. 16. Felin. c. ex parte. §. ſtylus. n. 20. de reſcript. Neque ſi dictas litteras quis falſet, antequam ſint ſigillatæ, & penitus abſolutæ, cum nondum verè dici poſſint litteræ Apoſtolicæ, Alterius. c. 4. dub. 6. Vgolinus, Duardus hic. quæſt. 6. num. 2. & conſtat ex illis verbis canonis. *Aut de mandato eiuſdem Rom. Pontificis ſignatarum.* Neque impetrans litteras ſubreptitias, tacendo veritatem, vel ſuggerendo Papæ falſum, comprehenditur hoc canone, ex Rich. Syl. Nau. locis cit. Caiet. excómunicatio. c. 26. Tolet. l. 1. c. 22. Alterio. c. 4. dub. 4. Suarez. num. 50. Graff. num. 88. cum non ſint mutatæ, ſed iaceant, vt datæ ſunt ex Curia. Nec denique hoc canone comprehenditur qui litteris Apoſt. per alium falſatis, vel falsò ſignatis vtitur, quod aliud ſit falſare litteras, aliud vti falſatis, & hic ſit ſolum ſermo de falſantibus, & fabricantibus litteras falſas. Vtentes verò falſis ſi ſint laici excommunicantur. c. cit. Ad falſariorum. de crim. falſi. ſi Clerici, priuantur officiis, & beneficiis, vt dictum eſt, & ſentit Syl. Caiet. c. 26. Nauar. c. 27. num. 62. Alterius. c. 4. dub. 5. Suarez. num. 48.

Secunda actio prohibita, eſt fabricatio falſarum litterarum Apoſtolicarum ſiue litteræ & ſigillum ſint adulterinæ, ſiue ſigillum ſit quidem verum, ſed aliunde extractum, & falſis litteris appenſum. de quibus c. licet. de crim. falſi. ſiue non extractum aliunde, ſed ſignatio ſit illegitimè facta, vt cum falsò ſignantur ſupplicationes Apoſtolicæ ſub nomine Rom. Pontificis, ſeu Vicecancellarij, aut gerentium eorum vices, ſed non de licentia, ſeu mandato prædictorum, ex cit. c. licet. §. illos quoque. & Vgolino.

THEOREMA 416.

HVius ſeptimi Canonis materia eſt eadem ac Conſtitutionis Nicolai V. quam expoſuimus Theorem. 102. nempe ſacrilegium quorumcunque infidelibus Chriſtiani nominis hoſtibus, aut hæreticis expreſsè, vel nominatim à Sede Apoſtolica declaratis impugnantibus Catholicos, ſubminiſtrantium arma, equos, lignamina, & reliqua ad belli vſum neceſſaria. Eiſdemque per ſe, vel alios nunciantium, quæ concernunt reipubl. Chriſtianæ ſtatum, & quæ apud Chriſtianos fiunt, in eorum damnum. Illiſque tertiò auxilium, conſilium, & fauorem ad id quomodolibet præſtantium. non obſtantibus priuilegiis quibuſcunque. eaque etiam de re agi-

tur. c. ita quorumdam. de Iudæis. & ibidem c. significauit. c. quod olim. c. ad liberandum. extrauag. Ioan. XXII. *copiosius*, & extrauag. *multa mentis*. in extrauag.communibus. tit. de Iudæis. Quare hæc excommunicatio antiqua est, eiusque meminit Glossa Clement.I.de Iudiciis.& vindicatur etiam scelus hoc legibus ciuilibus, vt notaui Theor. 102. Videndusque Nauar. tom.4.c.ita quorundam.de Iudæis. Not.1.num.8.

Porrò cum Saraceni nomen aliquando sit gentis à Saraca Arabiæ vrbe, aliquando sectæ ex Theor. 73. hoc loco significat omnes, qui impiæ, & nefariæ sectæ Mahometis inhærent, siue Turcæ sint, siue Persæ, siue Tartari, seu Africani, & Mauri, in Christianæ religionis odium tamquam eius hostes, actu vel habitu Christianos impugnantes,vt etiam capi solet in toto iure canonico, vt aduertit etiam Azor. t. 1. l.8. c. 23. quare Pontifex hoc canone 7.per Turcas,& Saracenos intelligit omnes gentes, quæ Mahometis impietatem sectantur.

Quæres an eadem deferentes ad Ethnicos, seu Paganos comprehendantur hoc canone. Respond.licet non contineantur nomine Saracenorum, si tamen actu, vel habitu bellum cum Christianis gerunt, eis vetita deferentes esse pariter excommunicatos cum Canon dicat. & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel hæreticos,&c. quo circa hæc etiã deferentes Iudæis eadem de causa, excommunicationem incurrunt. Nau. c. ita quorundam. de Iudæis not.4. num.17. sin verò sint Christianorum amici, vt sunt in India Orientali plures, transmittentes, vel deferentes talia, non incurrunt. ex Azor loco cit. quæst. 4. Alterio hoc loco.c.2.

Sed quid, si deferantur quidem arma ad Saracenos, sed illos, qui Christianos iuuant contra alios Saracenos, aut Paganos bellum gerentes? Respond. Azor quæst.8. Alterius c. 2. quæst.4. Nauarr. vbi supra Not.4. num.15. non esse locum excõmunicationi. licet enim sint Sataceni, Christiani tamen opem, & auxilium ferunt contra Christianorum inimicos; idcirco si potest Christianus Turcas, & Saracenos in suum auxilium vocare, ex Caiet. 2. 2. quæst. 40. art. 1. Valentia d.3. quæst. 16. puncto 2. vers.4.Molina d. 112. Duardo. l.2. can.1. quæst.36. num. 18. & patet ex Iosaphat. l.4. Reg. cap.3. etiam prius consulto Domino,& Machabæis.l.1.c.8.inito fœdere cum Romanis.liberum quoque eidem erit, eis arma,& equos ministrare, quibus adiuuetur.

Donantes vel vendentes, seu deferentes prædicta Saracenis degentibus in terris Christianorum non comprehenduntur hoc canone, quando illis impugnare non valent Christianos,& Catholicos. secus si probabile sit data occasione illis vsuros contra Catholicos vel transmissuros extra Imperium Principum fidelium ad Saracenos hostes Christianorum, vt facilè contingere potest in Vngaria, & aliis Prouinciis vicinis.cum enim tunc non cesset ratio legis, nec lex ipsa cessabit, ex Azor. q.7. Vgolin. num. 8. Sayro c. 11. n.26. Nauar. c. ira quorumdam. not. 4. num.14.& not.10. num.41. de Iudæis. Alterio hic c.2. q.3. Duardo quæst.7.& 18.

Transf

Transmittentes autem eadem Christianis in Saracenorum terras, vt ea occulta teneant in perniciem Saracenorum, non incurrunt excommunicationem, cum non tradant Saracenis, sed Christianis in illorum perniciem; vt si Christianus Princeps fidelibus in Epirum arma transmitteret, ex Azor quæst.6. Alterio hic. cap. 3. Secus si transmitterétur Christianis vendituris Saracenis, Azor q.5. Vgolin. num.6. Alterius cap.3. Nauar. d. not.4. num.2. Duardus q.6.cum verè mediatè sint delata hostibus, & Saraceni illa ad libitum habere possint ad Christianos impugnandos.

Vendentes arma infidelibus in terris Christianorum, non comprehenduntur hoc canone, ex Tolet. l.1. cap.23. num.3. Caiet. excom. cap.20. Nauarr.not.10.n.41. Sayro num. 26. cum in pœnalibus verba sint propriè interpretanda, & vendere hæc in terris Christianorum non sit deferre, vel transmittere infidelibus, licet oppositum sentiat Alterius. c.3. quæst.4. & Duardus. quæst. 18. si vendens credat,aut credere debeat ea transmittenda ad terras infidelium.

Nautæ quoque deferentes à Christianis Prouinciis Saracenos cum suis armis ad illorum terras, non sunt excommunicati ex Sylu. excom.7. num.64. vers. nec tertiò. Angel. excom.5. casu 21. Nauarr. not.8.num.28.29. cum non dicantur deferre arma, sed homines.

Equorum verò nomine tam mares,quàm fœminæ intelligũtur.l.1. ff. de verb. sig. & Rebuffo hoc loco, siue apti sint ad prælíandum, siue ad Sarcinas deferendas, currus trahendos; vel etiam pulli, cum suo tempore contra Christianos inseruire possint; siue claudi, debiles, morbosi, cum sit verbum generale, & tales equi curari possint. nec refert an Christiani tales morbosos emerint ab ipsis hostibus, & curauerint; fortes enim effecti licitè non possunt eisdem iterum donari, & vendi, sicut nec cæteri. Nauarr. cap. 27. num.63. versu 3. Sayrus cap. 11. num. 27. Azor. p.1. l.8. cap.23.q.9. Vgolin. hic. Alterius cap.7. Duardus q.19. Graff. num.101.

Dubitari potest de Mulis, Camelis, Asinis, cum non sint equi. Sentiunt tamen hæc submínistrantes hostibus comprehendi hoc canone Suarez d.21. num.52. Graff. num.101. Sayrus cap.11. num.27. Alterius.cap.7.Duardus. quæst.19. quod etiam concedit Nauarr. cap. Ita quorundam. cap.5. num. 27. si adsit mala intentio, vt cótra Christianos deseruiant, quæ exceptio cæteris non placet, cum ex Sylu. excom.7. in his prohibitis attendi debeat res delata, & non intentio. Simpliciter itaque in Canonem incidunt ob illam clausulam (*aliaq; huiusmodi, quibus Christianos*, &c.) cum hæc animalia plurimum in bello iuuent. ob quam etiam clausulam docet Vgolinus hic, & Suarez num.53. prohiberi etiam delationem habenarum, sellarum, cingulorum, solearum, quibus equorum vngulæ muniuntur,currum, & similium. & meritò, cum accessorium sequatur naturam principalis. cap. accessorium. de reg. iur. l.6.

Per arma ex Rebuffo hoc loco. Suarez num.53. Tolet.cap.23.n.5. Syl. excom.7. num.59. Tabien.excom.6. num.1. Sayro cap.11.n.28.

Nauarr. not. 5. n. 13. Graff. n. 102. Azor. p. 1. l. 8. cap. 23. quæſt. 10. intelligere debemus, tum offenſiua, haſtas, gladios, ſclopetos, bombardas, balyſtas, tela, globos, ollas igneas, & ſimilia, non autem gladios ad panem ſcindendum, acus, nouacula, falces, ſcalpella, cum hæc non ſint inſtrumenta bellica, niſi in tanta quantitate deferrentur, vt eſſe poſſent materia inſtrumentorum militarium, ex Panorm. in c. Clerici. 1. de vit. & honeſt. cler. Nauar. not. 5. n. 12. & 25. tum defenſiua, loricas, galeas, ſcuta. l. armorum. ff. de verb. ſig. & l. 3. §. armis. ff. de vi, & vi atm.

Ferri quoque appellatione intelligitur non tantum factum, & formatum iam ſub quacumque forma, ſed & infectum, dum eſt rudis, & impolita maſſa, iuxta. l. Nemo. Cod. quæ res exportari non debeant. Quid de ipſa vena ferri? Nauarr. cit. cap. ita quorundam. de Iudæis. Not. 6. num. 9. & in Manuali cap. 27. nnm. 63. Duardus q. 21. num. 4. Alterius cap. 6. dub. 2. Graff. num. 103. negant comprehendi ſub ferro infecto. Oppoſitum ſentit Sylu. excom. 7. nu. 59. Suarez num. 55. Vgolinus hic. v. ferrum. num. 4. Sayrus nùm. 25. Azor cit. cap. 23. q. 11. tum quòd vena ferri ſit formaliter ferrum, etſi cum terra permixtum, cum liquefactione ſolum congregentur omogenea, & ſegregentur heterogenea. Tum quia inutilis redderetur hæc prohibitio delationis ferri, ſi liceret deferri venam ferri; ea enim habita, facilè & ferrum, & Chalybem, & arma contrà Chriſtianos infideles conficerent. Sed res minoris eſt momenti. nam licet vena ferri formaliter non eſſet ferrum, eam tamen deferentes ad Saracenos excommunicati eſſent ob ſequentem clauſulam, ac ipſam materiam eorundem quancumque & alia vſui bellico idonea.

Prohibetur etiam delatio fili ferri, eiuſdemque tranſmiſſio. quod dicitur additum à Paulo III. & non habetur in bulla Clementis VII. vſus eius in bello eſſe poteſt in bellicis inſtrumentis firmandis, & reſarciendis, in conficiendis catenulis, quæ ex ſclopis, & bombardis emiſſæ ſolent exercitibus magnam perniciem importare. Sic etiam ſtamni, cum ex eo fieri poſſint ſcloporum globuli, vt fiunt ex plumbo, quod ſtamnum nigrum dicitur; & cum ære mixtum fiat cuprum, materia bombardarum, aliiſque vſibus queat inſeruire. Sic etiam delatio chalybis, qui potiſſimum adhibetur in armis fabricandis, eſtque genus ferri purioris noua liquatione. Et cæterorum metallorum, de quibus Iſidorus. l. 16. cap. 16. etym. Luc. de Penna in Rubr. Cod. de metall. l. 11. Plinius. l. 34. Rodulphus Agricola. de foſſilibus.

Dubitabis, an ſi quis ad Saracenos, &c. deferat ferream ſartaginem, vel ollam ex ære, ferro, cupro, incidat in hunc Canonem? Exiſtimo non incidere ex leuitate materiæ; ſecus ſi in ea quantitate deferret, vt probabiliter credere teneretur futurum, vt iis infideles vterentur ad bellica inſtrumenta facienda aduerſus Chriſtianos, vt de gladiolis, & ſimilibus dictum eſt. de qua re Abbas in cap. clerici. de vit. & honeſt. cler. Sayrus. l. 3. cap. 11. num. 22. Alterius d. 8. l. 5. cap. 7.

Sed

Sed vtrum argentum, & aurum conflatum in pecuniam hoc loco veniant etiam nomine metallorum, quæ hic prohibentur ad hoſtes nominis Chriſtiani deferri? dubitandi ratio eſt, quia communi vſu loquendi pecunia non venit metalli nomine. l. cum aurum. l. Quintus Mutius 2. §. 1. ff. de aur. & arg. leg. Reſpondet Suarez. n. 54. aurum, & argentum poſſe habere & rationem materiæ armorum, vt ſi fierent ex eis loricæ, vt olim factæ ſunt, ex Machabæorum hiſtoria, quo caſu metalli nomine comprehenderentur, vt etiam materiæ armorum; & rationem formalem pecuniæ, quæ eſt generale inſtrumentum ad cõtractus omnes contrahendos. eóque caſu ad prædictos hoſtes tranſmittens pecunias incurrerer excommunicationem latã verbis illis generalibus, *aliaq; huiuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant*; cum pecuniæ ſint nerui belli. & illis. *ad id auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtant.* Excipitur tamen debitor, ſi pecuniam reddat v. g. vel ſi Saracenorum imperio ſubditus, aut hæreticorum, debito tempore tributum ſoluat, ex Vgolino n. 5. & Duardo quæſt. 22. num. 8. aut ſi Chriſtianus Princeps non valens viribus hoſtium reſiſtere, bellum pecunia à Turcis redimat.

Quæres quænam intelligantur per inſtrumenta bellica? Non intelliguntur bombardæ, & ſimilia, cum comprehendantur armorum nomine; ſed tubæ, fiſtulæ, cornua, timpana, quibus excitantur ad pugnam milites, ex Nauarr. c. 27. num. 63. §. ſexta. Sayro cap. 11. num. 30. corui, id eſt manus ferreæ ad retinendas naues, ne poſſint effugere, ſcalæ ad muros, & naues conſcendendas, currus, &c. ex Alterio cap. 7. Vgolino hic. v. bellica inſtrumenta. Duardo q. 24.

Appellatione verò lignaminum intellige non ſolum, quæ inſeruire poſſunt ad triremes, & naues fabricandas, quorum eſt mentio, cap. ita quorundam. & cap. ad liberandam. de Iudæis. extrauag. copioſus. Io. 22. & extrauag. multa. inter communes de Iudæis; ſed etiam ea, quibus ædificari poſſunt inſtrumenta bellica, offenſiua, & defenſiua, & rotæ ad vehenda tormenta bellica, currus, ſcalæ, &c. cum dicatur, lignamina (indefinitè) quibus Turcæ Chriſtianos impugnant, & non fiat reſtrictio ad lignamina apta nauibus, & triremibus fabricandis, ideo hæc etiã deferentes erunt excommunicati ex Vgolino, Alterio, Duardo q. 25. Tolet. cap. 23. num. 6. Azor c. 23. cit. quæſt. 12. Secus ſi ſolum defetant ad panem coquendum, & ſimilia miniſteria domeſtica, ex Syl. excom. 7. num. 56. Tolet. loco cit. Tabiena excom 6. num. 3. Angel. excom. 5. §. 1. Nauarr. cap. 27. num. 63. verſu. ſexta. Etſi etiam in eis deferendis poſſit quis aliquando in eandem excommunicationem incidere, vt ſi deferat tempore belli, ad comburenda Chriſtianorum caſtra, & vibes; ad erigendum contra eosdem Turcarum aggeres & vallum, ex citatis auctoribus.

Dubium eſt de ipſiſmet nauibus, & triremibus, num ſub lignaminum nomine contineantur. Negat Caiet. excom. cap. 20. & Duardus quæſt. 26. quod appellatione lignaminum non veniant confecta, & conſtructa ex eis. licet eas

defe

deferentes incidant in excommunicationem ob actionem illius clausulæ. *& alia huiusmodi, quibus Christianos impugnent.* Affirmant autem Nauar. cap. ita quorundam. de Iudæis nor. 7. num. 14. & 20. Sayrus c. 11. num. 31. Tolet. Vgolin. Alterius, quia, qui defert triremes, lignamina triremium defert, & non qualiacumque, sed iam in triremes compacta, & commodiora ad bellum, cúmque Pontifex vetet sub excommunicatione materiam rei artificialis, ne res ipsa haberi possit, à fortiori vetat rem ipsam iam factam, iuxta axioma illud Arist. 1. post. cap. 2. *propter quod vnumquodq; tale, & illud magis.* In specie autem naues, triremes, & machinas infidelibus vendi vetuit Innoc. III. c. ad liberandam, de Iudæis. vt & docentibus Barbaros eas construere, Honorius, & Theodosius. l. is qui. Cod. de pœnis. capitale supplicium constituerunt.

Prohibita est etiam à Paulo III. delatio cannabis, qui velorum materia esse solet, & funium, & scalarum nauigiorum, nec non funium ipsorum deportatio ex qualibet materia, puta lino, stuppa, lana, herba, immo materiæ eorundem, qui vsui esse possunt in bello, ex Nauar. cap. 27. num. 63. Azor loco cit. Sayro num. 32. Vgolino, Alterio hic cap. 7. & reliquorum huiusmodi, & sulphuris, nitri, & similium, quibus Turcæ impugnant Christianos.

Secundo loco ex instituto Greg. XIII. vetat hoc eodem §. 7. per se, vel alios Catholicæ religionis hostes certiores reddere de rebus concernentibus statum Christianæ religionis in eiusdem perniciem. & ad incurrendam hanc excommunicationem duo requiruntur. Primò, vt hostes prædictos certiores reddant de concernentibus Ciuitatis, Prouinciæ; Regni, seu Reipub. Christianæ statu, ex Vgolino hic, Duardo q. 30. Graff. num. 105. Sayro cap. 11. num. 35. Alterio. cap. 9. Secus si certiores fiant de mercatura, & similibus non pertinentibus ad statum religionis. Secundò, vt quod nunciatur, cedat in damnum Christianorum, vt si Christiani exercitus molientis inuadere Turcas, aut hæreticos, nutu, signo, verbo, litteris, nunciis, quis eos moneat. quod etiam crimen leges ciuiles capitali pœna puniunt. l. omne delictum. §. exploratores. ff. de re militari. aut doceat castrum aliquod Christianorum malè custoditi, non esse munitum, tali tempore, aut via posse occupari. mittentes tamen litteras, vel nuncios, sicut nec actu ferentes excommunicationem incurrunt, nisi litteræ, aut secreta deuenerint ad hostes; ideo si litteræ in via amissæ fuerint, vel nuncij capti, antequam ad hostes peruenerint, nondum in excommunicatione sunt, etsi iam peccauerint, vt docet Vgolinus, & ideo absolui poterunt, quod nondum secreta hostibus sint patefacta. Secus verò, si prædicta secreta fuerint infidelibus reuelata, licet nihil damni Christianis actu sequatur quippe cum illico ex reuelatione, nulla alia expectata conditione, incurratur excommunicatio, si res reuelata solet hostes mouere ad Christianos impugnandos.

Quid si quæ reuelantur, iam nota erant hostibus? Respond. Alterius meo iudicio optimè. cap. 9. & Vgolinus (quidquid senserit Duardus.

Duardus quæſt. 33.) etiam eo caſu reuelantem, excommunicationem contrahere, licet hæc denunciatio per accidens, actu nihil obfuerit. Inſpicienda eſt enim actio principalis, quæ prohibetur, nempe denunciare infidelibus res ſpectantes ad ſtatum reip. Chriſtianæ, quæ in eiuſdem perniciem ſolent vergere, quod ſanè ſit etiam in propoſito caſu. fuit enim per accidens, vt ea iam eſſent hoſtibus manifeſta, aliàs etiam arma, & equos deferentes ad eoſdem (ſi actu iis fideles non impugnantur) excommunicationem non contraherent, cum pariter addatur. *quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant.*

Quæres an ſi Chriſtiani ab hoſtibus in quæſtione torti, vt reuelent res pertinentes ad ſtatum Chriſtianæ religionis, ſi propalent, incidant ne in hanc excommunicationē? Affirmat Vgolinus, & Alterius. cap. 9. quæſt. 2. quia reuelando prædicta bullam violent, & iure naturali ſit potius priuato moriendum, quàm Chriſtianæ reipublicæ præiudicandum, cum commune bonum ſit anteponendum priuato. Negat Duardus q. 32. quòd, qui vi tormentorum coacti huiuſmodi ſecreta nociua manifeſtant, ſecundum rigorem ſermonis non dicantur facere hoſtes certiores, quod hoc Canone prohibetur, vt eſt, cum quis nuncio. v. g. aut litteris alteri aliquid nunciat, ſed potius ſit hoſtes tormentorum vi ſecreta ab eis extorquere. l. edictum ff. de quæſt. vnde eſto prædicti mortaliter peccent contra ius naturale, quo tenemur propter Deum, & religionem mortem ipſam, ſi neceſſe ſit, contemnere, non video tamen adhuc cur ſit neceſſe ad hos etiam miſeros extendere excommunicationem cum ex proprietate verborum non conſtet includi, & in pœnalibus ſtricta facienda ſit interpretatio.

Tertiò denique ad eos Pontifex extēdit excommunicationem, qui iiſdem (hoſtibus ſcilicet, & non Chriſtianis, reuelantibus, ex Suarez nu. 57. Duardo quæſt. 34. num. vlt. Alterio cap. 10. & Vgolino) auxilium, conſilium, vel fauorem ad id (nempe damnum, & perniciem Catholicæ religionis) quomodolibet præſtant. ſiue directè, vt ſubminiſtrando infidelibus milites, magiſtros nauium, & armorum, &c. ſiue indirectè, vt ſi Princeps, è ſuis portubus extrahi deferenda ad Saracenos cōtra Chriſtianos patiatur, vel ſinat hoſtes per ſuas terras in Chriſtianorū perniciem tranſire, cum eos prohibere poſſit, vel eos defendat, cōmeatum præſtet, præberiue conſentiat, vel ræum habeat. ex Vgolino. Quare ex citatis horum verborum ſenſus eſt, excommunicari etiam tertio loco omnes, qui quomodolibet dant auxilium, conſilium, & fauorem Saracenis, & hæreticis in Catholicorum damnum. non autem ille, in excōmunicationem incidere omnes illos, qui auxilium dant, conſilium, & fauorem Chriſtianis, vt aperiant ſecreta Catholicæ reip. infidelibus. ex hoc ſequitur excommunicationem ex cauſa reuelationis comprehēdere ſolum ipſos reuelantes, non autem dantes ad id auxilium, conſilium, & fauorem. Et ſanè prior ſenſus magis religioni fauet, & conformior eſt iuri communi, dum agit de conſulentibus, auxiliantibus, fauentibúſque prædictis hæreticis, &

Scortia.

infidelibus contra Catholicos. vt cap. quod olim. cap. ad liberandam. de Iudæis. & Io. XXII. extrauag. *Copioſus*, & extrauag. *Multa*. de Iudæis in communibus.

Sed eſt hoc loco grauis difficultas, an Chriſtiani à Turcis capti, & remigio addicti, ſi verberum, cruciatuum, & mortis timore iuſſi remigent contra Chriſtianos, vel in bello hoſtes iuuent ad munienda caſtra, ædificanda propugnacula, vallum, pontes aduerſus Chriſtianos peccent mortaliter, & incurrant cenſuram hanc latam contra auxiliantes hoſtes Chriſtianorum? Qua in re dicendum primò, quoad peccatum mortale ſententiam eſſe Nauar. cap. 27. n. 63. & cap. Ita quorundam. de Iudæis. not. 11. num. 9. 11. 14. 18. & Conſil. 31. de ſent. excommunicationis. Toleti. l. 1. cap. 24. Pedrazæ præcepto 7. nu. 29. Suarez de 21. ſect. 2. num. 60. & ſeq. Graff. p. 1. l. 4. c. 18. num. 69. Vgolini hoc loco §. 7. Sayri l. 3. cap. 7. num 8. Comitoli t. 1. l. 5. quæſt. 8. Salas de legg. d. 11. ſect. 1. num. 5. eos peccare mortaliter, quòd cooperentur ad mortale peccatum hoſtium, contra Chriſtianos, ſicut, qui daret auxilium volenti aliquem occidere, quod neque etiam mortis metu licet: Oppoſitũ probabilius videri Molinæ d. 115. Cordubæ in ſum. q. 173. P. Nauar. l. 3. de reſtit. cap. 4. n. 62. Azorio t. 1. l. 2. cap. 17. quæſt. 6. & l. 8. cap. 23. quæſt. 17. & t. 3. l. 2. c. 3. Emanueli Sà. v. peccatum. num. 9. Alterio d. 8. l. 1. cap. 10. Duardo can. 3. quæſt. 13. Sanchez l. 1. de matri. n. d. 31. Lopez p. 1. cap. 60. Leſſio l. 2. cap. 9. dub. 18. num. 122. & cap. 13. dub. 3. nu. 30. Vazquez. de reſtit. cap. 9. §. 1. Bonac. de reſtit. d. 1. quæſt. 2. p. 10. prop. 1. n. 4. Tum quia non peccant neque contra iuſtitiam, cum remigatio non ſit actio ſua natura Chriſtianis perniciosa, ſed indifferens, ſicut aurigatio, cum nihil ſit aliud, quàm delatio nauis, & triremis per mare, qua Turcæ bene, & malè vti poſſunt. quod autem in Chriſtianorum damnum cedat, eſt ex malitia Turcarum. ideo captiui ſuppliciis remigare coacti, cum id non ſponte faciant, non cenſentur cooperari in Chriſtianorum damnum, ſicut nec qui timore mortis reddit enſem depoſitum furioſo cenſetur cooperari ad necẽ, quam furioſus vult inferre inimico. & auriga, qui dominam vehit ad locum adulterij, non cenſetur ei cooperari, eodem Nauarr. teſte, qui etiam excuſat ſeruam, quæ iubente domina, eius amaſio oſtium aperit, & lectum ſternit dormituro cum domina, & c. de pœnit. & remiſſ. conſil. 6. & in Man. cap. 17. num. 95. eò quod non omnis iuuans cum, qui peccat, dicatur peccantem iuuare, adeo vt etiam ipſe peccet, etſi in eo iuuet, ſine quo ille non peccaret, ſicut v. g. non meretricaretur meretrix, niſi comederet, biberet, veſtes haberet, domum habitaret, & tamen non ob id peccat, qui ei vendit panem, vinum, veſtes, & locat domum. & l. 4. reg. cap. 4. non peccabat Nahaman, dum Principi ſuo idola colenti inſeruiens, & illius imbecillitatem ſuſtentans, vnà cum eo ſe inclinabat. quare idem dicendum de remigibus, & ferentibus ſcalas, ſarcinas, pontes, &c. Secus de iis, qui ænea tormenta in Chriſtianos dirigunt, & explodunt, & pugnant, quia directè inferunt

runt damnum : Neque peccant contra charitatem, cũ nemo obligetur ex charitate exponere ſuam vitam mortis periculo, vt ſeruet vitam, & bona proximi præſertim cum probabiliſſimum ſit, id fruſtra futurum. licet enim vnus, aut pauci ceſſarent, cæteris tamẽ remigantibus, æquè Chriſtianis damnum eueniret. Si quis tamen putaret ſuo exemplo, & cohortatione poſſe obtinere, vt ceſſarent omnes, & conſequenter impedituros graue damnum Chriſtianæ claſſis, Ciuitatis, regni, is tunc ex Charitate teneretur, etiam cum mortis periculo ceſſare, ex Molina, Azorio, Leſſio, cum bonum publicum præualeat priuato, ex S. Thom. 2. 2. quæſt. 25. art. 4. Secus ſi damnum non ſit futurum magnum. Tum quia praxis ſacerdotum, qui in Africa, & alibi curam Chriſtianorum gerunt ; id confirmat, cum eorum excipiant confeſſiones, & ad Euchariſtiam accedentes recipiant, quamuis non proponant abſtinere à remigando. Non imminente autem periculo mortis, aut notabilis detrimenti, tenentur remiges iſta vitare, quia illa verè cedunt in Chriſtianorum damnum (etſi alterius malitia) cum vnuſquiſque ſi commodè poſſit, teneatur impedire damna, quæ iniuſtè proximis inferuntur, nedum non cooperari, etiam per accidens, ad illa, ex Molina, Azor, & aliis. Ad argumentum autem prioris ſententiæ, reſpondetur remigationem eſſe actionem non per ſe, & intrinſecè malam, ſed indifferentem. vnde non comprehenditur ſub illa regula, *non ſunt facienda mala, vt eueniant bona.* ob id non dicuntur Chriſtiani remiges cooperari iniuſtæ actioni Turcarum bellantium contra fideles, aut eis opitulari, ſed potius dici debent ſuum exequi munus indifferens, licet ab hoſtibus ordinetur ad malum finem, intentioni remigum omninò repugnãtem. ita Molina, Azor, Pet. Nau. Alterius, & alij.

Dicendum ſecundò quoad excommunicationem, multo minus remiges prædictos incidere in hanc excommunicationem, cum non incurratur excommunicatio abſque peccato mortali, quod etiam ſentiunt multi ex iis, qui ſenſerant eos peccare mortaliter inxta priorem opinionem, vt Nauarr. c. 27. num. 63. & cap. ita quorundam not. 11. num. 18. de iudæis, Toletus, Paulus Comitolus, Graff. can. 3. num. 69. Sayrus cap. 7. num. 8. Pedraza præcepto 7. num. 29. licet eorum aliqui velint prædictos non effugere excommunicationem. c. ita quorundam. citati, quæ non reſeruatur. quamuis Suarez ſentiat eſſe eandem rationem vtriuſque. Illorum fundamentum eſt, quia non ſit credendum Eccleſiam piam matrem velle, in tali mortis periculo excommunicare remigantes, cum humana præcepta non ſoleant tam arctè obligare.

Tandem reuocantur omnia priuilegia, quibuſuis Principibus, Dominis, perſonis priuatis, & Rebuſpub. conceſſa ab Apoſtolica Sede, quorum aliqua refert D. Antoninus. 3. p. cap. 10. Tab. excom. 6. n. 5. Sylu. excom. 7. num. 58. Toletus l. 1. cap. 23. num. 10. Sayrus. l. 3. cap. 11. num. 36. Negat autem Toletus ibidem hoc §. derogari priuilegiis aliquibus conceſſis à Sede Apoſt. exercendi cum infidelibus (exceptis armis, ferro, &c.) com-

mercia vetita alioquin iure communi. cit. cap. ita quorundam. & cap. quod olim. & cap. significamus. de Iudæis. & extrauagant. *multa mentis*. eodem tit. cum de deferentibus merces, & similia, nulla fiat hoc loco mentio; sed solum tollantur priuilegia, si quæ concessa sint, deferendi arma, & alia prohibita; ad bellum idonea. Videndus Nauar. cap. ita quorundam. de Iudæis not. 1. num. 13. Alterius cap. 11. d. 8. l. 5. Syl. loco citato.

THEOREMA 417.

EXcommunicantur §. 8. impedientes, cuiuscumque sint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, tam Ecclesiastici, quàm sæculares, deferri victualia, & alia necessaria ad Rom. Curiam, & censura hæc reperitur etiam lata in bulla cœnæ Martini V. apud S. Antonin. 3. p. t. 24. cap. 72. quare excommunicatio est vniuersalis, cum Christianos omnes contrafacientes comprehendat.

Actiones principales prohibitæ sunt hæ. Prima, impedire. v. g. blanditiis, precibus, fallaciis, mendaciis, machinatione, ad Rom. Curiam deferentes victualia, & alia necessaria, equos, mulos, hordeum, fœnum, ligna, vestes, calciamenta, medicinas, iuxta. l. v. victus. & l. cætera. ff. de verb. sig. & similia, vt si quis mentiendo itinera non esse tuta à latronibus, reuocet aliquem ab his deferendis. Secundò, inuadere deferentes. est autem inuadere, cum quis vi, & impetu aliquē aggreditur, vt eum cogat ab huiusmodi delatione desistere. Per Curiam autem Rom. non intelligitur Roma, vel Romanus populus, sed locus, vbi sit Sedes Apost. siue Roma sit, siue locus alius, & vt Curia dicta est à cura, ita à Curia dicti sunt Curiales; & sunt ij, qui ibidem Papæ negotia curant, & tractant, ex Caiet. Toleto, Alterio l. 5. d. 9. cap. 1. & hæ duæ actiones sunt contra personas ipsas adducentes, sequentes sunt contra res ipsas, adducendas videlicet. Tertiò, prohibere ne prædicta ad curiam adducantur, vt si quis præcipiat, ne similia deferantur. Quartò, reipsa impedire prædictarum rerum adductionem, vel saltem. Quintò, perturbare, confundere, ac difficultates excitare, ne quæ parabatur delatio, effectum consequatur. ob id hac excommunicatione & personis adducentibus, & rebus afferendis prouidetur, vt notāt Caiet. v. excommunicatio. cap. 19. Sayrus l. 3. cap. 12. num. 2. Altetius l. 5. d. 9. initio, & cap. 3. Sed in impedimentis exhibitis adducentibus, incurretur prędicta censura, quamuis adducentes non destiterint à necessariarū rerum adductione ad Curiam; In exhibitis autem rerum ipsarum delarioni, non est locus excommunicationi, & censuræ, nisi secuto effectu impedimenti, ita vt victualia, & alia necessaria, reipsa ad Curiam adducta non fuerint; quod v. g. prohibitum fuerit extrahi è suis terris, commodari iumenta ad ea deferenda, non concessus transitus, &c. Accessoria autem actio vnica est, defendere, vel protegere per se, vel per alios, illos, qui hæc committunt.

Illud tamen norandum primò est, in hac excommunicatione non comprehendi mandantes, sed facientes, cum hi diuersi sint, ideo

excom

excommunicans facientes non includit mandantes, ex Nauar. c.27. num.51. Caiet. v. excommunicatio in principio. Deinde nec ligari, qui ſolum per accidens impediunt adduci neceſſaria ad Curiam Romanam, v. g. ſi Prorex Neapolitanus, vt verè conſulat ſuæ ciuitati, prohibeat extractionem victualium, ex mox citandis. Sic neque ſi peſtis tempore prohibeat, ne quis reuerſurus, Romam eat, ex Caiet. excommunicatio. c. 19. Nauarr. c. 27. num. 64. Graff. num. 110. vel ſi paterfamilias vetet filium Romam deferre frumenta, ob periculum latronum, vel meretricum, ex eodem Graffio, & ita in cæteris, quãdo inuadens, vel impediens vtitur iure ſuo, & impedimentum eſt iuſtum, & legitimum, cum in hoc canone prohibeatur ſolum iniuſta inuaſio, & impedimentum. Videndus Baldus. l. 1. Cod. de his, quæ pœn. nom. Gloſſa. c. 1. v. inferatis. de ſtatu monach. Sayrus. l. 3. c. 12. num. 4. Alterius l. 5. d. 9. c. 4. Suarez num. 63. 64.

Extat hac etiam de re. §. 2. in bulla Gregorij XIII. quæ incipit. *Inter.* in quo decreuit pœnam excommunicationis reſeruatæ, rebellionis, læſæ maieſtatis, amiſſionis feudorum, & ſuſpenſionis priuilegiorum, contra Barones, & alios, qui per ſe, vel alios directè, vel indirectè prohibent, aut perturbant, quo minus frumenta, aut fruges à quibuſuis perſonis Romã deferantur, vt dixi Theor. 341.

THEOREMA 418.

NOnus Canon, qui habebatur etiam in bulla Martini V. ex S. Anton. loco cit. & Syl. excommunicatio 7. n. 68. cõtinet excommunicationem contra quoſcunque, qui ſua, aut aliorum opera interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent accedẽtes ad Apoſtol. Sedem, & recedentes ab ea: nec non omnes illos, qui nulla iuriſdictione ordinaria, aut delegata, à Papa, vel inferioribus Iudicibus ſuffulti, illam ſibi temere vendicantes ſimilia exercere audent contra eos, qui in prædicta curia morantur.

Vbi notandum eſt Primò, conſultò dictum eſſe. *ad Sedem Apoſt. accedentes, ſeu venientes*, non autem Romam, quod multi Romam ire poſſint, qui formaliter ad Sedem Apoſtolicam non eunt, ſed ad ſua particularia, & ſæcularia negotia peragenda. Et è contra aliquos ire ad Sedem Apoſtol. & non ire Romam, ſi cõtingeret ſummum Pontificem, & eius Curiam Romæ non degere, vt notat Suarez num. 65. Tolet. libro 1. cap. 25. num. 2. Alterius c. 2. dub. 4. Nauarr. cap. 27. num. 65. Sayrus l. 3. cap. 13. num. 3. Voluit enim Pontifex prouidere ſecuritati eorum, qui coguntur pro ſuis negotiis formaliter cum Apoſtol. Sede, & Curia agere, ne veriti veniendo, vel recedendo aduerſariorum, & perditorum inſidias, ab itinere retrahantur. Ideo materia huius cenſuræ intelligi debet de euntibus formaliter ad Sedem Apoſtol. id eſt ad negotia, cauſas, & res pertinentes ad illam, pertractandas, vel quomodolibet gratia illius.

Notandum ſecundò, merito dictum eſſe *accedentes, & recedentes*, tum quia priuilegium datum ad eundem cenſetur etiam datum ad recedendum, Gloſſa. c. quia diuerſita

ſtratem. §. tempus etiam de cõceſſ. præb. & c. fin. de treuga, & pace. & l. miles, & l. qui mittuntur. ff. ex quibus cau. ma. Tum quia aliter non eſſet ſatis prouiſum accedentibus ad Sedem Apoſtol. ſi expeditis negotiis redeuntes offendi poſſent, cum iuxta Abbatem. in c. Ego N. de Iureiur. num. 5. non ſecurè veniat, qui tutò redire non poteſt. id tamen voluit Pontifex exprimere, vt tolleret omnem difficultatem. Incipit verò priuilegium, cum quis domo egreditur, & itineri ſe exponit intentione accedendi ad Rom. Curiam. c. conquerente. de Cler. peregr. ſtatim enim vocatur veniens ad Apoſtol. Curiam, & ideo ex tunc eſt ſub Apoſtolica protectione ſecurus. & è contra quis dicitur ab Apoſtol. Sede recedens ſtatim ac egreditur è loco, vbi dicta Sedes Apoſtol. moratur, & in quacumque itineris parte, quouſque completo itinere fuerit in patriam reuerſus. vnde ſi quis interim illum prædictis iniuriis afficiat, ſtatim contrahit huius canonis excommunicationem. Dubitabis an ſub hac particula venientium ad Sedem Apoſtol. & recedentium veniant etiam infideles, Iudæi, & hæretici. & ſimiliter etiam ſerui, & famuli, qui venientes in itinere comitantur? Et dicendum eſt prioribus quoque canonem fauere; tum quia ſimpliciter dicitur à Papa. *Venientes, & recedentes.* nec addit. *Chriſtianos*, aut *Catholicos.* ideo cum lex non diſtinguat, nec nos debemus diſtinguere. Tum quia pia mater Eccleſia benignè, & humaniter recipit, etiam infideles, & hæreticos ad ſe venientes. Quo ad famulos autem & ſeruos ſi principales ſine illis non poſſunt commodè venire ad Sedem Apoſt. ſerui etiam, & famuli ſecuritate gaudent, & qui eos lædit, incidit in excommunicationem vt conſtat ex c. licet. de priuileg. l. Gloſſa. ibidem. Felino. c. 2. de treuga, & pace. n. 1. aliàs priuilegium conceſſum Domino, remaneret inutile. Secus de iis, quorũ opera venientes non indigent, quamuis ſint comites itineris. vnde ſi quis talem offenderet, non incideret in excommunicationem.

Notandũ tertiò. Actiones principales prohibitæ ſunt, per ſe, vel alios interficere, mutilare, ſpoliare, capere, detinere venientes, & recedentes à Sede Apoſtol. aut eorum famulos. vnaquæque enim iſtarum actio ſiue fiat ab ipſo principali, ſiue opera alterius, eſt cauſa ſufficiens ad incurrendam excommunicationem (niſi ignoretur iter eſſe ratione Sedis Apoſtol. ex Couar. c. alma mater. p. 1. §. 10. num. 15. & Alterio c. 4.) quod clauſula initio diſpoſitionis poſita, referatur ad omnia ſequentia. c. ſecundo requiris. de Appell. & Dec. ibidem. & ſolum locum habet hæc excommunicatio in eo, qui has actiones prohibitas faceret, & qui eas mandaret, ſequuto effectu, non autem in conſulente, fauente, aut auxilium præſtante, contra quam antea eſſet in Greg. XIII. bulla, de qua re Alterius. l. 5. d. 10. c. 3. Quæres an ſi quis tales vulneraret cum magna ſanguinis effuſione, ſed ſine mutilatione, aut morte cenſendus eſſet excommunicatus. Reſpond. non. ſolet enim exprimere Pontifex percuſſionem, & vulnerationem, quando vult illos includere, vt conſtat ex §. 10. & 11. quod hoc loco non facit, etſi olim fierer.

Idem

Idem de eo, qui membrum debilitauit, ſed non mutilauit, ex Alterio.c.4. cum in pœnis ſit facienda mitior interpretatio.

Notandum quartò, ſequentibus verbis. *Nec non illos omnes*, &c. contineri alteram partem huius canonis. 9. qua cenſura extenditur ad eos, qui iniuſtas prædictas actiones exercerent in commorantes in Curia, non quidem ſimpliciter, ſed ea conditione, ſi id faciant prætextu Iuriſdictionis, quam nullam habent. Quare, qui res alicuius in Curia commorantis furatur, vel qui orta rixa talem interficit, non incurrit hanc excómunicationem, quia id non facit auctoritatiuè, & tanquam exercens Iuriſdictionem, ſed vt perſona priuata.

Porrò in hac etiam parte non tantum comprehenduntur mandatarij, ſed etiam mandantes, vt notat Suarez. num.66. & Alterius. c. 5.duob.vltimo.ita vt ſit etiam ſubintelligenda clauſula initio poſita, nempe. *ſua, vel aliorum opera*, cum ſit vnus, & idem canon, & proprius modus exercendi illas actiones auctoritatiuè, & tamquam Iuriſdictionem habentis, proprium ſit, mandare potius, quàm per ſe ipſum exequi. etſi etiam executor incidat, quia exequitur iuſſa mandantis (niſi probabilis ignorantia illum excuſet) vt vnum ac idem ſit delictum mandantis, & mandatarij, qui opus exequitur.

THEOREMA 419.

VT liberum vnicuique ſit deuotionis, & peregrinationis gratia, limina Apoſtolorum SS. Petri, & Pauli more veterum, vt dictum eſt Theor. 358. 359. vt fecit Origenes anno 200. ex Euſebio. l. 6.hiſt.c.11. Marius, Martha, Audifax, & Abachum anno 304. ex Vincentio in ſpeculo hiſt.l.12. & Ant. 1.p.hiſt.t.8.c.9. Nicetus anno 392. ex D. Paulino epiſt. 10. Idem S. Paulinus anno 398. ex eiuſdem epiſtola ad Allethium. S. Seruatius anno 451. ex Gregorio Turonenſi. S. Amandus, & Humbertus anno 456. ex Surio die 7. Septembr. Odnardus Rex Angliæ anno 629. ex Paulo Diacono. S. Vnambertus anno 924. ex Surio die 5. Febr. in vita Bertulphi.c.3. & 10. S. Brigita anno 1350. ab ipſomet Chriſto inuitata, ex Surio die 25. Iulij. & alij innumeri. quo in genere illud ſingulare, quod ex S. Ant. 3.p. ſcribit Horatius Turſellinus noſter l. 9. ann. 1300. occaſione Iubilæi à Bonifacio VIII. promulgati, eo anno non fuiſſe diem ferè, quin Roma exceperit hoſpitio 200. peregrinorum millia. Pontifex igitur hoc §. 10. fert excommunicationem in omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, & deprædantes Romipetas, ſeu peregrinantes ad vrbem deuotionis cauſa. in ea morantes, & ab ipſa recedentes; & dantes in his auxilium, conſilium, & fauorem. & olim contra offendentes eoſdem Romipetas lata etiam fuerat excommunicatio à Calixto III. in c.ſi quis Romipetas, & à Nicolao Papa.c.illi.24.quæſt.3. & Alexand. 3.c.innouamus. de treuga, & pace, licet abſolutio non reſeruaretur Papæ, & ſolum comprehenderet excommunicatio capiẽtes, & ſpoliantes peregrinos. & priuilegium extenderetur etiam ad viſitantes Oratoria aliorum ſanctorum. hic autem ad ſolos Romipetas extenditur

ditur priuilegium, excommunicatio verò fertur ob plures actiones, & abſolutio Papæ reſeruatur. Itaque Canonis huius priuilegium non tuetur quoſcunque accedentes ex quacunque cauſa Romam, ſed tantum peregrinationis, ſeu deuotionis gratia cò accedentes.

Notat autem Caiet. excommunicatio c.13. Suarez num.67. Sayrus l.3.c.14.num.6. nomen Romipetæ latius patere, quàm peregrini, quia comprehendat etiam ciuem Romanum alibi habitantem, ſi deuotionis gratia ad vrbem accedat. At peregrini dicuntur, qui extra patriam ſunt, extranei, aduenæ, & forenſes. Si quis aliqua ex prædictis ſex actionibus principalibus offendat commorantem deuotionis gratia Romæ, incidetne in excommunicationem? Non, teſte Caiet. & Alterio.c.5. quia non fit peregrino, ſed incolæ, cum iam domicilium Romæ elegerit. Quid ſi quis verberibus excipiat aliquẽ peregrinum eunrem Romam, ſed abſque vulneribus, cenſebitur ne incidiſſe in hunc canonem? Nequaquam, quod hæc actio in præſenti §. non exprimatur.

Tandem aduertendum eſt hic fieri excommunicationis extenſionem omiſſam in præcedenti canone, ad tres actiones acceſſorias, dantes ſcilicet in his auxiliũ, conſilium, & fauorem. Eam tamen non incurret quis, niſi actu præceſſerit aliqua ex principalibus. v.g. mutilatio, deprædatio, quia Pontifex prohibet auxilium, conſilium, & fauorẽ in ordine ad actiones principales, vt indicat illa dictio. *in his*. Quare non incurretur excommunicatio, niſi aliqua prædictarum præcedat. Si quis tamen Peregrinus, aut Romipeta, aut Romæ, aut extra delinquat, poterit tam à Iudice, quàm ab aliis ſine excommunicatione percuti, & puniri, quia tunc non punitur vt peregrinus, ſed vt malefactor, ex Sayro loco cit. & Vualdo.n.82.

THEOREMA 420.

VNdecimus Canon, qui non eſt admodum antiquus, cum de eo non meminerit S. Antonin. nec alius ante Caiet. vnde videtur cæpiſſe ſub Leone X. excommunicat quoſcunque offendentes aliquem ex his ſex Prælatorum generibus. nempe primò, Cardinalium (quorum mentio in bulla cœnæ fieri cæpit à Gregorio XIII. anno 1584 etſi antea haberetur in iure c.fœlicis. de pœnis.l.6. & bulla 16. Leonis X. quæ incipit. *Temerarium*. de qua epit. 57. & Conſtitutione 93. Pij V. quæ incipit. *Infelicis*. de qua egimus Theorem. 296. & ſeq. ſiue iam capellũ habeat, ſiue non, dummodo aſſenſerit, ex Palud. l.4. d.18.quæſt.3.art.2. caſu 16. Secundò, Patriarcharum, ſeu Primatum, ex Gloſſa.c. vrbes. d.80. quod non tantum de quatuor principalibus, ſed etiam de cæteris intelligendum eſt, cum textus non diſtinguat. Tertiò, Archiepiſcoporum, de quibus. d.99.c.1. quibus conceditur pallium inſigne plenitudinis dignitatis Pontificiæ, quod ſint ſuper Epiſcopos.c.antiqua. de priuilegiis, & ante pallij ſuſceptionem non debent ſe Archiepiſcopos appellare.c. 3.de auctor. & vſũ pall. & quidem ſi ante conſecratus non fuit, quod accidit, cum ante non erat Epiſcopus, ante conſecrationem, & receptionem pallij, non.

non gaudet priuilegio bullæ, cum nondum Archiepiſcopus vocari poſſit. cap. 3. de auct. & vſu pall. ſi conſecratus fuerat, gaudet priuilegio ante receptionem pallij, cum Epiſcopus conſecratus gaudeat eodem. Alterius c. 3. dub. 4. Quartò, Epiſcoporum, vt etiam Clem. 1. de pœnis, ſi quis ſuadente, & in bulla intelliguntur illi, qui conſecrati ſunt, & non tantum electi. etſi enim nondum conſecrati in poſſeſſione Epiſcopatus eſſe poſſint, adhuc tamen Epiſcopi non ſunt. Gloſſa Clement. 2. dignum verb. Pontificum. de celeb. Miſſæ Archidiac. c. illud. d. 23. Domin. c. fin. de ſent. & re iudic. l. 6. Felin. c. cum te. de reſcript. Nauarr. cap. 27. num. 67. Caiet. excommunicatio c. 12. verſu. aduerte. Ant. 3. p. t. 24. c. 3. Sylu. excommunicatio 7. n. 44. Abbas c. cum te. de reſcript. num. 2. Bartolus in l. ſi nondum. n. 2. Cod. de furtis. Suarez hic n. 69. Tolet. l. 1. c. 25. num. 6. & l. 5. c. 8. num. 4. quia per conſecrationem perficitur, & conſummatur Epiſcopalis, dignitas. c. fin. de tranſl. Epiſc. & c. via. de iis, quæ fiunt à Prælatis. Quare nondum conſecrati non gaudent priuilegio huius vndecimi canonis (quicquid ſentiat Graff. hoc loco num. 116. ſed tantum priuilegio. c. ſi quis ſuadente. 17. q. 4. & Clement. de pœnis. c. 1. ratione Clericatus. Secus verò dicendum eſt de Epiſcopo conſecrato, qui renunciauit Epiſcopatui, ſed non Ordini, ex Gloſſa in Clem. de pœnis. c. 1. verb. quem Pontificum. Sayro l. 3. c. 15. num. 4. Alterio hic cap. 3. duab. 3. & colligitur ex c. 1. de ord. ab Epiſcopo, qui ren. Epiſc. Quintò, & ſextò, Sediſque Apoſtolicæ Legatorum, & Nunciorum, quos impedire præſumentes excommunicantur ipſo facto. in extrauag. *ſuper gentes.* in communibus. tit. de conſuetudin. & loca, ac regna, contumacia durante, ſunt interdicto ſuppoſita. Habent autem huius Canonis priuilegium ſtatim ab egreſſu vrbis, quouſque ad eamdem redierint, vbicunque moram contraxerint, cum priuilegium eundi ad aliquem locum, vt dictum eſt, intelligatur etiam conceſſum ad redeundum. Ideo ab eodem inſtanti egreſſionis, honorandi ſunt nomine Legati, ſeu Nuncij, & inſignibus, de quibus Andreas Gambarus l. 1. de off. legati. c. 2.

Actiones verò principales, quæ excommunicationi ſubiiciuntur, ſunt hæ nouem. Interfectio, mutilatio, vulneratio, percuſſio, (ſcilicet iniuſta, quia ſi quis ſe defendendo percutiat, non incidet in excommunicationem cum vim vi repellere liceat. c. ſignificaſti. 2. §. ſi verò. de homic. Gloſſa. c. fælicis. de pœnis. l. 6. Nauarr. c. 27. num. 22. Rebuff. hic. art. 8. Anton. 3. p. t. 24. cap. 2. & 3.) etiam ſi phyſicè ſit leuiſſima, dummodo exiſtimetur ſecundum moralem opinionem grauis iniuria ratione honoris, & dignitatis, vt ſi Prælatus percutiatur chyrotheca.

Quæres, num volens offendere Petrum Epiſcopum Parmenſem, ſi offendat Ioannem Epiſcopũ Placentinum, incidat in hanc excommunicationem? Sũt vtrinque opiniones, de quibus videndus Suarez. d. 22. ſect. 1. num. 54. Sayrus l. 3. c. 27. num. 14. & ſeqq. Alterius l. 5. d. 1 2. c. 5. dub. 2. Captio, carceratio, detentio, hoſtilis inſequutio, & eiectio à terris, territoris, diœce-

sibus,& domibus suis.1.eorundem Præsulum eiectorum. ex Nauarr. Graff. Alterio, Suarez num.70.etsi enim huiusmodi Prælati non sint locorum Domini,habent tamen in eis iurisdictionem ratione muneris, & dignitatis Ecclesiasticæ, qua in illis funguntur, quod sufficit,vt diœceses, & territoria sua dicere possint, ex Abbate in c. pro illorum. de præbend. & Cardin. in Clement.1.num.4.de pœn.vnde si expellerentur ex Regis Curia, locisque alienis,non esset excommunicationi locus, ex Nau. num.67. vers.5. Suarez,num.70. Graff.c.18. num.115. Alterio. c.4.q.1.

Quid si eiiciantur à locis, in quibus nati sunt, vel vbi habent domicilium, castrum hæreditarium,vel dominium? Contrahitur excommunicatio ex Suarez,& Alterio, quod etiam illæ dicantur propriæ eorum terræ. non incideret tamen qui eis comminaretur exilium, & non sequeretur effectus, cum ad incurrendam censuram debeat esse actus consummatus, ex citatis.

Qui verò nolunt recipere Episcopos, & alios Superiores in suis diœcesibus, vel Prouinciis, incidunt ne in hunc canonē? Respond. Tolet.l.1.c.25. num.5. & Alterius in fine c.4.non incidere, quia bulla simpliciter agit de eiicientibus, minimè verò de non recipientibus,incident tamen in extrauagan. Ioan. XXII. *Super gentes.* in communibus.

Actiones accessoriæ sunt mandatum, quod commissionem dicimus. quod si mandans reuocat mandatum suum, & reuocatio perueniat ad mandatarium, si hic exequatur nihilominus, quod mandatum fuerat, mandans non incurrit censuram, Glossa.c. mulieres.de sent.excomm.& Molina.l.4. d.52. cum iam delictum ex sola mandatarij culpa committatur. Ratihabitio, quæ etiam est virtuale quoddam mandatum, & est explicanda iuxta regulam.9.& 10. de reg.iur. in 6.eademque habetur in Clementina. si quis suadente. de pœnis.& c.fælicis.de pœnis. l.6.& auxilij, consilij, & fauoris præstatio, siue hæc fiant suadendo, siue rogando,siue instruēdo,siue ostendendo sequuturam vtilitatem,siue impellendo, ex Sylu. excommunicatio 7.n.44.& ex l.1.ff.mand.

Et hæ quoque actiones accessoriæ meritò sub excommunicatione vetantur, cum non tam ipsi per se facientes, quàm illi, quorum auctoritate faciunt, videantur facere. c. vt famæ. de sent. excomm. Glossa.ibidem.verb.quorum auctoritate, Panorm. ibidem. num. 10. Intellige tamen secuto effectu, ex Glossa in Clem. si quis suadente. de pœnis.verbo.mandauerit. Ioan. And.ibid.Syl.loco cit. num.44.45. Ad iudicandum etiam num quis mandans inciderit in excommunicationem,aduertendum est quænam actio mandata sit, & subsequuta,quæ non.si quis enim mandat alteri. v. g. vt hostiliter insequatur Cardinalem, si is insequitur, licet non ceperit, percusserit-ve, mandans in excommunicationem incidit. & eadem est ratio de auxiliante, consulente,fauente. Si verò imperatur vna actio, & mandatarius aliam exequatur, vt si imperetur detentio, & mandatarius Cardinalem occidat, mandans in excommunicationem non incidit, cum non dederit talem commissionem.

ſionem. ex Alterio. c.6. ſciſcitaberis, quandonam mandans excommunicationē incurrat, num quando mandat, an quando mandatarius actionem exequitur? Communis opinio Cardinalis in Clem. 1. de pœnis. n. 8. Gloſſæ ibidem. v. mandauerit, Anton. 3.p.t.24.cap.3. Sylu. excommunicatio 7. num. 44. & excommunicatio 10. num. 5. Rebuffi in explicatione bullæ cœnæ art.8. verb. mandatores. Sayri. l.3.cap.26.num.22.23. Leſſij. l.2.c. 13.dub.3. Sanchez num.70. Molinæ t.4.d.72.num.3. Bonacinæ.d.1. quæſt.1. puncto 6.& d. 2. quæſt.4. puncto 3.propoſ.1.num.1.2.3. Alterij.l.3.d 2.c.2. dub.2.& l.5. d.12. cap.16.Nauarr.cap.27.n.51. Caiet. excommunicatio cap.47.not.3.diſtinguit. Etenim ſi legiſlator loquatur principaliter de faciente, & ſecundariò, ſeu acceſſoriè tantum de mandante, & conſulente, vt eſt in præſenti caſu, in quo primò excommunicantur interficientes, mutilantes, &c. & deinde ſecundariò ſubditur. *necnon ea mandantes*, &c. mandans, aut conſulens non incurrit excommunicationem antequam fiat opus mandatum. Ideo centies mandans percuti prædictos Præſules, non incidet, donec ſequatur percuſſio. argumento. c. mulieres. de ſent.excomm. ſi autem de omnibus, nempe tam facientibus, quàm fauentibus, mandantibus, & conſulentibus loquatur principaliter, tunc ſtatim dato mandato, aut conſilio, mandans, aut conſulens, antequam effectus ſequatur, vel nunquam ſequatur, excommunicationem incurrit. vnde, qui mandat interfici aliquem per aſſaſſinos, ſtatim excommunicatur c.1. de homic. l. 6. etiam ſi nunquam fortè ſequatur effectus, eò quod æquè principaliter excommunicetur occidens, & mandans. ſic religioſus, qui concionatur animo retrahendi auditores à ſoluendis decimis, ſtatim excommunicetur. Clement. *cupiens*. §.1. de pœnis, quamuis nihil perſuadeat, nec effectus ſit vnquã ſequuturus.

Rogabis: Quid ſi mandans ſecundario præmoriatur, antequam actio executioni mandetur, obſtringetur ne excommunicatione? Reſpondet Gloſſa. c. mulieres. de ſent. excomm. Felin. Hoſtienſis, Innoc. ibidem. Auilà p.2.c.5. diſp. 3.dub.7. negatiuè, quia defunctus directè excommunicari non poteſt. & quia morte mandantis expirat mandatum. l. mãdatum. Cod. mandati. & l. inter cauſas. ff. mandati, ideo poterit ſepeliri in loco ſacro.

Quid ſi poſt datum mandatum, re adhuc integra, mandans vehementer doleat de peccato, ſed nequeat adeò citò reuocare mandatum, vt non ſit iam ſequutus effectus, cenſebiturne excommunicatione ligatus? Gloſſa. c. mulieres cit. & ibidem Hoſtienſis, Leſſius. l. 2.c.13.dub.2. Molina.t.4.d.52.n.3. Bonacina de cenſur. d. 2. quæſt. 4. puncto 3. Alterius. l.3.d.11. cap.2. dub.2. affirmant, quia effectus ſequitur ex vi mandati, & imputatur mandanti tanquã auctori principali, etiam ſi iam ſit in gratia. quamuis enim excommunicatio ſupponat præceſſiſſe culpã mortalem, non eſt tamen neceſſe, vt hæc committatur tunc, ſed ſufficit, eam fuiſſe antea commiſſam, & effectum fieri vi illius, tanquam eius complementum. atque tunc pœna excommunicationis operabitur,

vt defuncti cadauer humari non poſſit in loco ſacro, donec defunctus ab excommunicatione abſoluatur. Si autem humatum fuerit, debet exhumari, ex Panorm. & Felino loco cit. & non offerri ſacrificia, & orationes publicè pro defuncto, antequam abſoluatur, nec ei in purgatorio proderunt Eccleſiæ ſuffragia, niſi præmittatur abſolutio. E contra verò Gloſ. c. cum quis. de ſent. excom. l. 6. quæ alios citat. Abbas, Ioan. And. Petrus de Ancharano, d. c. mulieres, & alij apud Sylu. ex communicatio 6. n. 5. verſ. tertiò. Quorum etiam opinionem valde probabilem putat Auila. p. 2. c. 5. d. 3. dub. 7. negant, quoad Deum ligari, quia egit pœnitentiam iniqui mandati, & non contraxit nouam culpam, etſi quoad Eccleſiam, & in foro externo reputabitur ligatus.

Ad incurrendam etiam excommunicationē ob ratihabitionem prædictam, vt dixi Theorem. 157. opus eſt Primò, vt tale crimen factū ſit nomine, ſeu intuitu eius, qui debet ratum habere, aliàs eſto ratum illud habeat, excommunicationem non incurret. ex c. cum quis de ſent. excomm. l. 6. Suarez d. 22. ſect. 1. num. 55. Molina loco cit. Angles. l. 4. ſent. q. de excommunicatione. art. 5. diff. 3. Sayro l. 3. cap. 26. num. 25. Bonac. de cenſuris d. 2. quæſt. 4. puncto 3. Secundò, vt quando ſcit eſſe factum, illud habeat ratum. non enim ſufficit, ſi gaudeat id eſſe factum, & fuiſſe illatam iniuriam, niſi ratum habeat id ſuo nomine factum, nec etiam ſufficit ratihabitio interior, niſi ea prodeat in externum actum, cum nullus ſolo interno actu excommunicetur. Tertiò, vt quando id factum eſt eius nomine, ipſe ita liberum arbitrium habuerit, vt potuerit culpabiliter tunc id præcipere, ſi ab eo fuiſſet poſtulatum beneplacitum eius. ex Nauar. c. 27. num. 233. Molina t. 4. d. 52. num. 4. & 5. Io. And.. Panorm. & aliis. Si enim tunc infans erat, furioſus, vſu rationis priuatus, &c. & crimen ſit commiſſum nomine ipſius, eſto poſtquam pollere cæpit vſu rationis, illud habeat ratum, excommunicationem tamen non incurret, quia non erat in ſtatu, in quo potuerit illud præcipere. Quartò, excommunicatio hæc non incurritur, niſi in puncto ipſius ratihabitionis & non percuſſionis, ex Molina, & Bonacina. de cenſuris. d. 2. quæſt. 4. p. 3. Videatur etiam Theorema 156, 157.

THEOREMA 421.

Hic 12. Canon latam excommunicationem cōtinet contra quoſcumque, & cuiuſcumque ſint dignitatis illicitè per ſe, vel alios offendentes, ad Summi Pontificis tribunal recurrentes ad ſua negotia, & cauſas agendas, & proſequendas, eorúmue in dictis cauſis procurantes, geſtores negotiorum, aduocatos, procuratores, (ſunt hi, qui ad legitimè comparendum in iudicio conſtituuntur. l. 1. ff. de Procur. Procurantes verò quicunque ad expeditionem cauſæ, & negotiorum cooperantur) Agentes, Auditores, & Iudices, ſiue ſint ſuper his cauſis particulariter deputati, ſiue incumbant ex officio, offendētes, inquam, quemcumque ex his nouem generibus perſonarum actione aliqua, ſiue principali, quæ tres numerantur, occiſio

occisio, percussio (sub qua etiam vulneratio includitur, quæ olim specialiter exprimebatur) & bonorum spoliatio; siue accessoria, quæ quatuor recensentur. Prima, committere, exequi, vel procurare per se, vel per alios, directè, vel indirectè huiusmodi delicta. Secunda, in his exequendis dare auxilium. Tertia, consilium. Quarta, fauorem. ex quibus tamen non incurritur excommunicatio nisi perfecta, & consummata sit actio aliqua ex principalibus, cum accessoriæ prohibeatur in ordine ad principales, vt patet hic ex verbis illis canonis. *delicta huiusmodi committere*, &c. Est autem committere idem ac præcipere, mandare, seu imponere, siue id se ipso mandet, siue siue medio, & opera aliorum, vt hæc fiant, & executioni mandentur, & procurentur; idque directè, vel indirectè. diceretur autem directè quis grauare, &c. recurrentem ad curiam, qui grauaret illum, nisi huiusmodi delicta committat, in personis, & rebus suis, aut consanguineorum, affinium, &c. ex Glossa in Clem. 2. verb. quomodolibet. de sent. excom. vel si illi persuaderet, vt transiret per locum, in quo sciret versari sicarios, qui eum occiderent, percuterent, spoliarent, &c. ex Bartholo in l. Centurio. num. 8. & 43. ff. de vulg. & pupil.

Rectè autem notat Suarez n. 73. Caiet. excom. cap. 15. Sayrus l. 3. cap. 16. num. 4. Rebuffus, non puniri hoc canone has actiones quacumque ratione fiant, cõtra personas recurrentes ad curiam, sed solum cum fiunt ratione, & intuitu causarum, aut negotiorum prædictorum, vt expressè colligitur ex canone. quare non tam intenditur fauor personarum, quàm causarum; ne impediatur earum cursus, & expeditio, vt certè fieret, si personæ per quas hæ tractandæ sunt, iniuriis essent obnoxiæ. Ob id si quis ad Curiam veniat, vt causam, & negotium expediat, & percutiatur, occidatur, bonis spolietur, non ratione causæ, & negotij, cuius gratia accessit, sed propter antiquas inimicitias, aut propter repentinam rixam, vel ei nummi à fure surripiantur, non erit huic excommunicationi locus, quod non sit damnum passus, eò quod habuerit recursum ad Rom. Curiam, sed alia de causa. Si quis autem recurrentem contumeliosis verbis, signis, scripto læderet, non cõtraheret excommunicationem, cum huiusmodi iniuriæ inter vetitas actiones in canone non recensentur.

Quæres, an qui potest impedire, ne ad Curiam recurrentes, seu priuilegiati patiãtur malũ aliquod, & illud ab eis cessat auertere, incidat ne, offensione sequuta, in excommunicationem? Multis disputat Alterius l. 5. d. 12. cap. 6. agens de ratihabitione, & d. 13. c. 2. quæst. 3. quem consule. Comprehenduntur hoc Canone omnes, sine vlla exceptione, qui hæc delicta committere non verentur. quæ verba, ex sententia Alterij, indicant ad hanc excommunicationem incurrendam requiri, vt homo sciens, & prudens huiusmodi siue principaliter, siue accessoriè prohibita committat; ideo excommunicatione non ligari, qui inconsideratè, & lapsu linguæ daret vetitum aliquod consilium.

Sed vtrũ priuilegium hoc con-

cessum recurrentibus ad Rom. Curiam, sit etiam intelligendum, concessum ab illa recedentibus? Respondeo affirmatiuè ex probabiliori sententia, Abbatis, Felin. &c. cap. fin. de treuga, & pace. aliter non videretur sufficienter consultum securitati recurrentium ad dictam Curiam, si in reditu possent offendi. Habetur eadem Canonis huius materia etiam in c. quoniam de imm. Eccl. l.6. & extrauag. diuina, de priuilegiis, & in Concil. Constantiensi. sess. 15. cap. sacrosancta generalis Synodus. & in Alexandri VI. constit. 11. de qua Epit. 49.

THEOREMA 422.

COincidit huius etiam 13. Canonis materia cum ea, quæ habetur in cap. quoniam. de imm. Ecc. l.6. bulla 2. Martini V. bulla 17. Innoc. VIII. bulla 30. Leonis X. bulla 39. Clementis VII. qui bullæ cænæ casum fecit, vt dixi Theor. 163. excommunicatio scilicet latæ sententiæ in quoscumque tam Ecclesiasticos, quam sæculares, cuiuscunque sint dignitatis, offendentes auctoritatem Sedis Apostolicæ ob retardationem executionis litterarum Apostolicarum aut suorum processuum, & aliarum prouisionum iudicialium, à summo Pontifice, vel eius iudicibus emanantium.

Primò, recurrendo sub friuolo appellationis, aut alterius tituli prætextu, ad potestatem, seu iudicium sæculare, vt impediant executionem dictarum litterarum, etiam in forma Breuis concernentium gratiam, vt v.g. si Papa mandet conferri beneficium, vel iustitiam, vt quæ impetrantur ad lites; nec non citationum, id est in ius vocationis. l. 1. ff. de in ius vocand. inhibitionum, vt cum iudicis mandato vetatur alicui, ne aliquid faciat: sequestrorum, cum res controuersa deponitur apud aliquem, & illius fidei committitur: Monitoriorum, seu litterarum monitorialium iudicis ad instantiam partis absque causæ cognitione, cum clausula, *vt si senserit se grauatum*, &c. Processuum, Scripturarum, videlicet in quibus iudicij acta continentur: Executorialium, quibus aliquid exequendum committitur alicui, vt v.g. remoto impedimẽto tradat rei possessionem parti, & aliorum decretorum à Sede Apostolica & eius officialibus emanãtium. vel (si non appellant ipsi immediatè) vtendo opera Aduocati, & Procuratoris fiscalis Curiæ sæcularis admitti faciunt appellationes. v. g. vt Aduocatus ipse compareat, & curet appellationem admitti ad impediendam executionem dictarum litterarum, & prouisionum Apostolicarum. est enim iniqua, & inanis appellatio à superiori ad inferiorem. c. placuit. 2. quæst. 6.

Secundò, aut si nec appellant, nec procurant appellationem admitti, sed omissa appellationis via, faciendo per laicam potestatem prædictas Apost. litteras, & citationes capi, & retineri. Eandémque incurrunt magistratus ipsi, & iudices Ecclesiastici, vel laici admittentes.

Tertiò, impediendo, vel prohibendo, ne dictæ litteræ simpliciter executioni mandentur, aut certè ne absque eorum beneplacito, consensu, vel examinatione (videlicet

licet non ſine offenſione Eccleſiaſticæ libertatis id fiat. videndus Azorius t.1.l.5. cap.13. quæſt.9. & cap.14. q.4. & Bonacina de legg. d.10. quæſt.2. p.1. §.1. num.15. & ad excommunicationem incurrendam ſufficit impedimentum etiam indirectè datum, vt ſi quis prohibeat executorem, cui commiſſa eſt executio. v. g. ingredi ciuitatem, vel locum, vbi executio facienda eſt; tum quia Papa generaliter loquitur. Tum quia id habeatur in bulla 30.Leonis X.data Kal. Martij 1518. Videndus Azor t.1. l.5. cap.13. quæſt.9.Item ſi vetent, Notarios ſuper executione huiuſmodi litterarum, & proceſſuum acta conficere, vel confecta parti, cuius intereſt, tradere.

Quartò aliquo ex his 10.modis offendẽdo partes,à quibus litteræ, & monitoria impetrata ſunt, aut Agentes, conſanguineos, affines, familiares, notarios, executores, vel ſubexecutores earum, quibus aliquid faciendum iuxta formam litterarum, citationum, & monitoriorum committitur, eos ſcilicet capiendo, percutiendo, vulnerando, carcerando, detinendo, ex ciuitatibus, locis, & regnis eiiciendo, bonis ſpoliando, perterrefaciendo, concutiendo, comminando per ſe, vel alium, palam, vel occultè.

Quintò, in genere, vel in ſpecie præſumendo prohibere, ſtatuere, mandare directè, vel indirectè, ne quis pro ſuis negotiis proſequendis, gratiis, vel litteris impetrandis recurſum habeat ad Rom. Curiam, & impetrent, vel impetratis vtantur.

Sextò, ſcienter prædictas litteras, & decreta Apoſtolica apud ſe, vel notarios, aut alios quomodolibet retinere, & non tradere partibus, ſtatuere, & mandare directè, vel indirectè præſumendo. quæ dictio in fine poſita oſtendit, in ſingulis perſonis, ſeu actionibus neceſſariò ad incurrendam excommunicationem temeritatem, ſeu præſumptionem requiri. Non refert autem, an impedimenta hæc dentur auctoritate publica, vel priuata, aut Eccleſiaſtica, vel ſæculari, ex Nauar. cap.27. num.68. verſ.quintò, Sayro l.3. cap.17.n.8. Alterio l.5. d.14. cap.1. & 3.

THEOREMA 423.

Hic canon 14. eſt admodum ſimilis præcedẽti, illius enim finis fuit prouidere, vt Apoſt. litteræ abſque impedimentis, & alterius examine mandarentur executioni, in hoc autem, vt Apoſt. cauſarum, nempe beneficialium, decimarum, & aliarum ſpiritualium, vel eis annexarum, cognitio Auditoribus, & aliis Sedis Apoſtolicæ iudicibus, & officialibus ſolum reſeruetur, abſque eo, quòd alij magiſtratus poſſint ad ſe, exemptionum prætextu, illas auocare, vt rectè notat Suarez num.75. & Azor. t.1. l.5. cap.12. & Alterius initio, d.15. & non eſt admodum antiquus, cum non habeatur in bulla Martini V. & ſequentium, eſt tamen expreſsè in bulla Adriani VI. apud Caiet. excom. cap.30. & Iulij III. apud Ledeſmam 2.4. quæſt.26. art.2. Pauli IV.apud Sotum 4. d.22. quæſt.2. art.3. & ſucceſſorum.

Hoc igitur 14. canone excommunicantur omnes, ac ſinguli, qui ſacrilegè Sedis Apoſtolicæ auctoritatem

ritatem violant, ſiue per ſe, ſiue per alios, aliqua ex his quinque ſequentibus actionibus principalibus, & tribus acceſſoriis, nempe primò contra iuris diſpoſitionem propria auctoritate, & de facto prætextu exemptionum vel litterarum, & gratiarum, quas prætendunt obtinuiſſe a Sede Apoſtolica (& multò magis ſi ſine prætextu illarum, ex Alterio. cap. 1. quamuis oppoſitũ ſentiat Suarez n.75.) beneficiales, decimales, & alias ſpirituales cauſas, vt quæ pertinent ad diuinum cultum, abſolutionem à cenſuris, adminiſtrationem Sacramentorum; vel ſpiritualibus annexas, vt quæ ſunt de iure patronatus, & ſimiles (ſecus de merè temporalibus, cum non exprimantur (ab Auditoribus, & Commiſſariis, aliiſque iudicibus à Sede Apoſtolica deputatis, auocare. vnde ad hanc excommunicationem incurrendam requiritur, vt is tanquam iudex prædictas cauſas à iudicibus conſtitutis à Sede Apoſt. ad ſe auocet, vt notarunt etiam Suarez dicto num.75. & Alterius. d.14. cap.1. & conſtat ex illis verbis Cononis. ac ſe ad illarum cognitionem tanquam iudices interponunt. & licet hæc excommunicatio præcipuè ſit lata contra Principes, & Dominos temporales, qui ſe iudices conſtituunt in huiuſmodi cauſis, ex Caietano. excõmunicatio c. 26. reuera tamen afficit etiam Eccleſiaſticas perſonas, quæ ſimilia præſumunt alia auctoritate, quàm Eccleſiaſtica. Etenim ſæpè in Curiis Principum ſæcularium Eccleſiaſtici eliguntur, qui pro eis talibus officiis, & muneribus fungantur, vnde ſi ipſi etiam in his peccent auctoritate iudiciali laica, incurrent excommunicationem. Ideo cenſura vniuerſalis eſt, ex Nauarr. cap.27. num.70. Caiet. loco cit. Suarez num.76. Alterio. cap. 1. & extremis verbis Canonis. *regali, ducali, vel alia quacunque præfulgeat dignitate, aut Archiepiſcopi, Epiſcopi*, &c.

Secundò retardare earundem cauſarum curſum, & audientiam, ac perſonas, & conuentus volentes dictas cauſas proſequi, impedire, ſed tanquam iudices in illis interponere.

Tertiò, compellere partes actrices, quæ cauſas committi fecerant ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, inhibitiones, & alias litteras in dictis cauſis decretis, ſiue compulſio fiat realiter, ſiue perſonaliter, directè, vel indirectè, vt ſi res occupent, conſanguineos, & ſimiles in perſonis, & rebus grauent, ex Gloſſa Clem.2. de ſent. excom. v. quomodolibet. ad quod etiam facit cap. ſciant. de elect. l.6. & cap. quicunque de ſent. excom. l.6. & cap. quoniam de imm. Eccl. l.6. Videndus Azor p.1. l.5. cap.13. quæſt.7. Alterius d.16. cap.6. dub.5. & d.19. cap.6. q.5. & d.20.c.2.

Quartò. Itemque eaſdem partes actrices ſtatuto, decreto, præcepto, aut alio modo cogere ad faciendum, aut conſentiendum eos abſolui à cenſuris, & pœnis in litteris contentis, contra quos emanarunt; ſecus ſi partes inducantur ad præſtandum talem conſenſum allecti promiſſione, vel ſpe præmij, aut gratiæ Principis, cum ibi nulla vis, aut metus interueniat.

Quintò, impedire executionem litterarum Apoſt. ſeu executoria-

lium

lium proceſſuum, & decretorum quomodolibet, v. g. non permittendo eas recipi, vel publicari, aut regiſtrari, vel iuxta illarum tenorem procedi, etiam, vt addidit Iulius III. ex Ledeſma, prætextu prohibendæ violentiæ, vel aliarum prætenſionum, etiam ad tempus, donec ad informandam Sedem Apoſt. ſupplicauerint, vel fecerint ſupplicari (quod ad tollendam excuſationem addidit Pius V.) niſi legitimè ſupplicationes huiuſmodi proſequantur. Quare ſi Princeps aliquis legitima cauſa fecerit ſuperſederi, donec ſupplicationes Apoſtolicæ Sedi porrectæ fuerint, & illas legitimè proſequatur, non incidet in hanc cenſuram, ſed ſolum incidet, ſi ad effectum impediendi executionem voluerit, ſe hoc colore defendere. His actionibus principalibus accedunt tres acceſſoriæ, nempe facientibus prædicta, ſuum ad id fauorem, conſilium, & aſſenſum præſtare, vt fit etiam §. 18. aliqua tamen ex actionibus principalibus ſequuta.

THEOREMA 424.

QVintus decimus Canon, cum tribus ſequentibus, eſt veluti pars 14. in his enim agitur de offenſione libertatis Eccleſiaſticæ in retardando litteras Apoſt. vel impediendo cognitionem cauſarum ſpectantium ad Eccleſiaſticos iudices, vel trahendo Eccleſiaſticos ad laicum tribunal, vel impediendo Prælatos in ſua Eccleſiaſtica iuriſdictione, vel vſurpando reditus Eccleſiæ, vel exigendo pedagia, & gabellas ab Eccleſiaſticis.

Hic igitur §. 15. duas habet partes, in quarum prima, vſque ad verſiculum. *Nec non qui ſtatuta.* fertur excommunicatio in Præſidentes, Cancellarios, & alios, quicunque fuerint, ſiue laici, ſiue Eccleſiaſtici, qui prætenſo laicali, & temporali officio, & iuriſdictione Principum ſæcularium ſponte, vel ad aliorum inſtantiam, abutentes primò trahunt ad ſuum tribunal, vel ſecundò trahi faciunt, vel tertiò trahi procurant directè, vel indirectè (v.g. detinendo in aliqua Ciuitate, ſub aliquo velamine, vel moleſtiis afficiendo conſanguineos, famulos, colonos, & ſimiles, de quibus Penna p. 2. directorij. quæſt. 54. comm. 79.) perſonas Eccleſiaſticas, & quarumcunque Eccleſiarum Conuentus, ſeu Capitula præter iuris Canonici diſpoſitionem, vt cap. ſi verò. 1. de ſent. excom. & cap. ſi iudex laicus. eod. tit. l. 6. & 11. quæſt. 1. tota. & cap. ſi diligenti. de foro comp. cap. clerici. de iudiciis, & cap. qualiter. ibidem (immo etiam iuris ciuilis, vt Authen. *ſtatuimus.* Cod de Epiſc. & Cler. & l. 47. de Epiſc. & Cler. in Cod. Theodoſiano, in qua ita Theodoſius, & Valentinianus ſcripſerunt. *Priuilegia Eccleſiarum omnium, quæ ſæculo noſtro Tyrannus inuaſerat, prona deuotione reuocamus, ſcilicet, vt quicquid à diuis Principibus conſtitutum, & quæ ſinguli quoque Antiſtites pro cauſis Eccleſiaſticis impetrarunt, ſub pœna ſacrilegij, iugi ſolidata æternitate ſeruentur. Clericos etiam, quos indiſcretim ad ſæculares Principes debere deduci, infauſtus Præſumptor edixerat, Epiſcopali audientiæ reſeruamus. Eas enim non eſt, vt diuini muneris Miniſtri, temporalium Poteſtatum ſubdantur arbitrio.* Quod intelligitur tam in ciuili-

Scotta.

bus, quàm in criminalibus, ex c. ſi diligenti. cap. clerici. & cap. qualiter citatis. & ex citata Auth. *ſtatuimus*. vbi dicitur. *Statuimus, vt nullus Eccleſiaſticam perſonam in criminali quæſtione, vel ciuili trahere ad iudicium ſeculare præſumat contra conſtitutiones imperiales, & canonicas ſanctiones. quod ſi actor fecerit, à ſuo iure cadat, iudicatum non teneat.* qua etiam de re dixi Theor. 15. 17. 77. 82. & 83.

Et notandum eſt primò, cum Panor. cap. ſignificantibus num. 2. de libelli oblat. etiam per ſolam citationem dici aliquem ad tribunal trahi, cum citare ſit iuriſdictionem exercere, ex eodem Panor. cap. ſuper quæſtionum. §. verum. num. 1. de off. deleg. & cap. relatum. eodem tit. num. 6. & Bartolo. l. ſi pluribus. ff. de leg. 1. Secundò, hanc excommunicationem extendi ad dantes auxilium, conſilium, & fauorem, ex Graffio. n. 127. Tertiò, excludi ab hac excommunicatione iudices ſæculares, qui in caſibus expreſſis in iure, & permiſſis trahunt Eccleſiaſticos ad ſua tribunalia, vt docent illa verba. *præter huius canonici diſpoſitionem.* Nauar. cap. 27. num. 71. Suarez n. 78. & cæteri.

Caſus autem, à iure Canonico permiſſi, ſunt. Primò, in cauſa feudali. cap. cæterum de iudiciis. cum Gloſſ. ibidem, & Guido Papa deciſ. 139. Farinac. de inquiſit. q. 8. num. 22. Surdo l. 3. conſil. 396. Menoch. de retinend. poſſeſſ. remedio 3. num. 396. Ambroſin. c. 20. Secundò, cum Clericus ab Eccleſia traditur tanquam incorrigibilis brachio ſæculari. cap. cum non ab homine. de iudiciis. & c. non licuit. d. 22. Farin. num. 71. Molina t. 4. tr. 3. d. 49. & 54. Ambroſin. c. 17. num. 7. Tertiò, in cauſa reconuentionis in cauſis ciuilibus. 3. quæſt. 8. cap. 1. Gloſſ. in cap. 2. de foro comp. Tolet. l. 1. cap. 27. Boerio deciſ. 14. Afflict. deciſ. 173. Farinac. num. 99. Surd. ibid. Graff. p. 1. l. 4. cap. 18. num. 124. Quartò, quando à Summo Pontifice caſus delegaretur laico. argumento. c. illud. 10. quæſt. 3. Abb. cap. 2. num. 12. de foro comp. Alterius. d. 16. cap. 1. caſu 3. Videndus Azor t. 1. l. 5. c. 12. Quintò, quando clericus ſecundum iura perdit priuilegium clericale. Henriquez l. 10. cap. 15. Graff. loco cit. & Sayrus l. 3. c. 19. num. 5.

Altera pars Canonis excommunicat omnes, qui quouis colore contra libertatem Eccleſiaſticam primò faciunt, ſecundò ordinant, tertiò publicant ſtatuta, & decreta in genere, vel in ſpecie, & ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, nec non prætextu cuiuſuis conſuetudinis, aut priuilegij, vel aliàs quomodolibet vtuntur ordinatis, & factis, vnde prædicta libertas tollitur, ſeu in aliquo læditur, deprimitur, ſeu quouis modo reſtringitur. Seu primò, Sedis Apoſtolicæ, ac ſecundò quarumcumque Eccleſiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè præiudicatur. Videndus Roder. t. 2. quæſt. 51. art. 3. Habetur in iure alia excommunicatio ſed non reſeruata, de qua Theor. 17. contra facientes huiuſmodi ſtatuta. cap. nouerint. & cap. grauem. de ſent. excom. de qua ibidem Panor. & Innoc. Anton. 3. p. t. 24. cap. 17. Angel. excom. 7. caſu 12. Syl. excom. 9. n. 31. Caiet. excom. c. 31. Suarez. n. 79.

Porrò

Porrò libertas Eccleſiaſtica eſt exemptio, ſeu immunitas ab oneribus laicorum, Eccleſiæ vniuerſali, quatenus ſcilicet hæc ex Eccleſiaſticis conſtat, ex Caiet. v. immunitas in fine. Nauarr. cap. 27. num. 19. Doctoribus. cap. eos. de imm. Eccl. l. 6. Driedone. l. 2. de libert. Chriſtiana. cap. 2. Suarez d. 21. ſect. 2. num. 89. 90. & colligitur. cap. 1. de imm. Eccl. l. 6. & Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 20. & conſiſtit in tribus. Primò, in perſonis Eccleſiaſticis non trahendis ad ſæculare iudicium. l. Caſſa. Cod. de ſactoſ. Eccl. Secundò, in eorum rebus, & bonis à pedagiis, & gabellis immunibus. l. placet. Cod. eodem. Tertiò, in locorum immunitate. v.g. ne in clericorum domibus hoſpitari poſſint milites, ne eò confugientes, inde abripi queant. vnde ſequitur vt libertas Eccleſiaſtica etiã tripliciter violari poſſit. Primò, faciendo ſtatutum contra perſonas Eccleſiaſticas, v.g. ſi Princeps eos banniat, vel edicat, ne quis eis domum, vel equum locet, panem vendat, granum molat. c. eos de imm. Eccl. l. 6. Secundò, in rebus, vt ſi vetet quemquam ad eorum molendinum accedere, ex cit. cap. eos. Tertiò, in locis, vt ſi ſtatuant, vt ex Eccleſia extrahantur homicidæ. 17. quæſt. 4. c. ſicut. cap. miror. cap. reum. cap. frater. c. conſtituimus. & l. 1. Cod. de iis, qui confug. ad Eccl. Quare ſtatuta, de quibus eſt hic ſermo, debent eſſe talia, vt vel primò tollant omnino libertatem Eccleſiaſticam propriam vniuerſalis Eccleſiæ; vel ſecundò, vt illam in aliquo lædant, ſeu deprimant, vel reſtringant ſaltem indirectè, & ſecundariò; vel denique tertiò, vt quoquo modo expreſsè vel tacitè iuribus Sedis Apoſt. vel aliarum Eccleſiarum aduerſentur. alias non incidunt in excommunicationem facientes ea, nec eorum complices.

Quid dicendum de ſtatuto laicorum, in quo decernitur, ne priuilegiis eorum potiantur, qui ſubditi non ſunt? Reſponder Bartolus, & Felin. in cap. Eccleſia S. Mariæ de conſtit. & Azor t. 1. l. 5. cap. 13. quæſt. 4. non derogare Eccleſiaſticæ libertati, & immunitati, quia aliud eſt beneficium, ſeu priuilegium non concedere, aliud derogare conceſſis. nam non concedere ſit abſque alterius iniuria, adimere verò, tollere, vel imminuere ex parte, non fit abſque alterius iniuria, & damno. Plures verò particulares difficultates, an aliqua ſæcularium ſtatuta Eccleſiaſticam libertatem violent, nec ne, explicant Felinus in cap. Eccleſia S. Mariæ. de conſtit. Abbas ibidem. Azor t. 1. l. 5. cap. 12. 13. 14. t. 2. l. 9. c. 8. q. 10. t. 1. Alterius. d. 16. cap. 3. 4. 5. 6. quos conſule. dixi hac etiam de re ſupra Theor. 151. occaſione bullæ 10. Leonis X. Epit. 54.

THEOREMA 425.

HVius quoque 16. Canonis materia, eſt ſacrilegiũ commiſſum contra immunitatem, & libertatem Eccleſiaſticam impediens iniquis mediis Prælatos in vſu Eccleſiaſticæ eorum iuriſdictionis, & duas habet partes, quarum prior continet excommunicationem contra quoſcunque impedientes quomodolibet, v.g. metu grani ſui ipſius, conſanguineorum, affinium, familiarium, notariorum, teſtium, &c. Archie-

piſcopos, Epiſcopos, & ſuperiores, ac inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcunque iudices Eccleſiaſticos Ordinarios (impedientes enim iudices Sedis Apoſt. iam excommunicati ſunt can. 13. & 14.) quominus ſua iuriſdictione Eccleſiaſtica in principio, in medio, & fine iudicij contra quoſcunque vtantur, iuxta canones, conſtitutiones Eccleſiaſticas, & Conciliorum generalium, præſertim Tridentini decreta (ſi ſit ſequutus effectus, & conſummatum delictum, ex Abbate. cap. cum in curſtis. §. Clerici. num. 3. de electione & aliis) quod etiam nefas deteſtatur Bonifacius VIII. cap. quoniam de imm. Eccl. l. 1. non tantum in fauorem ordinariorum iudicum, vt ſit hoc canone, ſed etiam delegatorum, addita pariter excommunicatione non tamen reſeruata, ſecus ac fiat hic. & Concilium Tridentinum ſeſſ. 20. c. 3. de refor. cum ait. *Nefas autem ſit ſæculari magiſtratui prohibere Eccleſiaſtico iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet.* Sed caſum bullæ cœnæ Pius V. feciſſe videtur. cum Nauar. c. 27. num. 71. verſ. quarta. dicat recenter factum.

Comprehenduntur autem perſonæ omnes delinquentes, tam Eccleſiaſticæ, quàm ſæculares cuiuſcunque ſint dignitatis (cum relatiuum, *qui*, referat omnes perſonas enumeratas can. 14. cuius pars eſt hic 16. ex Nauarr. cap. 27. n. 70.) impedientes ne Eccleſiaſtici iudices ordinarij ſuam exerceant iuriſdictionem. Quare, qui impediret Prælatos Eccleſiaſticos, ne vterentur Eccleſiaſtica iuriſdictione delegata, hanc excommunicationem non incurreret, vt notat etiam Suarez num. 91. & Alterius d. 17. cap. 1. cum hic ſit tantum ſermo de ordinariis iudicibus. expreſſiſſet enim ſum. Pōtifex etiam iudices delegatos, ſi eos quoque comprehendere voluiſſet. voluit enim magis aggrauare impedientes in ſua iuriſdictione Prælatos iudices ordinarios, quàm eos, qui eos, qui delegatos, cum in ordinariis Eccleſiaſtica dignitas ſpecialiter reſideat. & ideo ordinariorum cauſa ſit fauorabilior, quàm delegatorum.

Quid ſi Epiſcopum quis impediat in viſitatione v. g. Eccleſiæ exemptæ tanquam Sedis Apoſt. delegatum, iuxta Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 8. & ſeſſ. 24. cap. 9? Incurret hanc excommunicationem, ex Alterio, tum quia iam talis iuriſdictio eſt ordinaria, cum concedatur ratione dignitatis; & perpetuo, non ratione perſonæ, & ad tempus, iuxta Gloſſam. cap. irrefragabili. v. ſuper hoc delegatus. de off. iud. ord. Tum quia excommunicatio fertur contra impedientes vſum iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ſecundum quod canones, & ſacræ conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & decreta Conciliorum generalium, maximè Tridentini ſtatuunt. nō igitur excuſantur impedientes Epiſcopos, ne vtātur iuriſdictione à Tridentino eis conceſſa.

Sed vtrum hic canon perſtringat ſolùm, qui iuriſdictionem habentes prædictos ordinarios iudices in iuriſdictionis vſu impediunt, an etiam priuatas perſonas nullam publicam perſonam gerentes, ſi idem committant crimen? Ratio dubitandi eſt, quia canone 14. videtur ſolum agere de habentibus

tibus iurisdictionem, seu personis publicis. & c. quoniam. de imm. l. 6. vbi habetur similis excommunicatio, dicitur. *Quoniam vt intelleximus quorumdam Iustitiariorum, Bailiuorum, Iudicumve*, &c. Sed respondet Alterius. d. 17. cap. 1. vtrosque præstringere; tum quia Pontifex absolutè loquitur, & sine limitatione: *nec non qui quomodolibet*, &c. Tum quia etiam in §. 14. excommunicationi subiiciuntur priuatæ quoque personæ, ob illa verba, *omnes, & singulos.* quibus comprehenduntur quicunque committentes vetita, & c. quoniam. licet in narratiua fiat mentio solum prædictarum personarum publicarum, in dispositiua tamen, quæ maximè attendenda est, generaliter statuitur contra omnes impedientes, ex Gemin. ibid. num. 8. Anchar. num. 2. Ioan. And. &c.

Gaudent igitur priuilegio huius canonis Ecclesiastici ordinarij, tam superiores, Cardinales, Legati, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi nondum consecrati, si iam habeant, quæ sunt iurisdictionis, quàm inferiores, vt Generales Ordinum regularium, Prouinciales, Abbates, Custodes, Priores, Rectores, seu alio nomine nuncupati, habentes iurisdictionem fori contentiosi.

Altera verò pars excommunicat omnes, qui post Ordinariorum, vel ab eis delegatorum quorumcunque sententias, & decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici iudicium, seu pronunciatum eludendentes ad Curias sæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, v. g. sub pœna amissionis bonorum, Ordinariis, aut delegatis, vt desistant decerni, & contra illos exequi procurant. Necnon eos, qui hæc decernunt, & mandant exequi: Item executores ipsos, qui parent Magistratui decernenti: tandem eos, qui in eis dant auxilium, cõsilium, patrocinium, & fauorem, quæ sunt actiones accessoriæ, ob quas excommunicatio etiam incurretur sequuta aliqua actione principali. vt si quis alteri consulat, vt recurrat ad Curiam sæcularem contra Episcopum, à quo se grauatum putat, si ille recurrat, etiam si vlterius deinde non sit progressum in causa. Quare hæc secunda pars continet septem actiones, seu particulares modos, quibus eludentes iurisdictionem Ecclesiasticam ordinariorum, & eorumdem delegatorum incurrunt excommunicationem siue laici sint, siue clerici, siue religiosi recurrentes ad prædictas sæculares Curias contra sententias, & decreta Ecclesiasticorum Iudicum.

THEOREMA 426.

DEcimus septimus Canon videtur bullæ insertus à Iulio II. vel Leone X. cum non extet eius mentio ante Syl. excommunicatio 7. num. 73. & Caiet. excommunicatio. c. 27. cuius materia est sacrilegium, quo summ. Pontifex Ecclesiæ caput, & Sedes Apostol. Ecclesiarum omnium magistra, & quæcunque Ecclesiasticæ personæ offenduntur. Primò, vsurpatione iurisdictionum (temporalium maximè. c. non minus. de imm. Eccl. Syl. excommunicatio 9. §. 12. verb. primò dubitatur. Caiet. excomm. c. 40. Suarez num. 95. Alterio d. 18. cap. 1.) fructuum, redituum, & pro-

uentuum, ſeu obuentionum quarumcunque ad eos ratione Eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum (non autem alio profano titulo, ex Suarez, Sayro l. 3. cap. 21. num. 4. Tolet. l. 1. c. 28. Caiet. c. 27. Nauarr. c. 27. num. 71. verſ. ſexta) pertinentium. & ſecundò, eorumdem ſequeſtratione ſine legitima facultate, & licentia. ideo hoc quoque canone defenditur libertas, & immunitas Eccleſiaſtica, vt ſit etiam Clement. *religioſi.* de decimis. Clement. *Cupientes.* de pœnis. & cap. hoc conſultiſſimo. de rebus Eccleſ. non alienandis. l. 6. Concil. Lateranenſe ſub Alexand. III. c. 19. Bonifac. IX. conſtit. 40. de qua Epit. 29. & Theor. 77. n. 4. Leonis X. bulla 10. Epit. 54. Theor. 151. & Conſtit. 11. §. 3. edita in Concil. Later. ſeſſ. 9. additis grauibus pœnis, vt excommunicationis, etiam ſi Principes fuerint; interdicti Eccleſiaſtici talium Principum terris, & dominio, eo ipſo incurrendis; priuationis priuilegiorum, feudorum, &c. & in Concil. Tridentino ſeſſ. 22. cap. 11. de reform. licet ibi non ſit excommunicatio reſeruata. Itaque violatores huius canonis, ſiue ſint laici, ſiue Eccleſiaſtici tam vſurpando, quàm ſequeſtrando prædicta iura & bona, incidunt in excommunicationem.

Quæres, an fures, vel milites, qui huiuſmodi indiſtinctè cum cæteris rapiunt, incidant in hunc canonem? Reſpond. Caietanus, Nau. locis cit. Graff. l. 4. cap. 16. n. 144. Sayrus l. 3. cap. 21. num. 4. Suarez num 96. Alterius d. 18. cap. 1. non incidere. Tum quia is tantum propriè dicitur vſurpare fructus, prouentus, &c. qui velut poteſtate vſurpata & quaſi auctoritatiuè proprio iure vtens illos occupat; prædicti verò fures, & milites non quaſi auctoritatiuè, vt ſibi debita illa capiunt, ſed vt aliena dolo, & rapina occupant. Tum quia ad incurrendam hanc excommunicationem opus eſt, vt res Eccleſiæ non quouis modo vſurpentur, ſed vt prouentus Eccleſiæ; vnde qui res Eccleſiæ vt res ſimpliciter, & indiſtinctè, vt cæteras, & non vt Eccleſiæ prouentus, accipiunt, non afficiuntur excommunicatione. ſicut nec ſi quis furetur triticum ex decimis, aut primitiis collectum, non magis incurrit cēſuram, quàm ſi quodlibet aliud furaretur. Ideo excommunicatio non eſt lata contra raptores, & fures, ſed contra dominos, qui beneficiorum fructus vſurpant, ac ſi ad ſe pertinerent. ſimiliter, nec excommunicatur ex Alterio ibidem, capiens à Clerico debitore ſuo ex fructibus illius beneficij, quantum eſt ſuum creditum, quia non ſurripit tanquam res Eccleſiaſticas, ſed tamquam res ſui debitoris.

Rogabis, an vſurpantes fructus, v. g. Papatus, Epiſcopatus, quando vacat, incidantne in hanc excommunicationem? Negat Caiet. cit. cap. 27. & Tolet. l. 1. cap. 28. eò quod tunc nullæ extent Eccleſiaſticæ perſonæ, quibus ratione beneficiorū, & Eccleſiarum debeantur. Sed oppoſitum verius ſentit Nauarr. cap. 27. num. 71. Suarez d. 21. ſect. 2. num. 97. Sayrus l. 3. c. 21. num. 4. Alterius d. 18. cap. 1. Tum quia quamuis vacet Sedes, fructus tamen ad eam pertinent, vt ex hoc eodem §. conſtat. Tum quia prohibitio, & cenſura non eſt præcipuè facta

facta in commodum perſonæ, ſed in defenſionem Eccleſiaſticæ immunitatis, ſiue hi prouentus nunc pertineant ad determinatam perſonam, ſiue debeant pertinere poſtea, nempe futuro ſucceſſori, cui de iure reſeruãtur; tum quia maius periculum eſt vſurpationis horum bonorũ tempore vacationis, quàm in vita beneficiarij, vnde aperitur fraudibus, & bonorum Eccleſiaſticorum vſurpationibus, via. Tum quia aliàs conuentuum, & monaſteriorum bona communia vſurpantes nunquam incurrerent, quia illi prouentus non pertinent ad determinatam perſonam, ſed ad hanc communitatem.

Sed quid de vſurpatoris filio ſciente, & retinente prædicta à patre vſurpata? Incidet & ipſe, cum in iure pro eodem reputetur rem iniuſtè vſurpare, & rem iniuſtè retinere, vt peculiariter de Eccleſiæ rebus dicitur. c. indignè. 12. quæſt. 2. & c. ſicut. d. 47. & c. ſæpè. de reſtit. ſpol. & Concil. Trident. ſeſſ. 22. c. 11. de reform.

Extenditur deinde excommunicatio ad ſequeſtrantes quauis occaſione, vel cauſa, ſine Rom. Pontificis, vel eorum, ad quos de iure pertinet, expreſſa licentia, vt fit etiam in dicta Leonis X. bulla 7. olim 11. & Bonifacij IX. conſtitutione 4. vt dictum eſt Theorem. 77. Eſt autem ſequeſtrare auctoritate Iudicis hæc apud aliquẽ deponere, ne interim ad Eccleſiaſticas manus deueniant; vnde ex ſe eſt actus iuriſdictionis, & ob id prohibitus. non erit autem talis ſi fiat aut de licentia Papæ iuxta bullam cœnæ Clementis VII. aut ex bullis ſucceſſorum, de licentia habentis ad id legitimam auctoritatem, vt ordinarij, eiuſque Vicarij, aut Nuncij, vel Legati Sedis Apoſt. impetrata (nempe ante ſequeſtrationem, ex Abbate. c. licet. num. 11. de regul. licentia enim ſemper debet præcedere actum, etiam ſi licentia denegari non poſſit, vt docet Abbas. c. tua nos. num. 7. de Eccleſ. ædif.) & additur, *quauis occaſione, & cauſa*, vt omnes excludantur; vnde ſiue fructus Eccleſiaſtici ſequeſtrentur ad tollendas contentiones, inimicitias, mortes, aliàque mala, ſiue ne diſtrahantur, & diſſipentur fructus; ſiue ne retinens eos ius acquirat in poſſeſſorio, ſiue ex alia cauſa, ſi abſque dicta licentia fiat, contrahitur excommunicatio.

Sed an etiam in canonem incidat, qui procurat, & facit, vt Iudex ſæcularis ſequeſtret Eccleſiaſticos fructus clerici ſibi debentis? Reſpond. modò non incidere, ex Nauarr. conſil. 34. de ſent. excom. Graffio l. 4. cap. 16. Alterio d. 18. c. 2. quia nunc excommunicantur ſolum, qui vſurpant, & qui ſequeſtrant. hi autem ſunt Iudices, quorum auctoritate fiunt ſequeſtra. non eſt igitur extendenda conſtitutio ab vno caſu ad diuerſum. c. pœnæ. de pœnit. d. 1. ſcilicet ad partes, quæ apud Iudices illa procurant. Excommunicatio enim lata contra facientem aliquid, non includit illud procurantes, conſentientes, conſulentes, mandantes, niſi ibidem exprimantur. Excommunicationem igitur ſolum incurret Iudex ſæcularis ſequeſtrans prædictos fructus beneficiales: dixi *modò non incidere*, ſecus enim fuiſſet tempore Clementis VII. & Pauli III. in quorum bullis addebatur. *vel per ſe, vel alium, ſeu alios, directè*

directè, vel indirectè prædicta exequi, vel procurare, aut in eiſdem conſilium, auxilium, vel fauorem præſtare non verentur.

THEOREMA 427.

SImiliter Canon 18. fertur ad eiuſdem libertatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ defenſionem cæptam can. 14. Ideo excommunicatione huius canonis punitur ſacrilegium, quo Eccleſiaſtica libertas offenditur imponendo onera abſque Pontificis Romani licentia, tam ipſis Eccleſiaſticis perſonis, quàm bonis earum, & Eccleſiarum, quippe immunibus. quæ prohibitio continebatur etiam virtute in præcedentibus §§. excepta extenſione ad accipientes oblata à ſponte dantibus. & quo ad perſonas, vniuerſalis eſt hæc excommunicatio, etiam Reges, & Imperatores perſtringens.

Actiones principales prohibitæ, tres ſunt. Prima, ſine expreſſa licentia Papæ imponere perſonis Eccleſiaſticis, & earum, atque Eccleſiarum bonis collectas, talleas, & ſimilia onera. Secunda, illa ab eiſdem exigere. Tertia, ſic impoſita recipere, etiam à ſponte dantibus, iuxta c. clericis. de Immun. Eccleſ. l. 6. Acceſſoriæ verò ſunt non vereri facere, exequi, vel procurare prædicta per ſe, vel alios directè, vel indirectè, & in eis dare auxilium, conſilium, fauorem. & caſus inſertus eſt bullæ tempore Iulij III. cum nondum eſſet in bulla Iulij II. & Leonis X. vt conſtat ex Caiet. excommunicatio. c. 40.

Fertur itaque hoc loco excommunicatio reſeruata Papæ contra imponentes, exigentes, recipientes abſque ſpeciali & expreſſa licentia. Rom. Pontificis, decimas, collectas, talleas, præſtantias (quæ ſolum nomen habent mutui, cum nunquam reſtituantur) & ſimilia onera realia, perſonalia, mixta; de quibus nominibus Sylu. v. gabella. i. Eccleſiaſticis perſonis, ac earum, & Eccleſiarum, monaſteriorum, & beneficiorum bonis, fructibus, reditibus, ac prouentibus. Quod etiam ſit abſque reſeruatione in c. non minus. de imm. Eccleſ. ſumpto ex Concil. Lateranenſi ſub Alexand. III. c. 19. contra eoſdem imponentes huiuſmodi onera Eccleſiaſticis, ſi moniti non deſiſtant, cum eorum fautoribus haud communioni reſtituendos, donec fecerint ſatisfactionem competentem. excepto caſu, ſi non ſufficientibus facultatibus laicorum, Epiſcopi auctoritate, propter vtilitatem, & neceſſitatem communem fieret impoſitio. Vnde differt ab excommunicatione bullæ cœnæ, quòd illa prærequirat admonitionem, ſufficiat ad eam vitandam licentia Epiſcopi, & non ſit reſeruata Papæ, ſecus ac fiat in bullæ cœnæ. Itemque in c. aduerſus. de imm Eccleſ. ex Concil. Lateranẽſi ſub Innocent. III. in quo Innouatur conſtitutio prædicta Alexand. III. ſublata exceptione illa, *vt Clerici ſolum ſoluere tenerentur, ſi non ſufficerent facultates laicorum.* & ob id ſtatutum, nunquam licere huiuſmodi exactiones Clericis imponere, niſi prius cõſulto Rom. Pontifice, ad quem ſpectat communibus neceſſitatibus prouidere (nimij enim erant ſæculares ſub ratione neceſſitatis publicæ in his exactionibus flagitandis) & ſimul quoque declaratum, vt ciuitatum officia

officiales, qui dicta onera imposuissent, remanerent adhuc officio finito, irretiti excommunicatione cum obligatione satisfaciendi debito, simúlque essent excommunicati successores in officio, nisi intra mensem satisfacerent ipsi non quidem de bonis suis, sed de communibus, cum vt officiales ciuitatis satisfaciant, ex Suarez num. 101.

Habetur etiam ferè similis excommunicatio Bonifacij VIII. contra exigentes huiusmodi tributa in c. quamquam. de censibus. l. 6. vbi additur, vt qui eam incurrit, non absoluatur, & Vniuersitas non liberetur ab Ecclesiastico interdicto, donec integrè satisfacerint. Idem tulerat in c. clericis. de Imm. l. 6. excommunicationem contra imponentes, & exigentes talleas ab Ecclesiasticis personis, & extenderat etiam ad accipientes à spontè dantibus. Et ad ipsos Ecclesiasticos si spontè darent absque speciali licentia Papæ, eámque reseruarat sibi. & Vniuersitates, quæ talia committerent, suppoſuerat interdicto. Sed Benedictus XI. in extrauag. *quod olim.* de Immunit. reuocauit decretum Bonifacij quantum ad hoc, vt excommunicatio & interdictum locum non haberent in accipientibus à spontè dantibus, neque in ipsis clericis voluntariè soluentibus. Tum Clemens V. Clem. quoniam. de Imm. Ecclesiæ. vtrumque decretum Bonifacij, & Benedicti reuocauit, & solum seruari voluit c. non minus. & c. aduersus. de Imm. Eccles. In Concilio deinde Lateranensi sub Leone X. sess. 9. innouatæ sunt omnes censuræ excommunicationis, interdicti, & depositionis latæ contra imponentes Ecclesiasticis talia onera, & exigentes etiam à sponte dantibus, & consentientibus; & præter prædictas pœnas, quas voluit contrauenientes eo ipso incurrere, addidit etiam inhabilitatem ad omnes actus legitimos, & reddidit illos intestabiles. Demum accessit bulla cœnæ, in qua innouantur à summo Pontifice decreta super his, per sacros canones, tam in Lateranensi nouissimè sub Leone X. celebrato, quàm in aliis Conciliis generalibus editis, nempe in c. non minus. & c. aduersus. de Imm. Eccles. cum censuris, & pœnis in eis contentis, sibi reseruatis, de quibus etiam meminit Concil. Trident. sess. 25. cap. 20. de reform.

Easdem immunitates Ecclesiasticis concesserunt Reges, & Imperatores, vt constat ex Cod. de sacrof. Eccles. l. sancimus. 2. l. placet. l iubemus. l. priuilegia, de quibus. 16. quæst. 1. c. generaliter. & 23. quæst. 8. c. in qualibet. & Authen. *Item nulla poteſtas.* Cod. de Episc. & cler. vt præmissimus Theorem. 16. 77. 78. 82. 83. & meritò, cum personæ Ecclesiasticæ vt dixi Theorem. 78. sacrificiis & orationibus ad Deum, cæterisque suis piis operibus in regnorum vtilitatem, multò plura conferant sæcularibus Principibus, quàm facerent collectis, & talleis. c. in qualibet. 23. quæst. 8. Idem colligunt Patres ex verbis Domini Matt. 17. *ergo liberi sunt filij,* significantis nec se debuisse soluere, quippe qui esset summi Regis filius, nec Apostolos, quòd essent sui familiares, & domestici; ex charitate tamen, ne exigentes scandalizarentur, soluit.

Scortia.

Aduertendum porrò protegi hoc loco à tributis, non ſolum bona Eccleſiarum, & beneficiorum, ſed etiam patrimonialia clericorum, aut alio modo acquiſita, cum Pontifex dicat. *Clericis, Prælatis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum, & Eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus.* Quod etiam fit in legibus Patauinis Feder. I I. Imp. l. 2. & in legibus Caroli I V. confirmatis à Bonifacio IX. conſtitutione 4. de qua Epit. 29. num. 6. & in c. quamquam. de cenſibus l. 6. (vbi tamen excipiuntur, ſi quæ negotiationis cauſa portarentur) Idem ibidem v. *ipſarum.* aduertit Gloſſa. & in c. fin. de vita, & honeſt. cler. in verb. ſuis facultatibus. & in c. ſimilibus. 16. quæſt. 1. Panorm. p. 1. conſil. 3. Geminian. c. 1. num. 4. de Imm. Eccleſ. l. 6. Bartol. in l. reſcripto. ff. de muner. & honor. & in l. placuit. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. Hoſtienſ. ſum. de Imm. Eccleſ. §. à quibus. Sotus 4. d. 25. quæſt. 2. art. 2. concluſ. 6. Sylu. excomm. 9. §. 13. verſ. & tertio. Tab. excommunicatio 5. caſu 18. Nauarr. cap. 17. num. 202. Tolet. l. 1. cap. 29. num. 2. Leſſius l. 2. cap. 33. dub. 3. num. 19. Alterius d. 19. c. 1. Molina. d. 670. Tuſco. v. bona. concluſ. 114. Reginald. l. 11. num. 377. etſi graues viri ſenſerint bona patrimonialia Clericorum non eſſe exempta, vt Felinus in c. Eccleſia S. Mariæ. num. 8. de conſtit.

Aduerte autem recipientes à Clericis ſponte dantibus tunc excommunicationē contrahere, cum non omnino libera, & abſoluta voluntate datur aliquid à Clerico, ſed tantum quando ſponte dicitur dari, quòd ſine alia ſpeciali vi, aut coactione, præter vetitam clericis impoſitionē, & exactionem, datur, ex Suarez num. 99. Sayro c. 22. num. 10. Viualdo num. 117. Quaranta. v. vectigal. tunc enim ipſa datio, quæ ſpontanea dicitur, verè fit, & fieri præſumitur ratione oneris etiam clericis impoſiti. vnde ſi in impoſitione oneris exprimeretur, Clericos ad id non teneri, ſi ipſi poſtea ſoluerent, recipientes non inciderent in Canonem. ideo addidit Pontifex. *ſic impoſita etiam à ſponte dantibus recipiunt.* i. vt in impoſitione comprehendantur etiam Clerici. Et ne qua fraus in exactione pateret, adiecit. *& diuerſis etiam exquiſitis modis exigunt.* vt ſcilicet omnes modos, & titulos exigendi collectas, & talleas comprehenderet. exemplum habetur. c. clerici. de Imm. Eccleſ. l. 6. illis verbis. *Sub adiutorij mutui,* ſubuentionis, ſubſidij, vel doni nomine, ſeu quouis alio titulo, modo, vel quæſito colore.

Quod ſpectat ad actiones acceſſorias excommunicantur omnes, qui per ſe, vel alios, directè, aut indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare non verentur, aut dant in his auxilium, conſilium, & fauorem. Quare in hanc excōmunicationem incidunt, & qui per ſe ipſos Clericis tributa imponūt, & qui aliorum opera, vt Princeps, qui per ſe, vel per magiſtratum imponit, per officialem exigit, &c. & ſiue ipſa onera imponantur directè Eccleſiaſticis, cum ipſimet ſoluere compelluntur, ſiue indirectè, vt ſi grauentur eorum conſanguinei, affines, coloni, &c. oneribus maioribus, ex quo indirectè ſequatur damnū Eccleſiaſticis; ideóque

que fiat legi fraus, quæ dicitur de perſona ad perſonam. vel ſi cogantur res vendere, ſi pro eis nolunt tributa ſoluere, quæ ſolueremt laici, quæ dicitur fraus de re ad rem, de quibus, & de reliquis duobus modis fraudis, videnda Gloſſa. c. quanto. de priuileg. Azor t. 1. l. 5. cap. 13. quæſt. 7.

Itaque hæc excommunicatio ligat omnes cuiuſcunque ſint dignitatis, qui per ſe ipſos, vel per alios, directè, vel indirectè prædicta faciunt, ideſt collectas imponunt, vel exigunt, aut exequuntur, id eſt eas ex mandato Principis, Magiſtratus, Iudicis executioni mandant, vel eas procurant, id eſt, mediatores ſunt, vt imponantur, & exigantur, & dant auxilium, conſilium, & fauorem. v. g. aſſeſſores, qui conſulunt; notarij, qui edicta conſcribunt; præcones, qui publicant; publicani, qui conducunt; miniſtri, qui exigunt impoſita, cæterique Curiæ famuli denunciantes, capientes, ſequeſtrantes, auxiliantes, & fauentes.

Sed vtrum clauſulæ, *per ſe, vel alios, directè, vel indirectè, & dantes auxilium, conſilium, & fauorem*, ſint intelligendæ in ſingulis prohibitis ab initio can. 14. vſque ad finem præſentis 18. Lis eſt inter auctores. affirmat Tolet. l. 1. cap. 29. num. 4. Sylu. excommunicatio 7. num. 70. 71. 72. Tabiena excommunicatio 6. num. 12. quod ſit vnicus contextus. Negat Alterius d. 19. cap. 4. initio, quod in ſingulis caſibus expreſſerit Pontifex, quando voluit facere extenſionem. vnde in can. 14. exprimuntur qui dant auxilium, conſilium, & fauorem. ſic in 16. & 18. Illa verò clauſula, *directè, vel indirectè*, apponitur in 15. & 18. ob id non ſunt faciendæ extenſiones, niſi vbi à Papa ſunt factæ. An verò poſſeſſiones grauatæ tributis, & talleis tranſeant ad Eccleſiaſticos cum ſuo onere, necne, Theorem. 77. num. 6. dixi, & aliæ ſimiles difficultates explicantur ab Abbate. c. fin. de vit. & honeſt. cler. & c. non minus. de Imm. Eccleſ. Petro Ancharan. & Geminiano ibidem. Ioan. And. c. 1. de Imm. Eccl. l. 6. Archidiac. ibidem. Sylu. immunitas. 1. §. 19. Alterio. d. 19. c. 6. toto.

THEOREMA 428.

VTi lata eſt ſupra excommunicatio in defenſionem libertatis Eccleſiaſticæ in caſuſ ciuilibus, ita in hoc §. 19. fertur ad eamdem tuendam in caſuſ criminalibus, qui caſus additus eſt bullæ cœnæ à Pio V. & Gregor. XIII. cum non haberetur in bulla P. Iulij III. apud Ledeſmam, nec Pauli IV. apud Sotum, vt notat Sayrus. Hoc idem tamen, iure veteri prohibuerant Conſtantinus, Theodoſius, Heraclius, Feder. II. l. 1. Cod. tit. de Epiſc. & cler. Auth. *ſtatuimus*, vbi ſic ait: *ſtatuimus, vt nullus Eccleſiaſticam perſonam in criminali quæſtione, vel ciuili trahere ad Iudicium ſeculare præſumat contra conſtitutiones Imperiales, & canonicas ſanctiones. Quod ſi actor fecerit, à ſuo iure cadat, iudicatum non teneat, & Index ex tunc poteſtate iudicandi priuetur*; & Carolus IV. anno 1377. præter alias pœnas tranſgreſſores ipſo facto reddidit infames, priuatos omni honore, & à nobilium numero excluſos, vt vidimus Epit. 29. & iure canonico. 11. quæſt. 1. c. nullus Epiſcopus. c. nullus iudicum. c.

ſi diligenti. de foro compet. c. at ſi clerici. & c. qualiter. de Iudiciis. bulla 3. Vrbani V I. quæ incipit. *quia.* vt in Epitom. 28. & bulla. 4. Bonifacij I X. quæ incipit. *inſtiá*, vt Epit. 29. *Summi Pontifices.*

Actio igitur hoc loco damnata, eſt ſacrilegium commiſſum à ſæcularibus Magiſtratibus,& Iudicibus, Notariis, cæteriſque miniſtris, qui quomodolibet ſe immiſcent in cauſis capitalibus,ſeu criminalibus(dicuntur *capitales cauſæ*, ex Gloſſa in l. tranſigere. Cod. de tranſact. in quibus agitur de crimine capitali, cui pœna imponitur, aut vltimi ſupplicij, aut amiſſione libertatis, vt ſi damnetur quis ad metallum, ſeu triremes, aut amiſſione ciuitatis, vt cum quis deportatur. *Criminalis* verò latius patet, cum complectatur omne iudicium de crimine contra aliquem, ex Claro in pract. crim. quæſt. 1.) Clericorum eos proceſſando (quo verbo includuntur omnia acta in iudicio in aliqua cauſa) banniendo,id eſt in exilium mittendo,& relegando ad tempus, à quo diuerſum eſt deportare, quod eſt damnare exilio perpetuo. l. relegatorum. ff. de Interd. Sylu. v. bannum. §. 4. quod eſt ſpecies quædam capitis diminutionis,vt dicitur Inſtit. de capitis dimin. §. eſt autem. capiendo, ſententias contra eos proferendo, vel exequendo, ſine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa licentia Papæ, cuiuſuis ſint dignitatis, & nominis,vnde complectitur Magiſtratus,Iudices,Notarios, ſcribas, qui ſcilicet tranſcribunt excepta per Notarios, executores, & cæteros, quocunque nomine vocentur, ſe in his interponentes, niſi habeant ſpecialem, ſpecificam & expreſſam licentiam Sedis Apoſtolicæ.

Quare non ſufficit primò licentia per verba generalia, vt ſi Principi ſit conceſſum, vt in ſuo dominio poſſint ſæculares iudices cognoſcere de cauſis clericorum, cum huiuſmodi licentia ſit generalis, non ſpecifica, cum non exprimat de quibus clericis, vtrum conſtitutis in ſacris, an aliis tantum; nec de quibus cauſis ſit ſermo,ciuilibus, an criminalibus,&c. num de leuibus tantum, an etiam de atrocibus criminibus.

Secundò,debet eſſe licentia expreſſa, vnde non ſatis eſſet ad vitandâ excommunicationẽ ſi Princeps longo temporis ſpatio publicè vſurpaſſet iuriſdictionem animaduertendi in perſonas Eccleſiaſticas,etiam ſi probabiliter præſumeret,id ad Pontificis aures peruenisſe,& non fuiſſe reprehenſum, quaſi Pontifex tacitè approbaret. Sed eſt neceſſaria licentia expreſſa, quia ex cap. iam dudum. de præb. multa per patientiam tolerantur, quæ ſi fuiſſent ad iudicium deducta, tolerari non debuiſſent.

Tertiò debet eſſe licentia ſum. Pontificis, & non inferioris, v. g. Epiſcopi, ex hoc §. & communi ſententia Ripæ. cap. decernimus. num. 34. de iudiciis. Clari. §. fin. quæſt. 41. num. 5. & 7. Gloſſæ d. c. decernimus, & de nouo adiecit Paulus V. ad maiorem declarationem præcedentium. Quíque huiuſmodi licentiam ad perſonas, & caſus non expreſſos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur. vt Principes ſæculares ſcirent, ſe in excommunicationem cadere, ſi præſumerẽt Eccleſiaſticorum cauſas criminales iudicare, quamuis

ſuffulti

ſuffulti eſſent ſpeciali, & expreſſo priuilegio Sedis Apoſt. ſi quouis modo in tali cognitione, vel quoad perſonas, vel quoad caſus, vel quoad alias conditiones excederent Priuilegij fines.

Vtrum autem ſit neceſſarium, vt hæc licentia ſit quo ad perſonam, & quod delictum in indiuiduo ſpecialis, non omnino conſtat. nam Suarez num. 103. ſentit ſufficere, ſi licentia ſit ad tale delictum cognoſcendum in ſpecie, & licentia ſit generalis quoad perſonas Eccleſiaſticas, tempora, & loca, in quibus tale crimen inuentum fuerit. Alterius d. 20. cap. 1. tenet debere eſſe licentiam ſpecialem, tam quoad perſonas, quam quo ad delictum in indiuiduo. Solent tamen à Doctoribus excipi aliqui caſus, in quibus iudex ſæcularis abſque metu excommunicationis poteſt ſe immiſcere, vt ſi clericus amiſit priuilegium clericale, ex Dec. Felin. Abbate. cap. cum non ab homine. de iudic. vel ſi clericus deprehendatur in flagranti delicto, vt interim iudex iniuriam compeſcat, vt ſi clericus aſportet furtum, cum animo tamen tradendi eum ſuo iudici competenti, & alij ſimiles. de quibus Nauarr. cap. 27. num. 83. & ſeq. Graff. l. 4. cap. 18. nu. 150. & ſeqq. Alterius d. 20. cap. 1. Viualdus in expl. bullæ num. 124. Panor. cap. cum non ab homine. de iudiciis. Molina t. 1. d. 31. Sotus 4. d. 25. q. 2. art. 2. Couarr. in qq. pract. c. 31. 32. 33. Vide etiam Theor. 424.

THEOREMA 429.

VIgeſimus Canon duas habet partes, vnam vſque ad. *Nec non ſupremam*; alteram vſque ad finem. & quidem Prima vetus eſt, cum habeatur in bulla Martini V. apud D. Anton. 3. p. t. 24. cap. 72. & Syl. excom. 7. num. 75. Altera cæpiſſe videtur ſub Iulio III. vt colligitur apud Ledeſmam 2. 4. q. 26. art. 2. Continet autem excommunicationem in defenſionem temporalis dominij, iurium, & ſupremę iuriſdictionis pertinentium ad Sedem Apoſt. & quoad perſonas delinquentes, eſt vniuerſalis, & ſine vlla exceptione, ſiue ſint ſæculares, ſiue Eccleſiaſtici, & cuiuſcunque gradus.

* Actiones principales prohibitæ duæ ſunt. Prima per ſe, vel alios, directè, vel indirectè ſub quocunque titulo, vel colore præſumptuosè inuadere, deſtruere, occupare, detinere in totum, vel in partem, almam vrbem, & alias ciuitates, & loca, vel in eis vſurpare iura ad Sedem Apoſt. mediatè, vel immediatè pertinentia. Secus autem, ſi loca, & iura ſolum ſpectent ad perſonas priuatas, vt priuata domus, vel ager; & dicitur *mediatè, vel immediatè ſubiecta Eccleſiæ Romanæ*, vt comprehendantur tam loca, in quibus Apoſtolica Sedes per ſuos officiales ius dicit, quæ dicuntur immediatè ſubiecta, quàm illa, quæ ſunt alicui in feudum conceſſa, & à feudatariis reguntur. Secunda, præſumere de facto vſurpare, perturbare, detinere, & variis modis vexare ſupremam iuriſdictionem Papæ, & Rom. Eccleſiæ in eiſdem locis competentem. quare hæc excommunicatio non ſolum incurritur, quoties quis præſumit Eccleſiæ Rom. loca inuadere, occupare, deſtruere, ſed etiam ſine vlla inuaſione, & oc-

cupatione, si quouis modo impediant, ne in illis Officiales Sedis Apost. iurisdictionem exerceant. ob id prior excommunicatio perstringit inuadentes corporaliter ipsa loca Rom. Ecclesiæ; posterior autem de facto vsurpantes iurisdictionem, quam in dictis locis habet Ecclesia Rom. quæ est res incorporea. Actiones accessoriæ dānatæ, sunt. Prima, adhærere prædicta facientibus. Secunda, illis fauere. Tertia, illos defendere anxilio, consilio, fauore.

Supremæ autem iurisdictionis nomine, vt etiam iurium Ecclesiæ Rom. denotantur temporales, cum sit superius spirituali sufficienter prouisum. Num autem si pluribus actionibus contra hunc canonem peccetur, incurrantur plures, an vnica tantum excōmunicatio? Videndus Nauar. cap. 6. num. 17. 18. Alterius l. 3. d. 10. cap. 8.

Dubitabis, an si vna pars ciuitatis Papæ subiectæ armata manu inuadat alteram partem, vel vna ciuitas aliam, non vt illam ab obedientia Papæ subtrahat, sed vt ipsa alteri ibi prævaleat, vt solet accidere in capitalibus inimicitiis, & factionibus, incurrat, qui in hoc delinquit, excommunicationem, necne. Qua in re Caiet. excommunicatio. cap. 17. Nauar. c. 27. n. 73. Suarez d. 21. sent. 2. num. 105. Sayrus. l. 3. cap. 24. num. 5. Alterius. d. 21. cap. 1. Affirmant, eò quod factiosi isti, licet nolint tollere ab Ecclesia Rom. loca, dum tamen volunt ibi prævalere, & quasi dominari, indirectè vexant, & turbant regimen ciuitatis, & supremam Ecclesię iurisdictionem, præsertim cum huiusmodi inuasiones nunquam fiant absque partiali saltem Ciuitatis destructione. & in eandem incurrunt banniti hostiliter in magno numero irruentes in loca & ciuitates Ecclesiæ, vt aduertit Sayrus, & Alterius locis citatis.

Extat hac eadem de re constitutio 10. Io. XXII. in qua huiusmodi perturbatores non solum excommunicātur, sed etiam priuantur priuilegiis, iuribus, feudis, eorumque loca subiiciuntur interdicto. habetur etiam bulla, quæ incipit. *Etsi solerter.* Clementis VI. anni 1342. eadem de re, & aliæ posteriorum Pontificum Alexandri VI. num. 1. Iulij II. num. 6. & aliorum, vt dictum est Theor. 61. 62. Quonam autem iure, & tempore summi Pontifices totius status Ecclesiastici sint iurisdictionem adepti, diligenter persequitur Alterius. d. 21. cap. 1. & 2. Sigonius de regno Italiæ, & Illustr. Baronius in annalibus. Videndum etiam Theorema 60.

THEOREMA 430.

INcipit can. 21. pars tertia bullæ, in qua ponuntur clausulæ spectantes ad confirmationem, & obseruationem illius. hoc igitur §. 21. à Pio V. primò statutum est, vt huiusmodi processus, & litteræ non expirent morte Pontificis, sed durent, quo vsque alij fiant, aut publicentur à Pontifice pro tempore existente. quo loco particula (*aut*) non habet vim disiunctiuam, sed copulatiuam, vt aliàs sæpe ex Alberico in dictionario, dictione (*vel*) Felino in cap. inter cæteras. num. 10. de rescript. Baldo in l. 2. Cod. de obseq. patr. præst. Archidiac. in cap. pastoralis 7. q. 1.

vnde

vnde ſenſus eſt, donec alij fiant, & publicentur. cum non ſufficiat legem ſcriptam eſſe, niſi etiam publicetur quòd promulgatione incipiat obligare ſubditos.c. ad hæc. de poſtul. prælat.

THEOREMA 431.

ALtera, quæ habebatur etiam in bulla cænæ Martini V. apud S.Anton. cap.72. & Sylu. excom.7. num.76. reſeruantur harum litterarum caſuum abſolutiones extra mortis articulum ſummo Pontifici. In tali verò articulo, in quo ex Conc. Trid. ſeſſ.14. c.7. nullus caſus reſeruatur, ad obtinendam abſolutionem ab alio, quàm à Papa, prærequiritur cautio de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo parti læſæ. Non enim Pontifex exigit, vt præcedat realis ſatisfactio, cum ea ſæpè tunc ſit impoſſibilis: ſed ſolum expreſſam cautionem poſtulat de ſatisfaciendo, licet, ſi poſſit commodè, optimum ſit id ſtatim facere. Debet tamen cautio eſſe ſufficiens arbitrio prudētis Cōfeſſarij. Communiter dicitur, debere eſſe pignoratitiam, ſi hæc non poſſit, fideiuſſoriam, quod ſi neque hæc dari poſſit, ſaltem iuratoriam, iuxta Gloſſam penult. Clem. 1. §. verum. de hæret. Cardinalem ibidem.q.4. Felin. cap. poſtoralis. §. præterea de off. ordin. Nauar. cap.27.nu.72. Suarez d.21. ſect.3. num. 1. Addit tamen Sayrus, ſi quando accidat, vt pœnitens ſit in extremis, ita vt nec iuratoriam cautionem præſtare poſſit, debere abſolui, quia talis cautio ſolum requiritur, quatenus eſt poſſibilis, & non aliter.

Cum verò dicimus ſolum ſum. Pontificem poſſe ab his cenſuris abſoluere, non excluduntur ipſius miniſtri, ſeu delegati ad hunc effectum, cum apertè conſtet ſummi Pontificem nec debere, nec moraliter poſſe ab omnibus huiuſmodi caſibus abſoluere, immo nec ſolere id facere. Eſt tamen neceſſarium, vt delegatio fiat modo in hac Conſtitutione præſcripto, non per indultum generale, alias quantum ad cenſuras bullæ cænæ non habebunt facultates, & priuilegia; cum per hanc clauſulam hi caſus particularem habeant reſeruationem, & reuocentur quæcunque priuilegia cuiuis conceſſa, & concedenda, abſoluendi ab his cenſuris per ſum. Pontificem, Sedémque Apoſtol. ac cuiuſuis Concilij decreta, niſi in eis comprehendantur caſus præſentibus litteris expreſſi.

Quare nullo modo admittenda videtur ſententia Bannes 2.2.q.11. art.4. Cordubæ l.1.quæſt.11.art.1. Viualdi in fine bullæ. Ioſephi Angles in flor. quæſt.de confeſſ.art.5. dub 6. Henriquez l.6. cap.14. n.7. exiſtimantium per hanc bullam non derogari conceſſioni factæ Epiſcopis in caſibus occultis reſeruatis Sedi Apoſt. à Conc. Trid. ſeſſ.24. cap.6. vt abſoluere poſſint ſuos ſubditos delinquentes in foro conſcientiæ, ab hæreſi quidem per ſe ipſos, in aliis autem à Vicario, eo quòd pœnitens ab Epiſcopo abſolutus non abſoluatur ex vi priuilegij ſibi conceſſi, quod hic prohibetur, ſed tantum auctoritate, qua Epiſcopus fungitur, quæ non fuerit à ſummo Pontifice coarctata. tum quia expreſsè bulla ait, abſolui non poſſe nec prætextu facultatum, & indultorum conceſſorum

ceſſorum ordinibus mendicãtium militiarum, regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia maiori prædictis. nempe vt poſſint abſoluere, & abſolui; nec laicis etiam Regali, & Imperiali excellentia fulgentibus, per Papam, & dictam Sedem Apoſtolicam, ac cuiuſcũque Concilij decreta, ſcilicet vt poſſint abſolui. quod etiam docet Nauarr. cap. 27. num. 260. 275. Franc. Penna p. 3. direct. ſchol. 92. Suarez t. 4. d. 30. ſect. 2. num. 10. & t. 5. d. 21. ſect. 3. num. 5. Tolet. l. 1. cap. 30. num. 2. Azor t. 1. l. 8. cap. 10. q. 10. Maiolus l. 5. de irreg. cap. 46. Alterius d. 22. cap. 2. licet in aliquo perplexus. Tum quia ex citatis id declararunt viuæ vocis oraculo Pius V. Gregorius XIII. & Clemens VIII. Tum quia hac de re conſulti Illuſtr. Cardinales ſuper Concil. Tridentino idem omnino reſponderunt ex Nauar. conſ. 11. de Priuileg. tum denique quia ſtylus, & vſus Curiæ Romanæ ita ſemper intellexit.

THEOREMA 432.

TErtia, quæ fuit etiam bulla Martini V. apud D. Anton. & Clementis VII. continet excommunicationem eo ipſo incurrendam aliáſque ſpirituales, & temporales pœnas pro libito Pontificis infligendas in eos, qui abſque licentia, & contra tenorem bullæ cænæ, obſtrictis anathemate bullæ, beneficium abſolutionis de facto (de iure enim facultas denegatur. quare cum careant iuriſdictione, abſolutio nulla eſt.) præſumpſerint (ſcienter videlicet, dolo, ac temere ex cap. decernimus. num. 6. de iudiciis. Cardinali in Clem. 1. quæſt. 39. de priuileg. Calderino conſil. 4. de ſent. excom.) impendere, vnde ſi quis bona fide, ſine dolo, ex inaduertẽtia aliquem ex prædictis excommunicatis abſolueret, excommunicationẽ hanc non incurreret, vt etiam notat Nauar. cap. 27. num. 74. Caietanus excom. cap. 58. & 81. Suarez d. 21. ſect. 3. num. 7.

Sed dubium eſt an hæc excommunicatio incurſa ob datam abſolutionem prædictis, ſit reſeruata, vt præcedentes, necne, ſummo Pontifici à Felinus in cap. paſtoralis §. præterea. num. 9. de off. ordin. Sylu. abſol. 1. §. 10. in fin. Caiet. excom. cap. 77. Armil. excom. n. 7. Rebuffus in bullam cænæ, art. 13. verſ. Illos autem, affirmant. Oppoſitum tenet Nauar. cap. 27. n. 74. verſ. ſecunda. Tolet. l. 1. cap. 30. num. 4. Suarez d. 21. ſect. 3. num. 6. Sayrus l. 3. cap. 25. num. 7. Alter. d. 22. cap. 3. dub. 2. tum quia auctor bullæ non ſibi reſeruat hanc excommunicationem, ſecus ac olim fecerat Paulus II. ex Felino, & Tolet. ideo ei, cui de iure competit, abſolutio conceditur, iuxta cap. nuper. de ſent. excom. tum quia hæc excommunicatio additur poſt factam reſeruationem in præcedenti clauſula. quare reſeruatio ſolum ſe extendit ad caſus præcedentes, non etiam ad ſubſequentes.

Nec obſtat extrauagans Sixti IV. quæ incipit. *Etſi dominici.* de pœnit. & remiſſ. cum tantum comprehenderet eos, qui abſoluebant vigore priuilegiorum, & facultatum à ſe conceſſarum, quas reuocat, & contrafacientes eo ipſo excommunicat, prohibens abſolui ab alio, quàm à Pontifice Rom. vt ſcribit Nauarr.

Nauar. cap. 12. num. 75. Suarez d. 22. sect. 5. num. 20. Alter. loco cit. At iam non reperiuntur huiusmodi indulta, & licentiæ à Sixto concessæ, nec quisquam illarum prætextu absoluit. vnde non censetur excommunicatio hæc reseruata, vt olim. Sicut nec qui prædictos excommunicatos absolunt, incurrunt cæteras pœnas, vt olim. siquidem ex Rebuffo in expl. bullæ cœnæ Pauli III. & ex Anton. 3. p. t. 24. cap. 7. in bulla Martini V. interdicebantur prædicationis, lectionis, administrationis Sacramentorum, & audiendæ confessionis officio, quæ pœnæ in bullis recentioribus sunt omissæ, & sola apposita excommunicationis censura, vt aduertit etiam Suarez n. 7. & Sayrus cap. 25. num. 6.

THEOREMA 433.

QVarta continet conditiones requisitas, vt absolutio per Sedem Apostol. faciendæ possit ei, qui absoluendus est, suffragari, nempe vt antea à præmissis delictis destiterit, verúmque propositum habeat non committendi similia de cætero, quæ sunt in quacunque excommunicationis absolutione communia; cum æquum non sit, vt eximatur à pœna, qui non vult desistere à delicto. Deinde, vt qui fecerunt statuta contra libertatem Ecclesiasticam, de quibus can. 15. non censeantur absoluti, nisi prius publicè decreta reuocauerint, de libris deleuerint, & de reuocatione certiorem fecerint Rom. Pontificem. vid. Theor. 15. Simile habetur in c. nouerint, de sententia excomm. cum enim inciderint in censuram ob statuta prædicta, vt absoluantur, ea cassare debent. ideo non est hoc ius nouum, sed antiquum; ob id non dicit Pontifex, *statuimus*, sed, *declaramus*. & addit. *protestantes quamcunque absolutionem ab excommunicatione*. nempe in foro interiori, vel exteriori, absolutè, vel sub conditione, simpliciter, vel ad cautelam, solemnem, & non solemnem generaliter, vel specialiter datam, futuram nullam, nisi seruatis prædictis quinque conditionibus. Quin etiam protestatur neminem posse prætendere à prædictis censuris se liberare per quamcunque absolutionem, vt puta, cum quis impetrat rescriptum Papæ, in quo solet addere, *téque ab quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & aliis Ecclesiasticis censuris ad hunc effectum absoluentes*, & c. seu etiam solemnes benedictiones, v. g. in die cœnæ (nec enim tunc datur vlla absolutio) sed tantum per viam absolutionis à summo Pontifice cõcedendæ. ideo nullos contrarios actus per Pontificem factos tacitè, vel expressè, nec patientiam & tolerantiam quantocunque tempore eiusdem continuatam prædictis suffragari, aut Ecclesiæ Romanæ iuribus quandocunque quæsitis, vel quærendis posse, aut debere præiudicare. Quocirca si quis absoluatur v. g. ab excommunicatione ob occupatam rem pertinentem ad Rom. Ecclesiam, non ob id censendum est iuribus Ecclesiæ Rom. præiudicatum, adeo vt non semper teneatur occupãs restituere; sicut enim ante, ita post absolutionẽ cogi potest ad restitutionem. quare hac particula præseruantur bona, & iura Ecclesiæ, ne ab aliis præscribi possint.

Scortia.

THEOREMA 434.

QVinta, & sexta clausula reuocat Pontifex omnia priuilegia, consuetudines, & præscriptiones quibuscunque personis concessas, quibus se tueri posse præsumerent contra bullam cænæ, vt si cui indultum fuerit, ne possit excommunicari per Apost. litteras, nisi facientes plenam, & expressam mentionem de huiusmodi priuilegiis. ob ib abrogantur in his clausulis omnia priuilegia cuiuscunque generis, & ex quacumque causa, & titulo, etiam inita per viam cõtractus, & remunerationis, non ex mera liberalitate, quæ difficilius solent abrogari, ex Baldo. l. qui se patris. num. 12. Cod. vnde liberi, & Iason. l. non amplius. §. si certum. num. 14. ff. de leg. 1. & quibuscunque personis, & locis concessa. De quorum generibus priuilegiorum, videndus Abbas num. 25. & Felin. numer. 21. in cap. nouit. de iudiciis.

Secundò tolluntur omnes consuetudines & præscriptiones cuiuscunque temporis contra ea, quæ in bulla cænæ continentur. licet enim auctoritas consuetudinis immemorabilis sit magna, reuocari tamen debet, si à recta ratione dissentiat. cap. fin. de consuetud. non est autem consentaneum rationi, vt contra Ecclesiasticam disciplinam, & efficaciam censurarum se quis tueatur. c. cum olim de consuetud.

Differt porrò consuetudo à præscriptione, quòd illa non est acquisitiua alieni iuris, sed solùm derogatiua iuris communis; hęc verò est acquisitiua iuris alieni. Itẽ præscriptio dicitur rerum, consuetudo autem morum, ex Felin. in cap. auditis. n. 35. de præscript. licet sæpè confundantur, ex Abbate. c. quibusdam. num. 9. de verb. signific.

Reuocat igitur Põtifex omnem præscriptionem contra prædicta, cum aduersus supremam Papæ potestatem nullus possit præscribere, quia nullus fidelis in Ecclesia esse possit sine Papa, eius capite. cap. omnibus. de censibus. & ibidem Abbate num. 2. Consuetudinem, nec non scriptas, & non scriptas obseruantias, id est consuetudinum vsum, ex cap. cupientes. de elect. l. 6. si quæ vigent contra bullam cænæ. additque clausulas grauissimas, & derogatorias derogatoriarum, non obstantibus, &c. de qua Abbas in cap. suggestum num. 6. de decim. *Præsentibus pro expressis habentes, &c. penitus tollimus, & omnino reuocamus. cæteris̃q; contrariis quibuscunque.* de quibus Ant. Gabriel vol. 2. l. 6. de clausulis. concl. 5. Felin. in cap. nonnulli. de rescript. num. 9. Rebuff. in 2. p. prax. benefic. tit. de form. nõu. prouis.

Ex his intelligimus tolli omnia, quæ repugnare possent contentis in bulla cænæ, ac si omnia fuissent expressa. aliàs ex Ripa in cap. 1. n. 55. de rescript. & Mendosio super reg. cancell. 11. quæst. 9. sequeretur, vt quoties Papa vellet derogare priuilegiis à se, vel prædecessoribus concessis, teneretur mentionem facere de singulis, quod est absurdum, & contra stylum Curiæ Romanæ.

THEOREMA 435.

DEnique clausula 7. & 8. quia lex vim non habet obligandi subditos,

ſubditos, niſi ſciatur. l. leges ſacratiſſimæ. Cod.de legibus.& cap. cognoſcentes de conſtit. Sciri verò nequeunt, niſi manifeſtentur, & promulgentur, ſeu denuncientur in publicis locis voce præconis, aut alia legitima via, mandat Pontifex hac 7. clauſula bullam cænæ locis ſolitis in Vrbe affigi, vt ſciri ab omnibus poſſit; extra verò præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ Patriarchis, Primatibus, & cæteris locorum ordinariis, Prælatis ſcilicet, qui habent iuriſdictionem fori exterioris, & poteſtatem exercendi, ſiue ſint Epiſcopi, ſiue prælati inferiores exempti, habentes quaſi Epiſcopalem dignitatem, vbilibet conſtitutis, vt per ſe, vel alios præſentes litteras, poſtquam eas receperint, ſaltem ſemel in anno (olim enim ſingulis annis ter publicabantur, vt ex Toleto l. 1. cap. 18. & aliis, Theor. 25.& 404.diximus) ſolemniter publicent, ne quis poſſit prætendere ignorantiam, niſi videlicet excuſentur, quòd per Principes id eis permiſſum non ſit, & perturbandus ſit populus, & ſint ſcandala ſecutura.

Quare clauſula 8. præcipit, vt tam prædicti prælati, & locorum Ordinarij, quàm rectores habentes animarum curam, presbyteri ſæculares, & quorumuis ordinum regularium deputati ad audiendas confeſſiones, habeant apud ſe, legant, & percipere ſtudeãt legitimũ bullæ tranſcriptum; vt officio, & muneri proprio poſſint ſatisfacere.

Hæc habuimus Deo Superiſque fauentibus, quæ de ſummorũ Pontificum ſelectis Conſtitutionibus ad Dei Optimi Maximi honorem, & gloriam, ſponſæque eius Eccleſiæ Catholicæ, cui nos noſtráque omnia ſubmittimus, exaltationem, ac miniſtrorum illius vtilitatem, in Eccleſiaſticum cenſum inferremus.

LAVS DEO SEMPER.

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM.

A

Abortus fœtus procurantium, & complicum, pœnæ. Epitome 146. & Theoremate 376

Absoluendus ab excommunicatione bullæ Cœnæ, in articulo mortis, ab alio quàm à Papa, cautionem dabit communiter, de standō Ecclesiæ mandatis, & quam. Theor. 431

Absolutio à casibus bullæ Cœnæ facienda per Papam, quas conditiones requirat, vt valeat absoluendo. Theor. 433

Absoluens à casibus bullæ Cœnæ absque Papæ licentia, quas contrahat pœnas. Theor. 4. 32

Aduenæ, & peregrini liberè vbicumque hospitentur, testari possunt, hospites verò nihil eorum sibi vsurpent, Epit. 7. num. 9. & Thor. 22

Agnus Dei cerei non sunt auro, aut colore miniandi. Theorem. 328

Agricolarum indemnitates. Epit. 7. num. 10. & Theor. 23

Affinitatis, & consanguinitatis gradus in matrimonio contrahendo, seruandi. Theor. 229. 230. & seqq.

Alienatio rerum Ecclesiasticarum quomodo accipiatur. Theor. 1

Alienandarum earumdem causæ, & modus. Theor. 2. & 24

Alienantium illegitimè illas, pœnæ. Theor. 3

Earumdem alienandarum solemnitates. Epit. 1. & 42. & Theor. 1. 2. 3. 116. 117. 118.

An eædem solemnitates requirantur in non aquirendo monasterio, vel Ecclesiæ res de nouo. Theor. 2

Alimentorum nomine quæ veniant. Theor. 303

Alumen staminibus inficiendis necessarium, non deferendum ad Christianos ab Infidelium Prouinciis. Theor. 373

Ambientium dignitates habentes administrationem Iurisdictionis, pœnæ. Theor. 325

Anima rationalis naturæ lumine probatur immortalis. Theorem. 142

Anima rationalis à Deo ex nihilo creatur, & immediatè infunditur humano corpori. Theorem. 146

Anima rationalis non est eiusdem speciei cum Angelis. Theorem. 146

Anima vnica in homine non duæ, aut tres, eaque rationalis, quæ simul dat esse vegetatiuum, & sensitiuum. Theor. 147

Anima rationalis est informans, non assistens. Theorem. 143. 144

Anima rationalis pro corporum, quibus infunditur multitudine,

multiplicatur. Theorem. 144
Anima rationalis poſt Titij mortem non migrat in corpus alterius hominis, aut belluæ. Theor. 145.
Anima rationalis non eſt aliquid Diuinæ ſubſtantiæ. Theorem. 146
Anima rationalis quando incipiat animare corpus. Theor. 376
Animæ iuſtorum penitus purgatæ ſtatim poſt mortem admittuntur in Cœlo ad Deum clarè videndum, iuxta menſuram meritorum non expectato vltimo die Iudicij. Et impiorum iuxta demerita pœnis torquendæ ſtatim poſt mortem in infernum damnantur. Theor. 91
Anathema quid ſit. Theor. 56
Annus 16. ætatis completus eſſe debet in religioſorum profeſſione. Theor. 383
Annatæ, quæ penſiones. Theor. 121
Annatas communes, & cæteras non ſoluentium ſtatuto tempore pœnæ. Theor. 121. 122. 123. 138. 175. 363
Annona non exportanda ex Prouinciis Eccleſiæ. Theor. 342. & ſeqq.
Apoſtolica ſedes vti accipiatur. Theor. 334
Apoſtatæ à Fide morti adiudicandi. Theor. 40
Apoſtaſia à Fide quid ſit. Theor. 8. 410.
Apoſtaſia, & hæreſis in quo differant. Theor. 8. n. 5. & Theor. 40
Appellationes Hæreticorum, & complicum non admittendæ. Theor. 29. 52. num. 11
Appellatio à Papa ad futurum Cõcilium quibus pœnis plectatur. Theor. 106. 411
Armis ſibi ipſis ius dicentium cenſuræ. Theor. 61. 62. 63
Arma, equos, &c. ad Infideles mittentes, quibus ſubiiciantur pœnis. Theor. 102. 103. 416
Articulus mortis qui. Theor. 76
Aſſaſſini qui dicantur. Theorem. 385
Aſtrologi Iudiciarij, eorúmque ſcripta damnantur. Epit. 23. & 140. & Theor. 65. & ſeqq. & 360. & ſeqq.
Auaritia omnis improbitatis ſedes. Theor. 139.
Auaritiæ filiæ ſeptem. ibidem.
Auocantium à Iudicibus Sedis Apoſt. ad ſæculares cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas, & impedientium earum curſum, cenſuræ. Theor. 423

B

Banniti, & Decoctores non retinendi in Italia in locis Eccleſiaſticis ſub cenſuris. Theor. 357
Bannitis fauentes rei læſæ Maieſtatis, Eccleſiæ rebelles, priuantur feudis, &c. Epit. 138. Theor. 355. & ſeq.
Beatorum præmia, & damnatorum pœnas inæquales futuras iuxta merita, & demerita. Theor. 92
Beneficiorum fructus non exacti ſucceſſori debentur. Theorem. 170
Beneficiorum ingreſſus, acceſſus, regreſſus quid ſint. Theorem. 202
Beneficij deuolutio quid. Theor. 238
Beneficij inſtitutio quid, quomodo & quãdo facienda. The. 238.
Beneficiorum reſeruationes quas, & cur

& cur Pontifices fecerint. Theor. 164.247
Beneficia reſeruata, & affecta an differant. Theor. 164.198
Beneficia reſeruata quibus conferri non poſſint. Theor. 251
Beneficiorum reſeruandorum forma. Epit. 135. Theorem. 351. & ſeqq.
Beneficij reſignatio quotuplex. Theor. 249
ad Beneficia promouendi modus. Theor. 176.177
Beneficia vacantia, Epiſcopali Sede vacante. Epit. 100. Theor. 247
Beneficiatorum legata pia, & debita, ex quibus bonis ſoluenda. Epit. 64. Theor. 170
Bibliorum verſio in linguam vernaculam improbata. Theor. 11
Blaſphemia atrox crimen, & contra quam virtutem. Theorem. 222
Blaſphemiæ pœnæ. Theor. ibid.
Blaſphemiæ hæreticales quæ. ibid.
Blaſphemiæ in Deum, & Sanctos an ſint eiuſdem ſpeciei. ibid.
Blaſphemantes denunciandi, & coërcendi. ibidem.
Bona tam Eccleſiarum, quàm perſonarum Eccleſiaſticarum, an, & quomodo immunia à collectis. &c. Theor. 16. 17. 77. 82. 83. 427
Bona Eccleſiæ rapientes, & vſurpantes cenſuris coërcentur. Theor. 72. 121. 122. 123. 131. 175. 429
Bona Eccleſiæ quibus ſolemnitatibus alienanda. Epit. 1. & 42. Theor. 1. 2. 3. 116. 117. 118
Bona locáque Eccleſiæ non locanda, infeudanda, alienandaue vltra triennium. Epit. 42. Theor. 115. & ſeqq.
Bona Regularium degentium extra clauſtrum quibus debeantur. Theor. 340. & ſeq.
Bona defunctorum Epiſcoporum, presbyterorum, clericorum inuadentes, cenſuris coërcentur. Theor. 5
Bullæ nomen quid ſignificet. Theor. 408
Bullis Pontificum cur appendatur plumbeum ſigillum. Theorem. 408
Bullæ Cœnæ antiquitas. Theor. 407
Bulla Cœnæ cur appelletur proceſſus. Theor. 408
Bulla Cœnæ ter in anno olim promulgari ſolita. Theor. 408
Bulla Cœnæ an ſit à iure vel ab homine. Theor. 409

C

CAbala quid ſit. Epitom. 157. Theor. 394
Cadauerum capſæ amouendæ ex Eccleſia. Theor. 219
Cambium vnde dictum. Theor. 279
Cambium quid ſit. Theor. 280
Cambij vtilitas, & neceſſitas. Theor. 279. 281. 306
Cambij modi, & veluti ſpecies. Theor. 280. 282
Cambium, & mutuum, plurimum differunt. Theor. 283
Cambium manuale. Theor. 281. 285
Cambium per litteras, eiúſque ſpecies. Theor. 282
Cambium reale per litteras, quo Campſor prius accipit pecuniam, vt alibi cum moderato lucro, habita ratione diſtantiæ locorum, expenſarum, laborum, periculorum, eam ſoluat Campſuario

pſuario licet. Theorem.286
Cambium reale, quo Campſor prior ſoluit pecuniam, vt alibi cum moderato lucro recipiat, etiam inuariato pretio monetæ, licet, quicquid aliqui ſenſerint. Theor.287
An ſi cambium ſit vtrique contrahentium commodiſſimum poſſit alter auctuarium accipere. Theor.286
Cambium reale ad nundinas licet. Theor.288
in Cambio pecunia præſens plus valet, quàm abſens. Theorem. 287.288
Cambire an omnibus liceat. Theorem.285
Cambium ſiccum quid ſit. Theor. 285. 307.308
Cambia ſicca damnantur. Theor. 306.& ſeq.
Cambium cum recambio licet, & quomodo fiat. Theor.289
In recambio per acceptationem litterarum nouarum ſemper extinguitur cambium præcedens. Theor.289 291
Cambium cum recurſa licet, & quomodo fiat. Theor. 291
Licet ſuas pecunias tradere Campſori, qui eas negotietur, & aſſecuret capitale recepta pro vtroque officio iuſta mercede, cætero lucro, quod in cambio pecuniæ pepererint earum Domino perſoluto. Theor.290
Cameræ Apoſtolicæ qui, & quot officiales. Theor.140
Si quis ex his participet in contractibus Cameralibus, quas incurrat pœnas. Theor.141
Canon quid. Theor.131
Canonem ſtato tempore non ſoluentes Cameræ Apoſt. puniuntur. Theor.132
Capellæ defuncti Cardinalis, ornamenta, Cruces, candelabra etiam debentur Cameræ Apoſt. cui etiam hæredes ſoluent ducatos 500. pro annulo. Theor. 170
Capellæ Archiepiſcoporum, Epiſcoporúmque ornamẽta. Theorem. 170. in fine.
Carcer perpetuus vix in vſu extra Eccleſ. Theor.35
Cardinales non perſequendi, violandi, &c. Theor. 78.151. 156. 157.296.297.420. Sicut nec eorum ædes, familiares, &c. & pœnæ extenduntur etiam ad poſteros, & affines, & ad ſcientes, & non reuelantes.
Cardinales an ligentur Pontificiis Conſtitutionibus de eorum conſilio latis, ſi in odioſis non exprimantur. Theor.114
Cardinalium dignitas quanta. Theor.296
Cauſæ in prima inſtantia ab Ordinariis cognoſcendæ. Theorem. 150
Cenſuræ non multiplicantur multiplicatis bullis contra idem crimen. Theor.409
Cenſus nomen quid ſignificet. Theor.257
Cenſus forma à Pio V. edita. Epit. 104.105. Theor.257.& ſeqq. vſque ad 277
Cenſus forma in Regno Neapolitano, & Siciliæ, quæ. Theorem. 104.105. & licet.
in Chriſto ſunt duæ integræ, & perfectæ naturæ, diuina, & humana. Theorem.96
in Chriſto fuit vna tantum perſona Verbi diuini. Theor.97
in Chriſto duæ ſunt conſitendæ voluntates, diuina, & humana. Theor.98

Chriſtianam doctrinam docentibus, & diſcentibus indulgentiæ conceduntur. Theor.331.332
Chriſtiani infirmi non curentur à medicis Iudæis, & infidelibus. Theor.346.402
Chriſtiani Turcarũ dominio ſubiecti, non ſunt à Chriſtianis captiuandi, lædendiue in ſuis bonis, filiis, vxoribus. Theor.326
Chriſtiani remiges captiui verberum, & mortis metu remigantes in Turcarum triremibus contra Chriſtianos, num peccent mortaliter, & incidant in bullam Cœnæ. Theor.416
Clauſula, motu proprio, & ex certa ſcientia, quid operetur. Theorem.209
Clauſula, ſub pœna indignationis, &c. quid etiam operetur. Theorem.216
Clerici leuis, mediocris, grauis percuſſio, quæ. Epit.24. Theorem.69
Clerici, & monachi intereſſe non debent ludis, oſtentationibus, duellis, executionibus iuſtitiæ, aliiſque voluptuoſis, & inhumanis laicorum actibus. Theorem.246
Collationes Germanę contra concordata, nullæ Theor.165.166
Colloquia cum Monialibus vetita. Theor.335.339
Commenſales Cardinalium, qui dicantur. Theor.125
Concubinarius Clericus notorius, an ſit ipſo iure ſuſpẽſus. Theorem.224
Concubinatus grauitas, & pœnæ. Theor.224
Confeſſarij monialium nec pernoctent, nec pernoctare faciant in ædibus coniunctis, nec comedant. niſi, &c. Theor.339
Confidentia in collatione, & præſentatione beneficiorum, quid ſit, quibus pœnis puniatur. Theo. 201.202. 203. & quibus coniecturis probetur in foro externo. Theor.203
Confiteri abſenti per litteras, & nuncium nullo modo licet. Epit. 163. Theor.404
Conſiſtorialia monaſteria, quæ. Theor.247
Conſuetudo, in quo à præſcriptione differat. Theor.433
Conuenticula occulta damnãtur. Theor.12.& 32. & ædes, in quibus fiunt diruendæ, nunquam amplius reædificandæ: repertáque ibidem bona quorum fiãt. Theor.40
Corporis motus, vox quædam eſt animi. Theor.381
Credentes hæreticorum, qui dicantur. Theor.410.num.2.
Culpa lata, leuis, leuiſſima. Theorem.364
Curiæ Romanæ nomine qui veniant. Theor 417
Curiales qui. ibidem.

D

DAmna ſunt reſarcienda paſſis locorum incolis. Theorem.356
Dans, & promittens aliquid pro obtinenda à Sede Apoſtolica gratia, vel iuſtitia, vt etiam pro eadem re acceptans rem, vel promiſſionẽ, quas incurrat cenſuras. Theor. 56.333.334. quæ etiam extenduntur ad ſcientes, & non reuelantes intra triduũ: nec non ad vtentes litteris prędictis.
Delicta publica, & priuata, quæ. Theor.39

Decimarum ſolutio, debita. Theorem. 151. num. 3.
Decima quotuplex ſit, ibidem.
Deferentes, tranſmittentes, permittentes è ſuis partibus deferri ad Iudæos, Saracenos, hæreticos declaratos, naues, equos, arma, excommunicantur, & captiuantur. Theor. 102. 103. 416
Degradatio verbalis, & actualis, quæ. Theor. 222
Dæmones euocare, conſulere, &c. quàm graue ſcelus. Theorem. 65. 66
Dæmones non poſſe ab hominibus alligari in annulis, phialis, &c. Theor. 67. déque his ſcripta tenere, legere, aut ſimilia diſcere, vel docere, decernuntur pœnæ. Epit. 23. Theor. 65. 68
Denuntiare v. verb. Renelare.
Dies feſtus quando incipiat. Theorem. 220
Diebus feſtis, quæ prohibeantur opera. ibidem.
Dies feſti piè colendi. ibidem.
Dies Natiuitatis Domini, Circunciſionis, Epiphaniæ, Annunciationis, Purificationis B. Virgin. & Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, quibus menſium diebus celebrandi ſint. Theor. 100
Dies termini non computatur in termino. Theor. 224
Dignitatis nomen quomodo accipiatur in iure. Theor. 212
an idem ſit Dignitas, ac officium, & perſonatus. Theor. 213
Diffidati qui ſint. Epit. 7. num. 4. & Epit. 109. Theor. 297
Diſpenſatio quid ſit. Theor. 232
Dolus, & fraus in quo differant. Theor. 295
Ducatus Romanus quando ortus, & quanti valeat. Theor. 363
Duellum ex ſe probatur illicitum. Theorem. 391
Duellum non quælibet duorum pugna. Theor. 390
Duellum aliquando ad purgationem inducendam, aliquando ad vindictam. Theor. 390
Certantiũ in duello pœnæ. Theorem. 392

E

Ecclesia Romana cæterarum omnium caput, & magiſtra. Theor. 93. 359
Eccleſia quam multis donata Prouinciis, & terris. Theor. 60. & 429. fine.
Eccleſiæ ciuitatis, & loca deuoluta, & deuoluẽda cenſentur ipſo iure Apoſtolicæ Sedi incorporata: & tractantes de petendis à Papa nouis infeudationibus, aut mittendis pro ea re Oratoribus incidunt in læſæ Maieſtatis crimen, rebellionem, excommunicationem, &c. Epit. 97. Theorem. 239
Eccleſiæ terras & bona occupantium pœnæ. Vide v. Occupantium.
Eccleſiæ Parochiales quomodo conferendæ. Theor. 236. 237
Eccleſiæ cenſuræ reuerendæ, cum Eccleſiæ iuriſdictionis coërcitiuæ poteſtas à Chriſto pẽdeat. Theor. 5
Eccleſiaſtica poteſtas præeminet imperiali. Theor. 15
Eccleſiarum redditus olim quomodo diuiderentur. Theor. 4
Eccleſiarum vaſtatio, violatio, ſpoliatio reprimitur. Theor. 151. num. 2.
Eccleſiaſtica immunitas. Epit. 7. & 29. & 31. ea tamen aliqui non gaudent. Theor. 58. 59. 385

Eccleſiaſtici ad ſæculare forum non trahendi. Epit.7.num.3. & Epit.31. & Theor. 17.76.78.82. 83.424.428

Electio ad beneficia quid ſit, & quomodo facienda. Theor.204

Electio intra quantum temporis fieri debeat.ibid.

Electus ante confirmationem factam à ſuperiore non acquirit ius in re, vnde tunc non ſe ingerat illius Eccleſiæ adminiſtrationi. Theor.138.205

Emancipationes filiorũ factæ poſt parentũ lapſum in hæreſim,nullæ ſunt. Theor.51.num.19

Emphyteuſis quid ſit. Theorem. 132. 133

Emphyteuta cadit in commiſſum non ſoluens canonem. ibid.

Epiſcopi nomen quid ſignificet. Theor.188

Epiſcopi Regulares ad clauſtrum, ex Papæ licentia reuertentes excluduntur ab officiis Religionis. Theor.186

Eos verò eligentes priuantur voce actiua, & paſſiua. ibid.

Euchariſtiæ materia apta,eſt panis triticeus, ſiue fermẽtatus iuxta ritum Græcũ,ſine azimus iuxta Latinos.Theor.89.& vinũ vitis cum tantula aqua.Epit.34. §. 12. forma. Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt enim calix ſanguinis mei. ibid.

Eunuchi carentes vtroque teſte nullum matrimonium contrahunt, etiamſi coire poſſint. Epit.143. Theor.369.370

Examini beneficiorum alium pro ſe ſubſtituentes, nec non ſe pro aliis ſupponentes: itémque qui pro ſe beneficia impetrant, vt deinde reſignent aliis cum aliquo commodo vel penſione, aut ſine,excommunicantur, abſoluendi à Papa; priuantúrque beneficiis & inhabilitantur in futuro, & impetrationes ſunt nullæ. Epit.25.& 65.Theor.70. 71.176.177

Executionem litterarum Apoſtolicarum impedientium, pœnæ. Theor.163.422

Excommunicatio prærequirit cõtumaciam. Theor.5

Excommunicationes ſententię latæ, quæ particulæ indicent, ferendæ verò,quæ. Theor.63

Exemptio quid ſit. Theor.149

Exemptorum punitio ad quem ſpectet. ibid.

F

FAcinoroſi cur puniãtur. Theorem. 26

Familiares, & commenſales Cardinalium, &c. qui.Theor.125

Feudorum librorum auctores qui, & quando. Theor.132

Feudi nomen quando factum, definitio, differentia ab emphyteuſi.Theor.132

Feudatarius punitur niſi canõ ſoluat,vel obſequium Domino debitum præſtet. Theor.133

Feudalis rei finita inueſtitura abſque vaſalli culpa,melioramenta cuius ſint. Theor.141

Filij parentes imitari ſolent.Theorem.33.162

Filij illegitimi plures in ſpecie diuiſi. Theor.371

Filij hæreſim Patris detegentes cenſentur habiles ad publica officia & beneficia. Theor. 37. & 40

Filij vtrum teneantur hæreticos Patres detegere. Theor.37

Fœtus in vtero matris quãdo animetur

metur anima rationali. Theor. 376
Fœminæ virorum, monialiúmque non intrent monasteria, nec viri fœminarum, exceptis Prælatis, &c. Epit. 95. Theor. 234. 235. 335. 336. 337. & seqq.
Forus quid, & quotuplex. Theor. 209
Franchisiam appellantium pœnæ. Epit. 338. Theor. 357
Francisci Xauerij commendatio. Theor. 406
Fraus, & dolus quomodo distinguantur. Theor. 295
Fructus beneficiorum affectorum vacantium in Italia sunt Cameræ Apost. ordinarij verò in eis se non ingerant, alias sunt à diuinis suspensi, interdicti ingressu Ecclesiæ, priuati potestate conferendi in propriis mensibus beneficia. Epit. 78. Theor. 198

G

GAbellas, & pedagia noua imponentes, exigentes, vel augentes vetera præterquam in casibus à iure permissis, vel de Papæ licentia, excommunicantur. Theor. 414
Gratia subreptitia, & obreptitia, quæ. Theor. 233
Græci Italiæ ordinariis latinis subiiciuntur, & in quibus discrepent à latinis, omissis hæresibus. Theor. 199
Græci ad nonaginta hæreses olim pepererunt ad latinæ Ecclesiæ virginitatem corrumpendam, ibidem.

H

HÆresis nomen quid sonet. Theor. 182
Hæresis quid sit. Theoremate 8. 410
Hæresis nulla, vbi non est error in intellectu. Theor. 8. 410
Hæresis non est nisi adsit pertinacia in voluntate. ibid.
Hæresis cognitio tota pertinet ad forum Ecclesiasticum. Epitome 152. num. 6. Theorema 34. 171. 387
Hæresis inter publica crimina numeratur. Theorem. 39. Ob hæresim mentalem tamen nulla incurritur censura. Theor. 8. n. 5. Secus verò si exeat in actum externum, etiam si à nemine sciatur. ibid.
Hæretici sunt excómunicati, cum complicibus. Epitome 4. 7. 9. 14. 18. 166. §. 1. & Theor. 25. 52. num. 410
Hęreticorum credentes qui. Theorem. 20. 27. num. 1. Theoremate 51. 410. num. 2. hæreticorúmque defensores. Theor. 27. num. 4. 410. num. 5. illorúmque pœnæ.
Hæreticorũ receptores qui. Theorem. 27. num. 3. & Theorem. 410. num. 3. & quibus censuris, pœnísque puniendi, & sufficit semel tãtum recepisse. ibid. quid si frater fratrem ob consanguinitatem recipiat. Theorem. 27. num. 3
Hæreticorum fautores qui, & quibus pœnis sint obnoxij. Theoremate 27. num. 2. Theor. 410. num. 436
Hæretici per Ecclesiam damnati sæculari iudicio vltimo supplicio plectendi, absque reuisione processus. Theor. 26. 34
Hæretici, fautores, defensores, receptatores, publicatis bonis proscribuntur. Epit. 12. Theorem.

rem. 18. & 43. ſed
Vtrum publicentur etiam bona futura. Theorem. 44. quid de bonis Clericorum hæreticorum. Theorem. 45. cui fiſco adiudicanda. Theorem. 46
Bona tamen condemnatorum, quæ ad hæredes extraneos non tranſeunt, nec ad fiſcum tranſire poſſunt. Theor. 43. 45
Hæreticorum, & complicum filij inhabiles ad publica officia, & beneficia. Theor. 18. 27. 33. 37. 52. num. 17
Quæ ſit differentia in illorum filiis inter paternam, & maternam lineam. Theor. 33. 52. n. 17. & Theor. 345
Hæretici, & complices damnantur infamia perpetua, & ſunt diffidati. Theor. 18. 59. Vbi 19. pœnæ illorum ſingillatim explicantur.
Hæreſi occultæ (non tamen mentali) an ſit annexa irregularitas. Theor. 52. n. 17
Hæretici an ſint infames. & bonorum dominio priuati ante iudicis ſententiam. Theor. 18. 52. num. 2
Eorum teſtimonium inualidũ. Theor. 40. 52. num. 4. & Theorem. 55
Sunt incapaces teſtandi actiuè, & paſſiuè. n. 5. 6
Non reſpondetur ei ſuper vllo negotio, ipſi tamen coguntur aliis reſpondere. num. 7. ſi ſint Eccleſiaſtici omni officio, & beneficio deponuntur. n. 8
de Hæreſi ſuſpecti congrua purgatione innocentiam intra annum probent. ibid. n. 10
Hæretici, & complices non audiuntur appellantes. Theorem. 24. 52. num. 11. priuantur ſepultura Eccleſiaſtica num. 14. non habent vocem actiuam, nec paſſiuam in electionibus. Theorem. 9. & 10
Hæretici deprehenſi, ad pœnitentiam redeuntes, quouſque ſint admittendi. Theor. 50
Hęretici, & Apoſtatæ non gaudent Eccleſiæ immunitate, ſeu aſylo. Theor. 58
Hæreticum cognoſcentes tenentur denunciare. Theor. 32. 52. num. 16
Notarij, aduocati, &c. hæreticorum, & complicum patrocinium ne ſuſcipiant. Theor. 27. & 30
Honorum, & graduum nomine quid intelligatur in Pontificiis bullis. Theor. 375. num. 4. & Theor. 399
Hoſpitio non admittantur à Religioſis Religioſi ſine litteris patentibus ſuperiorum. Epitome 144. 145. Theorem. 375. dec. 15
Hoſtes publici, qui. Theorem. 356
Humanda corpora defunctorum ſed abſque ambitione. Theorem. 219.

I

IAponia vbi ſita. Theoremate 119
Ieroſolymitani milites quando, & cur inſtituti. Theotemate 323. 400
Immunitas meritò Eccleſiaſticis conceſſa. Theor. 16. 17. 77. 78. 427
Impedientes executionem litterarum Apoſtolicarum, quibus puniantur pœnis. Theor. 126. 127. 128. 163. 422

Incorporari aliquid Principis bonis, quid ſignificet. Theorem. 239

Incantatores, adoratores Dæmonum, quibus damnentur pœnis. Theorem. 65. 66. 347. 360. & ſeqq.

Indignationis pœna quid importet. Theor. 216

Indulgentiæ quid ſint, quàm antiquæ, &c. Theor. 48

Infamia quotuplex ſit. Theorem. 18

in officio Inquiſitionis non ſe ingerant ſæculares, non impediant Inquiſitores; abrogenturque quæcunque ſtatuta in contratium, & inobedientes plectantur pœnis, imo & ipſi Inquiſitores, & Ordinarij eos ſe irrequiſitos in hoc negotio ingerere permittentes. Epit. 65. Theor. 34. 171. 172. 387

violantes & violare tentantes Inquiſitores, illorum miniſtros, libros, ædes, carceres, &c. quibus ſubiaceant pœnis. Epit. 106. Theor. 277. 278

Inquiſitores, eorúmque conſultores, &c. ſunt immunes ab irregularitate quantumcunque concurrant ad hæreticorũ damnationem. Theor. 34

Inquiſitionis proceſſus abſque reuiſione à iudicibus ſecularibus exequendus. Theorem. 34. & 160

Inquiſitoribus in negotio fidei fauens indulgentias lucratur. Theor. 48

Inquiſitoribus non fauens coërcendus. Theor. 38

Interdictus ingreſſu Eccleſiæ an poſſit extra Eccleſiam audire officia, & extra officia tranſire per Eccleſiam. Theor. 198

Interdicto Eccleſiaſtico non ſupponantur pro negotio pecuniario loca. Theor. 55

Interdictum Eccleſiaſticum quæ ſecum mala ferat. ibidem.

Interdictum huiuſmodi quotuplex ſit. ibidem.

Intruſus quis dicatur, & quæ intruſionis pœnæ. Theor. 165

Inuadentes, occupantes, tenentes, perturbantes loca iuriſdictionis mediatæ, vel immediatæ, Sedis Apoſt. pœnis plectuntur cum complicibus. Theor. 429

Iocalia in iure quæ nuncupentur. Theor. 170

Iudæi Chriſtianos ne curẽt. Theor. 346. famulos, & nutrices Chriſtianas ne teneant. Theor. 41. 42. 54. 347. A ſuſcepta Chriſtiana fide recedentes, & auertentes alios, ſeuerè puniendi. Theorem. 54. Errantes circa legem veterem, vt hæretici tractandi. Theor. 347. Vt etiam eorum receptatores, & defenſores. Theor. 54. 347. In quibus criminibus puniendi ab Inquiſitoribus. Theor. 347. ſtatutis diebus tertia pars eorum interſit ſacræ lectioni. 352. Signum publicè ferant, vt poſſint dignoſci. Theor. 54. *Vide.* v. Meſſiam.

Iudici quando quis teneatur denunciare. 57

Iudex Eccleſiaſticus an poſſit punire Saracenos, &c. conantes trahere Chriſtianos ad ſuam ſectam. Theor. 75

Iudex ſæcularis non poteſt bannire, aut relegare Eccleſiaſticos, nec id mandare, gratum habere, dare conſilium, &c. Epitome 28. Theorem. 76. 78. 428

Iudices Inquiſitionis, Ordinarij, &

& Inquiſitores, & quomodo. Theor. 34.47
Iuramenta vim non habent contra bonos mores. Theor. 298. 354
Iurantium, & iurare facientium Prælatos illicita, & contra Eccleſiaſticam libertatem, pœnæ. Theor. 353.354
Iuris nomen multas habet acceptiones, & quid dicatur ius in re, & ad rem. Theorema 127. 204
Iuſtitiæ, & gratiæ nomine quid veniat. Theor. 57. 333. & ſeqq.

K

KAlendarium vetus abrogatur, & approbatur nouum correſpondens martyrologio: neutrum imprimendum abſque licentia Papæ ſub cenſuris, & pœnis. Epit. 133. eiuſdem corrigendi neceſſitas, & ratio. Theor. 348.349

L

LAicis de rebus fidei haud diſputandum. Theor. 31. & 52. num. 15
Læſæ maieſtatis capita quomodo differant. Theor. 240
Legatorum Pontificiorum tria genera. Theor. 211
Legis interpretatio, irritatio, abrogatio, derogatio, diſpenſatio quomodo differunt. Theorem. 232
Leges pro immunitate Eccleſiæ Federici II. Epit. 7. Theor. 15. & ſeqq.
Leges pro eadem Eccleſiæ immunitate Caroli IV. Epitome 29. Theor. 77.78
an delinquens in Legem, in qua dicitur, vt nulla expectata ſententia, incurratur pœna, poſſit nihilominus in conſcientia expectare declaratoriam criminis ſententiam. Theorem. 8. 128. 177.194.203.207.256.382.398. 399
Libertas quibus modis amittatur. Theor. 103
Libertas Eccleſiaſtica in quo conſiſtat. Theor. 151
Libertatem Eccleſiaſticam impedientes, & violantes, quibus coërceantur pœnis. Epitome 7. num. 1. 2. 3. Theorema 15. 16. 17.76.77.78.82.83.151
Libelli famoſi ſub quibus pœnis vetiti. Theor. 326
Libros hæreticorum, & ſuſpectos de fide ſcienter legens, tenens, imprimens, &c. excommunicatur. Epiteme 166. §. 1. ſuſpectus eſt de hæreſi, conſignare debet Inquiſitoribus, non propria auctoritate corrumpere. Theorem. 168. 169. 200. 410. num. 6. 7. quid ſi minimo tempore tenuit, vel parum legerit, vel tenuerit, apud alium. Theorem. 410. num. 7. vel audierit alium legentem. num. 6. quid de eorundem ſcriptoribus. num. 8. nec non defenſoribus. num. 9. Aliosverò libros vetitos, vt obſcenos, &c. legens præter peccatum, quod committit, ſeuerè ab Ordinario puniendus eſt. Theor. 200
Limina SS. Apoſt. Petri, & Pauli ex toto Chriſtiano orbe deuotionis gratia frequentata. Theorem. 358. 359. 419. Prælati quando eadem inuiſere teneantur. Epitome 139. & Theor. 358. & ſeqq.

Litigantes in Romana Curia, negotiorúmque eorum geſtores, &c. ne minis quidem violari debét ſub pœnis ſtatutis. Theorem. 134.421

Litteræ dimiſſoriæ, & commendatitiæ, quæ. Theor.110

Litteræ patentes ab itinerantibus Regularibus deferendæ. Epitome 144.145. Theor.374

Litteræ Apoſtolicæ diuerſi generis. Theor.408 415

Se in litteris Apoſtolicis aſſerens qualis non eſt, quibus puniatur pœnis. Theor.124

Litteræ beneficiorum intra annum expediendæ. Epitome 51. Theorem. 137. 138. Electionum verò ad regimen monaſteriorum, & dignitatum conuentualium litteræ, intra ſex menſes ſint expeditæ. Theoremate 204.205

Litteris beneficialibus nondum expeditis nemo ſe ingerat in Eccleſiarum adminiſtrationē, aliàs priuatur, inhabilitatur, &c. Theor.138.204.205

Litterarum prædictarū expediendarum modus. Theor.137.138. 204.205

Litteras Apoſtolicas falſantes excommunicantur. Theor.415

Loca ſacra immunia. Epitome 29. Theor. 58. 59. 77. num. 11. & Theor.78.

M

MArchæ nomen quid ſignificet. Theor.61

Mandans, & Mandatarius. Vid. v. offendere:

Beatiſſimam Virginem Dei Genitricem Mariam abſque peccato originali fuiſſe conceptam. videri probabilius Theor.301

in Matrimonialibus diſpenſationibus perendis qui ſit exprimendus gradus. Epit.94. Theorem.22.q.232.233

Matrimonium meritò in certis gradibus vetitum. Theor.229. Quid in propoſito ſit gradus, & linea conſanguinitatis. Theorem.230. & affinitatis.231

Medicis procurandum, vt infirmi intra tres dies confiteantur, aliàs gradu, & collegio priuantur, & ſunt infames. Epit. 88. Theor. 214 215. & in eorum promotionibus exigitur iuramentum de ſeruando huiuſmodi præcepto, aliàs Vniuerſitas ipſa doctorandi priuatur priuilegio. Theor.215

Memoriam alicuius, poſt mortem damnari, cur, & quando liceat. Theor.181

Menſes in quibus beneficia vacantia reſeruantur Papæ, & ij, in quibus conceduntur conferenda ordinariis. Theor.161

Meſſiam iam veniſſe probatur contra Iudæos. Theor.54

Miſſæ quo tempore celebrandæ. Epit 89. Theor.216

in Miſſa, & diuino cultu obſeruanda, & vitanda. Epit.90. Theorem 217

Moleſtantes, violantéſque Prælatos, eorúmque res, & iura, quibus coërceantur pœnis. Theor. 4 5. 77.151.n.4.5

Monarchia optimum regimen. Theor.93

Monopolium illicitum. Theorem. 313

Montes Pietatis licent. Theor.152. 153

Monaſteria Conſiſtoralia quæ dicantur. Theor.247.351

Monaſterij, & clauſuræ nomine quid veniat. Theor.335
Monialibus exactiſſimè ſeruanda clauſura. Epit. 92. 93. Theor. 227. 228. exceptis caſibus, in quibus egredi liceret. Theorem.228
Ad moniales conciones habentes vel celebrantes miſſas, eas, vel alias perſonas intra clauſtra degentes ne alloquantur ſub pœnis ſtatutis. Theorem. 339. illarúmque confeſſarij, ne in ædibus coniunctis pernoctent, nec alios faciant pernoctare, nec comedant, niſi, ad ſummum mane, cum habitatio ſæcularium multum abeſt, præſertim Confeſſionum Generalium tempore.ibid.
Munera iudicibus ſtatus Eccleſiaſtici interdicuntur. Theor.112. permiſſis xeniolis.Theor.113
Munera Religioſis vetãtur directè, & indirectè. Epit. 158. Theor. 395.396. & ſeqq. Tranſgreſſorum pœnæ, quæ etiam extenduntur ad erogantes in comeſſationibus, comportationibus, exhibitionibus ſpectaculorum, &c. Theor.397.398.399
Quid de quantitate modica.Theorem. 396. & conſtitutio inferi debet in libris ſtatutorũ monaſterij, & ſingulis annis recitari.

N

NAufragantium bona rapientes, & rapi permittentes, quibus ligentur cenſuris, & pœnis. Theor.6.7.21.167.226. 413. dummodo rei quantitas ſufficiat ad mortale. Theor. citato 413. non obſtante quacunque conſuetudine, & priuilegio in contrarium.Epit.7.n.8. Theorem.21.413
Naufragis ferẽdam opem, & conſeruandis, & recuperandis rebus: non inferendum eis impedimentum,aut moleſtias.Theorem.6.7.21.167.226.413
Negotiatio plena animarum periculis. Theor.193
Negotiatio Clericis, & monachis interdicta.Theor.193.194
Notorium, vel manifeſtum quandonam aliquid dicatur. Theorem.368
Nouitij Religionum, olim triennio ante admiſſionem ad habitum, probabantur.Theor.372
Nouitiorum admittendorum in Religionibus,forma. Epit.144. 145.150. Theor.372.373.383
Numerus Religioſorum in ſingulis monaſteriis, qui ali poſſint, præſcribendus, & nõ augendus ſub pœnis, &c. Epit.164. Theorem.405
Nummus Diui Petri à vectigalibus ſoluj Eccleſiæ ſolitus,à quibus Regibus primò inſtitutus, & quanti valeret. Theor.133
Nummorum,& pecuniæ adinuentio. Theor.279
Nuncij Apoſtolici procurantes Principum fauores ad obtinendas dignitates, excommunicantur, priuantur, inhabilitantur, & fiunt infames.Theorem.210. 213

O

OBlationes quæ ſint,& ab aliquibus refutandæ. Theorem.30
Obreptionis, & ſubreptionis differentia. Theor.233
Oculi in ſuis, ſuorúmque rebus caligari ſolent.Theor.139
Occupantium Eccleſiæ terras, loca,bona,pœnæ. Epit.26. Theor. 72.121. & ſeqq.131.175

Officium, & dignitas num distinguantur. Theor. 213
Officium diuinum à quibus, quo iure, qua obligatione, quando, & quomodo recitandum. Epit. 116. Theor. 315. vsque ad 323. & vtrum qui errauit in officio dicendo vno pro alio, vel ordine præpostero, vel interrupit, teneatur repetere. Theor. 322
An nõdum persoluto matutino cum laudibus missa dici possit. ibid.
Offendentes Cardinalem, Patriarcam, Archiepiscopum, Episcopum, legatum, & nuncium Papæ, quas incurrant pœnas. Theor. 420
Offendere mandans Prælatũ, quandonam incurrat excommunicationem: an quando dat mandatum, an quando mandatarius exequitur quod mandatum est. Theor. 420
mandans Prælatum Offendi, v. g. percuti, si postea reuocet mandatum, mandatarius tamen adhuc exequatur quod mandatum fuerat, incidat ne qui mandauerat in excommunicationem. Theor. 420
Offendens recurrentes ad Romanam Curiam pro suis causis, & eorum procuratores, negotiorum gestores, &c. pœnis coërcetur. Theor. 421
Ordinum suscipiendorum tempora legitima. Theor. 110
ad Ordines malè promouentium, & promotorum, ac complicum censuræ. Theor. 84. 108. 109. 378. & seqq.
ad Ordines promouendi priùs examinandi. Theor. 176
Onera, collectas, talias, Gabellas imponentes Ecclesiis, personis Ecclesiasticis, & vtrorũque bonis, absque Papæ licẽtia excommunicantur cum exigentibus, & sic imposita etiam à sponte dantibus recipientibus. Theor. 427. *Vide* etiam Verb. Bona, & Ecclesiarum, & personarum.

P

PAgani Principes Regibus Christianis non subditi possint ne iure priuari suis dominiis. Theor 130
Papæ nomenclatura. Theor. 179. eiusdem eligendi forma. Theorem. 135
Papa potuit eximere à iurisdictione Principũ Christianorum, Ecclesiasticos. Theor. 77. n. 6. & Theor. 414.
Papatum ambientium, nec non tractantium Papa viuente, & inconsulto de alio eligẽdo, censuræ. Epit. 70. Theor. 178. 179. 180. 181
Patareni qui dicerentur. Theor. 40.
Patriarchæ, & Primates, qui, eorũmque præeminentia, & ordo. Theor. 94. 188
Parochi, & Parochiæ nomen, & institutio. Theor. 236.
in Parochialibus Ecclesiis conferendis seruanda forma præscripta. Theor. 237. 238.
Patriæ potestatis effectus, quos amittunt hæreticus Pater & cõplices in filiis. Theor. 52. n. 19
Patrini suscipientes in baptismo curam gerant. Theor. 402
Patrimonium, ad cuius titulum ordinatus est Clericus, renunciari, & alienari absque Papæ licentia non debet. Theor. 379
In alienãdo tamen, non necessariò seruandæ conditiones requisitæ in alienandis rebus Ecclesiasticis. Theor. 2

Pauperes prohibentur ad eleemosynam diſcurrere in tẽplo, concionis, & officiorum tempore. Epit. 90. §. 5. & Theor. 218
Peccata morborum cauſæ. Theor. 214
Pecunia rationem menſuræ, & menſurati habere poteſt. Theorem. 280
Pecuniæ diuerſitas cambiendi neceſſitatem induxit. Theor. 281
in Pœnitentiaria nihil omnino accipi poteſt, etiam ab exhibentibus ſponte. 294
Perduelles, ſeu Perduelliones, qui. Theor. 356
Perſonatus an diſtinguatur ab officio, & dignitate. Theor. 213
Pertinacia ad conſtituendum aliquem hæreticum neceſſaria. Theor. 8
Piratæ maritimi infeſtantes Eccleſiæ mare cenſuris plectuntur. Theor. 412
Pontificem Romanum eſſe Chriſti Vicarium, Eccleſiæ caput, ſucceſſorem Petri. Theor. 93. Cuius auctoritate in Dei Eccleſia nulla maior. Theor. 106. 411
Porphyretici lapides, quare ſic apellati, vbi habeantur, penè inuictæ duritiei. Theor. 120
Poſſeſſiones tributis grauatæ, an tranſeant ad Eccleſiaſticos cum ſuo onere. Theor. 77. num. 6. & Theor. 427
Præceptum vt quis ante abſolutionem aliquid reſtituat intelligitur, niſi excuſet impotentia, etenim tunc ſufficiet cautio. Theor. 57. & 334
Præceptum communionis Paſchalis à Palmarum die ad diem in Albis licitè impletur. Theor. 301
Prælatorum, Ordinariorum ſententias, & decreta procurantes eludere, recurrentes ad ſæculares Curias, pro inhibitione, vel mandatis pœnalibus contra eos, pœnis plectuntur cum mandantibus, exequentibus, auxiliantibus, &c. Theor. 425
Eoſdem ordinarios in vſu eorum iuriſdictionis Eccleſiaſticæ impedientes, cenſuras incurrunt. Theor. 425
Præſtimonia quæ dicantur. Theor. 321
Presbyterorum filij, qui poſſint habere beneficia, & quæ. Theorem. 161. 162
non Presbyteri celebrantes, & confeſſiones audientes, vltimo ſupplicio plectendi. Epit. 162. Theor. 402
Prædicatio abſque licentia, vetita. Theor. 13. & 64
Priuilegia contraria concilio Tridentino, reuocantur. Epit. 86. Theor. 209
Priuilegium non reſidendi ratione ſtudiorum, quid iam requirat. Epit. 85. Theor. 208
Probationis tempus in Nouitiis debet eſſe annus integer, & continuus. Theor. 383
Profeſſio fidei facienda vniuerſitatum Rectoribus, Cancellariis, Magiſtris, promouendis ad gradus, habentibus lecturas in Eccleſiis, monaſteriis, oppidis etiam Grammaticæ, &c. ſub pœnis excommunicationis, nullitatis gradus, priuationis officiorum, beneficiorum, &c. Epit. 83. Theor. 206
eadem fidei Profeſſio eſt facienda intra duos menſes promotis ad beneficia habentia curam animarum, Canonicatus, dignitates in Cathedralibus. & quid de Religioſorum prælaturis? Epit. 84. Theor. 207

eam omittens, an teneatur ad fructuum reſtitutionem. ibid.
An poſſit fieri per Procuratorem. Theor.207
Prouocantes, ſeu appellantes à Papa ad futurum concilium, cenſuris percelluntur. Theor.106. 107.411
Simoniacè, & malè Promouentium, & promotorum cenſuræ, & pœnæ. Epit.32.39.147. Theorem. 84. & ſeqq. 108. & ſeqq. 378. & ſeqq.
Purgatorium eſſe, in quo peccatorum reliquiæ purgentur, ſi anima in Dei gratia ex hac vita non penitus elutta diſceſſerit, antequam cæleſti beatitudine fruatur, docetur. Theor.90
in Purgatorio degẽtibus viuorum ſuffragia proſunt. Theor.90.n.2
Purgatio Canonica in iure, quæ dicatur. Theor.26

Q

Quindennium quid ſit, & vnde dictum. Theor.121
nullam ſapit ſimoniã, quicquid aliqui ſenſerint. Theor.122
Quindennium de quibus beneficiis ſit ſoluendum. Theor. 123
illud non ſoluentes quas cenſuras, & pœnas incurrant. ibid. & Epit.114. Theor.363

R

Ratum habere, quis dicendus. Theor.156.157.197.420
Rebellis quis dicatur. Theor.356
Rebellionis delictum grauiſſimum ſcelus. Theor.240
differt à crimine Duellionis. ib.
Regulares exempti ab ordinariis. Theor.149
Regulares ſæcularium confeſſiones non audiant, niſi fuerint ab ordinariis approbati. Theorem. 114
Regulares ſine licentia non adeant loca monialium, nec ibi comedant. Theor.539
Regulares fœminas admittentes in virorum monaſteriis, excommunicantur, priuantur officiis, inhabilitantur ad illa, & alia, à diuinis ſuſpẽduntur. Theor.235
Regulares iure teſtari non poſſunt. Theor.340.341
inter Regulares exemptos degentes extra monaſteria, & degentes intra quæ interſit differentia. Theor.149.401
Regulares qui ad Indos mittuntur, ad loca ſibi deſtinata rectà proficiſcantur. Epit.165. Theor. 406
Relapſi qui dicantur. Theor. 36. 174
Relapſorum in hæreſim pœnæ. Theor.36.50
Religionum habitus triplex, Nouitiorum, Conuerſorum, Profeſſorum. Theor.372
in Religione qui ſint recipiendi, qui non. Epitom.144.145. 150. Theor.372.383
quomodo Nouitij ſuſcipiendi in Religione ſint. Epit. 144. 145. 150. Theor.372.373.383. & inobedientium pœnæ. ibidem.
Religionum perfectio, in quo ſit poſita. Theor.79
Religioſi mendicanres non poſſunt abſque licentia, ad monachos, exceptis Carthuſienſibus rranſire. Theor.79.80
Religioſi mendicantes intra 140. cannas (cõtinet canna octo palmos) aliorum, non poſſunt noua ædificare monaſteria. Theor.79
Reſeruatio beneficij quid ſit. Theorem.164. licitè fit à Papa, quicquid ſomniarint aliqui, quod

quodque discrimen sit inter affecta,& reseruata beneficia.ibid.
Resignationis nomen æquiuocum.Theor.248
Resignationes beneficiorum, quæ admittendæ Episcopis, & collatoribus.Epit.101
Resignationis admittendæ 13. causæ.Theor.250
Resignandorum beneficiorũ forma.Theor.351.& seqq.Epit.135
Resignata beneficia quibus conferri non liceat.Theor.251
Resignatio beneficiorum quotuplex.Theor.249
Residere quid sit. Theor.189
Residentia debita iure naturali, humano,& diuino. Theor.187. 252.253
Residentium Prælatorum priuilegia.Epit.72.Theor.189
legitimæ non Residendi causæ quæ.ibid.
Residere Parochi compelluntur. Epit.102.& Theor. 252.253
conceditur vacatio ad non Residendum Prælatis trium mensium spatiũ singulis annis, siue continuum, siue interruptum, Parochis verò duorum. Theor. 187
non Residentium Prælatorum, pœnæ.Epit.73. Theor.187.188. 189
Reuelare secreta quando teneatur iussus.Theor.57.134
Reus occultus an teneatur in conscientia subire impositas ipso iure pœnas antequam declaretur per Iudicem tale crimen commisisse.Theor.256
Romipetas vexans quibus censuris,& pœnis ligetur. Theor.419. quorum sane numerus Iubilæi anno 1300. tantus fuit, vt vix fuerit dies toto anno, in quo ad ducenta peregrinorum millia non fuerint hospitio excepta. Theor.419

S.

SAcramenta nouæ legis quot,& quæ, & in quibus rebus instituta, qua forma, quo ministro. Epit.34.Theor.95.& seqq.
Sacra loca, quos ad se confugientes defendant, quos verò non defendant.Epit.19.152. Theor. 58.59.385.& seqq.
Sacra scriptura vulgaribus idiomatibus haud legenda, & cur. Theor.11
Saraceni vnde dicti,eorumque lex tota carnalis, & spurcissima. Theor.73.416
Schisma, quid sit. Theor.182 410. num.10
Schismaticorum, illorúmque fautorum, ac defensorum, pœnæ. Theor.184.185.410.n.10
Scutum de Marcha, quid sit, & vnde ortum. Theor.292
Sedis Apostolicæ nomine quid significetur. Theor.334
Sequestrare quid sit.Theor.77.426
Simonia grauissimum crimen, & cur multis vetita censuris.Epit. 32.147. Theor. 84. 85. 86. 87. 221.378.379.380
Simoniæ capita multa. ibidem.
Simoniacum scientes tenentur reuelare Romano Pontifici, alioquin absoluendi non sunt, & extenduntur censuræ etiam ad complices.ibidem.
Simoniaca Papæ electio nullam vim habet.Epit.50. Theor. 135. 136.& sic eligentium, & complicum pœnæ.ibidem.
Simoniæ confidentialis pœnæ. Theor.203
Socieras officiorum status Ecclesiastici, quomodo fiat. Theor. 190.191

ROMA VITTORIO EMANUELE

in contractibus Societatis, quæ requirat Sixtus V. Epit. 142. Theor. 364. & seqq.
an in Societate liceat assecurare capitale, vel etiam lucrum, idque cum Socio. Theor. 367
Sodomia atrocissimũ nefas. Epit. 90. §. 11. & Epit. 103. Theor. 223. 254. 255. 256. ab vtroque foro vindicatur. ibidem.
Solidus aureus quid. Theor. 77
Sollicitantes in confessione ad libidinem fœminas inquirendi, vt de hæresi suspecti. Epit. 77. Theor. 196. extenditur casus ad sollicitantes ibidem masculos. Theor. 197. itemque ad sollicitantes in actu confessioni proximo, item in Confessionario, licet extra confessionem. nec non ad loquentes ibi, de rebus turpibus. denique extenditur ad dissuadentes à non reuelando Inquisitoribus prædictos sollicitatores. Theor. 197
Sollicitatio huiusmodi, quibus modis fieri possit. Theor. 196
Sordes quid apud iurisperitos significent. Theor. 111. 333
Sortilegi, malefici, à Fide Apostatæ seuerè puniendi ab Inquisitoribus, & à sæcularibus Iudicibus, processus absque reuisione exequendus. Theor. 65. & seqq. 158. & seqq.
Sortilegi, & malefici excommunicati ne sint. Theor. 65. & 169
Spiritus sanctus à Patre, Filioque procedit. Theor. 88. 95
Spolia quæ dicantur. Theor. 170
ad Spolia non pertinent ornamenta, libri liturgiæ, paramenta, res sacræ, Capellæ Prælatorum, tabulæ, scamna, suppellectilia, &c. Epit. 98. Theor. 242. 243
Acquisita à Clericis ex propria negotiatione, vel contra sacros canones, pertinent tamquam Spolia ad cameram Apostolicam. Epit. 76. Theor. 193. 194
Sponsiones super vita, morte, electione Papæ, & Cardinalium promotione, sub censuris damnantur. Epit. 151. Theor. 384
Statutum prohibens Ecclesiæ relinquere immobilia, damnatur. Epit. 6. Theor. 14. 77
Statuta facientes contra Ecclesiasticam libertatem excommunicantur, iurisdictione, & fama priuantur, &c. Epit. 7. n. 1. Theorem. 15. 16. 17. 77. 78. 151. 424. & extenduntur pœnæ ad complices.
Subiecti mediatè, vel immediatè Romanæ Ecclesiæ, qui censeantur. Theor. 157
in Supplicationibus, processionibus, &c. quibus Ecclesiasticis debeatur præcedentia. Theor. 393. non sunt autem Regulares distantes vltra dimidium milliare à Ciuitate compellendi huiusmodi supplicationibus interesse. Theor. 393
Suspensio alia vindicatiua, alia medicinalis. Theor. 198

T

TAlionis pœna quæ sit. Theor. 225
Taurorum, & ferarum agitationes primùm interdictæ, deinde in aliquibus toleratæ. Epit. 99. Theor. 224. 245. 246
à Teneris assuescere multum interest. Theor. 332
Testati, & disponere non licet in fauorem illegitimorum de rebus Ecclesiasticis, aut patrimonialibus, aut labore partis. Theor. 303.
Testes singulares & contestes qui dicantur. Theor. 197

Thal

Thalmudi libri proscripti. Epit. 11.157.Theor.41.394
Toga non splendeat, sed nec sordescat quidem.Theor.381
Trahentium,vel trahi facientium, laicali, & temporali officio directè,vel indirectè Ecclesiasticas personas in causis Ciuilibus, præter dispositionem iuris canonici ad sæculare Tribunal, pœnæ. Theor.15 17 77. 82. 83. 424.428 & extendũtur ad dantes auxiliũ, fauorem, & sufficit etiam sola citatio.
iure tamen permittuntur in certis casibus Ecclesiastici ad sæculare forum trahi.Theor.424
Trahentium autem in causis criminalibus eosdem Ecclesiasticos ad dictum sæculare forum, pœnæ habentur. Theor.17. 76. 77.82. 83. 428. excipiuntur autem casus aliqui, de quibus citato Theoremate 428
Transfugarum, & relapsorum in hæresim pœnæ.Theor.36
Transgressor legis in qua dicitur ipso iure, aut facto incurri pœnam absque alia declaratione, teneatur ne seipso pœnam subire, vel possit expectare sententiam declaratoriã criminis, &c. Theor.203.256.334.382.392
Triplex via procedendi in criminalibus, accusationis, inquisitionis, & simplicis denunciationis, & quæ sit vnaquæque. Theor.225
Tyrocinij annus incipit ab habitus Religiosi susceptione sub superiore,& toto anno continuè deferendus est.Theor.383

V

VEnditio officiorum habentium adiunctam iurisdictionem,pessima. Theor.325
Vexantes accedentes ad Apostolicam sedem, vel ab ea recedentes, & temere Iurisdictionem, quam nullam habent sibi vindicantes,eaque contra commorantes in illa vtentes, censuris, & pœnis percelluntur. Theor. 418
Victualia extra statum Ecclesiasticum exportari, censuris vetitum, & variis pœnis. Theor. 342.343.344
Victualia ad Romanam Curiam deferri prohibentes, quibus ligentur censuris,& pœnis.Theorem.345.417
Violantium Ecclesiasticam libertatem, pœnæ.Theor. 77.78.387
Visitandæ sunt ab ordinariis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis Ecclesiæ militũ Ierosolymitanorum,in iis quæ concernunt curam animarum. Theor.324
Vniuersitates, seu communitates excommunicari non possunt, sed interdici.Theor.72 & 411
Vrbs, Ciuitas,Villa,Castrum,Oppidum. Theor.62
Vsurpantes Iurisdictiones,fructus, redditus,& obuentiones Ecclesiarum, Monasteriorum,beneficiorum,vti prouentus Ecclesiasticos, vel absque legitima facultate, eadem bona & inra sequestrantes, incidunt in censuras,& pœnas,de quibus Theor. 77.& 426

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE